ANTIDOTA EVANGELICA CONTRA HORVM TEMPORVM HÆRESES.

IN QVIBVS.

Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad ſua dogmata propugnanda vti ſolent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti poſſunt.

AVTHORE

THOMA STAPLETONO ANGLO, S. Theolog. Doctore, & S. Scripturarum in Academia Louanienſi profeſſore Regio.

LVGDVNI,

Sumptibus CLAVDII CHAPPELLET Bibliopolæ Pariſienſis, via Iacobæa, ſub ſigno Vnicornis.

AMPLISSIMO, CONSVLTISSIMOQVE VIRO, D. CHRISTOPHORO DASSON-VILLIO, CONSILII

secreti & status Reg. Cathol. Maiest. in Belgio Senatori prudentissimo.

SCITVM illud & perelegans (amplissime Domine) nobilissimi & integerrimi Senatoris Qu. Catuli responsum perhibetur, qui cùm in Senatu Romano Philippũ quendam corruptissimũ iudicem multis & grauissimis verbis increpasset, exclamante tandem Philippo, *Quid latras Catule?* appositè respondit: *Quia video furem.* Quod eius responsum, si quis fortè exclamet orthodoxæ & sacrosanctæ fidei nostræ corruptor pestilens, dum vt iam pridem ante annos multos contra nostri temporis corruptissimos hæreticos varia in lucem dedi monimenta, ita nunc aduersus eosdem alia procudere non desino; vociferetúrque, Quid adeò hic vsque latrat Stapletonus? vsurpare me oportet, ac dicere, *Quia video fures.* Quia video homines, qui non intrantes per ostium, sed ascendentes aliunde in *Ioan. 10.*

ouile Christi, *fures ac latrones sunt, mactant, & perdunt* gregem Dominicum. Quia video & dolens video innumeros pseudoprophetas, robustos animarum prædones, qui (vt Propheta tales describit) *furantur verba Dei vnusquisque à proximo suo.* Clamant apud vnumquemque: *Hæc dicit Dominus, Verbum Domini, Verbum Domini.* Interim non Dei verbum, sed sua somnia narrant: sua commenta obtrudunt: sua nefaria venena propinant: suas Diuini Verbi corruptelas pro Dei verbo venditant. Quia denique video in agro Dominico grassari, rapere, prædari, qui eius agri nec possessores, nec coloni, nec inquilini sunt; sed ab omni eius possessione, cultura, tractatione summo & clarissimo iure alieni, abdicati, extorres haberi debent. Contra quos antiquissimi Tertulliani verbis ita latrare cogor; *Homines non Christiani, sed sectarij & hæretici, Christianarum literarum ius nullum capitis. Qui estis? quando & vnde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo iure, Marcion, siluam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transuertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoues? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo. Quid hîc cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis?* Eadem prorsus voce ad nouos hodie agri Dominici inuasores, Diuinarum Scripturarum corruptores, Lutherum, Cinglium, Caluinum, exclamare nos licet. Prædonum & latronum more Christianas literas, quum Christiani non sint, nec eorum nomine iuxta Christianorum Imperatorum leges vti debeant, inuadunt; siluam Dominicam cædunt; fontes Diuinos transuertunt; limites sacros commouent. Vident haud dubiè hanc prædatoriam hæreticorum hodie licentiam

Ierem. 23.

De præscript. hæret. c. 37.

Lib. 6. cæ. de hæres.

tiam alij quàm plurimi. Vident, deplorant, tacent. Sed ego ad huius agri ac vineæ Dominicæ vehiti custodiam positus, Diuinarum Scripturarum in Cathedra Academica professor & pertractator constitutus, sic vidi & ingemui, vt tacere nequeam, imò nec debeam; Propheticum illud meritò reformidans: *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus.* Sed quare? Causa subiicitur: *Speculatores eius cæti omnes, nescierunt vniuersi, canes muti, non valentes latrare.* Venerunt certè ad deuorandum, irruerunt ad prædandum multæ bestiæ agri, multæ bestiæ saltus, lupi rapaces, feræ indomitæ, pecora campi; homines ad seducendas animas attenti, vigilantes, feroces; homines Ecclesiasticæ vnitatis, obedientiæ, & disciplinæ, nec vinculum, nec iugum, nec normam sustinentes; homines animales, carni & ventri placentia loquentes: denique, vt Apostolus eos describit, *homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei.* Tales bestiæ agri venerunt: sed quia sub specie & in vestimentis ouium, Apostolus addit; *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes:* Diuinas quidem Scripturas crepantes, Verbum Dei in ore habentes, Euangelium resonantes, sed Diuinarum Scripturarũ, Verbi Dei, & Euangelij virtutem abnegantes, vim ac sensum genuinum inuertentes, dolo & astutia adulterantes, ad absurdissima quæque placita stabilienda obtorto collo pertrahentes, imò, vt præsentibus subseruiat hæresibus, eculeo subiicientes. Porrò tales bestiæ

Esai. 56.

2. Tim. 3.

agri eo numerosius confluxerũt, eo audacius in singula perruperunt, eo plenius omnia deuorauerunt, in vniuersam pene Scripturam Diuinam pestilentibus editis commentariis, & in varias Christiani orbis partes transfusis; quo hactenus pauciores extiterunt canes latrantes (pene dixeram nulli) qui huiusmodi bestias hunc in modum grassantes inuaderent, qui sacri textus pudendas & infames corruptelas ab illis editas refutare, qui Diuinissima Christi redemptoris verba, Euangelica & Apostolica scripta, in fauorem præsentium hæresum indignissimè violata, deprauata, inuersa, toxico denique hæretico vitiata; suæ integritati ac puritati restituere, in animum induxerunt. Quo factum est, vt in huius celeberrimæ Scholæ specula constitutus, & ad Diuinarum Scripturarum interpretationem vocatus, contra fures ac latrones istos, Diuinique Verbi intoxicatores, altissima voce latrare, à grege Catholico omnibus viribus (quantas mihi Deus dabit) eos abarcere, pestiferas eorum corruptelas iusta refutatione (quantum in me erit) profligare, singula denique eorum venena saluberrimis sacræ paginæ verbis inspersa, singulis appositis antidotis, abstergere, abluere, persanare, Deo propitio, decreuerim: idque per vniuersum (vt minimum) noui Testamenti instrumentum.

Quàm diu stat in acie hostis, imò rapinas ac prædas agit, qui in aduersum mittuntur belli duces complicatis manibus quiescere non debent. Totis se viribus opponunt, ac vim vi repellunt. Stat adhuc in acie hæreticus hostis, Cathedras occupat, commentarios scriptitat, Diuinas Scripturas tam verbo quàm permanente litera contaminat, lacerat, ludibrio

brio exponit. Ego Diuinis Scripturis exponendis, elucidandis, ab omni corruptela vindicandis præfectus, tacere debui? Nec debui, nec potui. Volumen istud totius noui Instrumenti veluti à Deo mihi in hac vocatione porrectum comedi, deuoraui, percurri, & viscera mea completa sunt illo. *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* Visas, compertas, palpatas Diuini Verbi horrendas & indignissimas corruptelas, tacere, dissimulare, intactas relinquere, quî potui? Sanè vni Caluino, qui veluti singularis ferus depastus est hanc vineam Domini, & in vniuersum nouum Testamentum scriptis commentariis maximas animarum prædas egit (contra quem propterea nostra maximè dirigitur intentio) hoc vnicè in scribendo propositum fuit, quicquid pro Ca- 1.
tholicæ religionis dogmatibus facit, diligenter conuellere, quicquid ad noua ipsius dogmata stabi- 2.
lienda quoquo modo facere videri posit, sedulò annotare, premere, explicare; quicquid denique ad 3.
Papam, ad Episcopos, ad Monachos, ad clerum vniuersum taxandos, traducendos, in odium pertrahendos aliquo tādem colore per fas nefasque applicari, trahi, contorqueri potuit, illud diligentissimè vrgere, inculcare, amplificare. Ego, fauente Christo, huius Belluæ vestigiis sedulò insisto, singula accuratè perscrutor, inuestigo, persequor; nec quicquam ab hoste maleuolo, oculato, astuto, in fidei orthodoxæ præiudicium prolatum, tentatum, tractatum prætermitto.

Huius ergo ardui & prolixi operis primas lineas, & laboris in hoc genere nostri primitias, in quatuor videlicet Euangelia de vita & doctrina Christi Redemptoris nostri, cuius prima semina in Cathedra

Theologica Reg. Cath. Maiest. iacta sunt, Amplit. tuę (Amplissime Cõsultissiméq; D ñe) dicatas volui, cuius imprimis operâ, cõmendatione, & studio, (collaborante sibi in hac parte piæ ac celebris memoriæ viro D. Gulielmo Pamelio, Consilij priuati Regij in hoc Belgio sapientissimo & integerrimo Præside) ad hanc professionem Regiam euocatus & euectus fui. Ne penitus eius facti pœniteat Amplitud. tuam, primos huius professionis nostræ fructus in publicum datos, sub tuo clarissimo nomine comparere volui: vt si quid in illis sit quod vel ad Dei gloriam, vel ad orthodoxæ fidei nostræ luculentiorem defensionem, vel ad publicam studiosorum vtilitatem faciat, id totum permagna ex parte Amplitud. tuæ beneuolæ de nobis existimationi acceptum Lectores ferant. Taceo alia erga me deinceps cumulata beneficia, amoris constantiam, in conditione mea ornanda & augenda singularem diligentiam, in causis à me commendatis fauorem ac propensionem semper eximiam. Et quidem recentibus beneficiis gratiam non habere, stupidi & ingrati est: Vbi illis potitus fueris, ea sine honore præterire, etiam astuti. Vtramque hanc notam vt effugerem, quæ prima se obtulit tam animi grati testimonium quàm aliquam honoris speciem deferendi occasio, ea vt mihi elaberetur, committere nolui. Porrò erga Reg. Catholic. Majestaté ea semper optimi Senatoris fides, in dubiis temporibus constantia, in aduersis perferendis animi fortitudo, in malis superandis prudentia, in Amplit. V. persona ita semper eluxit, ita toti Belgio ab annis quàm plurimis innotuit: vt ab omnibus suæ Maiestat. deuotis ac Belgicæ incolumitatis studiosis Amplitudo vestra meritò diligatur,

gatur,

gatur, magnóque in honore habeatur. Taceo frequentes & amplissimas legationes, quibus apud exteras quoque nationes tam vltra Oceanum quàm trans Rhenum nominis vestri celebritas inclaruit. Sanè hæc Academia Louaniensis Amplitudinis vestræ admirabilem propensionem, beneuolentiam, studium toties & tam insigniter experta est, ita in omni politiori literatura eadem exculta est, ita demum pietate in Deum, charitate in proximum flagrat, vt nemo Academicus, literatus, pius, eam vicissim singulári non debeat tum amore complecti, tum honore prosequi. Sunt hæc & alia permulta quæ nec dicere est opus, nec à me sic dici possunt quemadmodum dici debent, quibus meritò permotus ac stimulatus, Amplitudini V. hoc opus nostrum Euangelicum donare volui, opus, vti spero, orthodoxis lectoribus non inutile, certè ad hæreticorum perfidiam patefaciendam necessarium. Quod & eo gratius Amplitudini V. futurum non dubito, quo auitæ, orthodoxæ, Catholicæ & Apostolicæ fidei tenacissimam eam esse certiùs cognosco. Quanquam & quod ab eo quem amas proficiscitur, aliquam apud te gratiam reportabit. Tua enim prudentia, tua pietas illa est, vt Tros Rutulúsque illi nullo discrimine habeatur: nec ideò minus gratum munus sit quod ab homine Anglo prodeat, quando eo videatur acceptius, quo pauciores illa nunc gens habet orthodoxæ fidei cultores, ne dicam defensores. Accipe igitur, vir Amplissime, & animo grato complectere qualecumque istud animi grati, obsequij debiti, obseruantiæ & officij nostri testimonium, & futurum

apud posteros diuturnum, vt spero, monimentum. Vt diu ac feliciter huic Belgio viuat ac floreat Ampl. V. Deum precor & precabor. Vale.

Louanij, Cal. Febr. 1595.

Amplissimæ Dom. tuæ
humilis seruitor

Thomas Stapletonus.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QVVM ante annos quatuor ex Academia Duacena ad hanc Louaniensem euocatus, Sacrarum scripturarum professionem Regiam suscepissem, nihil prius aut antiquius habui, quàm vt in eo munere fidelem operam ad Dei gloriam & auditorum vtilitatem nauarem. Illud autem me consecuturum existimaui, si diuinæ Scripturæ & sensum literalem ac genuinum, & vsum his maximè temporibus accommodatum auditoribus traderem. Et sensum quidem literæ breuissimis quasi glossulis paraphrasticè explicatum dedi. Vsum verò his temporibus maximè accommodatum in eo consistere arbitratus sum, vt ea loca imprimis annotarem, executerem, & pertractarem, quæ vel contra horum temporum hæreses facere possunt, vel ab horum temporum hæreticis contra veritatem orthodoxam proferri solent. Iis igitur quæ ad mores vel quæ ad dogmata non controuersa attinebant, leui brachio attactis, ea maximè curiosius loca tractanda suscepi, quæ noua & controuersa huius temporis dogmata propriè concernebant. Quo in genere cùm pertinaci studio insisterem, & toto penè nouo instrumento hoc quadriennio decurso, locorum farraginem opinione maiorem collectam cernerem, cogitare cœpi an is labor talis esset, vt in publicum quoque prodesse posset. Sed huic cogitationi meæ vnum in primis Operis huius occasio.

obsta

obstabat, quòd annotationes nostræ breuissimæ essent, sic auditoribus accommodatæ, vt totius textus explicatio commodo tempore absolueretur. Ista quippe dictandi breuitas multa prætermittere cogebat, quæ vel ad refellendas hæreticorũ corruptelas, vel ad explicationes nostras confirmandas à varijs lectoribus meritò desiderentur. Fuerunt igitur non solùm relegenda omnia, sed & pleraque vberiùs explicanda, ac de nouo describenda. Qui sanè labor nouus in quotidiana hac professione mea, & aliorum in dies locorum annotatione quotidiana, non mediocriter me à proposito deterruit. Multiplex tamen quæ statim mihi abblandiebatur laboris huius vtilitas, in id quod honestius erat, facillimè pertraxit. Imò attentius ista & accuratius cogitanti, quædam necessitatis animo sese offerebat meo, quæ ad hunc laborem propensa calcar adderet.

Operis huius necessitas.

Quæ enim alia fundi nostri calamitas, quæ alia tot hodie grassantium hæresum causa, quàm quia diuinis
1. *Scripturis ad suum placitum hæretici abutuntur? Homines importuni, superbi, sibi placentes, ex sola Scriptura, Conciliorum, Patrum, totius Ecclesiæ reiecto iudicio, omnem de fide controuersiam terminari volunt.*
2. *Hanc Scripturam non ex sensu Ecclesiæ, non ex iudicio doctissimorum Patrum, qui hactenus diuinas Scripturas maxima cum laude pertractarunt, sed ex suo sensu*
3. *suóque iudicio interpretantur. In hac interpretatione ad dogmata sua confirmanda Dei verbum indignissimè*
4. *contorquent. In hac interpretatione loca omnia quæ fidem orthodoxam quocunque modo vel illustrant, vel confirmant, omni studio inuertunt, & nobis eripere*
5. *contendunt. In hac denique interpretationẽ, sententias orthodoxas, personas Ecclesiasticas, ceremonias, & quicquid vel ad fidem, vel ad cultum, vel ad politiam*

Eccle-

Ecclesiæ Catholicæ quoquo modo spectat, quauis data occasione arrodunt, taxant, traducunt, ludibrio exponunt. In hanc Scripturarum interpretationem, seu de- 6.
prauationem potius, tanto studio, tanto conatu, tanto impetu incubuerunt, vt à paucis retrò annis varij & laboriosi hæreticorum in diuinas Scripturas commentarij, id est, variæ & fœdissimæ corruptelæ in lucem prodierint. Ex quibus sanè omnibus ad nouum Testamentum quod attinet vniuersum, vnam cathenam, seu, vt eam vocat, Ecclesiasticam & Catholicam expositionem 7.
collegit Augustinus Marloratus. Ex istis hæreticorum commentarijs, ministris eorum prædicandi, rixandi, debacchandi, populum simplicem & ignarum sub specie verbi Dei potenter seducendi, materia copiosa suppeditatur. Ex istis commentarijs, scriptoribus hæreticis di- 8.
sputationum omnium firmamenta ad manum præstò sunt. Sensum quippe in scribendo pro vero & indubitato ponunt, quem in commentarijs vel suorum vel suis legitimè probatum supponunt. Ex istis denique com- 9.
mentarijs, omnibus hodie hæreticis tela & arma subministrantur, quibus Ecclesiam Catholicam & fidem orthodoxam hostiliter ac certatim impugnent. Catho- 10.
lici, qui horum commentarios non legunt, nec fraudulentas eorum corruptelas refutare, nec seductis validam operam afferre possunt. Sed & sæpe contingit doctissimos 11.
alioqui controuersiarum tractatores minus dexterè, minúsque appositè hæreticorum argumenta è Scripturis petita soluere, eò quòd quibus technis ac fraudibus Scripturam deprauarint, & in sensum suum peruerterint, quibúsque apparentibus ex causis eam deprauationem secutus hæreticus fuerit, penitus ignorant. Ita ridet in sinu hæreticus, quum argumentum necdum penitus solui videt, stante adhuc integro & saluo Scripturæ, qua nititur,

titur,

12. *titur, ſenſu. Sed & populo ſeducto ſuccurri non poteſt, ſtante ea perſuaſione, Scripturarum ſenſus, quos miniſtri adferunt, verbo Dei conuenire. His omnibus malis aliquod remedium hoc noſtro labore adferri poſſe quum cernerem, ad eum intrepidè căpeſſendum facilè adductus fui.*

Operis varia vtilitas.

Hæc quippe noſtra explicatio, innumeras hæreticorum corruptelas patefaciet; verbi diuini verum ac legitimum ſenſum tuebitur; Catholicos veris & neceſſarijs præſidijs armabit; hæreticis ſua, in quibus maximè confidunt, arma detrahet. Denique quum hactenus veteres & orthodoxas interpretationes, Conciliorum ſenſa, Patrum iudicia, traditiones Eccleſiaſticas, vel audacter deſpiciendo, vel arroganter impugnando, noſtram veluti Romam impugnarint; ipſorum nunc nouellas & proprias diuinæ Scripturæ expoſitiones examini ſubijciendo, excutiendo, refellendo, in ipſa eorum Carthagine eos aggrediemur: & an ſua defendere valeant, qui aliena tamdiu & tam ferociter impugnarunt, periculum faciemus.

Cur Caluini imprimis commentarij impugnantur.

Cæterùm quia omnes omnium commentarios excutere labor & immenſus & inutilis foret, vel quia eadem plerique adferunt, vel quia minus noxia & leuioris momenti ſunt quæ ab alijs proferuntur, vnius Caluini in totum nouum Teſtamentum commentarios, & Theodori Bezæ in idem vniuerſum Annotationes, examinare, expurgare, refutare (quantum præſens inſtitutum poſtulat) fauente Chriſto decreui. Vnus Caluinus vt de illuſtratis à ſe Scripturis impotenter iactitat; ſic præ cæteris omnibus ita in pretio habetur. De ſemetipſo ita arroganter ſenſit, vt poſtquam Catholicos horum temporum ſcriptores putida cadauera, moriones, ſimias, in *Concilij Tridentini Patres toto orbe doctiſſi*

Ελißimos, pecudes, porcos, aſinos nuncupaſſet, & ad interpretandas Scripturas non magis idoneos quàm boues ad ephippia, vel potius aſinos ad lyram *dixiſſet, móxque adieciſſet:* Vt confluant ex toto orbe Romanenſes Epiſcopi, Theologi, & quotquot ſub vexillo, auſpiciiſque illius Antichriſtianæ ſedis militant, quam tandem collatis inter ſe capitibus interpretationem nobis conflabunt? Bona pars vix grammaticæ elementa didicit: *paucis interiectis hunc in modum de ſemetipſo ſcribit.* De nobis quo minus dicam quod res habet, impedit verecundia. Veriſsimè tamen profiteri licebit, nos intelligendis Scripturis plus lucis attuliſſe, quàm omnes qui ab exorto Papatu inter eos extiterunt Doctores. Neque hanc laudem ipſi detrahere nobis audent. *Hæc eſt Caluini verecundia: hoc de ſeipſo iudicium. Aut omnibus qui his multis ſeculis in Eccleſia Chriſti floruerunt, Scripturarum interpretibus ſeſe anteponit, aut à multis ſeculis Papatum exortū fuiſſe negare nunc debet quod toties alibi apertè profitetur. Sed mentem Caluini parentis ſui optimè aſſecutus Theodorus Beza, ſic in eius laudem per apoſtrophen exclamat.* Res ipſæ, Caluine, teſtificantur ſelectiſsimum te fuiſſe Dei Opt. Max. organum, cuius miniſterio perficeretur veræ religionis inſtauratio aliquot antè annis ab aliis fœliciter inchoata. Nam tu is es, cuius doctrinæ diligentia & indefatigabili zelo, Gallia quidem & Scotia reſtitutum apud ſe Chriſti regnum meritò acceptum ferunt, &c. Teſtes harum rerum ſunt nunquam intermoritura monimenta, quibus nihil in ſacris literis explicādis, neque iudicioſius, neque enucleatius, neque magnificentius à quoquam verbi diuini interprete adhuc ſcriptum fuiſſe, verè pij doctique

In Antid. Syno. Tridentin. in Præfat. & ſeſſ. 4. & ſeſſ. 7 ad can. 7. & 8.

Caluini iactantia de ſeipſo.

In lib. de Iconibus.

omnes

omnes agnoſcunt. *Hæc de ſuo Caluino Beza, quem propterea quoties in annotationibus ſuis in nouum Teſtamentum citat (citat autem eum frequenter) toties eum tacito nomine*, Doctiſsimum interpretem, *per antonomaſiam & excellentiam vocat: ſicuti nos, quum Paulum dicere volumus, Apoſtolum ſæpe dicimus. Sed & in præfatione in lib. Ioſue tanti ſuum Caluinum Beza facit, tanti eius ſcripta æſtimat, vt ſine næuis repurgata omnia defendat, vt præ his omnium antiquorum ac recentiorum Doctorum cōmentaria negligenda cenſeat, vt ſine his ad ſacrarum literarum certam cognitionem neminem peruenire poſſe iudicet. In noſtra Anglia vnum Caluinum ſecta illa Puritanorum, quæ nec hodie vſque politiæ ac diſciplinæ Eccleſiæ Anglicanæ ſubeſſe vult, tanti facit; vt Carterobitus, qui cauſam Puritanorum ſcriptis publicis defendit, ita alicubi ſcribat.* D. Caluinum recipimus & veneramur, vt nobiliſsimum Dei organum ad Eccleſiam expurgandam, planámque & ſinceram diuinarum literarum interpretationem orbi reſtituendam à Deo ſuſcitatum; cui ab Apoſtolorum tempore par non fuerit. *Vnde factum eſt, vt dicere Puritani non vereantur*, adeò Caluinum ac Bezam in ſcripturis exponendis cæteros omnes antecellere, vt reprehenſioni minus obnoxium ſit veterum omnium expoſitiones reiicere, quàm Caluini ac Bezæ de ſenſu Scripturæ iudicium refugere. *Alij ex illis rurſum*, vnum Bezam noui Teſtamenti optimum eſſe interpretem *ſcribunt. Sic apud noſtros ſeductos Anglos Caluinus & Beza in ſcripturis exponendis palmam ferunt. Quin idem ſit Caluiniſtarum in Gallia, Germania, Scotia, & huius Belgij corrupta parte iudicium, dubitari non debet.*

In Epiſt. ad Roma. cap. 1. verſ. 32. cap. 6. verſ. 6. ca. 8. verſ. 33. ca. 9. verſ. 22. 2. Cor. 9. verſ. 4. Act. 8. v. 33. & 17. verſ. 21. ad Heb. 4. v. 12. & alibi paſsim.

Claudius Sainctes in reſponſ. ad Apolog. Bezæ. Lib. 1. pag. 32.

Praxis prælatorum, cap. 19. pag. 378.

Defenſ. diſcipl. Eccleſ. pag. 412.

Sanè Auguſtinus Marloratus, qui ex tam multis

nouis interpretibus, Bucero, Erasmo, Musculo, Melanchthone, Sarcerio, Brentio, Bullingero, Zvvinglio, Vito, Theodoro, atque ipso Caluino, suam, vt vocat, Catholicam & Ecclesiasticam 4. Euangeliorum expositionem consarcinauit, ex vno Caluino plura quàm ex cæteris omnibus collegit. Imò quum ex aliorum commentarijs quædam delibauerit, vnius Caluini commẽtarium penè integrum suæ cathenæ inseruit: & nihil ferè eorum quæ nos hîc refutauimus, prætermisit. Nam ego ipsis Caluini commentarijs vsus, plura & plenius, ex eo refutanda desumpsi, quàm ex eo consarcinauit Marloratus. Scripsit Caluinus post alios, post Bucerum, Melanctonem, Bullingerum, Erasmum, Musculum, Brentium, quorum omnium vel in disputãdo socordiam, vel in reprehendendo negligentiam, vel in fallendo imperitiam, homo vafer, acutus, diligens plurimum superauit. Ad omnem quippe reprehensionem attentissimus, & in reprehendendo acutissimus, nihil vsquam prætermittit, quod vel ad Catholicam fidem infirmandam trahi possit, vel ad fidei nostræ firmamenta conuellenda valeat, vel ad totam Catholicam Ecclesiam quoquo modo taxandam facere queat. Quod quum in vnius D. Ioannis Euangelio cumulatè sese præstitisse arbitratus esset, in eius commentarij ad suos Geneuenses præfatione ita gloriatur. Certè Papatum nihil aliud quàm monstrum ex innumeris Satanæ fallaciis conflatum esse, & quam obtendunt Ecclesiam, Babylone magis confusam, vnus hic cõmentarius erit (vt spero) luculentus testis. *Hic in suis commentarijs Caluino scopus fuit, quem qua diligentia & quanta impietate persecutus fuerit, hæc nostra Antidota demõstrabunt. Pari quippe diligentia vsus, nihil prorsus eorum prætermisi, quæ in Catholicæ Ecclesiæ & fidei præiudi-*

Caluini singularis industria, & nocendi libido.

cium, vel in harmonia trium Euangelistarum, vel in commentarijs super Ioannem venenatus iste serpens euomuit: singulisque toxicis sua apposui Antidota. Tanto porro accuratius hos commentarios in lucem Caluinus dedit, quanto serius & in oppugnanda veritate orthodoxa magis iam excitatus. Nam post tractationem dogmatum, post Institutionem quam vocat Christianam, verè Antichristianã (ad quam Lectorem in commentarijs interdum remittit) idque in vltima ferè ætate, eos edidit: vt non immerito ab omnibus Caluinistis summo in precio hi commentarij habiti fuerint. Sanè præter accuratam Catholicorum dogmatum vel refutationem vel reprehensionem (quo nomine suis mirabiliter placet) vbi ea aut refutandi aut reprehendendi locus non est, ita in reliquis quo ad literam interpres diligens, ita moralis, ita elegans & suauis est, vt hac varia esca proposita, & veluti in aureo poculo propinato veneno, etiam ab ipsis orthodoxis auidè interdum legatur, qui in dictione pura doctrinam vix cauent impuram: quos etiam aliquando exoptare audiui, vt resectis quæ contra Ecclesiam & fidem disputantur, castratus prodiret: sic enim commentarios eius perutiles fore. Qui tamen vehementer falluntur, quando Caluinus etiam in ijs quæ dogmata controuersa non concernunt, ex fastu quodam ac typho hæreticis proprio Patrum & Veterum expositiones fastidiens, nouos semper & singulares sensus studiosissimè affectat, vel etiam inter varias interdum veterum interpretationes, deteriorem frequenter amplectitur. Ex quibus fit, vt etiam in illis à vera & genuina sacri textus intelligentia penè semper aberret. Quod tamen errorum genus nos in hoc opere non persequimur, quorum hoc vnicum institutum est, vt quæ in hæresum huius temporis

poris fauorem, & in orthodoxæ fidei graue præiudicium celebris iste Archihæreticus, & sub blanda admodum facie serpens callidißimus euomuit venena, illa oppositis Antidotis è medio tollamus ac, ne quid noceant, cura ac studio quo possumus efficiamus. Quo vtilior magisque necessarius hic labor noster videri poterit: qui non de sensu probabiliter vero aut falso contra Caluinum ac Bezam decertamus, sed de eo sensu qui stante fide orthodoxa verus esse non potest, quatenus vel ipsam fidem orthodoxã aliqua ex parte impugnat, vel hæreticũ dogma fidei orthodoxæ aduersum propugnat. Est quippe mihi negociũ cum tortuoso serpente, qui mille per meandros fraudésque flexuosas veritati insidiatur, & errori patrocinatur: qui Scripturarum sensus non tantùm inuertit, sed longas sæpe disputationes contra fidem & Ecclesiam contexit.

Hæc igitur est operis nostri varia vtilitas. Orthodoxa doctrina circa omnes textus, qui pro illa faciunt, stabilitur, quando illos omnes magno studio inuertere 1. *nobisque eripere vnus Caluinus conatus est. Quæ textus* 2. *Euangelici loca pro hæresibus modernis sonare videntur, ea pro veritate orthodoxa sonare & sentire ostendimus. Ita hæreticorum dogmatũ neruos præscindimus, & præcipua firmamenta subuertimus. Diuina Christi* 3. *& Euangelistarum verba, & loca plusquam trecenta, à variis & fœdißimis corruptelis vindicamus, & claro ac genuino sensui restituimus. Caluini variam technologiam, vafriciem, fallendi artes patefacimus, & imprimis summam hominis impietatem, audaciam, furorem in Christi Domini apertis verbis deprauandis & inuertendis studiosè refutamus.* 4. 5.

Operis varia vtilitas.

Vide Indicem in verbo Caluinum.

Nec quum Caluinum atque interdum Bezam refutamus, vnius tantùm aut alterius hominis impietatem

In vno Caluino omnes refutantur.

iugulamus, ne hîc excipiant cæteri hæretici se ab vno Caluino aut Beza non pendere. Quæ enim à Caluino proferuntur, asseruntur, disputantur, omnium sunt hodie hæreticorum firmamenta communia, eadémque validissima: vt erat ipse omnium vaferrimus, & acutißimus, & in hoc scriptionis genere nobilißimus. Sententiæ quas astruit, criminationes contra Ecclesiam quas facit, Scripturarum intelligentiæ quas tuetur, omnibus aliis hodie hæreticis, aut penè omnibus sunt communes: vt hîc
6. *fortissimè valeat quod ille dixit:* Ex vno omnes. *Sed & aliquas hodie columnas, aliquos diuinæ legis interpretes, habere debent hæretici, quos sequantur, quibus nitãtur, postquam veterum Patrum expositiones despectui habent. Aut Caluinus ac Beza illi sunt, aut certè nullos alicuius nominis proferre possunt. Quòd si nullos proferunt, nec proferre volunt, quid ergo in religione ac fide Christiana certum, fixum, ac stabile erit? Ecclesiam Catholicam eiúsque lumina, Patres, Episcopos, Veteres, Concilia audire recusant. Solam Scripturam diuinam vnicam & perfectißimam esse cuiuslibet veritatis normam affirmant. Hanc Scripturam diuinam aut à certis interpretibus eruditione, pietate, atque authoritate pręstantibus expositam & explicatam accipere debent, aut hoc vnum rotundè dicere, diuinæ Scripturæ quemlibet Christianũ interpretem legitimum esse: vt hoc vno verbo omnes Scripturarum commentarios, omnem siue docendi, siue prædicandi Scripturas authoritatem, omnes Pastores, Doctores, Prophetas toto orbe Christiano exterminent: & inuito ac reluctante Paulo, imò in despectum Spiritus Sancti per Paulum loquentis,* omnes esse Prophetas, omnes esse Doctores, *dicant. In vno igitur Caluino ac Beza cæterorum primipilis, calliditate, eruditione, diligentia cæteros longè superantibus,*

reli

reliqui vulgares Protestantium interpretes refutati meritò videri possunt. Certum est, quicquid alij in Scripturis ad noua placita detorquendis præstiterunt, id vnum Caluinum cumulatè præstitisse, multa quoque ab aliis vel prætermissa vel negligentius tractata mendaciorum cumulo adiecisse. Cui & postea succenturiatus Beza non pauca de suo addidit: in Euãgeliis quidem parcius, in Epistolis Apostolicis multò vberius: vbi varios Caluini defectus longis disputationibus suppleuit, de quo in alia ad Antidota Apostolica præfatione plura dicentur.

Docebit porro hic labor noster, Scripturarum iudicium, examen, sententiam, adeò nos non subterfugere (quod ineptè clamitant aduersarij, quia Ecclesiæ iudicium & authoritatem studiosè defendimus) vt diuinas Scripturas luculentissimè à nobis stare ex ipsa Scripturarum collatione & contextu euincamus. In istis quippe Antidotis nostris Euangelicis Patrum authoritate aliter sentientium perrarò Caluinum premo, sed ex contextu sacro & firmis rationibus corruptelas eius impietate plenas plerumque demonstro. 7.

Placuit autem totum hoc opus ANTIDOTA EVANGELICA *nuncupare, quia contra hæreticorum toxica & venena, quibus sacrosancta Euangelia sceleratissimè infecerunt, medelam depromit. Si qua autem loca prolixius explicantur, sciat Lector non verbosius, sed diligentius esse pertractata, idque vbi rei subiectæ vel ipsa necessitas, vel magna vtilitas ita postulabat. Sanè eo libentius huic labori incubui, quia Catholicos hodie interpretes primarios ac diligentissimos deprauationes hasce hæreticas aut studio vitasse ac dissimulasse, aut certè parcissimè & rarissimè attigisse aduertii: contentiosam fortè hanc, permolestam, & alicubi* Tituli ratio. 8.

necessariò prolixam disputationem exhorrentes. Sed varia, quam dixi, huiusmodi laboris (vt mihi saltem videbatur) vtilitas, vt in hanc palaestram descenderem me mouit, commouit, perpulit: eorum videlicet memorem, quæ de hæreticis verissimè & eleganter scripsit B. Cypria nus. Nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt, sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis euomentes; quorum sermo vt cancer serpit quorum tactus pectori us & cordibus singulorum mortale virus infundit. *Hoc igitur mortale virus, hæc lethalia venena, vt salutifero medicamento curarem, & à pectoribus ac cordibus Christiani expellerem, hunc quantumcunque laborem suscipiendum duxi.*

Lib. de vnit. Eccles.

Prodijt quidem ante annos aliquot super ista Euangelia locorum quorundam explicatio Catholica, authore Renato Benedicto, cui Panopliam Catholicam titulum dedit, sed vaniorem quàm veriorem: quum & pauca admodum loca attigerit, & eadem satis mediocri armatura propugnauerit. Cæterùm vtinam maiori vanitate homo ille infæliciter Catholicus in Ecclesiam Catholicam non peccasset. Prodierunt quoque authore Feliciano Capitono Auinionensi Archiepiscopo, Explicationes Catholicæ (*sic habet titulus*) locorum ferè omnium veteris ac noui Testamenti quibus ad stabiliendas hæreses nostra tempestate abutuntur hæretici; *tribus tomis distinctæ. Sed vbi illæ primùm prodierunt, adeò Catholicis parum satisfecerunt, vt à me tunc controuersias Duaci profitente doctissimi quidam viri per literas vehementer flagitarint, in nouum saltem Testamentum, aut aliquam eius præcipuam partem,*

Coloniæ anno 81.

tem, parem vt operam nauare vellem. Quod vt eo tunc tempore præstare non potui, alia professione aliisque scribendis præpeditus; ita nunc ad ipsarum Scripturarum professionem, Deo sic volente, vocatus, audè & studiosè præstare contendi. Sanè neuter eorum aut alius quispiam (quod sciam) ipsos hæreticorum commentarios refutandos, & literæ sacræ corruptelas expurgandas hactenus suscepit. Prodeunt ergo nunc, fauente Christo, Euangelica primùm Antidota. Subsequentur postea (eodem propitio) Apostolica; prout quotidiana mea patietur professio. His interim, orthodoxe Lector fruere: & si quam aut tuis studijs lucem, aut fidei consolationem attulimus; pro omni mercede, tuis apud Deum precibus interdum nos iuua. Vale.

Louanij, Cal. Octobris, Anno salutis 1594.

APPROBATIO.

IN his Euangeliorum Antidotis, disertè & solidè deteguntur errores & fraudes Caluini, Bezæ, & aliorum nostri æui hæreticorum: in quibus etiam nihil esse testor quod sanæ & Catholicæ doctrinæ aduersetur.

Henricus Cuyckius, D. Petri Louanij Decanus, & Pontificius ac Regius librorum Censor.

AVGV

AVGVSTINVS TRACTAT. XVIII. IN IOANNEM.

NOn aliunde natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene; & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur.

SCiat Lector, quæ in Promptuario Catholico contra hæreticos disputantur, in istis Antidotis non repeti; exceptis plerisque locis in parte Quadragesimali eiusdem Promptuarij pertractatis.

ANTI

ANTIDOTA EVANGELICA IN EVANGELIVM S. MATTHÆI.

PROOEMIVM.

IN diuinarum Scripturarum lectione duo potissimum quærenda sunt: Literæ sacræ sensus genuinus ac germanus: deinde earum vsus præsenti tempori magis necessarius. Literæ sensum in publica prælectione nostra solis auditoribus dedisse cōtenti, quæ ad earum præsentem vsum potissimum facere duximus, ea nonnihil relecta ac limata ad publicam vtilitatem emittere (propitio Christo) statuimus. Quum enim horum temporum hæretici Euangelica & Apostolica doctrina ita fœdè abutantur, in eáq; suæ causę firmamenta ac fundamenta ita constituant, vt reiectis probatissimorum Patrum iudiciis, totáque ecclesiasticæ traditionis authoritate, ex solis Scripturis, maximè Euangelicis & Apostolicis, omnem de fide quæstionem terminari oportere, & terminare se posse affirment, vnde & Euangelici propriè vocari volunt; Catholicos verò quasi Scripturarum aut ignaros aut contemptores traducant; propterea ad earum præsentem vsum id maximè spectare & e re fore iudicauimus, si omnia loca Euangelica & Apostolica accuratissimè annotata tractaremus, vel quæ contra præsentes hæreses valent plurimum, vel quibus ipsi hæretici ad hæreses suas confirmandas impiè & sacrilegè abuti solent. Longum, arduum, & molestum Opus. Sed aut dabit perficere qui dedit velle, aut Operi ipsi, quum illi placuerit, immoriemur. Atque vt ab Euangeliis exordiamur, primùm & ante omnia, de ipsa voce ac verbo Euangelij, quod à nobis Catholicis penitus

ignorari vanissimè iactitant, & in quo pessimè intellecto, seipsos & alios hæretici miserrimè deceperunt, paucula, per modum apparatus, delibabo.

Quid sit Euangelium.

EVANGELIVM bonum ac lætum nuncium significare, omnibus in comperto est. Sed quod sit hoc nuncium bonum ac lætum, & in quo propriè consistat, adeò liquidum & clarum non est. In hoc tamen conueniunt omnes, hoc bonum nuncium, quod Euangelium dicimus, in eo consistere, quòd Christum Redemptorem mundi, à tot retro seculis promissum & expectatum, nobis exhibeat. Ad vnum enim Christum refertur, quòd Euangelium ea quæ sub vmbris & figuris latebant explicat. Per vnum Christum, quæ olim promissa erant, Euangelium exhibet. In vno Christo rerum diuinarum cognitionem absolutam, quæ quidem ad salutem necessaria est, Euangelium præstat. *Gratia enim & veritas per Iesum Christum facta est:* &, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant omnes te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Sed de gratia & salute patribus repromissa ac per Christum exhibita, vnica ferè hodie, quum de Euangelio loquimur, controuersia mouetur. Et vt huius repromissæ salutis & gratiæ faustissima annunciatio ac doctrina maximè propriè Euangelium dicitur, sic in eius explicatione peruersa se & alios hæretici horum temporum miserabiliter deceperunt. Eorum primò sententias proponemus: postea quod orthodoxum & sanum est, subiiciemus.

Euangelij tres partes

Ioan. 1.

Ioan. 17.

Euangelium sic salutis & gratiæ nuncium est iuxta Flaccum Illyricum Lutheranum nobilem ac veteranum, vt per solam fidem in Christum, exclusa legis obedientia, salutem mortalibus annunciet & conferat. Hæc eius verba sunt. *Lex & Euangelium per se suáque natura contraria sunt. Alterum enim non nisi dignis ac iustis salutē offert, alterum verò tantum indignissimis.* Hæc ille in Claue Scripturæ. Sic indignissimum & flagitiosissimum te esse oportet, vt Euangelij beneficio gaudeas. Quam Caluini ac Bezæ sententiam esse suis locis docebimus Rursum in eodem opere in tit. De varia operum prædicat. tract. 5. ait, quòd *clamāte lege, Deus dabit vnicuique secundum opera sua mox occurrit Euangelium & contrà excipit protestatúrque inquiens, Vera dicis lex, salua tamen meą correctione & exceptione.* Denique iterum docet, legis promissiones esse conditionales, quæ plenissimam obedientiam flagi

Lex & Euangelium iuxta Lutheranos.

Par. 1. tit. de reg. cognosc. Script.

flagitant.euangelicas verò promissiones esse sine cõditione & gratuitas tract. 1 preallegato. Huius vestigiis insillẽs Martinus Chemnitius paulò clariùs rem definit. *Lex (inquit) habet promissiones vita, sed sub conditione perfecta impletionis. Euangelium verò docet, id quod legi propter carnem nostram impossibile erat, Deum praestitisse misso filio: ad Rom. 8. vbi Paulus monstrat Christum factum pro nobis sub lege, vt obedientia & passione sua pro nobis iudicio Dei in lege patefacto satisfaceret. Atque ita Euangelium contritis & territis conscientiis annunciat, offert & exponit gratiam Dei, reconciliationem, & remissionem peccatorum, gratis, propter meritum Christi fide apprehensum.* Hæc ille in examine decretorum Concil. Trident. ad Sess. 4. quæ est de pœnitentia. Statuunt igitur isti Lutherani apertè & perspicuè totam Euangelij rationem in hoc vno, quòd gratuitam peccatorum remissionem per Christum fide apprehensum nobis annunciat, exclusa conditione obseruandæ legis.

Asturiùs & rectiùs Caluinistæ rem tractant. Theodorus Beza in confess. fidei cap. 4. num. 13. quatuor adfert discrimina legis & Euangelij, sed in tertio & quarto totum venenum suum effundit, *Lex* (inquit) *iubet vt in nobis quaramus iustitiã quam describit, in perfecta mandatorum impletione positam. Euangelium indicat vbi hanc impletionem quarere debeamus. Nam lex pronunciat fœlices si plenè eam praestiterimus, sed Euangelium salutem promittit si crediderimus, id est, si per fidem Christum apprehenderimus. Quare Euangelium habet adiunctam efficaciam Spiritus S. quando creat in nobis fidem, vnicum illud instrumentum quo beneficium oblatum apprehendatur. Vnde non est Euangelium nuda litera, sed est Spiritus, id est, organum Spiritus sancti potens & efficax ad ingenerandam fidem. Quum igitur lex quarat in nobis quod praestare non possimus, Euangelium ius istud acerbissimum molle misericordia temperat, & Christum demonstrat qui totam legem vsque ad extremum quadrantem impleuit.* Hæc ille. Docet Euãgelium in hoc consistere, vt nobis annunciatum fidem ingeneret, qua Christum apprehendimus, & in illo omnem legis iustitiam ab ipsomet vberrimè impletam, nobísque imputatam, vt sic coram Deo iustificemur & salui simus. Sic enim libro eodem cap. 3. num. 26. apertiùs docuit his verbis. *Deus Paternos non agnoscit pro suis nisi coopertos ac indutos Christi innocentia, sanctitate perfectáque iustitia. Voluit enim filium suũ nostram naturam assumere, vt in eo inueniret modum pacanda iustitia*

Caluinistarum sententia de lege & Euangelio.

sua, nobis videlicet eum gratis impartiendo cum omnibus suis beneficiis, vt sua vnius bonitate ac misericordia, Christo per fidem apprehenso, salui simus. Hæc ille. Porro eodem libro cap.7.num.9. Catholicos accusat tanquam legis & Euangelij penitus ignaros, quia quum Euangelium idcirco patefactum sit mundo, vt in Christo per fidem apprehenso gratis iustificemur, & sanctificemur, nos è contrario existimamus Euangelicam doctrinam nihil aliud esse quàm legem quandam perfectiorem Mosaica, vt sic in nostra iustitia spem habeamus, & Dei promissiones irritas faciamus. Hoc totum ille. Caluinus in Euangelij summa definienda vafrius incedit. In harmonia sua super Euangelia, in ipso argumento totius operis, sic rem definit. *Euangelium est solemnis promulgatio de filio Dei in carne exhibito vt perditum mundum instauret, ac homines restituat ex morte in vitam.* Sed quæ sit hæc instauratio & qualis, distinctè & dilucidè non demonstrat. In Institutione sua lib.2, cap 9.num.4. reprehendit omnem hanc Lutheranorum suique Bezæ explicationem. *Hinc* (inquit) *conuincitur eorum error qui legem nunquam aliter Euangelio conferunt quàm operũ merita gratuitæ imputationi iustitiæ.* Idem tamen ipse aliter non confert, planéque ibidem affirmat, *Paulum iustitiam legis & Euangelij facere inter se contrarias.* Hoc solum addit, *Euangelicam gratiam Patribus quoque sub lege fuisse communem, sed à Christo dilucidius manifestatam:* quod ab omnibus in confesso ponitur. Hanc tamen Euangelicam gratiam in sola ponit remissione peccatorũ per Christum, sicut Lutherani. Sic enim lib. eodem cap.10.num.4. scribit. *Euangelica prædicatio nihil aliud quàm paterna Dei indulgentia iustificari præter suum meritum peccatores pronunciat.* Et rursum lib.3.cap.3.num.19 *Quum totã* (inquit) *Euangelij summam breuiter complecti voluit Christus, dixit se oportuisse pati & resurgere à mortuis, prædicari in nomine suo pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Remissio autem peccatorum prædicatur quum docentur homines Christum sibi factum esse Redemptorem, iustitiam, salutem, & vitam: cuius nomine gratis in Dei conspectu iusti habeantur & innocentes: & hæc gratia fide apprehenditur.* Hæc ibi. Sed postea lib.3. cap.11. num.16. totum suum venenum effundit. *Hic est* (inquit) *fidei sensus per quem peccator in possessionem venit suæ salutis, dum ex Euangelij doctrina agnoscit se Deo reconciliatum: quòd intercedente Christi iustitia, impetrata peccatorum remissione iustificatus sit: & quanquam Spiritu Dei regeneratus, nõ in bonis operi*

Caluinus Lutheranos reprehendit, quum idẽ doceat.

operibus quibus incumbit, sed in sola Christi iustitia repositam sibi perpetuam iustitiam cogitat. Et paulò pòst, num. 17. *Inde iustificare dicitur fides, quòd oblatam in Euangelio iustitiam recipit & amplectitur. Quòd autem per Euangelium dicitur offerri, eo excluditur omnis operum consideratio.* Et iterum. *Quæ nobis per Euangelium donatur iustitia, legis conditionibus soluta est.* Hæc ille. Hoc est ergo totum hæreticorum hodie Euangelium, remissionem peccatorum per Christum consequi sine vlla bonorum operum iustitia aut etiam conditione. Ad hunc scopum omnis apud illos Scripturarum explicatio dirigitur. Ad hoc Euangelium confirmandū omnes & Euangelicas & Apostolicas & Propheticas literas detorquent. Proferemus ergo ex scripturis Euágelicis & Apostolicis veram Euangelij summam quasi necessariam antidoton contra tam pestilentem & Epicuream doctrinam. *Euangeliū hodiernū.*

Euangelij sanè summam annunciauit Christo iam nato Pastoribus Angelus dicens. *Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator Christus Dominus.* Vnde autem & quare Saluator sit dictus, Angelus ad Ioseph virum Mariæ disertius explicat: *Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Iam si quæras quomodo à peccatis nos soluat, primum Zacharias nato Ioan. Baptista prædixit apertissimè his verbis. *Fecit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: sicut locutus est per os Prophetarum eius, &c. Daturum se nobis vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.* Deinde Christus ipse in prima sua ad turbas concione tota morali, ne iustitiam prædicare videretur legis conditionibus solutam, de ipsa lege quo ad moralia eius præcepta disertè profitetur. *Non veni soluere legem, sed adimplere:* videlicet non adiectione verborum, sed opere factorum, ait August. móxque addit. *Nisi iustitia vestra abundauerit plusquam iustitia Scribarum aut Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Deinde præcepta legis vt exactius obseruentur, interpretatur. Hoc est ergo gaudium nobis euangelizatum & totius Euangelij summa, venisse Christum vt saluos nos faciat à peccatis, id est, *vt amplius non seruiamus peccato.* Hoc Euangelium Christus prædicauit mulieri Samaritanæ, dicens: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* De eadem aqua iterum euangelizans, *In die*

Euangelij summa vera & orthodoxa. *Luc. 2.* *Matth. 1.* *Luc. 1.* *Matth. 5.* *Lib. 19. cap 17. contra Faustum.* *Euangelij fructus, nō seruire peccato.* *Ioan 4.* *Ioan. 7.*

magna festiuitatis stabat & clamabat. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Euangelium ergo quod Christus prædicauit, est noua largitio Spiritus sancti, seu Spiritus gratiæ, ad superanda peccata credentibus in eum impartitus. Vnde Apostolus quum dixisset credentibus in Christum, *Peccatum vobis non dominabitur*, hanc causam subiunxit; *non enim estis sub lege sed sub gratia.* Quare alio in loco de se dictum Christus affirmat quod prædixit Esaias cap. 6. *Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem. & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem* (quæ sola hæretici considerãt, quia ad fidem & remissionem peccatorum pertinent: sed sequitur) *prædicare annum Domini acceptabile & diem retributionis.* Iam quis sit annus Domini acceptabilis, Paulus docuit. *Adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim. Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et alibi paulo clarius. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Hoc ergo Christus euangelizauit, non solum remissionem peccatorum præteritorum, sed vt deinceps sicut in die ambularemus Audi Paulum apertissimè docentem quæ sit Euangelij gratia. *Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegantes impietatem & secularia desideria sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo.* Sic alter Apostolus Christo dilectissimus. *Scitis quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret: omnis qui in eo manet non peccat. In hoc apparuit filius Dei vt dissoluat opera diaboli:* id est, peccata. Hoc est Euangelium quo exhibuit se mundo filius Dei. Sed doceat hæreticos solus Paulus (quo maximè abutuntur) quid sit propriè Euangelium, & cur Christus nobis exhibitus sit. *Paulus segregatus in Euangelium Dei (quod ante promiserat per Prophetas suos) de filio suo qui factus est ei ex semine Dauid secundu carnem, qui prædestinatus est filius Dei* (sed quomodo & in quem finem?) *in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Domini nostri Iesu Christi*, id est, per opera miraculosa, & per spiritum sanctificatem, qui sanctificat credentes in eum, & per resurrectionem generalem omnium mortuorum, quam Christi resurrectio fecit. Sed adhuc apertius alibi. *Quod impossibile erat legi* (id est, quod per legem fieri

Marginal notes: *Euangelij donu Spiritus sancti largitio.* — Rom. 6. — Luc. 4. — 2. Cor. 6. — Rom 13. — Tit. 2. — 1. Ioan. 3. — Rom. 1. — Rom. 8.

fieri non poterat) *in quo infirmabatur per carnem* (id est, quia homini carnali dato infirma & inualida ad salutem erat) supple, hoc vt fieret, *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*, id est, Deus Christum nobis exhibens & donans, *de peccato damnauit peccatum in carne*, id est, per hostiam peccati in carne, seu per carnem filij sui in sacrificium oblatum, peccatum in nobis seu sensualitatem hominis deprauati mulctauit, & dominio suo quod hactenus contra superiorem rationem obtinuit, priuauit; *vt non regnaret peccatum in mortali corpore nostro*, quod prius dixerat; vel vt hic statim subiungit, *vt iustificatio legis*, id est, tota illa iustitia quam lex iubet, *impleretur in nobis*, id est, à nobis opere compleretur: nobis inquam, *qui non secundum carnem*, id est, iuxta desideria carnalia, *sed secundum spiritum ambulamus*, id est, iuxta Spiritum gratiæ nobis per Christum suo sacrificio procuratum. Totum effectum incarnationis & passionis Christi (quod propriè Euangelium est) hic vnus locus euidentissimè demonstrat. Nempe ambulare secundum spiritum, non secundum carnem: *In nouitate vitæ ambulare, vt simus noua creatura in Christo.* Hoc enim esse in morte Christi baptizari, apertissimè Paulus docuit. Denique cur Christus exhibitus & mortuus sit, docet clarissimè his verbis Paulus. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni peccato* (quod fecit per remissionem peccatorum) *& mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, quod fecit per communicationem gratiæ, de qua alibi dicit, *creatos nos esse in Christo Iesu in operibus bonis vt ambulemus in illis.* Sic rursum ad Galat. cap. 1. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eripiat nos de præsenti seculo nequam secundum voluntatem Dei.* Eripi autem de præsenti seculo nequam, nihil aliud est quàm vt alibi loquitur, *non conformari huic seculo, sed reformari in nouitate sensus nostri, vt probemus quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens.* Hoc est ergo *Euangelium regni* (vt Marcus loquitur) vt sicut ante Christi aduentum, vel apud omnes qui in Christum non credunt, *regnauit peccatum in mortem*, ita nunc exhibito Christo & apud omnes qui credunt in eum, *gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Sic *mortui peccato viuimus Deo in Christo Iesu.* Sic *soluti à lege mortis in qua detinebamur, seruimus in nouitate spiritus.* Sic Christus non solum destruxit mortem, sed & *illuminauit vitam & incorruptionem per Euangelium.* Hoc est Euangelium gratiæ: Hæc est

Rom. 6. Rom. 6. Galat. 6. Tit. 2. Ephes. 2. Galat. 1. Rom. 12. Marc. 1. Rom. 5. Rom. 6. 2. Tim. 1.

lex noua scripta in cordibus nostris, de qua dicitur: *Dabo leges meas in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eas.*

Ierem.31.
2.Cor.3.

De qua Scriptura cordis Paulus dixit: *Epistola Christi estis, scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quæ tabulæ cordis carnales, quales sint, alius Propheta docet. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Hæc est gratia noui Testamenti, & propriè Euangelium Christi & gratiæ Dei. Sic Euangelium regni, sic gratiam noui Testamenti, omnes hactenus fideles intellexerunt. Lege August. epist. ad Honoratum de gratia noui Testamenti, & librum de spiritu & litera. Pulchre S. Basilius. *Si quis definiens dicat Euangelium esse formam vitæ quæ est ex resurrectione à peccato, mihi nequaquam videretur à vero aberrare.* Ad hunc ergo scopum totius Euangelicæ historiæ doctrinam & enarrationem dirigere oportet.

Ezech. 11. & 36.
Epist. 121.
De spiritu sancto cap. 15.

Euangelium in sensu hæreticorum quàm impium.

Euangelium in sensu hæreticorum relinquit hominem in peccatis suis, in vetustate & corruptione sua. Detrahit Christo præcipuum effectum incarnationis & passionis suæ: redemptionem videlicet & liberationem humani generis à seruitute peccati. Vult nos vestire iustitia aliena, vt interim maneamus iniusti & peccatores. Christus factus est nobis iustitia & sanctificatio, non suam nobis imputando (quod nulla Scriptura dicit) sed spiritum gratiæ nobis impartiendo, per quem iustitiæ opera faciamus, & sanctificemur in conspectu Dei: quod tam multæ Scripturæ docuerunt, vt earum suis locis explicatio luculentius docebit. Negant Christum totum hominem sanasse. Si enim non nisi per fidem, qua Christum apprehẽdimus, saluos nos fecit, intellectum quidem nostrum fide purificauit & ab ignorantia liberauit, sed voluntatem in sua infirmitate reliquit, nec *emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, quod Paulus affirmat. Denique legem Euangelio impiè opponunt, quum *lex non destruatur per fidem* quam Euangelium prædicat, *sed statuatur:* quia videl. *impetrat gratiam qua lex impleatur:* ait August. Ac per hoc quæ per Euangelium donatur iustitia non legis conditionibus soluitur, vt impius Caluinus docuit, sed à legis maledicto, iugo, seruitute liberatur: quia spiritus gratiæ Euangelio proprius, *seu lex spiritus vitæ liberauit nos à lege peccati & mortis: & plenitudo legis dilectio est:* quia tota ratio implendi legem

Hebr.9.
Rom.3.
De spiritu & liter. cap.30.
Rom.8.
Rom.13.

legem, est diligere Deum & proximum. Quod sanè vt fiat, *diffusa est charitas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Vide plura in opere nostro de iustific.lib.5. cap.12.& seq. Hæc de voce & verbo Euangelij eiúsque vero sensu contra pestilentissimam hæreticorum deprauationem præmittere operæprecium duximus, vt quis sit Euangelij finis ac scopus (cuius titulo huius sæculi pestes gloriantur) Lector orthodoxus intelligat. Antidota nostra super vnam ad Romanos epistolam totum hoc commentitium hæreticorum Euangelium, quanta literæ Apostolicæ, quàm frequenti, quàm luculenta, quàm pudenda corruptela nitatur, fauente Christo, demonstrabunt. Sed vt ordinem Instrumenti noui seruemus, à quatuor Euangeliis, propitio Christo (historiæ euangelicæ subiecto) auspicamur. *Rom. 5.*

IN MATTHÆI CAP. II.

Vers.2. *Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.*

MAGI isti nec è terra Chaldæorum aut Mesopotamiæ regionibus venerunt, vt Origenes contra Celsum libro primo, & homilia 13. in Numer. Basilius in homilia de humana Christi generatione, Hieronymus super Esaiæ cap. 19. & 47. ac demum Chalcidius Platonicus in Timæum Platonis scribens existimarunt: nec etiam ex Perside quasi Persarum Magi, vt multis veteribus visum est, Clementi Alexandr. lib.1. Strom. Chrysost. homil 6. in Matth. Cyrillo in cap.49. Theodoreto lib.5. cap.39 hist. eccles. Leoni Papæ serm.1. in Epiph. sed ex Arabia, vt iuxta manifestas Scripturas alij Patres docuerunt, Iustinus Martyr in dial. contra Tryph. Tertull. lib.3. aduersus Marcionem, & in lib. contra Iudæos, Epiphanius in compend. doctrina, Hilarius lib.4. de Trinitate, & Cyprianus in serm. de Stella & Magis. Sic Dauid prædixerat Psal. 71. *Reges Arabũ & Saba dona adducent.* Sic & Isaias cap.60. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient aurum & thus deferentes,* &c. Madian autem & Epha regiones sunt trãs Arabiam, omnísque prouincia appellatur Saba, ait D. Hieron. in hunc locum Esaiæ. Madian quippe filius fuit Abrahæ ex Cætura vxore, eiúsque filius Epha, Saba quoque filius Iexam erat filij Abrahæ ex *Magos ex Arabia venisse.*

eadem Cætura, Gen. 25. Hi omnes Arabiam incoluerũt. Istis enim aliísque ex Cætura filiis Abraham munera dedit, vt eadem Scriptura docet, & ad plagam Orientalē, quæ erat Arabia, dimisit. Porro inter hæc munera (vt scribit Epiphan. ex Hebræis traditionum fontibus, in compendiaria doctrina) conclusit in peris eorum aurum, thus, & myrrham ex spoliis Regum Sodomorum & Gomorrhæ. Gen. 15. Isti posteri Abrahæ in partibus Arabicis Magodiæ regionis habitabant. Vnde etiam fortasse Mag. dicti sunt. In textu Syr. vocantur אמגושא; & Suidas *Maguseos* à Magis ortos hósque philosophos fuisse affirmat. Epiphanius quoque in comp. doctrina adytorum & sacrorum duces Maguseos definit. Cæterum ex Arabia illos venturos alia Scriptura prædixit Isa. cap. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem, & matrem suam, capiet vim Damasci & spolia Samariæ contra Regem Assyriorum.* Hæc quippe munera à regibus illis Damascenis per Abraham recepta sunt, vt suprà dictum est. Damascum enim ciuitatem fuisse olim in Arabia positam scribit Iustinus loco citato: quamquam & ipsa Syria Damasci, Arabia nominatur à Brocardo in descript. terræ sanctæ. Sanè illam Scripturam in his Magorum muneribus impletam fuisse disertè docet Tertul. Nam per regem Assyriorum ibi nominatum, ipsum Herodem intelligi posse vsitatus Scripturæ loquendi modus docet; quæ populi Dei hostes eo nomine frequenter designat; vt & notauit Iustinus Martyr loco citato. Porro Balaam qui de hac stella prædixerat, *Orietur stella ex Iacob* (vnde à Balaam per traditionem maiorum hanc stellam didicisse hi Magi perhibentur) tametsi ipse in Haram Mesopotamiæ habitaret, & Chaldæus esset, vt apparet Num. 23. (quæ res eos fefellit qui hos Magos ex Chaldæa venisse arbitrati sunt) tamen hoc vaticinium non in Mesopotamia, sed in Arabia pronunciauit. Nam Moab, cuius rex erat Balac, & apud quem Balaam hic vaticinatus fuit, ciuitas atque prouincia eius nominis est in Arabia, vt docet Hieron. in libello de locis Hebraicis, & in cap. 15. Esaiæ. Venerunt igitur hi Magi ex Arabia, sed interiori illa & remotiori, quæ ad meridiem se diffundit, quæ tota Iudææ orientalis est, maximè si ortum solis in hyemali solstitio spectes, quo tempore Christus natus est. Sicuti ergo ex Saba eiusdem Arabiæ venit Regina Sabæ ad Salomonem cum maximis muneribus, quasi tentatura, an hic esset ille Rex à Balaam prædictus, & stella ex Iacob; sic ad Christum, cuius typus Salomon erat, venerunt isti Magi cum mune

Par. 1. cap. 1.

Contra Marc. lib. 3.

Num. 23.

muneribus, & verum Regem inuenerunt.

Fuisse autem hos Magos Reges, & Reges tres, quia in Prompt. Cath. in die Epiphaniæ ostendimus, hic nihil repetimus. Illud solum addimus, turpiter à Caluino proferri authorem operis imperfecti in hunc locum, apud Chrysost. quòd hi magi 14. essent, tum quia author Arianum se prodidit, tùm quia nō nisi ex fabuloso libello rem narrat, tum prætereà quia non tot Magos ad Christum venisse, sed tot Magos ex longa successione hanc stellam expectasse scribit. Venerunt autem post natum Christum die 13 quem adhuc in Bethlehem inuenerunt, & in præsepe positum adorauerunt, vt clarè affirmant Patres, Chrysost. in hunc locum homil. 6. & 7. & in 1 Cor. Hom. 24 August. serm. 2. de Epiph. Hieron. epist. 14. 17. 88. 27. Hos autem Magos fuisse quidem anteà malis artibus magicisque excantationibus deditos, simúlque astrologos curiosos, sed ab hac stella edoctos ad veritatem conuersos, tam multi Patres affirmant, vt vix absque temeritate negari debeat. Sic enim scribunt, Ignatius in Epist. ad Ephesios: Iustinus Mart. contra Tryphonem: Origenes contra Celsum lib. 1 & homil. 13. in Num. Basilius in orat de humana Christi generatione, Hieron. in Isa. c. 19. & 47. Pro hoc sensu facit vox Hebraica hoc loco מכשפים quę sapiētes vel præstigiatores significat à radice כשף pręstigium.

Porro ex hac explicatione, garrula Caluini maledicentia & ignorantia refellitur. *Plusquam ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ quòd Reges sibi fabricant, quia Psal. 72. 10. prædictum legebant venturos Reges Tharsis & Insularum & Saba qui munera Domino offerent. Ingeniosi artifices videlicet, qui vt nouam hominibus formam darent, à mundi conuersione cœperunt. Nam ex meridie & Occidente fecerunt Orientem.* Hæc ille. Ingeniosus sanè impostor Caluinus, qui vt noua formet dogmata, à totius Ecclesiæ contemptu orditur. Nam antiquos Patres in Papistas conuertit, & diuini Spiritus certissimum vaticinium scommate eludit. Nec eum pudet dicere nos ex Occidente fecisse Orientem, quum Euangelium apertè dicat Magos istos *ab Oriente venisse*: vnde ille qui vel ex Chaldæa vel ex Perside hos magos venisse sustinet, prorsus ex Oriente fecit Meridiem & Occidentem. Et tamen tam leui scommate quum lusisset, ita fortiter concludit, ac si fortissimis argumentis pudendæ inscitiæ Catholicos conuicisset. Sic enim addit *Nec verò dubium est quin iusta Dei vindicta obstupefacti fuerint, vt omnium ludibrio pateret crassa eorum inscitia, qui*

Caluini mal dicentia refellitur.

quibus Dei veritatem adulterare & in mendacium vertere nulla religio fuit. Vides lector, quàm vehementer concludit, quod nullo argumento probauit. Quæ autem à nobis de his Magis tum hoc in loco tum alibi, vt suprà designatum est, in medium prolata sunt, omnium iudicio relinquo an ipsum Caluinum crassæ admodum inscitiæ non conuincant, vt ad hanc accusationem tam atrocem hoc loco instituendam, iusta Dei vindicta obstupefactus videri queat, vt omnium ludibrio pateret, tum inscitia eius, tum maledicentia: cui (vt in sequentibus demonstrabitur) euangelicam veritatem adulterare & in mendacium vertere nulla religio, perpetua consuetudo est.

IN MATTHÆI CAP. III.

Vers. 1. *Prædicans in deserto Iudææ.*

Maxima est hoc loco, pertinax, & generalis omnium hodie hæreticorum impietas, Scripturæque Euangelicæ deprauatio. Negant enim in vniuersum omnes Ioannem Baptistam in aliquo deserto propriè dicto, in solitudine aut eremo aliqua vixisse, sed solum domi paternæ in locis montanis ac saltuosis vitam egisse. *Quod dicitur Ioannes concionatus in solitudine* (ait in hunc locum Beza) *non est ita accipiendum quasi fugerit hominum conspectum, vt ij postea fecerunt qui dicti sunt Eremitæ: sed desertum ex vulgi consuetudine hic vocatur regio saltuosa, in qua habitabat Zacharias, vt scribitur Luc. 1. Ibi quoque fuisse domum Ioab legimus 2. Reg. 2. & huius deserti sex oppida numerantur Iof. 15.* Hæc Beza. Nempe quia Lucæ 1. Zacharias pater D. Ioannis dicitur habitasse *in montanis in ciuitate Iuda*, argumentum capiunt isti hæretici, Ioannis desertum nihil aliud fuisse quàm domum paternam in locis mõtuosis positam. Sed eorum ignorantia dupliciter refellitur. Primum, quia domus seu habitatio Zachariæ *in montanis in ciuitate Iuda* fuisse dicitur, eo quòd illa ciuitas esset in monte Iudæ posita, & ciuitas sacerdotalis nomine Hebron celeberrima, in qua 7. annis regnauit Dauid de tribu Iudæ. Hanc enim ciuitatem in monte Iudæ filiis Aaron, ex quibus Zacharias erat, sorte datam fuisse, manifestè patet Iosue cap. 21. Ideóque D. Lucas satis habuit nominasse illam *ciuitatem Iuda in montanis.* Nulla enim alia

Ioannis Baptistæ habitatio.

erat

erat ciuitas sacerdotalis in monte Iudæ præter istam. Hæc ergo ciuitas sacerdotalis Hebron antiquitate & nobilitate celeberrima, desertum D. Ioannis nullo modo esse potuit, si in ea semper mansisset.

Deinde in hoc etiam turpiter errant hæretici, quòd Ioannem in domo paterna habitasse, & in ea ciuitate prædicasse affirmant. Si enim desertum Iudææ quod hic Matth. dicit, est regio saltuosa, in qua habitabat Zacharias, vt affirmat Beza, necessariò sequitur quòd in ea regione vbi habitauit Zacharias, prædicauit. Ait enim Matthæus, *Prædicans in deserto Iudææ.* At verò Ioannem prædicasse circa Iordané, qui à montanis Iudææ remotissimus erat tres Euangelistæ conformiter docent. Præterea D. Ioannem in domo aut ciuitate paterna nec habitasse nec prædicasse, tota antiquitas vna voce attestatur; cuius testimonia in Prompt. Cath. Dom. 2. Aduentus vide. Sed hic pauca addemus. Petrus Alexandrinus Episcopus & Martyr in regulis ecclesiasticis can. 3. quas recepit & probauit Sexta Synodus cap. 1 refert S. Elizabetham cum paruulo suo Ioanne in desertum fugisse, quum ab Herode ceteri infantes ad necem quærerentur; non quòd ille in finibus Bethlehem esset, ideóque edicto comprehensus, sed quòd de eius admiranda natiuitate *magnus timor esset super omnes vicinos eorum & quòd diuulgarentur omnia verba hæc*, vt scribit Lucas; ideóque etiam ad Herodis aures suspiciosi tyranni peruenirent. Idem scribit Nicephorus in hist. Ecclesiastica, & Cedrenus in complemento ad annales Zonaræ. Propter hanc fugam in desertum Zacharias pater Ioan. Baptistæ inter templum & altare occisus est, quia locum fugæ prodere noluit, vt grauissimi authores testantur. Cyrillus Alexand. aduersus Anthropomorphitas, Origenes in Matth. tract. 26. Gergor. Nyssenus in serm. de Christi nat. Basilius in homil. de humana Christi generat. Certè in Prato spirituali authore Sophronio cap. 1. describitur spelunca D. Ioannis in deserto non longè à Iordanis ripa, cuius etiam meminisse videtur Beda in tract. de locis sanctis cap. 13. Postremò D. Ioannem eremum tota vita incoluisse, & hoc ipso nomine eremitarum patrem esse (quod hæretici ferre nullo modo possunt) præter authores in Prompt. Cath. citatos disertissimè scribit Chrysostomus his verbis. *Sicut sacerdotum principes sunt Apostoli, ita & monachorum princeps Ioann. Baptista.* Rursum in hom. de Ioanne Baptista. *Considerate monachi dignitatem vestram. Ioannes princeps vestri est dogmatis.*

Cap. 1. Lib. 1. cap. 14.

Ioan. Baptista eremitarum pater.

Homil. 1. in Marc.

matis. Ipse monachus statim vt natus in eremo viuit, in eremo
Epist.22. *nutritur.* Sic ad Eustochium D. Hieronymus. *Huius vitæ eremiticæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista.* Impudenter igitur Beza cæteríque hæretici negant hoc desertum Ioan. Baptistæ veram eremum fuisse, & vitam solitariam eum duxisse; quod magis adhuc in vita & vestitu eius postea apparebit.

Beza figmentum refutatur. Interim coniecturis vel mendaciis potius Bezanis breuiter respondendum. Per desertum hæc loca saltuosa in quibus habitabat Zacharias, intelligi non posse, iam ostensum est. Ex vulgi consuetudine desertum sic vocari probare vult duobus argumentis. Primum quia in locis saltuosis fuisse domum Ioab legimus 2.Reg.2.ver.34. Sed hoc purum mendacium est. Illo enim loco de domo Ioab nihil aliud dicitur, quàm quòd Hasael frater eius sepultus esset cum patribus suis in Bethlehem. Secundò quia Iosue cap.15. huius deserti sex oppida numerantur: quod iterum aliud mendacium est. Quamuis enim illo in loco scribatur, *In deserto Betharaba ciuitates sex & villæ earum,* tamen nec desertum Betharaba, quod ad sortem tribus Iudæ pertinebat, desertum in quo Ioannes prædicabat esse potuit, qui circa Iordanem prædi-
Ios.13. cauit, qui fuit terminus possessionis filiorum Ruben, & à terra Iuda remotissimus; nec propriè illud desertum aut solitudo erat, quale Ioannis desertum fuit; quod vox Hebraica longè diuersa satis indicat. Nam in Iosue vox est מדבר quod loca magis montosa & habitata quam siluestria & vasta designat. Sed in Matthæo Syro vox est חורבא à radice חרב quod propriè desolare & destruere significat, quo verbo significantissimè vtitur Ezechiel cap.29.ver.10. *Dabo terram Aegypti in solitudines, gladio dissipatam:* חרב לחרבות id est, in solitudines solitudinis, siue in vastissimam solitudinem. Tale erat desertum Ioannis Baptistæ, non quale fingunt molles hæretici; vocatur autem desertum Iudææ, quia quum Matthæus scriberet, tota Iudæa ad Iordanem vsque se extendebat, quæ ad distinctionem Samariæ sic vocabatur.

Vers. 2. *Pœnitentiam agite.*

Pœnitentia vocabulum. VErtit hic Beza, vertúntque alij hæretici, *Resipiscite,* acerriméque contendunt pœnitentiam quam prædicauit Ioannes, posteáque Christus & Apostoli, nihil aliud

fuisse quàm resipiscentiam, id est, mutationem vitæ in melius, absque vllo necessario dolore, vel satisfactione pœnali adiuncta: & vocem Græcam hoc loco μετανοεῖτε, qua voce Christus quoque & Apostoli semper vtuntur, nihil aliud significare. Contendit hoc loco Beza acerrimè hoc totum probare: & quia sæpius hæc vox recurret, hæreticorum corruptioni semel respondendum est. *μετανοεῖν (ait Beza) propriè significat, post factum sapere, & de errore admisso ita dolere vt corrigas: quod Latinis propriè significat resipiscere: μεταμελεῖσθαι verò declarat post rem aliquam factam sollicitum esse & anxium, pro quo Latini dicunt pœnitere. Neque enim propriè complectitur vitæ & consilij mutationem in melius, sed simpliciter sollicitudinem quandam & displicentiam exprimit. Itaque Matthæus de Iuda proditore loquēs μεταμεληθεὶς inquit, ἀπέστρεψε: non μετανοήσας, tristitiam significans à qua absorptus est. Sic apud Paulum 2. Cor. 7. μεταμελεῖσθαι declarat dolorem capere ex eo quod factum erat: & ad Rom. 11. dona Dei dicuntur ἀμεταμέλητα, id est, eiusmodi vt non possint ipsi displicere, quum semel placuerunt. Quod Hebræis declarat vocabulum* נחם *quum μετανοεῖν potius significetur verbo* שוב *vnde* תשובה *conuersio. Itaque Petrus Act. 3. quum μετανοήσατε dixisset, statim subiunxit καὶ ἐπιστρέψατε, vt illud explicaret. Idem facit Paulus Act. 16. Ergo μετανοεῖν & μετάνοιαν vbique interpretabimur resipiscere & resipiscentiam: idq; ob hanc potissimum causam quòd multi imperiti occasionem ex hoc dicendi genere arripuerint falsarum opinionum de satisfactione, quibus hodie agitatur Ecclesia.* Hæc hactenus Beza, omnem huc vsque ecclesiasticum loquendi modum, & totius Scripturæ Latinæ perpetuam phrasim sua nouitate deprauans.

Beza argumenta contra pœnitentia vocabulũ.

Cæterum *pœnitentiam agite*, hoc loco, Græcè μετανοεῖτε, non simplicem resipiscentiam significare, qua corrigitur quod perperam factum fuit (qui pœnitentiæ effectus potiùs est quàm ratio & natura) sed actionem quandam pœnalem, quæ in dolore ex peccatis anxio, & in satisfaciendi studio ac labore consistat, ex aliis Euangelicis & Apostolicis literis manifestè ostendetur. Infra cap. 12. de Niniuitis dicitur quòd *pœnitentiam egerunt μετενόησαν in prædicatione Ionæ.* Illam autem pœnitentiam non fuisse simplicem resipiscentiam aut mutationem in melius, sed actionem valde pœnalem in ieiunio, sacco & cinere susceptam, Ionæ cap. 2. legimus. de qua lege Basilium in sermone habito in fame & siccitate. Sic rursum infra cap. 11. de Tyriis & Sidoniis ait Christus. *Olim in*

Latina Ecclesia perpetua phrasis defenditur.

cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent ἂν μετενόησαν. De Eſau ſcribit Paulus, *Non inuenit pœnitentiæ locum* μετανοίας τόπον *quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Heb. 12. Vbi ipſe Beza vertit *pœnitentiam*, non reſipiſcentiam, & fatetur accipi pro dolore quem aliquis ex re præterita accipit: & addit Paulum vſurpare vocem μετάνοιαν pro μεταμέλειαν. Sed S. Chryſoſt. theologus Græcus, græcęque linguæ peritior, vocem μετανοίας hic propriè ab Apoſtolo accipi affirmat. docet autem pœnitentiam hanc etiam cum lacrymis cõiunctam, veram pœnitentiam ſeu μετάνοιαν non fuiſſe, non quia dolorem habuit adiunctum, vt Beza fingit, ſed quia iuſtus & legitimus ille dolor non fuit. Vnde poſtea dicit. *Iudas pœnituit* (μετανόησε) *ſed malè. Laqueo ſe namque ſuſpendit.* Vbi per verbum μετενόησε, illud expreſſit Chryſoſtomus quod per verbum μεταμελῆσαι expreſſit Matth. Græcus à Beza citatus. Sed addit Chryſoſtomus. *Pœnituit & Eſau, vel potius non pœnituit: lacrymæ quippe illæ non erant pœnitentiæ* ȣ̓ μετανοίας, ἀλλὰ ἐπηρείας καὶ θυμȣ̃, *ſed doloris & iræ. Pœnituit & Dauid dicens, lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* Hæc Chryſoſtomus ſemper vtens verbo μετανοεῖν. Sane quum Chriſtus dicit *iuſtos non indigere pœnitentia*, ȣ̓ χρείαν ἔχειν μετανοίας, ſatis oſtendit pœnitentiæ vocabulo actionem aliquam pœnalem notari, quam iuſtos ſubire non eſt opus. Sed vnus Apoſtoli locus 2. Cor. 7. huius vocis proprietatem euidenter oſtendit. *Etſi contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet:* ȣ̓ μεταμέλομαι, id eſt, non muto factum, nec aliter fieri vellem, *& ſi pœniteret videns quòd epiſtola illa & ſi ad horam vos contriſtauit:* id eſt, & ſi tunc mallem me non feciſſe, facilè præuidens quòd ſaltem ad tempus illa epiſtola vos deberet contriſtare. *Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam:* εἰς μετάνοιαν. *Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum,* id eſt, propter offenſum Deum. *Quæ autem ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. Pœnitentiam ſalutarem operatur, de qua poſtea non pœnitebit, vel quam ſemel factam nemo vellet infectam. Hoc in loco μετάνοιαν accipit Paulus pro pœnitentia propriè dicta, id eſt pro *triſtitia peccati ſecundum Deum*, quam ſalutarem triſtitiam vocat, & cuius præclaros effectus in ſequentibus deſcribit. Μεταμέλειαν verò accipit pro noua animi mutatione, qua id nollemus factum quod fecimus, aut contrà: & ſic ad Rom. 11. dona Dei vocantur ἀμεταμέλητα, id eſt, quæ ſemel

Bezam refutat Chryſoſtomus.

Luc. 15.

Beza argumenta refutatur.

colla

collata non vult non contulisse. Nam & sic Gen.6. *Pœnitet me fecisse hominem*: apud 70. est μεταμελήθην: & in textu hebraico נחמתי à verbo נחם, quod Beza vult displicentiam cum dolore significare, quasi illa in Deum cadere posset.

Quod autem Petrus Act.3. & Paulus Act.16. cum verbo μετανοῆσαι adiunxerunt καὶ ἐπιστρέψατε, id est, *Pœnitentiam agite & conuertimini*, non est explicatio vocis præcedentis, vt Beza colligit, sed effectus eius ac finis. Iubent enim Apostoli prius pœnitere de anteactis, & postea conuerti ad Deum per vitæ nouitatem. Quare in alia concione Petrus quum dixisset, *Pœnitentiam agite*, μετανοήσατε adiunxit: *& baptizetur vnusquisque vestrum*, quod nemo dubitat distinctum quid esse à pœnitentia, & quod eam comitari debeat. Porro quod ad duo illa verba hebraica attinet, נחם & שוב quæ duabus græcis vocibus μεταμελεῖν & μετανοεῖν respondere Beza vult, certum est apud hebræos illa duo in eadem significatione inueniri; & vtrumque conuersionem seu animi ac sententiæ mutationem significare: quod vnus locus Ionæ 3. cap. ver. 10. euidenter ostendit. Vbi *conuerti Deum & ignoscere*, per illa duo ישוב ונחם ponuntur. *Quis scit si Deus conuertatur & ignoscat?* Sane verbum נחם propriè consolationem accipere significat, & per accidens sententiam mutare ad suam consolationem. Quod autem de verbo שוב Beza notat per illud significare *conuerti*, vnde תשובה conuersio, sciendum est per idem verbum significari, *auerti*. Vnde משובה rebellio. Ideóque Iere.cap.8. ver.4. vbi legimus, *Qui auersus est, non reuertetur*, ὁ ἀποστρέφων οὐκ ἐπιστρέψει, in hebræo idem verbum est, ישוב ולא ישוב. Hoc igitur verbum vt multas habet significationes, sic inter cætera, pœnitentiam quoque agere significat, vt notat Pagninus. Et in Matth. hebræo habetur hoc loco תשובה עשו *agite pœnitentiam*. Quare non minus verbo μεταμελεῖν quàm verbo μετανοεῖν vox illa respondet: quæ etiam apud græcos eandem frequenter significationem habent, vt vtraque mutationem in melius, vtraque etiam displicentiam anxiam significent, vt ex locis iam citatis studiosus lector deprehendet. His accedit, apud veteres Ecclesiæ scriptores, publicos in Ecclesia pœnitentes, quorum erat maximè pœnalis pœnitentia, vocari τοὺς μετανοοῦντας: vt apud Sozom.lib.7. cap.16. & apud Socratem lib.5. cap.19. vel τοὺς ἐν μετανοίᾳ ὄντας: vt apud Dionys. Areopag. Eccles. hierarch. cap.3. in princi-

Hebraica verba Bezæ nouitatem nop adiuuant.

pio. Quibus ita explicatis facilè patet inanem esse hæreticorum pruritum, qui Pœnitentiæ vocabulum in Resipiscentiæ vocem eos mutare compulit.

4. *Esca autem eius erat locustæ & mel siluestre.*

Dom. 2. Aduētus. DE vestimento D. Ioan. in deserto contra hæreticorum corruptelas in Prompt. Catholico disseruimus. Nunc de victu eius aspero ac vili aliquid contra eos notandum est. Nolunt enim ad vitæ eius sanctitatem ista ab Euangelistis commemorari. Dicit Caluinus in sua harmonia ad hunc locum. *Hoc Euangelista non numerat inter præcipuas virtutes, quòd rudi & austeriori viuendi formæ addictus, etiam mediocrem vsitatámque munditiem fugerit: sed quia priùs dixerat montanum fuisse hominem, nunc subijcit victum & vestitum habitationi consentaneum fuisse.* Mox reprehendit Catholicos, *quòd perfectam ferè iustitiam in externis laruis constituant, & quòd finxerint Ioannem in vita solitaria abhorruisse à communi viuendi more, sicuti eremitæ & monachi.* Hæc ille doctrinæ Euágelicæ corruptor pestilens: Euangelistas enim Ioannis asperum victum ac vestitum ideo commemorasse, vt eximias eius virtutes recenserent, vitámque planè eremiticam duxisse ostenderent, non solum omnes hactenus Patres docuerunt, vt antea dictum est, sed ex ipsis quoque Scripturis manifestum est. Matthæus enim cæteríque Euangelistæ, vt prædicationis eius authoritatem magis exprimerent, hanc eius vitæ rationem diligenter tradiderunt. Deinde maximus populi ad eum concursus vt in seqq. Matthæus describit, manifestum fuit de eius vitæ sanctitate testimonium: quam tanti æstimabant, vt an ipse Christus esset, dubitarent. Tertiò Christus ipse ex vtroque hoc capite victus & vestitus, eum publicè apud turbas commendauit. *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum?* vbi à contrario vestitûs austeritatem laudat. Rursum: *Venit Ioannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum; & dicitis, Dæmonium habet.* Vbi à victus parsimonia eum laudat. Ex quo etiam loco patet summæ austeritatis causa solis locustis & melle Ioannem victitasse: sic enim illis vsus est, vt in vniuersum ab omni pane & vino abstineret. Si cibis illis tanquam maximè parapilibus vsus fuisset, saltem panem quoque adhibuisset, quo nihil magis parabile est. Locustæ autem istæ qualia essent animalia, qualísque cibus, vide apud D. Hie

Victus austerus Ioā. Baptistæ.

Matth. 11.

Luc. 7.

D. Hieron. in cap. 3. Nahum & lib. 2. aduersus Iouinianũ. Insecti genus erant, paruas alas habens, ad volandum ineptum, ideóque satis parabile. Quum autem vox græca hoc loco ἀκρίδας non solum locustas, sed & summitates herbarum significet, putant aliqui fuisse herbas de quibus hic Matth. loquitur: & hanc sententiam fortissimè sustinet Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 132. ad Timotheum & epist. 5. ad Nilum. Cæterum vox Syriaca hoc loco קמצא locustam animal propriè significat. Mel siluestre fuit valde amarum, vt idem scribit Isidorus & Euthymius in com. in hunc locum.

6. *Baptizabantur à Ioanne confitentes peccata sua.*

AD hæc verba hoc venenum effundit Caluinus. *Ridiculi sunt Papistæ dum ad confessionem auricularem hoc detorquent. Neque enim aderant sacrifici quibus confiterentur, nec de omnibus peccatis fit mentio, nec dicitur Ioannes ordinarium confitendi ritum suis Discipulis mandasse. Imò vt Papistis demus quod postulant, solis catechumenis propria erit confessio, post baptismum verò locum non habebit. Certè contra Ioannis exemplum confitendi legem à baptismo præscribunt.* Hæc impostor ille. Respondeo antiquissimos Patres ex his verbis confessionem hominum iam Christianorũ collegisse. Chrysostomus in hunc locum ait. *Tempus confessionis aquè & lotis baptismate & illotis profanisq; incumbit.* S. Basilius in reg. breuioribus cõfessionis necessitatem ex hoc Ioannis & Pauli in Actis exemplo confirmat. *Necessarium videtur his, quibus dispensatio mysteriorum Dei credita est confitenda esse peccata. Siquidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse, quando & in Euangelio scriptum est, quòd Ioanni confitebantur peccata sua, & in Actis, Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti.* Hæc ille. Eodem modo colligit Rabanus in comment. in hunc locum. *Exemplum etiam tunc confitendi peccata ac meliorem vitam promittendi baptizandis dabatur.* Non ergo Papistæ sed antiquissimi Patres ridiculi sunt, si ad confessionem auricularem hoc exemplum accommodare ridiculum est.

Papistarum nomine Patres antiquissimi accusantur.

Homil. 10. in Matth.

Quæst. 288.

Act. 19.

Rabanus.

Sunt autem planè ridicula Caluini argumenta. *Non aderant*, inquit, *sacrifici quibus confiterentur.* At aderat Ioannes, cui confitebantur, vt D. Basilius loco citato notauit. *Non de omnibus* (inquit) *peccatis fit mentio.* At propositio

Caluini argumenta ridicula.

indefinita æquiualet vniuersali, & ipsum vniuersale peraccommodam distributionem intelligendum esset, quòd scil. maiora & grauiora confiterentur. Neque enim nunc omnium fit necessaria confessio, venialium scilicet. *Non dicitur* (inquit) *Ioann. ordinarium confitendi ritum mandasse.* Atqui ordinarium hunc ritum fuisse, ex eo etiam patet quòd Apostoli eundem morem seruarent. Sic enim legimus; *Multi*
Act. 19. *credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos.* Sed (inquit Caluinus) hoc exemplum probat solis catechumenis propriam esse confessionem, vnde infert; *nos contra Ioannis exemplum confitendi legem à baptismo præscribere.* At verò tametsi Ioanni soli non baptizati confitebantur,
Vbi suprà. Paulo tamen & Apostolis aliis, vt infert Basilius, *multi credentium confitebantur*, è quorum numero iam baptizati esse poterant. Sed à minori ad maius, vel saltem ab exemplo summæ pietatis argumentati sunt Patres citati; confessionem iam baptizatis & in peccata relapsis esse necessariam, sicuti ante baptismum necessaria videbatur. Nec hoc contra Ioannis exemplum facit, sed ei conforme admodum esse, Patres citati indicarunt. Tametsi enim in subiecto variat, actio tamen non variatur. Simili ineptia inferre posset Caluinus, nos contra Ioannis exemplum facere, qui homines gentiles baptizamus, aut gentilibus baptizandis confessionis legem præscribimus, quia Ioannes solos Iudæos baptizauit, & soli Iudæi confitebantur illi peccata sua. Sed quemadmodum contra Ioannis exemplum hac in re non præscribitur, sic nec in altero.

9. Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham.

TOrquet hæc verba Caluinus contra vniuersum clerum
Ecclesiæ vera perpetuitas. Catholicum, qui veram Christi Ecclesiam apud se esse, neque deficere posse affirmat: quia *vult Deus in mundo agnosci, noménque suum inuocari alibi autem non posse esse Ecclesiam quàm apud ipsos, apud quos Dominus fœdus suum deposuit.* Hæc ille Catholicorum nomine. Veram quidem Ecclesiam Christi deficere nullo modo posse, nec alibi inueniri quã apud Ecclesiarum præpositos, ac magistros, eorúmque greges,
Lib. 4. in libris de Principiis fidei doctrin. contra omnes hæreticos demonstratum à nobis est. Sed tale aliquid Pharisæis à Ioanne hoc loco obiectum nec fuit; nec si fuisset, contra veram

tam Christi Ecclesiam aliquid valeret. Tametsi enim Pharisæi & Sadducæi hoc temere fecissent, non propterea veri Ecclesiarum magistri veram sibi Ecclesiam venditare non debent. Cæcus hæreticus non videt tam contra sectam suam aut aliam quamlibet hoc argumentum valere, quàm contra veram Catholicam Ecclesiam. Sed veræ Ecclesiæ refutandæ auidus, quid contra sectam suam perinde valeret, non aduertit. Desperans Caluinus de sua secta, quòd pro vera Ecclesia vnquam haberetur, audacter ea disputat quæ veræ Ecclesiæ authoritatem quoquo modo labefactant. Cæterum quum Pharisæos acriter taxasset, Ioannes, ne id ægrius ferrent, monet, ne quòd de genere Abrahæ essent, quod Deus sibi in peculium adoptauerat, gloriarentur quasi hoc ad salutem satis esset, qui non sequerentur fidem Abrahæ, nec facerent opera Abrahæ. Nam tametsi illi omnes Abrahæ fidem & pietatem desererent, potest tamen Deus suscitare etiam ex lapidibus terræ nouos filios, nouum semen, nouum populum fidelem ipsi Abrahæ, id est, qui semen Abrahæ vocari possent propter fidem & opera Abrahæ quæ imitarentur.

Verum enim vero contra hæreticorum imputatiuam iustitiam valet insigniter hic locus. Dicunt hæretici homines ex sese impios iustificari & pro iustis à Deo approbari quatenus per fidem in Christo sunt, qua Christi iustitiam illis imputatam apprehendunt. Hoc est enim iustificare impium, vt ad Rom 4. exponit Beza. Contra hos merito dicitur, Nolite dicere, mediatorem habemus Christum, sed si Christi estis, opera Christi facite, mandata eius seruate, nec sola fide in Christum contenti estote. Sic enim isti Pharisæi fidem Abrahæ tenebant, eundem Deum colebant, eadem Circuncisione vtebantur, eundem Messiam Abrahæ repromissum expectabant: & quia in eodem fœdere cum Abraham erant, certò sibi salutem promittebant. Sed Ioannes contra hanc inanem fiduciam monet, ne de patre Abraham glorientur, sed eius quoque obedientiam & bona opera imitarentur. Ideo subiunxit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Eodē modo Christus postea eisdē de Patre Abrahā gloriantibus dixit. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Sic contra Caluinū maximè eiúsque sectatores hic locus valet. *Imputatiua iustitia refellitur.* *Ioan. 8.*

7. *Progenies viperarum.*

Sectas hypocriticas & populi seductores acerrimè taxat: quos ita vocat, vel quia sicut viperæ de vita sua periclitan-

Seductores populi viperis cōparati. tur nisi ad aquam protinus accurrāt, vbi veneno suo aliquem læserint, sic isti de æterna salute periclitarentur nisi post noxia venena & pessimæ doctrinæ fermenta in populum effusa ac immixta, ad baptismum Ioannis non accurrerent; vel quia sicut vipera pellem habet variegatam & eleganter pictam, intus verò tota venenata est: sic isti Pharisæi & Sadducæi foris erāt parietes dealbati, sed intus quasi sepulchra fœtida, & variis sceleribus pleni, quales seductores hæretici esse solent: vel denique quia parricidium in illis notat, quòd omnes iustos persequerentur; quod apertè illis Christus postea obiecit, sicuti vipera per vtriusque parentis necem frequenter in lucem prodit. *Cap. 23. infra.* Mas enim à femella per coitum occiditur, dum hæc illius caput in os eius insertum abrodit, paruuli autem quum nascuntur, matris ventrem aliquando perrumpunt, eamq; occidunt. Tales sunt omnes hæretici & seductores, qui Ecclesiam matrem lacerant, vt inde exeant, qui pios in Ecclesia acerrimè persequuntur, qui certissimè pereunt nisi ad aquam pœnitentiæ quam Ioānes prædicauit, tempestiuè se recipiant. Progenies quoque viperarum ab inuidiæ sibilis (qua maximè laborabant Pharisæi) vocari poterant, vt censet Augustinus: vel etiam quia pessimorum parentum pessimi essent filij, inuidia & calliditate pleni, vt exponit Gregorius homilia 20. in Euangelia, & Hieronymus ad Isa. cap. 30. & ad Matth. cap. 23. quod etiam in hæreticos seductores aptissimè quadrat: qui astutia & nequitia in errorem circumueniunt. *Serm. 1. Dom. 2. Quadrag.*

IN MATTHÆI CAP. IIII.

2. *Et quum ieiunasset* 40. *diebus & 40. noctibus, postea esuryt.*

Caluini scopus in Scripturis exponendis. CVM id Caluino Scripturas omnes Euangelicas & Apostolicas suis corruptissimis commentariis, seu commentis potius, non tam explicanti quàm studio deprauanti, propositum fuisset, vt quauis data occasione Catholicæ Ecclesiæ seu dogmata ac fidē, seu praxim & cultum carperet & impugnaret, hoc quoque in loco, quia ieiunium quadragesimale toto orbe Christiano religiosè obseruari cernebat, partim sanè alias ob causas (quas impostor altè dissimulat) partim etiā ad imitationem Christi Redemptoris nostri qui totidem diebus ieiunauit,

Caluinus

Caluinus hanc considerationem & hunc cultum omnibus ingenij sui neruis impugnat, vanámque ac futilem ostendere contendit. Totam eius disputationē expendam. *Christus* (inquit) *à cibo & potu non abstinuit, vt temperantiæ documētum ederet, sed quo plus authoritatis haberet, dum à communi hominum sorte exemptus, quasi è cælo Angelus, & nō homo è terra emergit.* Quod in more positum habent hæretici, id præstat hoc loco Caluinus. Ex vna veritate aliam vult destruere; & vt vnam causam tollat, aliam vrgere. Christus non solùm ad Euangelicæ doctrinæ, quā statim aggressurus erat, maiorem commendationem & authoritatem, sed etiam ad temperātiæ documentum ieiunauit. *Christus passus est propter delicta nostra*, & hæc præcipua causa erat. Sed an propterea falsum est quod Petrus dixit, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplū vt sequamini vestigia eius?* Christus propter vtrumque passus est, & propter vtrumque ieiunauit, quia non solùm erat redemptor in opere, sed etiam magister in exēplo. *Quadragesima obseruatio ad imitationem Christi defenditur.* *Rom. 8.* *1. Petr. 2.*

Sed hanc aliam ieiunij Christi causam, vt temperantiæ documentum ederet, Papistæ fortasse hodie commenti sunt, antiqua Ecclesia non docuit? Audiamus ergo antiquissimos Patres, & illos nouitio Caluino opponamus. Ignatius D. Ioan. Discipulus disertè monet, *Ieiunandam esse à fidelibus Quadragesimam, quia imitationem continet conuersationis Domini.* D. Basilius ita scribit. *Caput omnium quos commemorauimus Dominus noster est, qui non prius in carne quam pro nobis assumpsit, diaboli insultus excepit, quàm eam ieiunio communisset, simul & nos erudiens, vt nosmet aduersus tentatoris conflictus ieiunio vngamus.* Idem affirmat diuus Hieronymus. *Dominus 40. diebus in solitudine ieiunauit, vt nobis solemnes ieiuniorum dies relinqueret.* Consentit diuus Chrysostomus eisdem penè verbis vsus quibus sanctus Basilius. *Dominus noster Iesus Christus & ipse 40. dierum ieiunio declarato, sic certamen contra Diabolum aggressus est, omnibus nobis exemplar dans vt per illud armemur*, &c. Clarissimè quoque sanctus Augustinus. *Quadragesima ieiuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moysis & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit.* Et ante eum D. Ambrosius. *Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit.* Et alibi clarius. *Hoc fecit causa salutis nostræ, vt rem vtilem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret, vt iisdem vestigiis quibus ad fidem currimus, ad abstinentiā graderemur.* *In Epist. ad Philip.* *Homil. de laudibus ieiunij.* *In cap. 58. Esaia.* *Homil. 2. in Gen.* *Epist 119. cap. 15.* *Serm. 34. & 37.* *Orat in S. Lauacrū.*

Orat. in S. Lauacrū. Accedit ad hos omnes Gregorius Nazianzenus, cuius verba postea proferemus. Sed hoc tanto veterum consensu penitus despecto, Caluinus negat prorsus temperantiæ documentum suo Quadragesimali ieiunio Christum dedisse.

1. Caluini argumentum. Nunc intellecta hominis impudentia, cauillationes audiamus. *Qualis enim, obsecro, illa abstinentia virtus fuisset, cibum non gustare, ad quem appetendum nulla eum esuries mouebat? Certum est enim & clarè Euangelista pronuntiant, non aliter eum tulisse inediam, quam si carne non fuisset indutus. Quare mera stultitia fuit, ieiuniū Quadragesima, vt vocant, ad Christi imitationem instituere.* Hæc ille, vbi & omnes Patres citatos, totámque Catholicam Ecclesiam, quæ his annis 1500. ieiunium Quadragesimale summa semper religione obseruauit, *meræ stultitiæ* arguit, & Christum ipsum *nullam abstinentiæ virtutem* in 40. dierum ieiunio exercuisse pronuntiat: in vno arrogantissimus, in altero impius ac blasphemus. Si enim nullam abstinentiæ virtutem exercuit Christus, ergo aut falsum est, quòd tot diebus ieiunauit, aut ieiunium nō significat abstinentiam. Non solum in deserto fuit diebus 40. sed & tot diebus *in deserto ieiunauit*. Caluini ratio allata quā solā premit, locum haberet, si solum tot diebus in deserto latitasset ab hominum conspectu remotus, & moderato victu vsus, in quo ieiuniū Caluinus ponit, vt postea ex eius verbis ostendemus. Nunc autem non solum in deserto tot diebus fuit ab hominum conspectu remotus, &, vt Marcus ait, *erat cùm bestiis*, sed præterea, vt Matth. ac Lucas narrant, *totidem diebus ieiunauit*. At (inquit Caluinus) nulla eum esuries toto illo tempore ad cibi appetitū mouit. Nulla erat igitur abstinentiæ virtus. Primum vera est abstinentiæ virtus vbi nulla cibi fames est, si famem illam non ventris repletio, sed animi contemplatio & altiorum rerum meditatio tollit. In huiusmodi enim tametsi nulla fames vrget; quia animus ad alia & meliora intentus est, tamen natura laborat, exterior homo corrumpitur, corpus castigatur & maceratur. Magna abstinentię virtus est cum omnis alimenti subtractione soli Deo vacare, solius animi muneribus fungi. Christus ergo tot diebus ieiunans tametsi numquam esurierit, diuinam tamē quandam abstinentiæ virtutem exercuit. Deinde quamquā dicant Euāgelistæ quòd post 40. dierum ieiunium *postea esuriit*, non tamen inde efficaciter probatur, quòd toto reliquo tēpore non esurierit: facilè enim intelligi potest ideo dictum esse Christum post illud tempus esuriisse, quòd eo demum tempore

Infra cap. 6. ver. 16. Marc. 1.

Abstinentia virtus sine fame.

per me

per modum esurientis se gesserit, cibumque ad comedendum optauerit, aut etiam aliquo externo opere se optare & quærere ostenderit: vnde diabolus qui interna non videt, tentandi occasionem captauerit, vt lapides in panes conuerteret. Certe qui Christum toto illo tempore non esuriisse existimant, vt Hilarius & Chrysostomus, idē de Moyse atque Helia censent, quorum tamen ieiunium veram fuisse abstinentiæ virtutem negari non potest. An verò martyrij virtus illa non est, vbi varia corporis tormēta absque dolore martyr excipit, siue ex incredibili charitatis affectu (quod in amore etiam carnali cernitur, vbi cum voluptate labores tolerantur) siue ex admirabili diuini Spiritus consolatione, quod de S. Laurentio aliisque S. martyribus dubitari vix potest, qui se in mediis cruciatibus dulcissimo rore aspergi profitebantur? Sed vt in illis vel immensa illa charitas vel diuinæ consolationis affluentia martyrij virtutem ac meritum non sustulit, quia animo & proposito accesserunt omnia pro fide tolerandi, sic neque Christi neque Moysis aut Heliæ ieiunia vera abstinentiæ virtute carebant, tametsi nullam fortè famem senserint, quia animo & proposito ab omni cibo abstinendi, & consequenter quamlibet famem naturaliter inde cōsequentem sustinendi, ieiunium illud susceptum est; vt autem non esurirēt, diuina protectio & altissimarum rerum contemplatio in causa fuit. Christus enim, vt rectè notauit Chrysostomus, *vltra 40. dies ieiuniū nō extendit, ne incredibilis videretur carnis assumptio.* Caluinus autem impudenter affirmat, *certum esse & clarè Euangelistam pronuntiare quòd non aliter tulerit Christus inediam quàm si carne non fuisset indutus.* Nihil tale Euangelista pronuntiat, & certum est Christum ita ieiunasse, vt hominem vera carne indutum possibile erat, sicuti videlicet Moyses & Elias vera carne induti, sed diuina protegente gratia totidem diebus ieiunauerunt, *idque etiam non esurientes,* vt scribit Hilarius. Ita eius argumentum præter præcipitem arrogantiam & apertam impietatem superius notatam, crasso quoque flagrat mendacio. Cætera nunc breuius expendamus.

Can. 3. in Matth.

Homil. 13. in Matth.

Caluini impudētia in asserenda Scriptura.

Can. 3. in Matth.

Neque (inquit) *maior hodie ratio est, cur hoc Christi exemplum sequamur, quàm fuit olim sanctis Prophetis & aliis patribus sub lege imitari Moysis ieiunium.* Quasi verò aut Christo æquiparandus Moyses, aut eadem Synagogæ quæ Ecclesiæ perfectio, aut denique Moyses ad imitandum propositus fuerit sicut Christus, de quo Paulus dicit. *Estote imitatores mei,*

2. Caluini argumentum.

1. Cor. 11.

sicut & ego Christi. Sanè nec sancti Prophetæ nec alij Patres sub lege imitatores Moysi esse debuerunt, sicut nos imitatores Christi esse debemus. Iudaici spiritus hoc argumentum

3. Caluini argum. est. Sequitur aliud, *Quid simile habent cum filio Dei, qui per Quadragesimam quotidie vescuntur?* Respōdebit doctissimus

Orat. in S. Lauacrū. Græcorum Theologus Gregorius Nazianzenus. *Christus ieiunauit ante tētationem: nos ante Pascha. Ieiuniū vnum idémque est, at vtriusque temporis non parua est differentia. Ille totos 40. dies à cibo abstinuit, vtpote Deus: nos autem ad virtutū nostrarum modulum ieiunium attemperauimus.* Imitamur ergo Christum, sed pro modulo nostro. Et vide absurdissimum

1. Pet. 2. cauillatoris argumentū. *Christus passus est pro nobis, relinquens exemplū vt & nos sequamur vestigia eius.* An debemus ergo omnes crucifigi, omnésque illas & contumelias & pœnas pati quas Christus passus est, vt sequamur vestigia eius? Dicit

Rom. 8. Paulus: *Si compatimur, conglorificabimur.* An ille solus cōpati cum Christo dicetur, qui tantundem & idem passus est quod

Ephes. 5. Christus pertulit? Dicit rursum Paulus: *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit vos.* An vt hæc imitatio fiat, necesse est vt tantum quisque proximos diligat quantum Christus nos dilexit? An non in his omnibus ad virium nostrarum modulum imitatio fa-

4. Caluini argum. cta laudabilis est? Addit adhuc, *quòd nec Christus nec Moyses quotannis solemni ieiunio defuncti sunt: sed vterque semel tantum tota vita.* Cui respondemus quod satis erat Christo semel ieiunasse, & semel tentatum esse, vt exemplū nobis daret frequentis ieiunij & frequentis pugnæ cōtra diabolum. Moyses autem propter bis acceptas tabulas 40. diebus bis ieiuna-

Rom. 6. uit. Deinde respondemus quòd *Christus semel mortuus est, & mors illi vltrà non dominabitur.* Nos tamen *complātati similitudini mortis eius, quotidie morimur propter gloriam eius, & mortificamur tota die sicut oues occisionis.* Hæc sunt ficulnea & nugatoria Caluini argumēta, propter quę *summæ stultitiæ* vniuersam Christi Ecclesiam arguat, & vt alter Goliath expro-

Caluini atrox & procax accusatio sed ridicula. bret agminibus Dei Israël. Sic enim statim infert. *Impium & detestabile Christi ludibrium fuit, quo se ad eius regulam fictitio suo ieiunio formare tentarunt.* Ita iuxta Caluinum impiū & detestabile Christi ludibriū est, si quis ad regulam Passionum Christi fictitiis suis passionibus se formare tentabit. Impium & detestabile Christi ludibriū erit, si quis ad regulā dilectionis Christi fictitia sua dilectione se formare conatur. Impium denique & detestabile Christi ludibrium erit, si quis

ad ie

ad regulã imitationis Paulinæ, fictitia sua æmulatione Christũ imitari cõtendat. Hæc ille impius & detestabilis hæreticus ad totius pietatis ludibriũ impiè & detestabiliter docet.

Sed alias adhuc eius furias proferamus. *Quòd opus meritorium & partẽ esse pietatis & diuini cultus sibi persuadent, pessima est superstitio.* Caluini insanã hæresim Euangeliũ refutat, quũ & ieiunio mercedẽ à Deo Patre reddi Christus doceat, & Annam viduã ieiuniis Deũ coluisse disertè affirmet. Quibus in locis reluctantẽ veritati Caluinum nullo negotio profligabimus. Addit hoc loco Caluinus. Sed hæc *in Deum contumelia est minimè toleranda, quòd singulare eius miraculum obscurant: deinde in Christũ, quia suũ illi insigne detrahẽtes eius spoliis se vestiũt.* Si Christi ieiunium Quadragesimale nostra imitatione obscuratur, Passio quoq; Christi gloriosa nostrarum passionũ imitatione obscurabitur, & sic Petrus ac Paulus contumeliã in Deũ minimè tolerandã docuerunt: maximè Paulus, qui ausus est dicere. *Adimpleo ea quæ desunt Passionũ Christi in corpore meo, pro corpore eius quod est Ecclesia.* An non clamaret hic Caluinus contumeliã in Christũ minimè tolerandam Paulum protulisse, quia Passionis suæ maximum insigne detrahens, eius spoliis se vestiuit?

Matth. 6.
Luc. 2.
Amplificatio Caluiniana ridicula & puerilis.
Coloss. 1.

Sed necdũ insaniendi finis. *Tertio* (ait Caluinus) *in Euangeliũ fit cõtumelia, cui non vulgaris detrahitur authoritas, nisi hoc Christi ieiuniũ eius sigillum esse cognoscitur.* Atqui quãto magis ipsa Passio dominica totius Euangelij sigillũ est, de qua Paulus dicẽs *se missum esse non baptizare, sed euangelizare*, & explicans quid euãgelizaret, subiunxit: *Non in sapientia verbi, ne euacuetur crux Christi. Nos autẽ prædicamus Christũ crucifixũ.* Si ergo ieiunij dominici imitatio Euangelio, cuius sigillum esse dicitur, non vulgarem authoritatẽ detrahit, quanto magis Passionis Dominicæ imitatio Euangelio, cuius illa potissimum sigillum est, non vulgarem authoritatem detrahet? Sic authore Caluino Petrus & Paulus, qui hanc imitationẽ docuerunt, Euangelicæ dignitati non vulgariter detraxerunt. Audiamus tamen quomodo hoc vltimum amplificat Caluinus. *Singulare* (inquit) *miraculum Deus edidit quum Filium suum exeruit à necessitate edendi.* Certè non magis, vt videtur, singulare, quàm in Moyse & Elia prius ediderat. Demus tamẽ magis hoc in Christo singulare fuisse. *Annon* (inquit) *insana audacia æmulantur Deum qui idem sua virtute affectant?* An non verò insana hęc est Caluini audacia, in paucis verbis duo strenua proferre mẽdacia? Nec enim *idẽ ieiunium* quod Christus

1. Cor. 1.
Caluini duo mendacia in vna sententia.

ſtus peregit, *affectant* Catholici, qui quotidianā refectionem accipiunt: *nec ſua virtute*, ſed Dei gratia & adiutorio qualecunque ſuum ieiunium pro ſuo modulo Chriſtum imitantes peragunt. Ita hic dupliciter mentitus Caluinus eſt.

Bacchatur adhuc. *Diuina gloria inſignitus fuit Chriſtus per ieiunium. An non ſua gloria fraudatus in ordinem cogitur, quum ſe illi ſocios cuncti mortales permiſcent?* Multo verius & fortius diuina gloria inſignitus fuit Chriſtus per ſuam
Ioan.11. & 13. & 30. glorioſam Paſſionem. In hac enim *Pater clarificauit eum*, & ipſe *clarificatum ſe fore* prædixit. In hac *exaltatus à terrâ*
Luc.22. *omnia traxit ad ſeipſum.* Propter hanc *dedit illi Deus no-*
Philip.4. *men quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium & terreſtrium & infernorum.* An non ergo (ſi Caluini argumentum bonum eſt) gloria ſua fraudatus in ordinem cogitur, quum ſe illi compatiendo, & veſtigia paſſionis eius ſequendo, cuncti mortales permiſcent? Facit tandem garriendi finem Caluinus, & idem quod dixeſiat repetens hanc declamationem concludit. *Hunc ieiunio Chriſti finem ſtatuit Deus vt Euangelium obſignaret. Qui in alium vſum transferunt, annon tantundem imminuunt ex Euangelij dignitate? Faceſſat igitur iſta κακοζηλία, quæ & conſilium Dei & totum eius operum ordinem peruertit.* Repetamus & nos quod antea reſpondimus. Hunc paſſioni Chriſti finem ſtatuit Deus, vt Euangeliū obſignaret, vt omnes Euan-
Hebr.9. & 5. gelicas promiſſiones in ea terminaret atque præſtaret, vt ſanguine illic effuſo *Teſtamentum nouum confirmaret*, & illo
1. Petr.2. ſigillo appoſito *omnia conſummaret.* Qui in alium vſum
Rom.8. transferunt, & ideo *paſſum eſſe Chriſtum* docent vt *nobis exemplum daret ſequendi veſtigia eius, vt compatiendo conglorificemur*, an non tantundem imminuunt ex Euangelij dignitate? Faceſſat igitur hæc Petri & Pauli κακοζηλία, quæ & conſilium Dei & totum eius operum ordinem peruertit. An nō pulchra hæc eſt & Archihæretico digna concluſio? Atqui tanto fortius & certius ex Caluini argumento hæc concluſio ſequitur, quanto verius ac certius eſt, paſſione Dominica Euangelium obſignari, quàm ieiunio Chriſti Quadrageſimali aliquam huiuſmodi obſignationem factam eſſe. Vehemens & accuratus in hac cauſa Caluinus fuit. Sed vana eſt ſine viribus ira. Totam hanc Caluini diſputationem in ſua (vt erat) Eccleſiaſtica expoſitione inſeruit Marloratus, ſicut & alia omnia quæ in his Antidotis refutantur. Sed ſimiles habent labra lactucas.

6. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.*

CORRVPTOR Euangelij Caluinus inter alias Euangelicas beatitudines hanc imprimis corrumpit egregiè. *Eſurire* (inquit) *& ſitire per ſynecdochen accipio pro laborare inopia, deſtitui rebus neceſſarijs, iure etiam ſuo fraudari. Quod Matthæus ponit, eſurire iuſtitiam, ſpecies eſt pro genere, ac ſi dixiſſet: Beati ſunt qui licet votis ſuis moderentur, vt tantum ſibi præſtari quod iuſtum & æquum eſt cupiant, tanquam famelici nihilominus languent.*

Scriptura corruptela manifeſta.

Hæc ille, perpetuum & conſtantem omnium interpretum ſenſum refugiens, quia beatitudinem ex veræ iuſtitiæ ac ſanctitatis deſiderio ſpirituali, quam hic locus manifeſtè docet, ille iuxta ſolius iuſtificantis ac beatificantis fidei doctrinam penitus aſpernatur. Sed ſenſum quem ille fingit, abſurdiſſimum eſſe, ſola promiſſio adiuncta demonſtrat, qua Chriſtus dicit: *Quoniam ipſi ſaturabuntur.* Homines enim inopia laborantes, & rebus neceſſariis deſtituti, non ſaturantur, ſed exercentur à Deo, nec terrenarum rerum copia donantur, ſed diuinis conſolationibus recreantur: iuxta præcedentem beatitudinem. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Nec Chriſtus hoc loco ſaturitatem aliquam temporalem, quæ huiuſmodi fami & languori opponitur, qualem fingit Caluinus, pro aliqua beatitudine proponit, ſed ſpiritualia ſunt omnia quæ Chriſtus hic promittit, & à carnis ſenſibus remota. Denique eſurientes & ſitientes temporalia bona quibus inopia eorum ſubleuetur, miſeri ſunt, non beati; nec ſaturantur talibus qui talia appetunt, ſed eorum affluentia ſitim & famem magis auget. Cæterum famem ac ſitim iuſtitiæ Scripturæ laudant & ſaturari à Deo docent. Sic enim Chriſtus alibi dixit. *Qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet in æternum.* Rurſum alio in loco. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei* (id eſt acceperit de Spiritu quem ego effundo in credentes) *non ſitiet in æternum,* id eſt, ſaturabitur iuſtitia. Denique hanc eſuriem & ſitim tanti fecit Propheta regius, vt ipſam per ſe in magno bono poſuerit. Ait enim. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in æternum.* Ad quæ verba Auguſt. *Nihil* (inquit) *impedit quominus habeantur iuſtificationes Dei, niſi quia non deſiderãtur.* Quare alibi Chriſtus clamat. *Omnis qui ſitit, veniat ad me.* Venire enim

Iuſtitiæ deſiderium in Scriptura laudatum.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

Pſal. 118.

Conc. 8. in Pſal. 118.

Ioan. 7.

enim ad Christum & saturari iustitia nemo potest, nisi qui vehementi iustitiæ & pietatis desiderio tenetur: & hoc est quod Christus hoc loco docet, promittens saturitatem iustitiæ esurientibus illam, iuxta diuæ virginis Canticum. *Esurientes impleuit bonis:* quod multis verbis Esaias amplificat. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis:* & quæ sequuntur. A tota hac saluberrima doctrina, ne vitæ sanctitas ac iustitia in solius fidei præiudicium commendari à Christo videatur, lectoris animum impostor Caluinus auertit.

Luc. 1. Cap. 65.

8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

NEfarius Caluinus, qui omnem cordis munditiem negat, vt omnia iustorū opera immunda semper esse & contaminata defendat, exponit hoc loco, *mundos corde à Christo hic vocari qui non delectantur astutia, sed sincerè versantur inter homines, nec aliud verbis aut vultu præ se ferunt quàm agitent in corde.* Tales autem Deum visuros exponit, *quia si perspicaces non sunt ad fallendum in terra, Dei conspectu in cælis fruentur.* Hæc ille. Est hæc affectata & studiosa Scripturæ Euangelicæ corruptio. Nulla enim hic consequentia, nulla cohærentia est, vt simplices & minus perspicaces in hac vita Dei visione fruantur in cælo, siue per modum mercedis, siue ex idoneitate & apta dispositione alterum ex altero consequi ponas. His adde quòd idiotæ clarius Deum viderent quam Apostoli & Ecclesiarum doctores sanctissimi. Nec vsquam in Scripturis qui sincerè versantur inter homines, mūdo corde vocantur. Mundum cor in Scripturis internā mentis puritatem, & innocentiam generalem significat ab omni praua cupiditate alienam. *Quis ascendet in montem Domini, & stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde:* id est, qui nec opere nec cogitationis consensu in Deum aut proximum peccat. Rursum, *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Per sanctimoniam significatur non solum puritas mentis à carnis spurcitiis, sed etiam generalis animæ puritas ab omnibus inquinamentis carnis & spiritus. De qua Esaias. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* & D. Iacobus. *Purificate corda vestra duplices animo:* id est, qui Deum & mundum diligere vultis, quæ simul diligi nequeunt. Talem munditiem petiit Dauid à peccatis resurgēs.

Scriptura corruptela affectata.

Mundum cor in scripturis quale.

Psal. 23.

Hebr. 12.

Esai. 1.

Iacob. 4.

Cor

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Tametsi autem non sit in hac vita absoluta cordis mũditia & puritas iuxta illud *Quis potest dicere, mundum est cor meũ, purus sum à peccato?* tamen est aliqua munditia fragilitati nostræ possibilis, & ad vidẽdum Deum idonea, quando licet *in multis offendimus omnes,* ab illis tamen criminibus abstinemus de quo genere idem dixit, *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Etsi enim nemo sit purus à peccato leuiori & quotidiano, à grauioribus tamen puri esse possumus & debemus, vt fiduciam vidẽdi Deum habeamus, iuxta illud Ioannis. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Vnde eodem cap. quum dixisset. *Videbimus eum sicuti est,* modum videndi subiunxit. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est:* & paulò pòst, *Omnis qui peccat, non videt Deum, nec cognouit eum.* Tenenda igitur firmiter contra corruptiones hæreticas hæc sana doctrina de cordis nostri munditie, non solum vt sincerè cum hominibus versemur, sed etiam ab omni peccati labe mundi simus, quia *sanguis Christi emundauit conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti,* ait Paulus.

Psal. 50. *Munditia cordis in hac vita.* *Prou. 20.* *Iacob. 3.* *Iacob. 2.* *1. Ioan. 3.* *Hebr. 9.*

12. *Quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Catholicæ Ecclesiæ doctrinam de meritis operũ ex hoc loco euidenter stabilitam, suggillat Caluinus his verbis. *Quòd Papistæ in nomine mercedis ludunt, nullo negotio hic fucus diluitur. Neque enim, vt somniant ipsi, mutua est relatio inter mercedem & meritum, sed gratuita est promissio mercedis. Deinde si reputamus quàm mutilum sit ac vitiosum quicquid bonorum operum etiã ab optimis prodit, nullum vnquam opus inueniet Deus mercede dignum.* Hæc ille. Sed huic duplici cauillo facilè respondetur. Est quidem promissio Dei gratuita; promissione autem semel facta retributio non est gratuita, sed debita: non quia nobis Deus aliquid debet, sed quia eius quod gratuitè promisit, debitor factus est, & seipsum negare non potest. Iustorum opera in pura charitate facta, maximè tolerantia persecutionis pro fide, de qua Christus hic loquitur, non sunt vitiosa, sed mercede digna, quatenus à Spiritu gratiæ proficiscuntur, & sua dona coronat Deus. Vide plura in opere nostro de iustific. lib. 11. cap. 3. & seqq.

Merita bonorum operum.

14. Vos

14. *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi*
15. *super montem posita.*

Ecclesia visibilis.

EX his verbis in hunc modum colligunt Catholici. Si Ecclesia est lux mundi, vt homines ab ignorantiæ tenebris ad fidei lumen traducat, ergo visibile corpus est, nec deleri potest; sicut sol lux mundi, vt homines suo lumine fruantur, extingui non potest. Sed est hæretica expositio quæ hanc demonstrationem refellere conatur. *Ecclesia* (inquiunt) *est lux mundi: sed non est satis esse lucem vt videatur: neque enim lapis solem videt. At mundus impiorum nō magis cernit quàm lapis, nisi oculos aperiat gratia. Ecclesia ergo, vtcunque sit lux mundi, non nisi pijs & electis suis est visibilis.* Respondeo. Ecclesia est lux mundi per participationem, sicut Christus erat lux mundi per se & suam plenitudinem. Sicut ergo Christus vt pro vero Filio Dei agnosceretur, non nisi oculis fidei videri potuit, sed vt homo in terris conuersatus tam ab impiis Iudæis quàm à piis cernebatur: sic Ecclesia vt pro vera Christi sponsa & columna veritatis ac matre fideliū agnoscatur, non nisi oculis fidei videtur; sed vt est hominum collecta congregatio per totum orbem diffusa Christi nomen profitentium, eatenus non à credentibus tantum, sed & ab incredulis & impiis cernitur: ab his vt ad fidem & veritatis cognitionem perueniant; ab illis vt in sana fide nutriantur ac conseruentur. Rursum impius est qui non audit Ecclesiam, & pro ethnico ac publicano habēdus. Sed quomodo ille audire eam potuit, qui eam videre non potuit? At verò quemadmodum Christus dixit, *Et viderunt me & oderunt me & patrem meū*; sic impij siue ethnici, siue hæretici, siue mali Catholici, qui audire Ecclesiam & eius disciplinæ subiacere nolunt, & vident Ecclesiam, & oderunt eam?

Gul. Fulco de success. ecclesiast. cap. 2.

Matth. 18. Ioan. 15.

Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Hæc verba quantum valeant ad Ecclesiam Christi visibilem & illustrem demonstrandam, & quoties S. Augustinus contra Donatistas in eū sensum illa tractauerit, in Prompt. Cath. Dom. 24. post Pentec. circa finem accuratè tractauimus, ideóque nihil hic repetimus. Sed vni adhuc hæreticæ corruptioni occurrendum est. *Ciuitas* (inquiunt) *super montem posita non Ecclesiam, vt alicubi Augustinus, sed Ecclesiæ Pastores, vt Chrysostomus aliíq; sanius interpretantur, designat; quorum vita suis in exemplum proposita non magis latere potest oculos discipulorum, quàm ciuitas super montem sita eos qui circumquaque*

Fulco ibidem.

in

in propinquo habitant. Cæterum qui Pastores Ecclesiarum hic intelligit, populum credentem necessariò includit: Non enim sunt Pastores sine plebibus, vnde D. Cyprianus Ecclesiam definiuit esse, *gregem Pastori suo adunatum.* Est igitur Ecclesia tota ciuitas super montem posita, collectio fidelium super Christum ædificata; sed in ea ciuitate magis eminent & conspicui sunt pastores, tanquam turres & propugnacula eius. Et horum quidem vita credentes latere non potest; sed ideo non latet vita, quia personæ conspicuæ sunt, & huiusmodi quæ latere nequeant. Vitæ & probitatis lucem vrgent hæretici, personarum lucem agnoscere nolunt. Sed vtrumque sic docet Christus, vt ex personarum claritate, vitæ honestissimæ lucem inferat; & ideo lucere iubeat eorum opera, quia tanquam ciuitas sunt in monte posita quæ abscondi non potest, videlicet propter statum & officij altitudinem quam tenent. Valet igitur optimè frequentissima Augustini disputatio, Ecclesiam Christi semper esse mundo visibilem & conspicuam, sicuti & Christi nomen erit; quia in hoc altissimo monte, qui Christus est, positi sunt, id est, illius locum & authoritatem tenent, eius legati ac ministri sunt, eius personam referunt, & potestatem exercent. *Lib. 1. epist. 3.*

13. *Vos estis sal terræ.*

Corrumpit hunc locum Caluinus hoc modo, *Quod proprium* (inquit) *est doctrinæ, ad personas transfertur, quibus commissa est eius administratio.* Móxque impotenter in Catholicos inuehitur, qui ad Ecclesiarum Episcopos ista accommodant. Cæterum ad personas ipsas Apostolorum & successorum eorum Christus loquitur. Ipsos esse ait sal terræ: ipsos ait infatuari posse & nihil vltra valere, sed conculcari, &c. Doctrina ipsa veritatis infatuari non potest, sic vt nihil vltra valeat. Quantumcumque enim à falsis magistris contaminetur, eius tamen puritas illibata manet: nec nostrum affirmare vel negare aliquid ponit in re. *Euãgelium est virtus ad salutem omni credenti,* vtcumque hæretici *conuertant* & peruertant *illud.* Verum quidem est, Apostolos & eorum successores non nisi ratione veræ doctrinæ quam docent, *salem esse terræ*; ipsi tamen sunt qui docendo terrã saliunt. i. qui vel putrida hominum corda sapore veræ fidei condiunt & vitæ restituunt, vel sanas iam hominum voluntates puritate doctrinæ conseruant. Doctrina sine doctoribus *Rom. 1. Gal. 1.* *Pastores sunt sal terræ.*

muta litera est, & materia informis, nec saliendi vllam vim habet. Sicut Rex hoc differt à tyranno, quòd non nisi secundum leges & æquitatem regnum administrat, Reges tamen ipsi non leges, Rempub regere, administrare, in officio continere, propriè dicuntur; sic verus pastor à lupo in hoc differt, quòd non nisi veram & sanam doctrinam administrat, Pastores tamen ipsi (non eorum doctrina) pascere dicuntur, & propriè pascunt, ideóque *sal terræ* sunt. Hæretici à personis ad doctrinam confugiunt, vt ouiculas Christi à Pastoribus abductas sub specie veræ doctrinæ lupis committant, vel vt seipsos pro lupis gerant, *& abducant discipulos post se.*

Corruptela Caluiniana scopus. Actor. 20.

17. *Non veni legem soluere, sed adimplere.*

Prodigiosa est hoc loco Caluini corruptio. Summam verborum Christi hoc esse vult. *Hic* (inquit) *de doctrina agitur, non de vita. Nam quoad doctrinam nulla nobis in Christi aduentu fugienda est legis abrogatio.* Rursum. *Sensus clarus est, resectum iri tanquam postremos hominum, qui legis doctrinam vel in vna syllaba contemptibilem reddunt.* Hæc ille. Christus igitur in sensu Caluini legem non soluit, sed adimplet, quia eius doctrinam non tollit, sed statuit & confirmat. vnde iterum addit, *Christus in Ecclesiam suam admittendos negat doctores, nisi qui fidi erunt legis interpretes, & integram eius doctrinam asserere studebunt.* Hæc ille. Obedientiam legis & exequutionem à Christo hoc loco doceri non admittit Caluinus, sed tantummodo vt promulgato Euangelio lex quoque mandatorum doceatur quidem & fideliter explicetur, opere tamen aut à nullo impleatur, quia à nullo impleri potest, aut non necessariò impleri debeat. Nam propterea libertatem non implendi legem, quam Caluinus sibi arrogat, cum his Christi verbis non pugnare, hoc ipso in loco Caluinus ait. *Quòd* (inquit) *abrogata maledictione legis, seruitus quoque eius est sublata, & parta fidelibus libertas, nihil inde legis doctrinæ decedit.* Hæc ille, libertatem statuens non qua lex liberè & ex dilectione impleatur, quæ est vera fidelium libertas; sed qua ad legis exequutionem fideles non obligentur. Quam etiā ob caussam, illa Christi verba, *Non præteribit apex à lege donec omnia fiant*, exponit Caluinus, *illud fieri*, non referri ad hominū vitam, sed ād solidam doctrinæ veritatem. Moxq; illa Christi verba, *Qui igitur soluerit vnum ex mandatis istis minimis*, &c. vbi de præceptis vitæ agi fateri cogi

Legem quomodo Christus adimplet, non soluit.

Lex iuxta Caluinum docet tantùm, non obligat.

cogitur, sic exponit. *Ad præceptorum Dei præscriptum omnes Dei filios vitam suam formare decet: & eos probos esse Dei ministros docet, qui legis obseruantiam tum vita exemplo, tum verbis commendent.* Hæc ille. *Dei filios decere* ait vt præcepta seruent, non autem oportere, aut ad istud obligari. Probos Dei ministros *legis obseruantiam commendare* patitur, non autem vt ad salutem necessariam Dei nomine præcipere & præscribere. Postremò propter hoc vnum, *legem cum Euangelio non pugnare* docet, *quia legis præcepta Euangelium quoque docet & commendat, tanquam quæ deceant filios Dei.* *Legem seruari decet iuxta Caluinum, nō oportet.*

Sed totam hanc impietatem Caluinianam, sola illa Christi verba, *Qui soluerit vnum ex his mandatis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*, apertissimè refutant. Quum enim illic nominatim loquatur Christus *de præceptis vitæ*, siue de decem mādatis, vt Caluinus disertis verbis fatetur, minimus autem in regno cælorum, *nullum & abiectum* significat (vt Caluinus ipse exponit, tametsi regnum cælorum non nisi pro Ecclesia præsenti accipiendum velit) necessariò sequitur obseruantiam ipsam & executionem legis tanquam ad salutem necessariam à Christo hoc in loco commendari. Nullū enim vel abiectum esse in Ecclesia, hominem à salute pro tempore extorrem significat. Cæterum si regnum cœlorū pro futura beatitudine accipiatur, sicuti in sequenti sententia (*non intrabitis in regnum cœlorum*) manifestè accipitur sequitur magis, præceptorum legis trāsgressorem ab æterna salute excidisse. Deinde Christus apertissimè non de doctrina tantum, sed etiā de actuali exequutione legis hoc loco disputat. Ait enim, *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorū.* Vbi magistros in Ecclesiam suam Christus admittit (manendo in sensu ipsius Caluini quòd regnum cœlorum non nisi Ecclesiā præsentem significat) non solum *qui fidi erunt legis interpretes, & integram eius doctrinā asserūt*, vt Caluinus explicauit; sed qui seduli erunt legis factores, & integram eius obedientiā exequuntur. Imò factore docentibus anteponit: *Qui fecerit & docuerit.* Sed Caluin⁹ quia doctor quàm factor esse maluit, de doctrina hic agere Christū vult, non de vita: id est, non de modo & ratione viuendi, sed de ratione docendi. *Refutatur Caluini dementia ex ipso Caluino.*

Quomodo autem reuera Christus legem & Prophetas adimpleuit, melius nos docebit S. Augustinus. *Quia veniens Christus per Spiritum S. quem promisit, charitatem in manifestatione donauit, qua sola charitate iustitia legis posset impleri; propterea dixit, Non veni soluere legem, sed adimplere.* Rursum *Contra Faustum Lib. 19. cap. 27.* *Legem Christus quomodo adimpleuit.*

eiusdem libri cap.30. *Vnde vtnit Dominus legem non soluere, sed adimplere, nisi vt perceptis promissorum figuris, quæ reddita veritate adimpleta sunt atque sublata, ipsa quoque præcepta per nouitatem Spiritus implerentur in nobis?* Et alio in loco. *Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad Prophetiarum impletionem, & quia vtrumque per Christum, ideo non venit soluere legem aut Prophetas, sed adimplere.* Hæc ille eiusdem operis lib.17. cap.6. Idem docet in exposit. quarundam proposit. in epist. ad Rom. Sic etiam hunc locum exponit Chrysost. hom.16. in Matthæum.

18. *Iota vnum aut apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

QVia hæc verba de legis mandatorum impletione Catholici intelligunt, vt plerique patres exponunt, & ipse maximè August. de serm. Domini in monte lib.1. cap.15. & Retract. lib.1. cap.19. insurgit hæreticus, & infert vniuersam legem necessariò ab iis esse seruandam, qui per legis obseruantiam iustificari volunt: quæ vniuersa obseruatio quia in nullo reperitur, ideo ex mandatorum obseruatione neminem iustificari posse. Sed respondendum est, totam legem mandatorum ad salutem & iustitiam consequendam etiam ad vnum apicem hoc sensu adimpleri per gratiam Christi, quia facit gratia Christi vt maiora mandata de facto impleantur, & ignoscit gratia Christi quæ circa minora mandata in quotidianis peccatis prætermittuntur, vt in opere de Iustificatione lib.6.cap.8. accuratè olim explicuimus. Sic August. hæc Christi verba pertractans ait, *illa quidem vehementem perfectionis expressionem continere, sed ea mensura perfectionis humanæ quanta in hac vita potest esse perfectio. Quare quum in cæteris Dei mandatis hoc vnum sit quod iubemur orare, Dimitte nobis debita nostra, profectò omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur.* Hæc ille. Rursum in Psal. 118. *In via Domini, id est, in fide pia quisquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut si quid à deuiante committitur, propter viam non imputatur, quia per orationē fidei ignoscitur, & tanquam non fuerit operatus accipitur.* Hæc ille. Nempe quia tota Iustitia hominis Christiani non in sola obedientia legis, sed etiam in remissione peccatorum consistit (vnde vtraque hæc pars in Scripturis Iustitia vocatur) fiunt omnia legis vsque ad vnum apicem, quia vel legi obeditur

Vniuersa lex quomodo adimplenda.

Retract. lib. 1. cap. 19.

Conc.3.

obeditur in grauioribus, vel omnis transgressio in leuioribus ignoscitur. Sed insurgit iterum hoc loco Caluinus & ait. *Prodigiosus est eorum stupor, quos non pudet sacrilega indulgentia remittere quod Deus seuerè exigit, & venialis delicti pratextu legis iustitiam pessundare.* Hæc ille hoc loco. Sed venialis delicti prætextu legis iustitia non pessundatur, quia & *venialia delicta à lege argui & contra legis iustitiā fieri docemus* cum Augustino, & contra legis perfectionem ad quam contendere semper oportet, non autem contra rectitudinem necessariam faciunt; ideóque quàm diu contra illa pugnatur, legis iustitia integerrimè seruatur, vt multis in locis Augustinus docet; maximè in libro de perfectione iustitiæ. Vide opus nostrum de Iustificatione lib. 6. cap. 13. & seqq. *Lib. de nat. & grat. c. 14.*

21. *Audistis quia dictum est antiquis, &c.*

AIt hoc loco superbus Caluinus, *deceptos esse multos veterum, qui putarunt hanc esse legis correctionem, ac Christum suos Discipulos in altiorem perfectionis gradum extollere, quàm potuerit Moyses populū suum.* Moxq; multis verbis docet, *legem in se perfectā fuisse, nullósq; legis defectus hic à Christo corrigi.* Postremò concludit, *non esse fingendum Christum nouum legislatorem, qui ad æternam Patris sui iustitiā aliquid addit, sed tanquam fidum interpretem audiendum esse.* Cæterum Christum verè legislatorem fuisse, & ad æternam Patris sui iustitiam aliqua mandata addidisse, tum forma loquendi qua Christus hic vsus est, tū aliæ Scripturæ manifestè docēt. Hic enim docens, *Ego dico vobis*, suā præcipiendi authoritatem ostendit, (*dicendi enim verbum*, ait ipse Caluinus, ad illa verba, *Diligite inimicos, denūtiare vel præcipere hoc loco significat*) quū reliqui Prophetę nunquā sic locuti fuerint, sed: *Hæc dicit Dominus.* Vnde & postea sequitur in fine totius Cōcionis, *Cùm consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatē habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi.* Quare legē quidem in multis interpretatur hic Christus, sed tum hanc ipsam interpretationē tanquam legislator promulgat (est enim legislatoris nō tantum leges ferre, sed etiā eas interpretari) tum in quibusdā etiam corrigit legem veterem, vt *De non dimittenda vxore nisi fornicationis causa*, quum in ea liceret dimittere quauis ex causa, dato libello repudij; *De non iurando omnino,*

Christus vere legislator.

Infra Matth. 7.

Christus corrigit legem veterem.

de diligendo inimicos: tum demum quædam veteris legis mãdata ipse alio quodam modo mandat & iubet: quale illud est.
Ioan. 14. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* sicuti eo loco
Ioan 15. explicabitur. Et iterum. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et rursum sua mandata tantopere vrget, vt dicat:
Ioan. 16. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Postremò Apostolicæ legationis hæc summa erat: *Docete omnes gentes,*
Matth. 28. *docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Quare hanc insanam Caluini arrogantiam negantis contra veterum hoc loco doctrinam Christum esse legislatorem, Concilium
Sess. 5. can. 21. Tridentinum iusto anathemate percussit. Alias probationes vide apud Andream Vegam de iustificat lib. 11. cap. 7.

23. Si offers munus tuum ad altare.

Dicit hoc loco Caluinus, *Christum pro illius sæculi ratione de sacrificiis loqui, hodie dissimilem esse nostram conditionem.* Sed vt Christi doctrina eadem ac perpetua omnibus seculis sit, nec ad illud solum tempus restringatur quo Iudæorum sacrificia ad Dei cultum pertinebant. (quo nihil magis absurdum) necessariò fatendum est non solùm in quolibet pio opere ad Dei cultum destinato hanc legem valere (qui
Sacrificiũ in Ecclesia externum. tantum tropologicus est huius loci sensus) sed Christum ad literam de futuro in Ecclesia sua sacrificio externo (quod hæretici hodie agnoscere nolũt) hanc legem tulisse. Nam & nos
Hebr. 13. *habemus altare, de quo edere non possunt, qui deseruiunt tabernaculo.* ait Paulus: de quo etiam sacrificio dicit: *Probet seipsum*
1. Cor 11. *omnis homo, & sic de pane illo edat &c.* Summa autem probationis pars est, vt omnis cum fratre simultas penitus aboleatur: quo d hic imprimis Christum spectasse veteres interpretes annotarunt. Chrysost. homil. 16. vbi ait. *Audiant hi qui sacris mysteriis initiati cum inimicitiis ad communionem altaris accedunt.* Rursum homil. 11. operis imperfecti. Hilarius in Matth. Can 5. & Augustinus lib. 1. cap. 20. de hoc serm. Domini in monte.

26. Non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem.

Catholicorum accusatio immerita. Debacchatur hoc loco prolixè Caluinus contra Catholicos modernos, *qui in perpetua huius loci allegoria pur-*

gatorium

gatorium fabricant, quod vt inueniant, Diabolo fratres & amicos illos esse oportere ait, *quia aduersarium hoc loco Diabolum exponunt.* Sed captiosus hæreticus aduertere debuit primùm paucissimos hodie esse qui hunc locum eo modo exponant. Deinde eos qui ad purgatorium ea verba accommodant, aduersarium hoc loco non pro diabolo accipere, sed pro spiritu qui concupiscit aduersus carnem, vel pro Dei præcepto quod peccatoribus aduersatur, de quo vide August. de serm. Domini in monte lib. 1. cap. 22. Tertiò hanc expositionem à veteribus accepisse, à Tertulliano in lib. de resurrectione carnis, & in fine libri de anima, & à Cypriano lib. 4. Epist. 2. Postremò & imprimis veteres Patres hunc locum ad purgatorium accommodasse, non quòd in eo vel solo vel potissimum purgatorium fabricarent aut fundarent, sed quòd ad dogma fidei receptissimum comprobandum hanc Scripturam adferrent, tametsi vel obscurior esset quàm vt sola certam fidem faceret, vel etiam alium sensum verum habere poterat, sicuti multas alias Scripturas in hoc ipso dogmate aliisque certæ fidei dogmatibus Patres adferre solent. Huiusmodi sunt, quòd Ambrosius versatilem romphæam flammeam ante Paradisum positā scribit significasse ignem futuri seculi omnes examinantem, & eos exurentem qui paleam cum tritico adiunctam deferunt: item quòd August. ex illis verbis Psal. 37. *Neque in ira tua emendes me* (sic enim legit pro eo quod nos legimus, *corripias me*) ait Dauidem deprecari *pœnas emendatorias futuri seculi.* Item quòd Basilius illa verba Ioannis, *Ille baptizabit vos in Spiritu S. & igne,* interpretatur de igne in altero seculo purgāte. Vel denique quod Origenes verba Psal. 76. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium,* ad futuri seculi examen referat, & eorum, qui purgatione indigent, purificationem. Ex huiusmodi veterum interpretationibus, tametsi Scripturæ alium sensum primarium ac verum habeant, illud tamen constat, doctrinam de purgatorio fidei dogma receptissimū apud illos veteres fuisse, ideóq; Scripturas perperam non exponi, tametsi minus accommodatè, quando ad certum aliquod fidei dogma applicantur. Attamen quomodo & quatenus hic locus de purgatorio exponi possit, vide apud Belarminum.

Scriptura per accommodationē à Patribus explicata.

Serm. 20. in Psalm. 118.

Enarrat. in Psal. 37.

In lib. de Spiritu S. cap 13.

Homil. 25. super Numerum.

Controuer. tom. 1. Cont. 5. libr. 2. de purgatorio cap. 4

28\. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum in ea, iam mœchatus est in corde suo.*

Peccatorū venialium à mortalibus distinctio.

CAtholicam doctrinā de venialibus peccatis, quæ ab imperfectione actus ita vocantur, seu de prauis desideriis

ac motibus omnem animi consensum deliberatum anteuertentibus, taxat acerbè hoc loco Caluinus his verbis. *Docemur hoc loco adulteros censeri coram Deo, non tantum qui fixo consensu scortationem in animis concipiunt, sed qui admittũt quasuis punctiones. Quare nimis crassa & supina est Papistarum hypocrisis, qui concupiscentiam negant peccatum esse, donec totum cor assentiatur.* Hæc ille. Sed quod Papistis obijcit Caluinus, doctissimis Patribus qui hunc locum sic intellexerunt obijcere debet; imo & D. Iacobo, qui non omnem concupiscentiam esse peccatum quod facit adulteros coram Deo, apertissimè docuit. *Concupiscentia quum conceperit, parit peccatum: peccatum verò quum consummatum fuerit, generat mortem.* Distinguit disertissimè conceptus peccati, quæ sunt primæ pũctiones à partu, id est, ab ipso peccato, veniali scil. & imperfecto; & partum à consummatione; id est, à consensu, qui solus ex se generat mortem, & est mortale peccatum. Christum autẽ hoc loco non de concupiscentia loqui quæ concipit peccatum, nec de primo parientis concupiscentiæ partu, id est, de peccato veniali, quo adhuc voluitur in animo quod conceptũ fuit sine deliberato consensu, sed de peccato concupiscentiæ in corde consummato, quod non nisi per consensum deliberatum consummatur, doctissimi Patres disertè docent. Hieronymus his verbis. *Qui viderit mulierẽ, & anima eius fuerit titillata, hic pro passione percussus est, quæ vitij culpam habet sed non tenetur in crimine. Si autem consenserit, de propassione transiuit in passionem: & huic non voluntas peccati est, sed occasio. Quicunque igitur viderit ad concupiscendum, id est, sic aspexerit vt concupiscat & facere disponat, iste rectè dicitur mœchatus esse in corde suo.* Hæc ille in com. in hunc locum. Eodem modo & S. Augustinus hunc locum exponit. *Si consensio facta fuerit, plenum peccatum est: veruntamen delectatio ante consensum vel nulla est vel tenuis, cui consentire peccatum est.* Hæc ille lib. 1. cap. 23. in hunc sermonem Domini. Præclarè quoque Chrysost. homil. 17. in Matth. & literalem loci sensum optimè assecutus ita scribit. *Non omnem hic generaliter concupiscentiam Dominus interimit, sed illam quæ ex formæ decore concipitur. Propterea non dixit, qui concupiuit ad adulterandum, quod etiam inter secreta montiũ residentes facere possunt, sed, qui viderit ad concupiscendum, id est, qui concupiscentiam videndi curiositate sibi ipsi collegerit; hoc enim iam nõ naturæ est, sed propria desidiæ. Cohibuit igitur aspectum, ne huiusmodi licentia fidens etiam in peccatum quandoque corrueres.*

Papistarũ nomine Patres suggillat Caluinus.

Cap. 1.

S. Hieron.

S. August.

S. Chrys.

Hæc

Hæc ille. Concupiſcentia igitur non animo leuiter concepta, ſed ex videndi curioſitate collecta, adulterium in corde eſt. Subiungit huic cauillationi Caluinus. *Sed nihil mirum eſt ita extenuari ab illis peccatum, quando ſocordes & prorſus ſupinos in vitiis ſuis reputandis eſſe oportet, qui iuſtitiam operum meritis attribuunt.* Cui reſpondemus: Nihil mirum eſt ab hæreticis hodie peccatorum diſcrimina confundi, & quę venialia ſunt ita aggrauari, quando ſocordes & prorſus ſupinos in peccatis deuitandis illos eſſe oportet, qui etiam minimas pūctiones, quæ vitari non poſſunt, pro mortiferis habent, & in bonis operibus nullam Chriſtiani hominis iuſtitiam ponūt. Interim obſeruet Lector (quod Caluino ſolenne eſt) Papiſtis obijcere, quod antiquiſſimi Patres docent: vt aut illos quoque pro Papiſtis habere debeat, aut ſtudio Lectorem ludificaſſe, aut denique quod ignorabat reprehendiſſe conuincatur.

Papiſtarū nomine Patres taxat Caluinus.

44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.*

CONtra Scholaſticam hoc loco doctrinam de dilectione inimicorū inflatis buccis inuehitur Caluinus. Eſt quippe communis Scholaſticorum ſentētia, & imprimis D. Tho. 2.2.q.25. art.8. & 9. dilectionem inimici in generali quidem, eſſe de neceſſitate charitatis & in præcepto; id eſt, vt in generalitate dilectionis proximi inimicus non excludatur; ſed habeatur pro proximo, non ſecus atque amicus aut ſanguine coniunctus; in quo Iudæi turpiter errabant, exiſtimantes per proximum non intelligi niſi amicum aut affinem, aut contribulem, eo quod vox hebraica רע vel רעה quæ ponitur pro proximo, propriè ſignificat amicum, aut aliquo neceſſitudinis vinculo coniunctum: vbi non aduertebant ipſum inimicum ſaltem naturæ, interdum etiam eiuſdem fidei ac religionis vinculo eſſe coniunctum: quem illorū errorem Chriſtus hic corrigere vult, docens præceptum dilectionis etiam ad inimicum ſe extendere. Docent nihilominus ijdem Scholaſtici dilectionē inimicorum in ſpeciali, id eſt, vt externa dilectionis ſigna, ipſóſque effectus quauis data occaſione proferas, non eſſe de præcepto, ſed de conſilio neceſſitate tamen aliqua vrgēte, in præparatione animi neceſſariam eſſe; id eſt, quod interna dilectio inimici talis eſſe debet, vt ſemper paratus ſis in aliqua neceſſitate etiam inimico ſubuenire, & de facto ſubuenias, quando facultas datur. Quia ergo aliquam di-

Inimicorū dilectio iuxta Scholaſticam doctrinam.

lectionis inimici partem in consilio ponunt Scholastici, non in præcepto, insurgit hic vehementer Caluinus, & dicit. *Monachi & similes rabulæ* (hæc est modestia Caluiniana) *finxerunt hæc fuisse Christi consilia, non præcepta, eo quòd hominum viribus metiebantur quid Deo & legi ipsius debeant.* Hæc ille. Nempe impius hæreticus vult Deũ præcipere nobis impossibilia, vt quum Dei mandata ostenderit esse impossibilia, ab illorum obseruatione securus viuat. Sed certum est sic intelligenda esse Dei mandata, quatenus à nobis cum auxilio gratiæ præstari possunt, ne vel ridiculum legislatorem, vel Dominum crudelem ac tyrãnum, Deum esse fingamus. Disputat tamen contra Scholasticorum sententiam Caluinus, in quo audiendus est. Sic scribit. *Quàm de consiliis præposterũ sit insulsũmque commentum primò inde patet, quia non sine Christi iniuria dicitur suasisse ipsum discipulis, nõ pro imperio mãdasse, quod rectũ erat.* Responde nullã esse Christi aut Dei iniuriam quædã suadere quæ recta sunt, & non mandare. Fatetur alibi Caluinus, *in lege nusquã præcipi vt omnia vendamus ac demus pauperibus.* Tamen vel Christus hoc suadet Matth 19. vel si aliquid mandat quod in lege non est, ergo nouus & vetus legislator Christus est; quod antea Caluinus negauit: & tunc sub præcepto omnes tenentur *sua vendere*, &c. Nugatur illo loco Caluinus, *saltẽ finem legis esse vt homines ad sui abnegationẽ deducat, ideóque Christum hoc illi iuueni dixisse, vt animi eius morbũ, videlicet amorem diuitiarum tangeret, sicq; ostenderet eum reuera legem non implesse.* Sed vt concedamus, contemptũ diuitiarũ etiam in lege præcipi, quatenus eo lex hominẽ deducit, an tamẽ finis aut intentio legis est, vt quicũque amant diuitias, omnia bona sua vendant, déntque pauperibus? Nihil hoc absurdius, quũ ad amorem diuitiarum extinguendum, tametsi earũ abdicatio esset necessaria, non tamen aut venditio aut pauperibus collatio necessaria foret, quum aliæ viæ ac modi sint eas à se honestissimè abdicandi, vt vel in Dei cultum, vel in Reip. commodum aut subsidium.

Dei mandata possibilia.

Infra ad cap. 19. ver. 20.

Caluinus à seipso refutatur.

Pergit Caluinus. *Deinde plusquã insulsum est, liberæ facere charitatis officia quæ ex lege pẽdent.* Respõdeo hoc esse petere principiũ in disputatione. Negatur enim omnia charitatis officia ex lege pẽdere, id est, à lege præcipi. Addit tertiò. *Dicẽdi verbũ quod denunciare vel præcipere hoc loco significat, perperã per consulere exponitur.* Respondeo dupliciter, primũ ad rem, postea ad hominẽ. Ad rem respõdeo, ponere quidem hic consilia Christum, sed simul cum præceptis. Præcipit enim

dilig.re

diligere inimicum & habere pro proximo. Quæ autem de officiis charitatis in particulari subiungit, *Benefacite ijs qui vos oderunt*, &c. in necessitate præcepta sunt, extra necessitatem consilia sunt, & perfectionis officia: quod Christi hoc loco conclusio manifestum fecit: *Estote ergo perfecti*, &c. Ad hominem respondeo, mendacem Caluinum non satis esse memorem. Si enim verbum *dicendi* præcipere hoc loco significat, ergo Christus hic præcepta dat, & legislator est, quod antea Caluinus negauit. *Caluinus à seipso refutatur.*

Dicit postremò Caluinus. *Disertè sanciri quod necessariò præstandum est, nullo negotio ex Christi verbis probatur, dum addit: Vt sitis filij Patris vestri, qui solem suũ facit oriri super bonos & malos. Quum disertè pronunciet non aliter quenquam fore Dei filium, nisi qui osores suos diliget, quis iam dicere audet nulla huius doctrinæ seruãdæ necessitate nos obstringi? Perinde enim est ac si dixisset, Quisquis censeri volet Christianus, inimicos diligat.* Dupliciter iterum respondeo: ad rem & ad hominem. Ad rem respondeo, planè necessarium esse vt diligantur inimici, si filij Dei esse volumus, sed eo modo quo iam explicatum est: contra quem diligendi modum nihil hoc argumentum facit. Ad hominem respondeo: si dilectio inimicorum necessaria est vt filij Dei simus, quod hic Caluinus fatetur; ergo sola fides nõ sufficit vt filij Dei simus, vt alibi semper Caluinus cum suis affirmat. Præuidit hanc suam contradictionem Caluinus, & vt ei occurrat, subiungit. *Neque tamen intelligas fieri nos beneficentia nostra Dei filios, sed quia Spiritus Dei, qui gratuitæ nostræ adoptionis testis est, arrha & sigillum, prauos carnis affectus charitati repugnantes corrigit, ab effectu probat Christus non alios esse Dei filios, nisi qui ipsum mansuetudine & clementia referunt.* Responde Christi verba longè amplius vrgere. Ait enim. *Vt situ filij Patris vestri*, ὅπως γένησθε υἱοὶ, vbi verbum γίνεσθαι idem valere quod εἶναι Beza notauit. Docet ergo hoc modo *fieri & esse filios Dei*, non hoc modo innotescere tales. Sanè dilectionem proximi non notam aut effectum, sed causam salutis esse, disertè D. Ioan. docuit, dicens: *Qui non diligit, manet in morte.* A contrario igitur sensu, vt negatio dilectionis est causa mortis, sic præsentia dilectionis est vna causa vitæ. Porrò Spiritus sanctus qui corrigit prauos carnis affectus charitati repugnantes, id est, qui facit nos diligere etiam ipsos inimicos, quæ enus hoc facit, non testis, sed causa & effector est ipsius charitatis in nobis. *Qui operatur omnia in omnibus.* Ita suam *Sola fides saluifica refutatur.* *In Annot. in hunc locum.* *1. Ioan 4.* *1. Cor. 12.*

repu

repugnantem doctrinam non minus frustra tuetur Caluinus, quàm Scholasticorum doctrinã improbè calumniatur, dum ita concludit. *Horribile sanè portentum quòd mundus tam densis tenebris per tria vel quatuor secula obrutus fuerit, vt non videret disertè iuberi, quod quisquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur.* Hæc ille. Videat hic & obseruet indifferens quisque lector. Caluinus vt falso calumnietur & acerbissimè perstringat Scholasticorum doctrinã, aggrauat præcepti vim & necessitatem salutis in eo retinendo. Vt suam impiam doctrinam de sola fide tueatur, simplex facit salutis testimoniũ & notam, quæ vna & necessaria eius causa est, etiam ipso attestante Caluino. Quis enim negare potest, necessariam salutis causam esse, *quam quisquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur*, vt ipsemet Caluinus loquitur. Hoc enim loquẽdi modo fidem ipsam necessariam causam salutis esse ex scripturis conuincimus. *Qui non crediderit, condemnabitur. Sine fide impossibile est placere Deo:* & multa huiusmodi.

Caluini manifesta contradictio & impostura.

Marc. 14. Hebr. 11.

IN MATTHÆI CAP. VI.

6. *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Merces bonorũ operum iusta.

CVVM in singulis bonis operibus mercedem à Deo reddendam Christus hic doceat, prius quidem negando illam hypocritis, vnde consequenter promittitur rectè operantibus, hic verò apertè dicendo, quòd Deus Pater reddet ac retribuet; Caluinus hoc loco totam Christi doctrinam in fauorem suæ hæresis manifestè deprauat his verbis. *Quum dicit Christus mercedem rependi precibus nostris, satis declarat, quicquid mercedis passim nobis Scriptura promittit, nõ tanquam debitum solui, sed gratuitum esse.* Hæc ille. Cæterum tametsi preces quidem nostræ non impetrant per modum iustitiæ, sed per modum misericordiæ id quod à Deo petimus, ideóque non debitum sed gratuitum est quod precibus nostris largitur Deus, vnde & absque iniustitia negat sæpè quod petitur; tamen mercedem quam hoc loco Christus promittit, & quam aliæ Scripturæ testantur, debiti & iustitiæ rationem habere manifestè
2.Tim.4. docet Paulus dicens, *Reddet mihi in illa die coronam iustitiæ iustus Iudex:* & non eam reddere iniustum esse idem Paulus
Hebr.6. docet: *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Hoc igitur in loco non ipsis precibus id quod petitur impetrari

trari (quod quidem gratuitum est) sed pio ac debito orandi modo Deum semper aliquid retribuere Christus docet: quod quidem iustitiæ est.

7. *Orantes nolite multum loqui.*

CAuillatur hic Caluinus more suo, & in totam Catholicam Ecclesiam his verbis inuehitur. *Damnatur eorum superstitio qui longis susurris Deum se promereri confidunt. Quo errore sic imbutum videmus esse Papatum, vt præcipua orationis virtus illic credatur esse loquacitas. Nam quo quisque plus verborum demurmurat, eo magis censetur exactè precatus esse.* Hæc ille. Sed impio calumniatori sanctissimus Augustinus respondebit, qui hæc Christi verba sic exponit. *Orare in multiloquio, non est, vt nonnulli putant, si diutiùs oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptũ est quòd pernoctauerit in orando, & quòd prolixius orauerit: vbi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum?* Et paulò pòst. *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis.* Hæc ille. Et aduertere Caluinus debuit Christum non simpliciter pohibuisse in orando multum loqui, sed addidisse, *Sicut ethnici.* Illorum enim oratio erat mera battologia, quo verbo Christus hic vtitur: id est, erat vana & incondita eiusdem rei repetitio, verbísque profanis à semetipsis inuentis sua idola inuocabant, vt sacerdotes Baal 3. Reg. 18. *à mane vsque ad meridiem.* Atqui Catholicorum longæ preces quæ ita fatigant hæreticos, ex diuinis Scripturis, maximè ex Psalmis Dauidicis deprompta sunt; & quicquid oratur, ex formulis ab Ecclesia Dei præscriptis oratur: quæ cum ethnicorum battologiis nihil commune habent. Denique Beza in Annotationibus ann. 65. editis suo Caluino contradixit, sic in hunc locum scribens. *Longæ preces hic non damnantur, sed quæ vanæ sunt, inanes, & superstitiosæ.* Idem verò Beza in eisdem Annotat. ann. 88. excusis, illa sana sententia prætermissa, hunc in modum cum Caluino sibi insaniendum putauit. *Battologiæ vera & vsitata exempla qui nosse volet, legat Romanensium Breuiaria, & horas quas vocant Canonicas, Rosaria, & infinita huiusmodi, quorum vel Satanam ipsum pudeat.* Hæc ille egregiè in peius proficiens: & ea iam seipso deterior euomens, quorum profectò vel ipsum Satanam pudeat: quum in Breuiariis & horis

Orationes Ecclesiastica defenduntur.

Epist. 121.

Luc. 6. & 22.

horis Canonicis diuinæ Scripturæ & alia ex probatissimis patribus decerpta multo maxima ex parte legantur: Rosaria Angelicam salutationem referant.

10. *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.*

QVia hæc petitio manifestè docet exactam legis ac voluntatis diuinæ obedientiam à nobis exigi (ideo enim docet nos Christus hoc petere quia Deus id à nobis fieri postulat) Caluinus hoc loco vt nefariam suam doctrinam de diuinæ legis plena obseruatione impossibili, ideóque nullam operum sed solius fidei iustitiam tueatur, hunc in modum sibi ipsi obiicit. *Posset* (inquit) *obijci quæstio, an petendum à Deo sit quod nunquam fore pronunciat vsque ad finem mundi. Respondeo nihil opus esse, dum terram obedienter componi optamus ad Dei nutum singulos homines excutere. Sufficit enim hoc voto testari, nobis odio ac tristitia esse quicquid Dei voluntati aduersum cernimus, extinctumq; cupere: non modò vt omnium affectuum nostrorum sit moderatrix, sed vt nos totos qua decet promptitudine ad eam implendam offeramus.* Hæc ille. Sed primum mentitur Deum pronunciare nunquam fore vsque ad finem mundi, vt sua voluntas in aliquo impleatur. Pronunciauit enim Deus contrarium de Dauide, dicens: *Inueni* (*Act.13.*) *Dauid virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Non quòd Dei voluntatem nunquā violauit, qui sæpe & grauiter peccasse legitur, sed quòd rarius peccans debita pœnitentia satisfecit: in quo etiam Dei voluntas fit, sicuti & in cælo facta est quum peccātes Angelos iustè puniret. Quod (*Impostura Caluini refellitur.*) autem Caluinus ait, *non esse opus excutere singulos homines*, si talis euasio locum habet, ergo & in reliquis petitionibus locum habere debet; maximè in eo quod dicitur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hic iuxta Caluinum non sunt excutiendi singuli homines, an verè dimittant debitoribus suis, vt illis dimittat Deus peccata sua. Cæterum sicut hoc singulos concernit, & possunt singuli dimittere debitoribus suis, planéque singulis necessarium hoc est, vt in sequētibus verbis Christus docet, nec sufficit *voto testari* (vt nugatur (*Singulos præcepta concernūt.*) Caluinus) *nobis odio ac tristitia esse*, quòd debitoribus nostris non dimittimus; eodem planè modo vt voluntas Dei in omnibus fiat à nobis, singulos concernit; & possunt singuli per Dei gratiam eius voluntatem implere, planéque necessarium hoc est singulis, suam in omnibus voluntatem diuinę volun

voluntati conformare, nec sufficit hoc voto testari, aut odio ac tristitiæ illis esse quòd Dei voluntatem in omnibus non faciunt. Non enim hoc perfectionis est, sed necessariæ rectitudinis. *Dei enim voluntas sanctificatio nostra est*, quam omnes in baptismo acceptam seruare possunt & debent. Dei voluntas est, vt eius mandata faciamus. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Quid est diuinam Scripturam, & vniuersa Dei mandata corrumpere, peruertere, inania & irrita reddere, si hoc non est? 1. Thess 4. 1. Ioan. 5.

12. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

HAnc quoque Scripturam nefariè corrumpit Caluinus, & pactum atque conditionem à Christo appositam audacissimè conuellit, quia talem conditionem suæ soli fidei iustificanti ex diametro repugnare videbat. *Venia* (inquit) *quam nobis dari petimus, ab ea quam præstamus alijs non dependet: sed hoc modo ad remittendas omnes offensas hortari nos Christus voluit, & simul absolutionis nostræ fiduciam quasi impresso sigillo melius ratam facere.* Hæc ille. Vult homo impius charitatem proximi & mutuam ignoscentiam non aliquam esse conditionem remissionis peccatorum necessariam, sed ad eam tantum hortari nos Christum quasi ad certam notam filiorum Dei, vt in sequentibus magis explicat, quam hic *sigillum impressum* vocat. Cæterum sequentia statim Christi verba aliam illum cantilenam canere coëgerũt. Ad illa enim sequentia verba, *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis debita vestra*, ita scribit Caluinus. *Non alia lege ad veniam nos admittit Deus, nisi fratribus ignoscimus quicquid in nos peccauerint.* Hæc ille. Si ergo lex hæc est sine qua Deus non remittit peccata, profectò obligat tanquam necessaria conditio; & venia à Deo danda dependet ab ea quam proximis præstamus, nec nota tantum est aut sigillum aliquod factæ aliunde remissioni accedens, sed vna causa sine qua non fit remissio, & ad illam faciendam disponens: denique non est exhortatio tantum ex parte Christi, sed planè præceptum, vt alibi frequenter inculcat. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* Notanda est hæc perpetua hæreticorum tergiuersatio, qua omnes scripturas depravãt quæ contra solam fidem iustificantem faciunt. Reluctatus est hic Caluinus quantum & quàm diu potuit. Sed in proxima sententia, euidentia veritatis conuictus, veritatem profiteri, sibíque ipsi contradicere cogitur.

Pactum à Christo positum conuellit Caluinus.

Ignoscẽtia mutua ad remis. peccat. necessaria.

Caluinus seipsum refutat.

Ioan. 15.

Hæreticorum tergiuersatio.

17. *Tu quum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem laua.*

IEiunium hoc loco à Christo ab hypocrisi reuocatum, mirabili metamorphosi, ad victus moderationem à lautitiis & deliciis reuocatam transfert Caluinus. Sic enim in hæc verba scribit. *Non iubet Christus simulare lautitias, nec indulget delicias in vnguentis & vestitu, sed simpliciter nos hortatur ad tenendam moderationem, in qua nihil sit vel nouum vel affectatum: ac si diceret ita ieiunijs vacandum esse, vt in consueta vitæ ratione nihil mutemus.* Hæc ille. Ieiunium definit, victum moderatum & consuetam vitæ rationem tenere, nihil in ea mutando. Quod autem iubet Christus, *faciem vngere, & caput lauare*, hoc nec ad victum nec ad vestitũ pertinet, vt somniat Caluinus, sed tantum ad externum corporis cultum, in quo nihil mutare nos Christus vult. Ieiunium autẽ si nihil nisi moderationem victus significat, vt Caluinus cæterique hodie hæretici volunt, ergo Apostoli & discipuli Christi moderationem victus non tenebant, quia Christum sequentes *non ieiunabant sicut discipuli Ioannis* frequenter. Ergo & Paulus quum inter cæteras tribulationes & exercitia dicit, *In ieiunijs multis*, intelligendum est dixisse: Multoties moderatum victum tenui, aliàs verò & frequentius in lautitiis & deliciis vitã egi. Ergo Prophetæ & Doctores illi Antiocheni, *qui ieiunantes & orantes imposuerũt manus Paulo & Barnabæ*, intelligendi sunt tunc quidem moderationẽ victus tenuisse, & de consueta vitæ ratione nihil mutasse, aliàs verò lautitiis & deliciis ac genio indulsisse. Sed nihil est Caluiniana doctrina aut absurdius aut impudentius. Vide plura in Prompt. Catholici parte Quadragesimali, in feria 4. Cinerum.

Ieiunium Caluino victus moderatus.

Luc. 5.

2. Cor. 11.

Act. 13.

18. *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

HÆc etiam Christi verba arrodit Caluinus. Sic enim scribit. *Quòd ieiunijs mercedem à Deo promittit Christus, impropria locutio est, vt supra de precibus dictum est, Ieiunium enim per se opus medium est, non autem ex eorum genere quæ Deus requirit & probat, vt sunt eleemosynæ.* Hæc ille. Scilicet quæ hæreticorum placitis in Scriptura repugnant, impropriè dicuntur. Sed quum Christus eisdem verbis ieiunio mercedem promittat, quibus antea precibus promiserat; manifestũ est non minus propriè hoc loco Christum loquutum esse quàm

Ieiunium opus Deo gratum.

quàm in alio loquutus fuerat; & ieiunium inter opera pietatis quæ probat,& à nobis requirit,nõ minus posuisse quàm preces & eleemosynam. Quum Christus dixit de suis discipulis, *Quando sponsus auferetur, tunc ieiunabunt*, nónne apertè docet ieiunium à se probari atque requiri, adeóque in genere iuberi? Est quidem ieiunium per se medium opus nisi ad honestum aliquem finem referatur. Sed inter alios fines vnus hic est, quem Caluinus hoc loco prætermittit, vt in Dei cultum atque obsequium assumatur. Disertè enim testatur Scriptura Deum ieiunio coli. De Anna prophetissa quæ Christum paruulum in templo confitebatur, dicit Lucas. *Non discedebat de templo ieiunÿs ac obsecrationibus seruiens Deo die ac nocte.* Vtitur verbo λατρεύουσα, quod propriè significat cultum soli Deo debitum. Vide Prompt. Cath. Dom. infra Oct. Natiu. Domini, text. 2. Tenenda interea Christi doctrina manifesta; ieiuniis à Deo mercedem reddi, ideóque opus esse mercede dignum & Deo gratum: nec impropriè Christum loqui, sed loquendi formulas optimè tenuisse: impium verò esse Caluinum, qui Christum impropriè loqui docere præsumit.

Matth. 9, 15.

Luc. 2.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidũ erit.

Indulget hoc loco Caluinus stomacho suo, & Catholicam doctrinam taxandi libidini. *Quod* (inquit) *hinc colligunt Papistæ pollere ratione & prudẽtia homines, vt libera sit illis boni & mali electio, friuolum est.* Equidem qui vnquam Catholici ex his verbis hoc collegerint, necdum inuenire potui. Sed esto: fuerint tales qui ad id quod rectissimæ fidei erat, hanc Scripturam tametsi minus aptè accõmodauerint, sicuti doctissimos Patres facere solere suprà annotauimus. Quare friuolum erit? Neque enim Christus (ait Caluinus) *qua facultate prædıti sumus hoc loco disserit, sed quo modo nos ambulare deceat, vt scilicet in certum aliquem scopum simus intenti.* Atqui quũ hoc ipsum ambulare vt decet, & in certum scopum actiones suas dirigere, facultatẽ huiusmodi necessariò præsupponat ac requirat, qua liberè & cum electione id fiat (nisi etiam bruta quæ electione carent, aut ambulare vt decet, aut in certum aliquem scopum suas actiones dirigere, cõtra omnem humanam ac diuinam sapiẽtiam dicere velit Caluinus) profectò Christus, qui effectum hic docuit, causam quoque huius effectus, fontem & originem designasse negari non debet. Imò addit Caluinus. *Humanæ vitæ cursum ideo tenebrosum esse docet Christus, quia nemo sibi rectum finem proponat, sed omnes sibi ad malum cupidè sectandum indulgeant.* Si omnes

Libera boni electio.

ita facere, & neminem sibi rectum finem proponere Christus docet, quare duo membra Christus posuit, vnum eorum *quorum oculus simplex & totum corpus lucidum erat*, alterum eorum *quorum oculus malus* seu vitiosus, *& totum corpus tenebrosum?* An non Christo disertè contradicit Caluinus, qui non nisi vnum membrum agnoscit, non nisi totum corpus tenebrosum, & nullum corpus lucidum, quia omnis oculus malus & nullus simplex est? Sic videlicet Christi doctrinam Caluinus exponit, vt Christo manifestè contradicat, vt vnam doctrinæ Christi partem de oculo simplici & toto corpore lucido, falsi arguat.

Caluinus Christo contradicit.

Subiungit adhuc Caluinus. *Fateor quidē natura ingenitam esse hominibus rationem qua discernant inter vitia & virtutes: sed ita peccato vitiatam esse dico, vt ad singulos passus deficiat. Interea non sequitur quin tenebras sibi sponte accersant homines.* Hæc ille. Cæterum si sic peccato vitiata est ratio, vt ad singulos passus deficiat, quare Christus sub conditione ponit, *Si oculus tuus malus est*, & non potius definitè ac generaliter affirmat, *Quia oculus tuus malus est.* vel, *Quia oculi omnium hominum mali sunt?* Sic enim generalis illa humanæ naturæ vitiatio quam Caluinus ponit. ex huiusmodi propositionibus aliquo modo consequi posse videretur. Nunc autem Christus sub conditione loquens satis innuit nec omniū oculos malos ac corpora tenebrosa esse, nec quorum tales oculi sunt necessariò, sic esse, sed cōtingenter liberaq; cuiusque electione. Quod magis confirmatur ex eo quod Lucas cap. 11. Christū adiecisse cōmemorat. *Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.* Perspicuè enim docet, in hominum potestate esse, vt rationis ingenitæ lumen à peccati tenebris coërceant. Quod autem Caluinus humanæ rationi hoc tantum tribuit vt discernat inter vitia & virtutes, & arbitrandi libertatē habeat, sponteque feratur in id quod discernit faciendum; nihil adhuc amplius hominibus tribuit quàm brutis, quæ & discernunt paruulos suos ab alienis, nota ac domestica ab extraneis dominos suos, habi acula ua, denique pascua bona à malis, sponteq; circa hæc omnia nō coactè feruntur. Naturæ autem per peccatū corruptio quòd peccandi libertatē non auferat, vide prolixè disputatū in opere nostro de Iustificatione lib. 2.

Ratio humana in singulis nō peccat.

24. *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

PEstilentem doctrinam & Christi verbis aduersa fronte contrariam tradit hoc loco Caluinus, vt peccandi necessitatem

ſicatem & mandatorũ Dei impoſſibilitatẽ perpetuò tueatur. Sequitur quippe ex hac Chriſti doctrina, eos qui Deo ſeruiũt, nec diabolo nec carni ſeruire poſſe, ideóque à ſeruitute & neceſſitate peccati immunes eſſe, atque ita veram legis obedientiam, qua ſoli Deo ſeruitur, in hac vita reperiri. Vidit hoc Caluinus, & Chriſti propterea doctrinam contaminandam ſibi eſſe exiſtimauit. Ait ergo. *Verum quidem eſt, fideles ipſos nunquam ita in ſolidum addictos eſſe Dei obſequio, quin retrahantur ſubinde vitioſis carnis cupiditatibus. Sed quia gemunt ſub hac miſera ſeruitute, ſibiq; diſplicent, nec aliter carni ſeruiunt, quàm inuiti & reluctantes, non dicuntur duobus Dominis ſeruire, quia proinde probantur eorum ſtudia & conatus Domino, ac ſi illi integram obedientiam præſtarent.* Hæc ille. Ait fideles ſeruire carni, & miſeram ſeruitutem ſeruire; ſed quia inuiti ſeruiunt, id eſt, iuxta Caluinum *neceſſariò, propter vitiatam naturam quæ ad ſingulos paſſus deficit*, vt ſuprà dixit, ideo nõ ſeruire duobus Dominis. Totus hic ſermo aut Chriſto apertè contradicit, aut implicat contradictionem in adiecto. Si enim fideles ſeruiunt Deo & ſeruiunt carni, Deo autem & caro duo ſunt Domini, vtique aut duobus Dominis ſeruiunt, quod fieri poſſe negat Chriſtus, aut carni non ſeruiunt, ſed ſoli Deo. Cæterum Paulus apertiſſimè docet pios ac fideles non ſeruire carni, ſed legi Dei. *Mente* (inquit) *ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.* id eſt, mea ſuperior ratio, tota voluntas mea atque intellectus legi Dei ſeruit: carne autem, id eſt, inferior appetitus meus ſeruit legi peccati, id eſt, malis concupiſcentiis afficitur ac ſubiicitur, quibus ſemper animus reluctatur. Deinde ſeruire carni, eſt ſecundum carnem ambulare. Atqui Apoſtolus dicit. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Fideles ergo, vt Deo viuant non ſeruiunt carni. Dicit D. Petrus. *A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Fideles ergo Caluiniani ſi carni ſeruiunt, à carne ſuperantur, & ſecundum carnem ambulant. Dicit Chriſtus. *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Sic qui facit opera carnis ſeruit carni. Fideles ergo Caluiniani ſi carni ſeruiunt, opera carnis faciunt, *quæ qui faciunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Dicit iterum B. Paulus. *Neſcitis quoniam qui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam?* Fideles ergo Caluiniani ſi ſeruiunt carni, exhibent ſe ſeruos ad obediendum ei, & ſerui ſunt peccati ad mortem. Non exhibent ſe ſeruos, ait Caluinus, *ſed inuiti & reluctantes ſeruiunt.* Sic qui-

Studium & conatum bonum, ſed inefficacem ponit Caluinus.

Rom. 7.

Rom. 8.

2. Pet. 2.

Ioan. 8.

Gal. 5.

Rom. 6.

dem ille loquitur, sed aliter nos Scriptura docet, neminem seruire peccato nisi volentem, & qui seipsum seruū exhibet.
Osee 13. 9. Quod vnicus ille Dei sermo probat: *Perditio tua ex te Israel*, id est, ex tua propria & praua voluntate. Denique si inuiti & reluctantes seruiunt, fortior est diabolus quàm Christus. Quòd enim reluctantur, ex Christi gratia est; quòd seruiunt,
1. Ioan. 3. ex diabolo est. Sed credimus Scripturæ dicenti. *Maior est qui in vobis est, quàm qui in mundo est. Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum.*

IN MATTHÆI CAP. VII.

1. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

QVVM hęc Christi verba de Dei iudicio, iuxta omnium Patrū & totius hactenus Ecclesiæ iudicium intelligi debeant, superbus Caluinus reiecto ex-
SS. Patrū expositio defenditur. pressè Patrū iudicio, hæc verba sic exponit. *Quòd Chrysostomus & alij quidam* (sunt autē omnes ad vnū in hunc locum interpretes Hilarius, Hieronymus, Augustinus lib. 2. de serm. Domini, Euthymius, Theophylactus, & cæteri) *ad futuram vitam ista restringunt, coactū est. Quemadmodū enim minatur Esaias prædæ futuros qui alios prædati fuerint, ita intelligit Christus non deferre vindices qui homines iniquos & maledicos simili virulentia & rigore puniant.* Atqui pro constanti Patrum hoc loco doctrina responde, nec de virulentis & maledicis Christum hic loqui, sed tantummodo de iudicio temerario vel vsurpato vel maleuolo, quod totū absque maledicentia & virulentia externa solo animo exerceri potest, soléque frequentius; nec hæc iniqua iudicia ab hominibus puniri solere, quū aut vix hominibus innotescant solo animo inclusa; vel si innotescāt, puniri semper aut non possunt mali, quia deest facultas par pari reddendi; aut certè non debēt pij, quia iubentur à Christo nō *resistere malo, sed vincere in bono malum*. Iuxta Caluinum ergo hoc loco Christus doctrinam
Caluini expositio aut profana aut impia. traderet aut planè humanā atque vulgarem, docens quid impij homines facere solent seipsos vindicādo; aut Christianæ charitatis præceptis contrariam, docens suos vt homines maledicos atque iniquos simili virulentia ac rigore puniant. Quorum hoc à nullo pietatis magistro doceri debet, illud Christo cælesti magistro penitus indignum est. Locus ex Esaia prolatus nihil ad rhombum facit, nisi hoc valeat argumen-

rhentum: Deus aliquãdo minatur pœnam temporalẽ impiis, ergo hoc in loco non loquitur de pœna futuri seculi. Sed vnus Paulus docere Caluinum debuit, quo sensu Christus dixerit, *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Ille enim de hoc temerario & vsurpato ac etiam maleuolo iudicio disputans, ait. *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neq; meipsum iudico. Qui autẽ iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, &c.* 1. Cor. 4.
Prohibet omne humanum iudiciũ, quia expectandũ est diuinum, manifestè docens, eos qui hic temere iudicant, à Deo rigidè iudicandos: iuxta illud Iacobi: *Iudiciũ sine misericordia ei qui non fecit misericordiam,* id est, qui fratres suos iniquè iudicauit. His accedit, quòd iniqui aliorum iudices in hac vita ab aliis non semper, imò rarissimè iudicantur. Dei ergò iudicium tales subibunt. Hoc ità euidens est, vt ipse Caluinus dissimulare non potuerit. Quare subiungit. *Quòd si cessabunt homines, vt pœnam effugiant in mundo, qui damnandis fratribus nimis intenti fuerunt, non tamen effugient iudicium Dei.* Iac. 2.
Hæc ille. Quare igitur Chrysostomum & alios Patres, qui ad Dei iudicium in altera vita ista restringũt, de sensu coacto coarguit; nisi quòd petulans hæreticus & veteres Patres contemnere, & Christi verba insulsissimo ductus argumento deprauare voluit? Caluini petulantia singularis.

15. *Attendite vobis à pseudoprophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.*

Titillauit hic locus Caluinum vehementer, & perstrictum se sentiens, in hæc verba prorumpit. *Nimis putidi sunt Papistæ, qui conflandæ nobis inuidiæ causa illam Christi vocem præcisè iactant, à pseudoprophetis cauendum esse: ac suis clamoribus efficiunt, vt imperiti causa incognita temere à nobis abhorreant.* Et paulò pòst. *Nimis improbè Christi mandatum abrogant Papistæ, qui iniecto falso metu miseras animas ab inquisitione deterrent. Sit igitur hoc primum, eos qui trepidando incognitam doctrinam respuunt, vel fugiunt, perperam hoc & minimè ex Christi mandato facere.* Hæc lupus ille, vt oues Christi à trepidatione & metu lupi reuocet, & ad inquisitionem nouæ doctrinæ adducat. Nihil quippe magis displicet lupo, quàm trepidatio ouium, & quòd tam citò fugiunt ab eo. Atqui Christus Pastor noster fugere Caluinus lupũ agit.

Ioan.10.

docuit à lupis,non cum illis disceptare. *Oues* (inquit) *Pastorem sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* Atqui (inquit Caluinus) *iudicium de pseudoprophetis à fructibus eorum facere iubet Christus. Inquirenda igitur & discutienda doctrina eorum est, non ipsi fugiendi sunt.* Hæc iterum lupus ille, hæreticorũ patrocinium egregiè

Caluinus hæreticorum patronus.

suscipiens. Cæterum Christus ad Apostolos quidem & magistros Ecclesiarum hæc verba dicit, *ex fructibus cognoscetis*, vt illi in eos diligenter inquirant. *Oues autem* & simplicem populum *fugere* iubet, nõ inquirere. *Imò* (inquit Caluinus) *discretionis spiritu, vbi opus est, nunquam destituũtur fideles, qui modo sibi diffisi, & proprio sensu valere iusso, totos se illi regendos tradunt.* Atqui meminisse Caluinus debuit discretionem spi-

Discretio spirituum non est donum populare.

1.Cor.12.

rituum non esse vulgare donum aut fidelibus commune, sed paucorum, iuxta illud Pauli, *Alij discretio spirituum, alij genera linguarum.* Deinde hoc donum discretionis spirituũ esse proprium magistris & doctoribus Ecclesiarum. *Non enim omnes Prophetæ, non omnes Doctores*, quorum est de doctrina iudicare. Tertiò iudicium quoddam discretiuum esse sanè penes fideles circa ea quæ sunt fidei, sed hoc iudicium in generali tantùm esse, non in particulari. Nempe vt facilè discernant, an doctrina quæ affertur, noua sit, & præter eam quam acce-

Gal. 1. Præter id quod accepistũ. Ioã. Si quis hãc doctrinam non affert. Act.15.

perunt: vt sic eam fugiant ac detestentur: sicut Paulus ad Gal. 1. & Ioan. epist. 2. docuerunt. Non autem vt doctrinam in particulari ex causis & fundamentis suis examinẽt, vt sic proprio iudicio discutiant, quid verũ, quid falsum sit: quod propriũ est Ecclesiarũ magistris, vt in prima de fide controuersia factum vidimus. *Conueneriũt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.*

Addit adhuc Caluinus. *Interea meminerimus ad verbum Dei exigendas esse omnes doctrinas: & ideo in iudicandis pseudoprophetis fidei analogiam dominari.* Hæc quidem vera sunt:

Euasio de verbo Dei impertinens.

sed nec verbum Dei sola Scriptura est, vt hic Caluinus accipit; nec hoc verbum Dei vulgus fidelium tam exactè intelligit; vt de quauis noua doctrina ex verbo Dei atque ex causis & fundamentis suis iudicare possint; denique fidei analogia dominatur, quatenus nulla noua doctrina recipienda est, quæ analogiæ fidei, id est, receptæ iam & approbatæ in Ecclesia fidei repugnet; quod contra omnes nouas doctrinas adeóque Caluinum ipsum fortissimum argumentum est. Adeò volens esse legis Doctor nescit quæ loquitur, neque de quibus affirmat, estque hæc euasio de verbo Dei planè impertinens.

Addit tertiò Caluinus. *Deinde spectandum est quid Deus*

Prophe

Prophetis suis verbique ministris iniungat: quia inde fidelitas facilè dignosci poterit. Sed hoc totum & quid sit Pastoris officium, non oues ipsæ & vulgus fideliũ, sed alij Pastores & tota Pastorum communitas, vel maximè Princeps ipse Pastorum, Christi in terris Vicarius, iudicare & cognoscere debẽt. Alioqui nulla esset in Christi Ecclesia sacra Hierarchia, sed planè prophana & ethnica anarchia. Sed exemplo rem illustrare Caluinus vult. *Quemadmodum, exempli gratia, si nobis proponimus quæ Paulus in Episcopis requirit. sola illa descriptio ad damnandam totam Papatus colluuiem sufficit, quia vidẽtur data opera Papales sacrifici contrariam ideam velle exprimere.* Dixit, & abiit. Nam post tam atrocem calumniam in vniuersam Catholicæ Ecclesiæ Hierarchiam, ne vno quidem verbo in particulari docet, quomodo descriptio Episcopi Paulina violata sit. Cauillator impotẽs calumniæ suæ simpliciter assertæ credi vult. Descriptio Apostolica Episcopi in eo fortasse à Catholicis Episcopis negligitur, quia non est nunc ampliùs Episcopus *vnius vxoris vir*, sed cælibem vitam agit. Sic opinor. Nam & sic ad illum Apostoli locum garrit Caluinus: cui ad eundem locum respondimus.

Caluinus criminator generalis.

In Antidotis Apostolicis.

21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.*

QVum hæc Christi verba pro bonorum operum ad salutem necessitate euidentissime faciant, nec Caluinus vllo honesto fuco ea eludere se posse cerneret, veritatem tamen ipsam agnoscere noluit, sed totis ingenij viribus reluctans ita demum scribit. *Facere voluntatem Patris, nõ tantum significat Philosophicè vitam & mores suos ad virtutum regulam formare, sed etiam credere in Christum, sicut habetur Ioan. 6. 40. Nõ ergo his verbis excluditur fides, sed quasi principium statuitur vnde reliqua fluant.* Hæc ille, callidè & astutè multa venena non tam apertè fundens quàm clanculum instillans. Primum 1. enim *Philosophicè ad virtutum regulam mores formare*, nihil prorsus ad hunc locum pertinet, neque hoc est *facere voluntatem Dei Patris*. Sed facere volũtatem Dei Patris, est facere ea quæ præcepit nobis Deus Pater in diuinis Scripturis suis, & propter Deum illa facere; non ea facere quæ Philosophi in suis ethicis disputarunt solo virtutis amore. Sed voluit impius Caluinus omne bonorum operum studiũ, quod Christus

Impostura Caluiniana.

hic imprimis commendat, quasi humanam tantum & Philo-
2. sophicam iustitiam traducere. Deinde quod addit, *facere voluntatẽ Patris.* hoc loco significare, vt credamus in Christũ, quia 6. Ioan. dicit Christus; *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, vt omnis qui videt Filiũ, & credit in eum, habeat vitam æternam,* dupliciter falsum, & pariter fallaciter dictũ est.
Volũtatem Dei facere, quid. Christus enim hoc loco, facere volũtatem Patris ab ipso credere manifestè distinguit, & de iam credentibus loquitur.
Rom. 10. (*Quomodo enim inuocabũt* dicentes, *Domine, Domine, in quem non crediderunt?*) vt non solum credant, non solum per fidem suam Dei nomen profiteantur dicẽtes, *Domine Domine, in nomine tuo prophetauimus,* sed etiam prætcrea faciant voluntatem Patris, id est, bonis operibus operã dent. Nã idcirco eos qui voluntatem Patris non fecerunt, manifestè statim vocat, *operarios iniquitatis.* Deinde Christus Ioan. 6. ver. 40. nõ dicit nos facere voluntatem Patris credendo (tametsi hoc verum sit) nec de facienda volũtate Patris omnino loquitur, sed ait, voluntatẽ Patris in hoc esse, Deúmque in hoc suam facere voluntatẽ, *vt omnis qui credit, habeat vitam æternam,* vbi vnã causam salutis æternæ posuit, sicuti hoc loco aliã ponit. Totum autem hoc à Caluino fallaciter & per insignẽ imposturã ita dicitur, vt simplici lectori insinuet, fidei necessitatem, non autem bonorum operum, à Christo inculcari. Quod adhuc eius conclusio magis manifestum facit, qua dicit *fidẽ his verbis non excludi:* quod sanè de toto Christi sermone verũ est, quia præsupponitur à Christo, & iam credentibus loquitur
3. Christus. In illis tamen verbis, *facere voluntatem Dei Patris,* de quibus nunc disputat Caluinus, fides non intelligitur nec includitur, quod insinuare voluit Caluinus, quum addit, *fidem hic quasi principium statui vnde reliqua fluant.* Verum sanè hoc est de toto Christi sermone: *Nõ omnis qui dicit mihi Domine Domine:* hoc ipsum enim est credere in Christum & fidem habere: & hæc omnium bonorum operum radix ac fundamentum est. Sed non est hoc verum de illis verbis, *Qui facit voluntatem Patris mei*, quæ nunc tractat Caluinus. In his enim verbis non statuitur fides, sed statuitur mandatorum Dei obseruatio ad salutem necessaria. *Facere enim volũtatem Dei Patris,* est facere & obseruare ea quæ Deus iubet, vt suprà ostensum est. Ita Caluinus quia aperto marte tam illustrem doctrinam, quam nullo modo humiliter amplecti & credere voluit, impugnare non potuit, cuniculos egit, vt veritatem subuerteret.

24. *Omnis*

24. *Omnis qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra firmam petram.*

QVum hæc etiam verba ad pietatis studium ac diuinæ legis obseruantiam penitus necessariam perspicuè faciant, & non tantum credere (quod hic Christus vocat *audire*, vtique non aure corporis, sed aure cordis) sed & *facere* doceant, Caluinus totum ad vnicam fidem trahit. Sic enim hæc verba exponit. *Perinde est ac si dixisset veram demum esse fidem, quæ profundas habet radices in corde, & serio constantique affectu quasi fundamento nititur vt tentationibus non cedat.* Hæc ille. Qui Caluini portentosam doctrinam; *de vnica piorum fide*, quam semel acceptam amitti non posse sustinet, & de eius radicibus planè immotis legerit, facilè intelligit Caluinum hoc loco per firmam petram, super quam fundata domus nullis tentationibus deijcitur, nihil aliud intelligere, quàm *specialem suam fidem electis propriam*, quam nullis diffidentiæ tentationibus vtcumque sæpius agitatam conuelli, aut loco moueri posse præsumit. Christus autem vt in præcedenti sermone, sic in ista similitudine, (quam idcirco subiunxit, vt præcedentem doctrinam magis illustraret) per eum qui audit, credentem; per eum qui facit, mandata Dei custodientem sic intelligit, vt qui vtrumque hoc facit, eum demum super firmam petram suam domum ædificare doceat; id est, firmum atque immobile salutis ac status sui fundamentum habere, quod nullæ tentationes deijciant. Aedificari ergo supra firmam petram, non est solam fidem radicitus tenere, (hanc enim habet qui audit Christi verba & non facit ea) sed est fidem habere *in charitate radicatam & fundatam*, vel *quæ per dilectionem operatur*, vt Apostolus disertè docuit. Hæc contra corruptelas hæreticas rectè intelligenda & diligenter tenenda sunt.

Operum bonorum necessitas.

Institut. li. 3. cap 2. num. 9. & seqq.

Ephes. 3. 17. Gal. 5. 6.

IN MATTHÆI CAP. VIII.

2. *Domine, si vis, potes me mundare.*

CVM hæc verba cõtra certitudinem fidei de præsenti salute & futura gloria, quam omnibus suis & precibus & actionibus adesse volunt Caluinistæ, manifestè faciant (hic enim leprosus sine vlla tali certitudine, imò dubitanter loquens quoad Christi voluntatẽ erga se in particulari, mundatur tamen à Christo, & optatam

Certitudo Caluiniana refellitur.

ſanitatem conſequitur) aduerſus hoc argumentum ſic cauillatur Caluinus. *Quòd ſub conditione loquitur hic leproſus, Domine, ſi vis, non pugnat cum ea fidei certitudine quam Deus in precibus noſtris exigit. Neque enim plus ſperare debẽt homines quàm Deus promittat. Leproſus autẽ nullo Dei oraculo vel promiſſione certior factus erat quidnã facturus erat Chriſtus.* Hæc ille, cui vno verbo reſpondeo, nec ipſos Caluiniſtas aut vllos fideles vllo Dei oraculo vel promiſſione certiores factos eſſe, quidnam illis in particulari facturus ſit Chriſtus. Leproſus iſte non dubitauit in genere de Chriſti bonitate, magis quàm de potentia, (alioqui Chriſtum non rogaſſet) ſed quia in particulari nullam promiſſionẽ acceperat, ſicuti nec alius quiſpiam in verbo Dei accepit, proptereа propter ſuam indignitatem merito dicit, & nos omnes dicere debemus, *Domine, ſi vis*: certitudine illa Caluiniana, tanquam impia præſumptione, prorſus reiecta.

4. *Vade, oſtende te ſacerdoti.*

ARroganter hoc loco contra Catholicos inſurgit Caluinus his verbis. *Chriſtus mittens leproſum ad ſacerdotem, ritus in lege præſcriptos vſque ad tempus abrogationis ſeruare iubet. Quod hinc confeſſionis ſuæ legem eliciunt Papiſtæ, in eo ſunt inſulſi. Lepram allegoricè volunt eſſe peccatum: Sacrificos autem quos Papa inaugurat, ſpiritualis lepræ eſſe cognitores. Vt demus in lege ſacerdotibus hanc poteſtatem ideo datam eſſe vt ſciret populus totam ſuam munditiem eiúſque iudicium pendere à ſacerdotio, impiè tamen hoc ad ſe rapiunt ſacrifici Papales. Quicquid enim honoris datum erat antiquis ſacerdotibus, nunc vnus Chriſtus ſibi vendicat.* Hæc ille. Sed quicquid homo impius contra præſentes Catholicos deblaterat, hoc totum in doctiſſimos & antiquiſſimos Patres redundat; quos huic hæretico meritò opponemus. S. Chryſoſtomus ita ſcribit. *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat. At vero noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Hæc ille. Vide Bedam libro quinto cap. 68. in Luc. & Auguſtinus qq. Euangel. libro 2. quæſt. 40. Vnica ratio quam adfert Caluinus, ex ipſo Caluino refellitur. Si enim *quidquid honoris antiquis ſacerdotibus datum erat, vnus Chri-*

Papiſtarũ nomine antiquiſſimos Patres Caluinus taxat.

Sacerdotes peccata purgant. De ſacerdotio lib. 3.

Caluinus à ſeipſo refutatur.

Christus sibi vendicat, & tamen illis hanc potestatem datam fuisse Caluinus agnoscit, *vt sciret populus totam suam munditiem eiusq́; iudicium pendere à sacerdotio*: profectò falsum erit quod postea hoc loco Caluinus subiungit,& omnes hodie hæreticorum scholæ sustinent, *ex Christi mandato suam peccatoribus munditiem pronũciare Euangelij ministros.* Iam enim inuenit ipse Caluinus, non vnum Christum sibi vendicare quicquid honoris antiquis sacerdotibus datum erat, sed omnes Euangelij sui ministros hoc honore, idque ex Christi mãdato, gaudere, quòd suam peccatoribus munditiem pronunciant:qui sanè honor antiquis sacerdotibus in figura tantum datus erat,circa lepræ mũditiem pronunciandam. Cæterum non vnum Christum omnem sacerdotalem honorem sibi vendicare, sed pro sua dignatione & perpetua Ecclesiæ suæ conseruatione,sacerdotibus Euangelicis magna ex parte impartiisse,tota SS. Patrum antiquitas contra impiũ Caluinum docet. Vide illorum verba in Promptuar.Cath. in dom.in Albis. Vnus Chrys. apertissimè loquitur. *Pater* (inquit) *omne iudicium dedit filio:sed hoc totum video à Dei filio sacerdotibus traditum.* Hæc ille. *Libr. 3. de sacerdotio.*

26. *Vt quid timidi estis modicæ fidei?*

OBseruatione dignum est hoc loco,agnoscere necessariò Caluinum *quemlibet timorem non esse fidei contrarium, & fidei defectum non quolibet timore coargui, sed ea formidine quæ conscientiæ pacem turbat,vt non recumbat in Dei promissiones.* Hæc enim confessio certitudinem fidei,quam perpetuò docet, adeo refellit, vt propterea in Institutione sua, vbi totam hanc doctrinam accuratius pertractat, certitudinem quam ponit omni timore vacuam ab omni trepidatione & dubitatione liberam statuat, lib.3.cap.2. Quem etiam in finem Scripturas omnes quæ ad timorem nos hortantur, egregiè deprauat, & nihil aliud quàm reuerentiam filialem nos docere disputat. Vide opus nostrum de Iustificat. lib.8. cap.26.& 27. Sanè idem Caluinus sibi cõtrarius infrà de muliere quæ fluxum patiebatur. *Quia videns quòd non latuit, venit tremens,& cecidit ad pedes Iesu*; dicit Caluinus, *quòd talis trepidatio fidei contraria fuit, & excusatione carebat.* Sic tractat Scripturas Caluinus, non ex sacra veritate quam illæ tradunt,sed prout ipsi & causæ præsenti commodum est. *Certitudo fidei Caluiniana refellitur.* *Ad Luc. cap.8. vers.47.*

IN MATTHÆI CAP. IX.

6. *Quòd filius hominis potestatem habet dimittendi peccata in terra.*

VENENUM hic suum inspergit Caluinus his verbis. *Hæc potestas longè alia est quàm quæ Apostolis mandata fuit, & qua hodie funguntur Ecclesiæ pastores. Non enim tam remittunt ipsi quàm remissa testantur, dum iniunctam sibi legationem promulgant.* Hæc ille. Cæterum Apostolis datam fuisse à Christo potestatem, vt verè peccata remitterent, & eadem potestate fungi hodie Ecclesiæ pastores, contra Caluinum demonstratum vide in
Vers. 23. Promp. Cath. dom. in Albis. Sed & infrà ad Ioan. cap. 20. dabitur hac de re contra Caluinum disputandi locus amplissimus.

21. *Dicebat intra se, Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.*

QVia ex hoc loco probant luculenter Catholici reliquias Sanctorum venerationem mereri, & per eorum contactum Deum virtutes operari, quod in Prompt. Cathol. Dom. 23. post Pentec. aliqua ex parte nos ostendimus, multū contendit Caluinus vt hoc nobis tam illustre argumentum eripiat. Primùm disputat rem vtcunque laudabilem in exemplū trahi non debere. *Quòd* (inquit) *mulier cogitat, si modò tetigerit Christi vestem, se protinus fore sanam, singularis quidam fuit Spiritus sancti impulsus, neque ad communem regulam trahi debet. Scimus quàm proteruè ludat superstitio in stulta & inconsiderata æmulatione sanctorum. Atqui simiæ sunt, non imitatores, qui singulare aliquod exemplum absque Dei mandato, & proprio magis sensu quàm Spiritus directione vsurpāt.* Hæc ille, factum quidem laudans, sed quod ab aliis imitandum non est, quia singularis in eo fuit Spiritus sancti impulsus. Sed primùm vnde probat Caluinus, aut quis illi dabit, singularem hunc fuisse Spiritus sancti impulsum, id est, huiusmodi vt rem ex sua natura vitiosam & superstitiosam, neque in exemplum trahendam, in illa tamen muliere fecerit laudabilem? Supponit quidem hoc Caluinus, sed non probat. Deinde etiamsi singulari Spiritus sancti impulsu illa mulier sic cogitasset, quia nouum illud sanitatis consequendæ experimen-

rimentum erat, quomodo probat Caluinus ad communem regulam trahi non debere, quum illius cogitationis fidem & sententiam Christus tam illustri miraculo remunerauerit? Sed Caluinus suum ipsius paralogismum retutabit, qui in hoc ipso capite de duobus cæcis visu donatis, quorum fidem valde imperfectam & mancam censet, à Christo tamen remuneratam, sic concludit. *Tametsi hic beneficium duobus cæcis præstitum narratur, tamen ex Christi dicto. Iuxta fidem vestram fiat vobis, generalem elicere doctrinam conuenit, nos modò ex fide precemur, nunquam in votis nostris repulsam passuros.* Hæc ille. Si ergo illorum fides Caluini iudicio imperfecta (de qua in sequentibus plura dicemus) beneficium optatum à Christo impetrans, generalem doctrinam facere potest, vt & nos ex fide precantes semper exaudiamur; quanto magis huius mulieris cogitatio à Spiritus sancti singulari impulsu profecta, generalem quoque doctrinam faciet, quòd similes piorum cogitationes circa Sanctorum reliquias similia beneficia à Christo impetrabunt? Deinde supra cap. 8. ad verba Centurionis dicentis Christo, *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Hinc*, ait Caluinus, *colligi potest generalis regula, certitudinem salutis nostræ ex verbo Dei petendam esse.* Quàm rectè hoc colligat Caluinus, hic non disputamus, sed quàm facilè generalem regulam ex vno Centurionis facto colligat, ostendimus. At huius mulieris factum non secus fuit à Christo remuneratum quàm illud Centurionis. Ex eo igitur & nos, imò Catholica iam dudum Ecclesia generalem doctrinam optimo iure collegit. Quare impius Caluinus serò iam nimis hoc suum commentum obtrudit, quum & hanc huius mulieris cogitationem per se laudabilem fuisse, & similes piorum cogitationes Deo semper placuisse, à tot retrò seculis tota Ecclesia Catholica iudicauerit, & experimentis innumeris probauerit. Hæc igitur prima cauillatio, nullius momenti est. Quare & ipse Caluinus eam suspectam habens, ipsum mulieris factum exagitat, & cogitationẽ hanc non aliquo Spiritus sancti impulsu, sed à zelo inconsiderato manasse disputat. Ait enim. *Quòd in veste hæsit potiùs quàm vt se illi sanandam precibus offerret, fortè zelo inconsiderato paululum à via deflexit.* Ecce audet præsumptuosus hæreticus factũ illud inconsiderati zeli arguere, quod Christus ipse ita approbauit, vt sanitatem confestim illi concesserit. Sed addit pro aliqua præsumptionis suæ ratione. *Præsertim quum paulò pòst ostendat dubitanter & perplexo animo id*

Caluinus à seipso refutatur.

Mulieris à Christo sanata fides defenditur.

ten

tentasse. Sed hoc est apertè & perfricta fronte Euangelio contradicere. Nam & Christus ipse hoc eius factum ex fide perfectum fuisse affirmat, dicens: *Fides tua te saluam fecit:* & sanitas confestim ex hoc facto consecuta (vt Marc. 5. & Luc. 8. euidentissimè constat) ex optima & firma fide eam hoc cogitasse, Christíque vestimentum tetigisse, manifestè demonstrat. Quod autem postea tremens accessit ad Christũ, vt Marcus & Lucas narrant, non id fecit propter aliquam dubitationem, aut animi perplexitatem, circa primum illum fimbriæ contactum; sed quia Christo interrogante, *Quis tetigit vestimenta mea?* & adhuc *circumspiciente vt videret eam quæ hoc fecerat,* cœpit timere ne offendisset ita furtim tangendo, & furtiuam sanitatem consequendo. Quare (vt est apud Lucam) *videns mulier quia non latuit tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum* (vbi suam cogitationem & factum aperuit) *indicauit coram omni populo, & quemadmodũ confestim sanata sit.* Cui statim Christus dixit. *Filia, fides tua te saluam fecit. Vade in pace.* Quid clarius, quàm prioris facti fidem à Christo laudatam & præsenti sanitate remuneratam fuisse? præsentem autem tremorem huius mulieris postea accessisse, non quòd aliqua dubitatione factum prius tentauerit, sed quòd facti sui rationem coram omni populo indicare coacta fuerit? Quod sanè Christus studio fecit, vt sancta illa eius cogitatio, factumq; fidè ac religione plenum, publicè innotesceret: & vt omnes astantes doceret, quantopere factũm tam religiosum illi placeret: eadémque opera tum illos tum omnes fideles moneret simili fide ac religione etiam ea quæ minima sunt Christi ac sanctórum eius prosequi ac venerari. Impius tamen Caluinus totam hanc historiam Euangelicam corrũpere maluit, quàm superbam ceruicem suam Catholicæ fidei circa Sanctorum venerandas reliquias submittere. Quare adhuc addit, & omnem mouet lapidem vt tam celebre argumentum Ecclesiæ Catholicæ è manibus extorqueat. *Iam verò vt demus hoc illi à Spiritu fuisse dictatum, manet tamen fixa regula, fidem nostram priuatis exemplis huc & illuc circumagi non debere: quia Dei verbo penitus affixam esse oportet, iuxta illud Pauli Rom. 10, Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Cui stolidæ cauillationi facilè respõdetur. Auditus fidei est verbum Dei, sed prædicatum ab Ecclesia, vt tota Apostoli eo loco disputatio manifestè demonstrat, nósque alibi accuratè ostendimus. Prædicatio autem Ecclesiastica hoc semper tenuit,

Reliquiarum veneratio.

Sancto

Sanctorum reliquias esse ex fide venerandas:plurimisque ex- *In defensione contra Vubitakerum, lib.2. cap. 10. sect. 5. & lib. . c. 2. sect. 10.*
perimentis sensit talem ex fide venerationem multa à Deo
beneficia impetrasse, sicut hæc mulier Euangelica impetra-
uit. Quare hoc exemplo fides nostra huc illuc non circum-
agitur (sectæ Caluinianæ alijsque sectis hæreticis omnibus
hoc proprium est, vt *ventis noua doctrinæ* homines huc illuc
circumferant) sed in solida Ecclesiæ Catholicæ fide, quæ *Ephes.4.*
columna & firmamentum veritatis est, firmissimè solidatur. *1.Tim.3.*
Deinde huius mulieris Euangelicæ exemplum, priuatum
exemplum non est, quasi in angulo gestum, vel incerta fide
relatum, aut obscurè commendatum, sed publicum & cele-
berrimum in ipsa scriptura Euangelica à tribus Euangelistis
diligenter commemoratum: & iam à Christo Domino non
solum præsenti sanitate remuneratum, sed & publica inter-
rogatione quasique inquisitione facta propalatum & com-
mendatum. Denique ita celebre & publicum hoc exemplum
est, vt aliquot postea seculis eius memoriam perpetuo mi-
raculo Deus honorare & commendare voluerit, vt videre est
apud historiæ Ecclesiasticæ authores Eusebium lib.7. cap.14.
Sozomenum lib.5.cap.20. & Nicephorum lib.6.cap.15. Sce-
lerata impietas est, & aperta ad atheismũ via, aliquod exem-
plum in diuinis Scripturis commemoratum & commenda-
tum, tanquam priuatum reijcere: quum non solum dicta sed
& facta Christi, vel à Christo commendata, quid facere &
credere debeamus, nos doceant.

22. *Confide filia.*

VEllicat hic rursum & modis omnibus infirmare con-
tendit hoc hæmorrhoissæ factum proteruus Caluinus.
Ait enim ad hæc verba. *Fidei imbecillitas hoc verbo arguitur. Nisi enim vitiosa esset trepidatio, non eam corrigeret Christus hortando vt animum colligat.* Nihil est hoc hæretico præfra-
ctius. Quod in singularem fidei in hac muliere laudem atque *Caluinus præfracte Christo contradicit.*
commendationem dixit Christus, hoc ille ad fidei eius re-
prehensionem trahit. Christus enim dicens, *Confide filia*, &
confestim adiungens, *Fides tua te saluam fecit*, manifestissi-
mè voluit illo verbo eius fidem singulariter commendare.
Quid est enim, *Confide filia*, nisi, Esto bono animo filia? Et
quare iubet esse bono animo? *Quia* (inquit) *fides tua te sal
uam fecit*, id est, quia fides tua, qua me tetigisti, mihi tanto-
pere placet, tam firma & valida ac sancta fuit, vt illa te sana-
uerit,

uerit, vt propter illam tuam fidem, non propter simplicem contactum, sanitas tibi restituta fuerit. Propter hanc fidem tuam, per quam consecuta sanitatem es, esto bono animo. Noli metuere quòd te vocauerim, & ad facti confessionem coram tota hac multitudine compulerim. Non ad tui reprehensionem, sed ad tui commendationem hoc feci. Non vt fidei tuæ imbecillitatem corrigerem, sed vt fidei tuæ firmitatem atque præstantiam toti huic multitudini propalarem. Quis non videt hunc esse manifestum Christi verborũ sensum? Quando præcedenti cap. Christus dixit paralytico: *Confide fili: Remittuntur tibi peccata tua:* an dicet Caluinus quòd fidei eius imbecillitas hoc verbo arguebatur? An non potius eius fides disertissimè commendatur, quum statim subiungat Christus, *Remittuntur tibi peccata tua?* Nam in illis verbis, *Videns Iesus fidem illorum, synecdoche est*, ait ad illa verba Caluinus, *quia non ita respexit Christus eos qui paralyticum ferebant, quin eius quoque fidem intuitus fuerit.* Hæc ibi Caluinus. Eodem modo aduertere debuit Christum hoc loco, quum dicit, *Confide filia*, móxque adiungit, *Fides tua te saluam fecit*, antecedentem fidem respexisse, qua eum tetigit, eámque singulariter commendasse.

28. *Creditis quia hoc possum facere vobis?*

Fides non est fiducia. QVum fides hoc loco, de qua Christus postea subiunxit, *Secundum fidem vestram fiat vobis*, fuerit fides & firma persuasio de potentia Dei & Christi, non autem fides specialis circa promissiones Dei, aut ipsa fiducia, quam solam hæretici volunt esse fidem propriè dictam, conatur hoc loco Caluinus hanc totam historiam Euangelicam more suo deprauare. *Quæri* (inquit) *potest an de potentia Dei & Christi persuasum esse sufficiat, vt quispiam sit fidelis. Hoc enim sonant verba, Creditis me posse facere?* Móxque respondet. *Atqui ex alijs scripturæ locis patet notitiam potentiæ fore inanem vel frigidam, nisi de voluntate certi simus.* Hoc quidem ille audacter dicit, nullam interea probationem afferens. Sed eadem facilitate negamus in vllis Scripturis certitudinem de voluntate Dei requiri vt aliquis sit fidelis, sed contrà ad fidei naturam sufficere vt ea omnia credat quæ Deus credenda reuelauit. Obiicit adhuc sibi Caluinus quod necessariò replicandum videbat. *Christus tamen eorum responso contentus, ipsorum fidem quasi numeris omnibus absolutam laudat. Respondeo* (inquit

(inquit) *quum priùs Dauidis filium confessi sunt, de gratia aliquid apprehendisse. Nam hoc titulo redemptorem gentis suæ, bonorumq; omnium authorem ornabant. Ipse ergo de sua potentia quærens altius percontatur an seriò credant.* Hæc ille. Responde vocem illam, *Miserere mei fili Dauid*, fidei quoque vocem fuisse, qua profitebantur se agnoscere eum pro Messiæ ex semine Dauid. Hanc fidem Christus magis explorare voluit, dicens: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* .i. An sic me verè filium Dauid & Messiam inuocatis, vt seriò credatis me posse hoc facere quod petitis? Non dicit, *Creditis* quia hoc faciam vobis, sed quia *hoc possum facere vobis*, manifestè docens fidem propriè dictam non esse fiduciam circa ea quæ vult nobis Deus præstare, sed esse assensum mentis firmum circa omne verum de Deo credendum: quale imprimis est omnipotentia eius. Docet igitur Christus ad fidem quod attinet, id propriè requiri, vt potentiam eius credamus, de spe ac fiducia nihil interrogat. Hanc enim disertè professi sunt, misericordiam eius implorando. Nemo enim orat, nisi qui sperat: & nemo misericordiam flagitat, nisi ab eo quem misericordem & benignum esse confidit. Vide hæc latius disputata in Prompt. Cath. dom. 18. post Pent.

36. *Misertus est eis, quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem.*

INdulget hic iterum suo stomacho ac libidini Caluinus, & in Ecclesiæ Catholicæ hierarchiam debacchatur, his verbis. *Eadem hodie in Papatu cernitur vastitas, qui tamen refertus est titularibus pastoribus. Immensa est enim eorum colluuies, qui sub nomine Clericatus plebem deglutiunt. Porro quum muti sint canes, non tamen eos pudet suam hierarchiam sonare. Sed audienda vox Christi, quæ pronuntiat nullos esse pastores vbi non sunt operarij: vagas & dispersas esse oues quæ Euāgelij doctrina in Dei ouile non congregantur.* Hæc ille. Cæterum non est hoc interpretem agere, sed putidum calumniatorem, nec Scripturas interpretari, sed ad libidinem, & pruritum maledicendi Scripturis abuti. Interim quæ Caluinus mendaciter fingit, in ipsum Caluinum veraciter retorquentur. Eadem quam Christus hic in Pharisæis diuinæ legis corruptoribus describit, in Caluinismo cernitur vastitas, qui tamen refertus est titularibus Ministris. Immensa est Caluinistarum colluuies, qui sub nomine Euangelij plebem deglutiunt, Ecclesias vastant, animas perdunt, regna subuertunt. Porrò quum sint *Calumnia contra clerū in Caluinum retorquetur.*

lupi rapaces, fures ac latrones, non tamen eos pudet Ministerium suum Euangelicum sonare. Sed audienda vox Christi, & seriò audienda, nullos esse Pastores vbi non sunt operarij: operarij autem *quos Deus mittit in messem suam* (quod Caluinus alto hic premit silentio) operarij (vt Apostolus loquitur) *inconfusibiles ἀνεπαίσχυντοι.* qui ita operantur vt operis non pudeat aut pœniteat postea, operarij *rectè tractantes verbum veritatis*, operarij *non adulterantes verbum Dei.* Denique operarij *non subdoli, transfigurantes se in Apostolos* & nouos Euangelistas, qualem se Caluinus profitetur. Postremò vagas & dispersas oues esse, quæ deserta Ecclesia Catholica, vnico ouili Christi, non Euangelij doctrina in ouile Dei congregantur, sed sub Euangelicæ doctrinæ titulo in varias penéque innumeras sectas distrahuntur. Catholicæ verò Ecclesiæ hoc tempore pastores non fuisse penitus canes mutos, nulli melius quàm in Gallia Caluinistæ nosse & meminisse possunt: quos ita vocales in primariis regni illius vrbibus senserunt, vt hoc vno maximè post Deum medio, ab illius nobilissimi Regni diademate depulsi & abacti per annos quàm plurimos fuerint; nec nisi sub pelle Catholico regnent, qui hactenus ibi regnarunt.

2. Tim. 2.15.

2. Cor. 2. 17.

2. Cor. 11. 13.

IN MATTHÆI CAP. X.

2. *Primus Simon qui dicitur Petrus.*

Petri primatus.

PETRI supra cæteros Apostolos primatum hic locus manifestè docet. Neque enim vel ætate vel vocatione primus erat, sed in vtroque Andreas eum præcessit; deinde à tribus Euangelistis Matthæo hîc, Marc. 3 Luc 6. qui Apostolos ordine recensent, semper primus ponitur, aliorum Apostolorum ordine non seruato. Nam hîc quidem Andreas, apud Marcum Iacobus secundo loco ponitur. Rursum, vt Marcus narrat, hoc demum tempore *imposuit Christus Simoni nomen*, vt vocaretur Petrus, id est, Caput: hoc inquam tempore quo 12. Apostolos designat; vt eodem momento de capite vicario prospiceret, quàm de mēbris. Tergiuersantur hic hæretici, & grauiter hoc argumentū ferunt. Beza cæteris audacior, in Annotationibus in hunc locum, suspicatur hoc vocabulum *Primus*, ab aliquo additum. Sic enim scribit. *Quid si hoc vocabulum ab aliquo additum est, qui Petri primatum vellet stabilire?* Hæc est hæretica audacia sibilis explodenda & anathemate digna, quæ

Bezæ audacia.

ipſorum hæreſibus repugnant, è Scripturis expungere. Quo ſemel admiſſo, nihil erit in Scripturis ab hæreticorum corruptione tutum. Addit homo impudens, vt aliquam dicti ſui rationem adferat, *nihil ſequi quod cohæreat*: quaſi nō cum vocabulo *Simon*, &c. apertiſſimè cohæreat. Sed voluit ad omnem impudentiam frōtem perfricare. Addit adhuc, *in hoc ordine nihil myſterij latere, quia idem ordo apud omnes Euangeliſtas in reliquis Apoſtolis nō obſeruatur.* Reſpōde quoad reliquos hoc verum eſſe, & idcirco in illis paritatem inde optimè oſtendi. Sed quum omnes in ſolo Petro ordinem ſeruent, vt primo ſemper loco ponatur; manifeſtū fit, in illius ordine ac loco myſteriū eſſe, & primatus ſignificationē. Proſequitur Beza. *Sed & apud Paulum Gal. 2. Iacobus Petro præponitur, vt planè ſint ridiculi qui volunt hoc argumento tyrannidem Antichriſti confirmare.* Hæc ille, ridiculo maximè argumento vſus. Paulus ad Gal. 2. nullam facit ex inſtituto Apoſtolorum commemorationem, ſicut tres Euangeliſtæ, vbi primo ſuus locus debebatur; ideóque ordinem non ſeruat, ſed eum primo loco ponit qui primus illi occurrebat, & qui primus illi dexteras ſocietatis dederat, Iacobus videlicet Hieroſol. Epiſcopus quē primò conuenerat, vt patet Act. 21. qui eum poſtea ad Petrum & Ioannem ſocios ſemper indiuulſos adduxit.

Beza cauillationes refutātur.

Ver. 18.

Caluinus hunc locum aſtutius exagitat. *Primum*, inquit, *inter Apoſtolos fuiſſe Simonem Petrum libenter fatemur. Sed quod inter paucos homines valuit, ad totum orbem extendere nulla ratio patitur.* Hæc ille inſulſiſſimè. Si enim paucorum Apoſtolorū debuit eſſe primus aliquis, & ſchiſmatis tollendi cauſa caput, à quibus tamen diſſenſionis aut ambitionis periculum non erat; quanto magis diffuſa per totum orbem Eccleſia vnum eſſe caput oportet, ne inter tot capita fieret diſſenſio, & omnia vaſtaret ambitio? Addit Caluinus. *Adde quòd qui primus numeratur non ideo protinus inter ſuos collegas Dominium habet.* Cui reſponde, primatum Petri & ſucceſſorum eius non eſſe Dominiū temporale & imperioſum ſuper reliquos paſtores, ſicuti *qui maior eſt inter gentes, dominatur eorum*, ſed eſſe poteſtatem ſpiritualē & Eccleſiaſticam componendi & definiendi ea quæ de fide & moribus in dubiū vocantur. Concludit Caluinus. *Iam vt omnia illis quæ poſtulāt, de Petro demus, donec impios & ſacrilegos apoſtatas Petri ſucceſſores eſſe probent, eius dignitas nihil ad Romanam Sedem.* Hæc ille. Sed conuitium hoc ac maledictum eſt, non argumentum. Sic ſolent hæretici, quum argumenta deficiunt, ad

Caluini cauillationes refelluntur.

Matt. 20. Vide infra ad eadem verba.

conuitia diuertere, in quibus se multò plus valere norunt quàm in argumentis. De Primatu Petri ex Scripturis Euangelicis perspicuè & copiosè demonstrato, vide operis nostri de Princip. fidei Doctrinal. lib.6.

22. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Versionis nouitas affectata.

VAnus Erasmus, & post eum Beza, vertunt hic, *Qui sustinuerit*: & Marc.13. vbi vulgatus interpres vertit, *Qui sustinuerit*, illi vertunt, *Qui perseuerauerit*, quum in Græco textu vtrobique idem sit verbum, ὁ ὑπομείνας: videlicet vt vulgatam versionē quasi Ioannes ad oppositū quoquo modo reprehenderent. Nam Beza ad Matth.cap.24. ver.13. vbi eadem sententia hic repetitur, versionem vulgatā (quam ipse sequutus est Marc.13.) apertè reprehendit, dicens non ὑπομένειν, sed διακαρτερήσειν perseuerandi virtutem significare. In quo lectoris imperitia turpiter abutitur. Ipsa enim lexica græca pluribus exemplis docent ὑπομένειν non minus propriè & frequenter perseuerantiam significare quàm patientiam.

38. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.*

Versionis Bezanæ ineptia.

THeodorus Beza circa horum verborum receptissimam versionem, omnes hactenus interpretes corrigit, & nodum in scirpo quærit, vt aliquid in Catholica disciplina arrodat. Illud, *Qui sequitur me*, ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, vertit, *Qui sequitur me à tergo*. Et causam addit. *Sic* (inquit) *interpretatus sum, quia quum non satisfecerit Euangelistæ verbum ἀκολουθεῖν sequi, sed addendum aliquid præterea iudicarit, hoc quoque putauimus necessariò exprimendum, quod à vetere interprete & ab Erasmo fuit neglectum. Multi enim se Christum sequi dicunt, quum illi soli sequantur qui à tergo sequuntur, id est, qui illum verbo suo præeuntem possunt ostendere. Quare qui Deum colunt cultu à se excogitato, intelligant sese non sequi Christum, sed illi præire velle*. Hæc ille, varios religiosorū in Ecclesia Catholica ordines, aut etiam mortificationes voluntarias taxans, quasi cultus priuatim excogitatos; nullum autem Dei cultum probans, nisi qui in verbo Dei scripto expressè mandetur: hoc enim est *Christum verbo suo præeuntem posse ostendere*. Solent enim hæretici ex industria pestifera sua venena obscurius porrigere, vt à suis quidem optimè intelligantur, ab orthodoxis

Hæreticorum consuetudo.

doxis verò non ita facilè deprehendantur. Sed vulgatæ versionis emendatio, quam ille tam necessariam putat, planè ridicula est. Primum quia qui alium sequitur, non nisi à tergo eum sequi intelligi potest. Deinde quia græcum illud ὀπίσω non significat propriè à tergo, sed post, seu retrò, quomodocumque id fiat, vt Matth 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*: ὀπίσω μοῦ. Vbi ipse Beza non aliter vertit: & Lucæ 9. vbi eadem verba tum Græcè tum Latinè habentur, Beza vertit, *Si quis vult me sequi*, prorsus omittens illud, *retrò me*, vel post me, sicut hoc loco noster interpres facit, eo quòd facilè aduertit, *venire post Christum*, vel *sequi Christum*, penitus idem valere. Ita quam aliis impingit culpam, patrauit ipse. Denique non ὀπίσω, sed ὄπισθεν apud Græcos *à tergo* significat, sicuti de muliere hæmorrhoissa Matth. 9. *Veniens retrò*, & à tergo, προσελθοῦσα ὄπισθεν, tetigit fimbriam vestimenti. Rursum Marc. 5. ἐλθοῦσα ὄπισθεν, *Venit in turba retrò*, vbi Beza vertit, *Venit in turba à tergo*. His quippe in locis quia de locali situ & propriè Scriptura loquitur, sicuti & Matth. 15. de muliere Chananæa, *Clamat post nos*, ὄπισθεν ἡμῶν, verbum ὄπισθεν locum habet, quod retrò & à tergo significat. Sed in loco præsenti aliísque suprà annotatis, quia non de locali situ aut motu, sed metaphoricè Scriptura loquitur, & de sequela affectuum & morum, non nisi ridiculè diceretur. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me à tergo*, quod vulgatus interpres, & ipse Erasmus vtcumque nouitatis cupidissimus, propterea dicere noluerunt. *Beza committit quod in aliis culpat.*

Iam verò *sequi Christum præeunte verbo*, cōmentum Bezæ est, absque Dei verbo: vbi nō videt cæcus hæreticus, quod in tota Ecclesia audet reprehēdere, in eo seipsum peccare. Nullum enim Dei verbū profert aut proferre potest, quo probetur eos Christū non sequi, nisi qui iuxta verbū Dei scriptum Christum sequuntur. Sed nec religiosorū ordines, nec voluntariæ fideliū mortificationes, cultus sunt à seipsis excogitati: sed vel ab Ecclesiæ supremo Pastore, vel à propriis cuiusque pastoribus vbi Christiana disciplina rectè seruatur, quos audire, & quibus obedire Dei verbū nos iubet, expressè approbati. Cæterum quid sit hoc loco Christum sequi, & tollere vnumquemque crucem suā post Christum, pulchrè explicat D. Basilius in Regulis fusius disputatis. *Vt Christum* (inquit) *sequamur, prius oportet nos ipsos abnegare. Nihil autem est aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vita superioris obliuio, atque à suis ipsius voluptatibus recessio.* *Sequi Christum iuxta scriptum verbum.* *Ad interrog 6.* *Christum sequi quid.*

Moral. in Iob lib. 33. cap. 8. In quem etiam ſenſum Gregorius. *Semetipſum abnegat, qui calcato typho ſuperbiæ, ante Dei oculos eſſe ſe à ſe alienum demonſtrat.* Bezam autem cum ſuis Chriſtum nullo modo ſequi, his verbis docet Auguſtinus: *Chriſtum non ſequitur, qui non ſecundum veram fidem & diſciplinam Catholicam Chriſtianus eſt.* De ſerm. Domini in monte lib. 1. cap. 9. Vide Leonem Magnum ſermone 9. de Quadrageſima.

IN MATTHÆI CAP. XI.

22. *Si in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.*

CALVINVS hoc loco quia pro contingentia rerum & humanarum actionum libertate (quam ille tollere vult, poſita fatali quadã actionum noſtrarum neceſſitate, propter ineuitabilem Dei de ſingulis tum prouidentiam tum præordinationem infallibilem) hæc verba facere videat, legitimum eorum & germanum ſenſum peruertit, ad alias conſiderationes animum lectoris auocans. *Chriſtus*, inquit, *nõ diſputat quid præuiderit Deus futurum de ijs vel illis, ſed quid facturi fuerant alteri, quatenus ex re ipſa percipi poterat, & ad communem humanæ mentis captum ſermonem accommodat.* Hæc ille. Similiter infrà verba *Ver. 23.* Chriſti de ciuitate Sodomis, eodem modo peruertit. *Humano* (inquit) *more Chriſtus loquitur: non autem ex cæleſti adyto profert quid præuiderit futurum ſi Sodomitis Prophetam aliquem miſiſſet.* Hæc ille. Sed hoc nihil aliud eſt quàm verba Chriſti mendacij arguere: vult enim quod Chriſtus futurum diſertè dixerat, ſi miracula in vno & prædicatio in altero loco facta fuiſſet, hoc reuera non futurum fuiſſe: nec Chriſtum hoc præuidiſſe, ſed quod poſſibiliter & fortè futurum erat, humano more coniecifſe. Quo ſemel poſito, & illud quoque quod Chriſtus ſubiecit de grauiori pœna & condemnatione in die iudicij ciuitatum iſtarum quàm Tyri & Sidonis aut Sodomorum, ſecundum Caluinum inane terriculamentum erit, quia non de eo quod futurum erat præuidit, ſed humano more quantum rei indignitas poſtulare videbatur, Chriſtus loquutus eſt. Quare hac relicta aperriſſima verbi Dei corruptela, quæ ex his Chriſti verbis veræ ac ſolidæ theologiæ

Chriſti verba mendacij arguit Caluinus.

giæ

glæ documenta deduci possunt, breuiter annotabimus.

Documenta theologica.

Primum id erit, quòd Deus propter scientiam suam infinitam, quæ non pendet ab existentia obiecti sicuti nostra, præuidet & præscit etiam quæ futura non sunt, sed fieri poterant: non quidem scientia visionis, qua solum actu futura præsciuntur à Deo, & de qua loquitur Augustinus epist. 105. in fine, & epist. 107 & lib. de prædest. sanct. cap. 14. & Prosper in Epist. ad Augustinum illi libro præfixa, negantes Deum præscire quæ futura non erant, ad ea videlicet vel puniendа vel remuneranda, quo sensu Pelagiani volebant paruulos non baptizatos damnari propter mala præuisa, quæ, si vixissent, facturi erant, itémque paruulos baptizatos morientes saluari propter bona opera præuisa quæ facturi erant, sed scientia simplicis intelligentiæ: quæ etiam est non entium, sed possibilium esse. Quæ quidem notitia in solo Deo ita perfecta est, vt per hanc solam sufficienter talia cognoscat si ponerentur in actu. Sic Christus hoc loco scientia sua diuina, sed simplicis intelligentiæ, clarè videbat Tyriorum & Sodomorum non possibilem tantum, sed & verè futuram pœnitentiam, si apud eos miracula facta fuissent. Sic Dauidem Sauli tradendum esse si maneret Celiæ, Deus interroganti Dauidi prædixit. quod tamen eo abeunte non euenit. Sic dicitur Prophetæ, si apud alias gentes prædicaret, fore vt ab illis audiretur. Vide Gregor. de Valentia in 1 p. D. Tho. q. 14 puncto 5. q. 2. & Ludouicum Molinam q. 14. art. 13. disp. 43.

1. Præscientia in Deo rerum non futurarū. *1. Reg. 23.* *Ezech. 3.*

2. Secundum documentum, quòd increduli Iudæi prædicante & miracula faciente Christo ideo non crediderunt, quia credere noluerunt. Peccauerunt enim isti grauius quàm Tyrij & Sidonij, quod ex grauiori condemnatione constat. Peccatum autem esse, & voluntarium non esse, pugnantia sunt. Vide Molinam q. 14. art. 13 disp. 10 *Pag. 49.*

3. Tertium ex hoc loco documentum, quòd cum æquali Dei auxilio alius interdum conuertitur, alius non conuertitur: de quo vide eundem q & art. eisdem, disput. 12. Quæ enim auxilia gratiæ apud Iudæos istos non valuerunt, eadem apud Tyrios & Sidonios valitura fuisse Christus affirmat. *Pag. 53. & 57.*

4. Quartum documentum, quòd inter auxilia gratiæ, quibus ad credendum homo excitatur, miracula veluti suasiones externæ computantur. Quod etiam ex oratione Apostolorum Act 4. & ex effectu prophetandi quem Paulus describit 1. Cor 14 colligi potest. Vide eundem Molinam q. & art. eisdem, disput. 38. *Pag. 234*

5. Quintum documentum, quòd hæc & alia auxilia gratiæ specialia Deus non cõfert pro ratione vsus liberi arbitrij præuisi aut futuri, nec ad illos omnes Euangelij prædicatores mittit quos ad fidem conuertendos præuidit, sed salutis media pro suo solo beneplacito disponit: quod idem ex his verbis docet Molina q.23.art.4.& 5.disp.1.membro 4.& S. Augustinus in libro de bono perseuerantiæ, cap.9.

Pag.416.

6. Sextum documentum, quòd ex loco conuincitur certa futurorum etiam liberè contingentium in Deo prouidentia, & electorum quidem prædestinatio atque electio gratuita, reproborum verò reiectio iusta: quod in eodem vide Molina q.14 art.13.disput 49.

7. Postremò documentum, quòd isti Tyrij & Sidonij reuera fuissent conuertendi (vt Christus disertè dicit) si virtutes ibi factæ fuissent, nec propter defectum efficacis gratiæ (quæ per illa miracula fuisset efficax, propter liberi arbitrij consensum quem illa miracula cum auxiliis gratiæ indubiè elicuissent, vt Christus docet) sed propter defectum miraculorum, & aliorum mediorum, quæ iustè Deus illis subtraxit; alia tamen multa illis faciens quæ eos promouebant ad salutem (ait in hunc locum Corn Iansenius) non fuisse conuersos: de quo etiam vide Molinam q.& art.citatis disput.38.pag.139.

21. *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

ARrodit hunc locum Caluinus, quia manifestè videbat ex eo conuinci, non in sola vitæ mutatione & resipiscentia, quam ille totam pœnitentiæ rationem esse vult, sed in operibus quoque pœnalibus pœnitentiam propriè versari. Ait igitur, vt textum penitus peruertat. *Pœnitentia hic ab externis signis describitur, quorum tunc solennis vsus erat in Ecclesia Dei, non quòd in hanc partem insistat Christus, sed quia se ad vulgi captum inflectit.* Vult bonus Caluinus pœnitentiam hic à Christo describi: non qualis esse debeat, sed qualis tunc in more illius populi erat; nec hanc pœnitentiæ formam à Christo vel vrgeri vel commendari, sed tantum quid fieri soleat, historicè commemorari. Denique nõ ipsam pœnitentiam, sed signa quædam eius externa notari. Hæ sunt Caluini speculationes, vt cilicium à suis humeris auertat, & omne pœnale opus à pœnitentiæ ratione remoueat. Cæterum pœnitentiam hic describi non à loci illius consuetudine, nec ab eo quod solet fieri, sed ab ipsa eius natura, & ab eo quod debet fieri

Pœnitentia actus pœnalis.

fieri, perpetua in Ecclesia Catholica praxis ostendit, quæ suos pœnitentes huiusmodi operibus pœnalibus exercuit: de qua lege Cyprianum serm.5. de lapsis, & lib.3. epist.16. August. hom.50. cap.15. & in Enchirid. cap.70. Gregor. M. hom.34. in Euang. & Curæ pastor. part.3. admonit.31. Theodoretum in epitome diuinorum decret. cap. de pœnitent. Chrysost. hom. 22. ad pop. Ant. Neque verò opera pœnalia signa tantum externa sunt, sed proprij fructus, operáque propria pœnitentiæ. Sic enim ad huiusmodi exhortans Ioan. Baptista dixit. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, quales fecerunt Niniuitæ, Ionæ 3. *Et vidit Deus opera eorum*, &c. quales fecit Dauid, *laborans in gemitu suo, & lauans per singulas noctes lectum suum.* Addit adhuc Caluinus. *Scimus non exigi pœnitentiam à fidelibus tãtum ad paucos dies, sed vt se in ea meditanda assiduè vsque ad mortem exerceant. Atqui non necesse est quotidie sacco vestiri & cinere.* Hæc ille, non distinguens quotidianam iustorum pœnitentiam (quæ *in perpetua supplicationis humilitate subitur*, vt scribit August.) ab alia ex magnis peccatis resurgentium laboriosa vel etiam solenni pœnitentia, vt à Patribus vocatur atque distinguitur: ab August. maximè homilia 27. ex 50. & homil.50. cap.9. de Symbolo ad Catech. lib.1. cap.6. & Epistol.504. Origen. homil.3 super Leuiticũ. Quemadmodũ igitur quidã hodie hæretici propter perpetuum Dei cultum ad quem omnes tenentur, nullos volunt esse speciales dies festos ad eum destinatos: sic hic Caluinus propter quotidianam omnium etiam in hac vita iustorum pœnitentiam, grauiorem illam & magnis peccatoribus necessariam, qualem hic Christus describit, eludere vult. Subiungit nihilominus, *exteriorem istam pœnitentiæ professionem in sacco & cinere, tunc locum habere, quum ex graui aliqua defectione ad Deum se homines conuertunt.* Quibus in verbis videre potuit, quæ de pœnitentia quotidiana prius excepit, nihil prorsus ad locum præsentem facere. Sed ambiguus & vafer hæreticus nec tacere potuit quod liquida rei veritas illi extorsit, nec dicere tamen voluit quod tota veritas dicendum postulauit, aut à suis inspergendis fallaciis ac venenis abstinere. Pessimè quippe illum hic locus habuit vbi pœnitentia describitur, non in sola vitæ mutatione aut qualibet anteactæ vitæ displicentia, sed *in cilicio & cinere*, id est, in graui & luctuosa & laboriosa pro peccatis satisfactione, duríſque & acerbis pœnitentiæ fructibus.

Luc.3.

Psalm.6.

Homil.27. ex 50. & hom.50. c.4. & 6. de Ciuit. Dei lib.18. cap.23. & epist.108.

Caluini vafricies.

25. *Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.*

QVum hæc Christi verba de superbis & de humilibus doctissimi in Ecclesia Patres hactenus intellexerint, August. serm. 8. de verbis Domini, Gregor. Moral. lib. 27. cap. 9. & Hilarius in com. in hunc locum, vt in Prompt. Cath. in festo S Mathiæ ostendimus, ad quos etiam accedit Chrysost. hom. 39. in Matth. vnus Caluinus, quia de numero talium paruulorum nec erat, nec esse voluit, vult omnino Christum per *Sapientes notare viros doctos ac magnos sine vlla vitij notatione, pauperes verò ignobiles ac viles personas sine vlla virtutis nota.* Nempe vt locum faceret textoribus suis, coriariis, sartoribus, tonsoribus, & id genus aliis plebeiis planéque indoctis hominibus, qui noui Euangelij Caluiniani præcipui præcones per Galliam, hoc Belgium, & Angliam erant. Rationem adfert, *quia etiam superbi ac feroces aliquãdo ad Apostolica munera à Deo vocantur*, quod ex Pauli exemplo probat. Cæterum nec Paulus quum adhuc Saulus esset, ex mera superbia & ferocia talis erat, sed, vt ipsemet profitetur, *zelator paternarũ traditionum, & ex ignorantia peccans*, nec qualemcumque illam suam ferociam factus Apostolus retinuit, sed in alium virum conuersus paruulus erat; nec denique magis contra superbos quàm contra doctos hoc exemplum facit, quum Paulus in lege Moysaica ante conuersionem doctissimus fuerit, *ad pedes Gamalielis institutus*, vt ipse Paulus profitetur. Tenenda igitur veterum Patrum saluberrima expositio, & nouella reiicienda Caluini corruptio.

Paruulos ac humiles non fert Caluinus.

IN MATTHÆI CAP. XII.

26. *Si Satanas Satanam eijcit, aduersum se diuisus est.*

QVVM hæc prima Christi responsio ad illam Pharisæorum blasphemiam, quòd in principe dæmoniorum dæmonia eiiciebat, locum habeat in illa dæmoniorum eiectione, quæ vera & efficax est, & qua inuitus dæmon ab homine pellitur, non autem de fictitia illa cessione qua per collusionem quandam eiici se dæmones etiam aliorum dæmonum opera interdum patiuntur, aut fingunt potius, de qua disputat S. August. in l. b. 83. qq. q. 79. Caluinus fictitiam hanc & illusoriam dæmonis eiectionem

Catho

Catholicæ Ecclesiæ tribuit, quando per exorcismos dæmones eiicit, vel inter reliquos minores ordines exorcistas constituit. *Exorcismi* (inquit) *in Papatu nihil aliud sunt, quàm vmbratiles & fictitij Satanæ contra seipsum conflictus.* Et paulò pòst, explicans illa verba, *Filij vestri in quo eijciunt*, ait. *Non dubito quin veteres exorcistas notet, quorum tūc vulgaris erat vsus apud Iudæos, qui inuocato Dei nomine dæmones fugabant. Postea Papistæ, ne sua conditio inferior esset, illos æmulati sunt in creandis exorcistis: atque hoc modo simiarum simiæ fuerūt.* Hæc ille, ipsum ordinem exorcistarum in Ecclesia irridens, & in exorcismi cæremonia quæ baptizandis adhibetur, non veram dæmonis eiectionem, sed fictitiam fieri, & Satanæ contra seipsum conflictū docens. Ita planè sicut Christum Pharisæi, sic ille Ecclesiam accusat, quòd opera Satanæ Satanam eiicit. Sed hac in re veteres hæreticos sequitur, imò superat Caluinus. Pelagianos qui in paruulis peccatū originale negabant, & cōsequenter in potestate dæmonis illos esse agnoscere nolebant, ex ipsa exorcismi cæremonia refutat Augustinus. Cæremoniam penitus improbare non audebant Pelagiani, audet Caluinus. In illa tamen cæremonia fictitiam esse dæmonis eiectionem aiebāt Pelagiani, sicut hic ait Caluinus. Sic enim de illis scribit August. *Ipsa Ecclesiæ sacramenta quæ tam priscæ traditionis authoritate cōcelebrat, vt ea isti quamuis in paruulis existiment simulatoriè potiùs quàm veraciter fieri, non tamen audeant aperta improbatione respuere; ipsa inquam Ecclesiæ sacramenta satis indicant paruulos à partu etiā recentissimos per gratiam Christi de diaboli seruitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam priùs exorcizatur in eis & exufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur, sese renunciare respondent.* Hæc ille. Eandem cæremoniam contra illos vrget epist. 105. *Circumstipantur* (inquit) *& diuinarum authoritate lectionum, & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in baptismate paruulorum, vbi apertissimè demonstrantur infantes, & cùm exorcizantur, & cùm eis per eos à quibus gestantur renunciare respondent, à diaboli dominatione liberari.* Hæc ibi. Idem frequenter contra eosdem alibi vrget, de nupt. & concup. lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 18. vbi ait, *In Ecclesia toto orbe diffusa exorcizari infantes baptizandos, vt ab eis princeps mundi eijciatur foras, à quo necesse est vt vasa iræ possideantur.* Eandem cæremoniam testatur Nazianzenus orat. in sanctum lauacrum. Cyprianus lib.

De exorcismo Catholico.

Paruulorum exorcismus.

De pecc. originali lib. 1. cap. 40.

lib.4.epist.7.Ambros.lib.1.cap.5.de Sacramentis.Optatus lib. 4.contra Parmenianū. Cælestinus epist.1.cap.12.& Leo epist. 4.cap.7. vbi dicit, *secundùm Apostolicam regulam hanc caremoniam exerceri*; non ad imitationem exorcismorum in Iudæis, vt nugatur Caluinus.

Exorcismus dæmonum. Porrò accepisse Ecclesiam potestatem à Deo coërcendi & eiiciendi dæmones per exorcismos, testatur tota contra impium Caluinum antiquitas. Iustinus in dialogo cum Tryphone, Tertullianus in Apologetico cap.32.in lib. de corona militis,& alibi sæpe. Cyprianus in lib.ad Demetrianum.Lactantius lib.2.cap.16.& lib.4.cap.27.& lib.5.cap.22. Denique August.de ciuitate Dei lib.10.cap.22. Sed & ordinariū quoddam officium exorcizandi dæmones in Ecclesia Catholica, olim quidem fuisse,multa Concilia testãtur, Conc.Antioch. can.10.Carthag.4.can.7.& Laodicenum can.29. Hodie autē vsque superesse, frequentia etiam nostri temporis exempla eáque recentissima docuerunt. Sed suam singularem impietatem vel in hoc maximè patefecit Caluinus, quòd Iudæorum exorcistas,tametsi ex legis præscripto eos non haberēt, *Caluinus Iudaizās.* agnoscit tamen,eo quòd Deus vt in fœderis sui fide puróque cultu illum populum retineret, suam inter eos præsentiam variis miraculis subinde testaretur; in Christiana autem & Catholica Ecclesia vt in noui fœderis fide puróque Dei cultu nouus populus retineretur, nullos exorcistas,nulla miracula nisi fictitia vult agnoscere.Ita Iudæis magis fauet Caluinus, quàm omnibus hactenus ante Lutherum natum populis Christianis.

31. *Spiritus blasphemia non remittetur.*

Caluini blasphemia in Spiritum sanctū duplex. HOc Christi verbū premens Caluinus,aliam in Spiritum sanctum blasphemiam depromit. Quum enim per Spiritus blasphemiam illud peccatum intelligat, *quo quis contra proprium animi sui sensum Dei donis & virtuti obtrectat, & qui destinata malitia Dei gratiā & virtutem oppugnat* (quod ei libenter concedimus, quia illa omnino erat Pharisæorum hoc loco blasphemia) mox concludit, hanc blasphemiam infallibiliter non remitti. *Mirum* (inquit) *non est, si tali sacrilegio spem veniæ præcidat Christus.* Ita aliam blasphemiam pronunciat,docens in huiusmodi peccato desperationē, quæ vna est contra Dei Spiritum blasphemia, eáque maxima, vt accuratè docet S.August.de verbis Domini serm.11. Sed sententiæ

tentiæ suæ enormitatem defendere conatur. *Durius* (inquit) *hoc quibusdam videtur, ideoq; ad puerile cauillum confugiunt, irremissibile vocari, eo quòd eius venia est ad impetrandum difficilis.* Vocat puerile cauillum cauillator impotens, quod facilè docebitur esse virilis & genuinus verborum Christi sensus. Quum enim in aliis illis Christi verbis, *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei*, nullo modo intelligi possit, *infallibiliter remittetur* (sic enim in huiusmodi peccato talis præsumptio docetur, vt nec peti quidem eius veniam opus sit, eo quòd infallibiliter remittetur) sed intelligendum est quòd faciliùs remittetur: sic in istis Christi verbis, *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei*, necessariò intelligi debet, quòd difficiliùs remittetur, non autem quòd infallibiliter non remittetur, aut penitus irremissibile sit. Quare quòd Caluinus pro confirmatione subiunxit, *expreßius loquutum esse Christum quàm vt adeo futiliter eludi queant eius verba*, futilissimè ab eo dictũ fuisse, manifestum nunc est. Non enim minus expreßè in alio membro de futura remissione loquutus est: quã nihilominus commodè explicare vt iam diximus necesse est. Addit adhuc Caluinus. *Nimis etiam stultè ratiocinantur crudelem fore Deum si peccatum nunquam remittat, cuius atrocitas nos omnes in stuporẽ rapere debet.* Atqui & alia flagitia sunt quorum atrocitas in stuporem nos rapere debet, vt peccatum contra naturam, odium Dei, homicidium voluntarium, & alia quæ clamant vindictam in cælum: quæ tamen peccata si Deus non remitteret legitima interueniente pœnitentia, non quidem crudelis diceretur, neque sic orthodoxi ratiocinantur, sed bonitati & misericordiæ suæ in Scripturis reuelatæ contrarium faceret.

Peccatum in Spir. S. quomodo remitti nõ potest.

Pergit Caluinus. *Eiusdem inscitia est quòd excipiunt, absurdum fore si ne pœnitẽtia quidem veniam impetret.* Magna igitur fuit Esaiæ Prophetæ inscitia, qui ex ore Dei sic scribit. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erũt:* nempe mediante pœnitentia, de qua prius dixit: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè*, &c. Sed impius Caluinus, quasi rhetorem non theologum ageret, verbis odiosis causam aggrauat, iustis argumentis non depugnat. Sic superius, puerile cauillum, stultam ratiocinationem, & nunc inscitiam vocat, quæ certissimæ veritatis argumenta sunt. Nullum enim apud

Peccatum omne in hac vita remitti potest. Esai. 1.

Chri

Christianos & theologos omnes certioris veritatis dogma est,& nihil apertius penéque frequentius in Scripturis docetur,quam in quibuscunque peccatis pœnitentiæ semper locum esse: & *misericordiam Dei superexaltare iudicium.* De quo lege Molinam quæst.14 artic.13.disput.10.

Sed Caluinus quam nobis obiectat inscitiam aliquo fortè probabit argumento. Subiungit. *Certum est enim reprobationis signum in Spiritum blasphemia.* Sed nec probat hoc quod dicit; nec si probaret,intentum tamen conficeret.Nam signa certa reprobationis tum plura & alia esse possunt præter hoc *vnum*; tum in quo illa sunt,non semper sequitur reprobatio. Signum enim quidem & certum esse potest, quod infallibile signum non est,sed probabile tantum. In Paulo ante conuersionem multa signa reprobationis erant. Singulari tamen Christi misericordia veniam cōsequutus est.Concludit tandem Caluinus. *Sicuti fieri posse negamus, vt qui verè Spiritu regenitus est se in tam horrendum scelus præcipitet; sic rursus tenendum est,qui exciderint,nunquam resurgere.* Hæc ille.Sed hoc est vno absurdo aliud defendere, & ex falsis principiis mendacia concludere. Caluiniana hæresis est, vnicam esse electorum fidem,eámque semel acceptam amitti non posse, quod olim Iouinianus hoc nomine hæreticus docuit.Ex illa hæresi consequitur,semel in Christo regenitum agnitam veritatem deserere non posse. Ex hoc ergo hæretico principio à contrario infert:Ergo qui semel exciderit,nunquam resurget vbi & antecedens falsum atque impium est,& cōsequentia futilis ac vana est. Illud enim potius sequeretur, quòd agnita semel veritate, fideíque & gratiæ donis acceptis, nemo ab eis excidere posset:ideóque peccatum hoc non in eos cadere qui excidunt à pietate, sed in eos qui eam nunquam amplexi sunt. Deinde etsi verum esset verè pios in tam horrendum scelus nunquam se præcipitare, id est, à pietate ad tantam impietatem non excidere, non sequitur tamen impios eò semel prolapsos resurgere non posse. Nam vt Dei gratia conseruantur pij ne tam horrendè cadant,sic Dei misericordia quomodolibet prolapsos frequenter releuat,vt innumera exempla docē:maximè vnius Petri, quem ter Christum abnegantem, respexit tamen Iesus, & ad pœnitentiam inflexit. *Luc.22.*

32. *Nō remittetur neque in hoc seculo neque in futuro.* *Purgatorij locus medius.*

QVomodo ex his Christi verbis medius locus mediumq; tempus inter hanc vitam & extremum iudiciū, in quo pecca

peccata vel remittantur vel non remittantur, necessariò colligatur, huncq; locum purgatoriũ esse, quod Catholica credit Ecclesia, in Prompt. Catholico in die animarum latè explicuimus. Hic tamen *insulsos* nos vocat Caluinus, *qui ex tam frigida materia ignem purgatorium accendimus*, & magistri sui dictata eisdem penè verbis repetit Beza in Annotat. in hunc locum. Caluini argumentum duplex est. Primum, quòd per *verbum futuri seculi, extremũ diem notari cuiuis pateat.* Ita sanè, quia nullo modo probare hoc potuit, rem ex se manifestam & cuiuis patere affirmat. Cæterum nec doctissimo Augustino, nec Gregorio, nec Bernardo, nec Isidoro, istud vllo modo patuit, quorum primus de ciuit. Dei lib. 21. cap. 24. secundus dialog. lib. 4. cap. 39. tertius serm. 66. in Cant. quartus de diuinis officiis lib. 1. cap. 18. ex his verbis mediũ purgatorij locum manifestè designari docent. Alterum eius argumentũ est, *quòd in futuro seculo non nisi pœnam remitti, nos ipsos confiteri* (ait) *qui tamen de culpæ remissione negare non possumus.* Cæterum Catholicorum doctrinam vel ignorauit vel nequiter dissimulauit, qui cum Patribus citatis docent, in futuro seculo remitti culpas leuiores, quas *ligna, fœnum, & stipulas* Apostolus vocat; qualia qui secum ex hac vita deferunt, ardebunt quidem, sic tamen vt salui futuri sint per ignem. Beza horum verborum hunc sensum comminiscitur, quòd *neque in hac vita constitutis neque morientibus remittetur, quia mortis articulus propriè respicit futurum seculum.* Hæc ille in media luce caligans. Quis enim non videt, mortis articulũ præsentem vitam terminare, non futuram respicere? Qui moriũtur, interim dum in mortis articulo versantur, ad hoc vtique seculum & ad hanc vitam pertinent, non ad futuram. Ad aliud seculum non morientes, sed mortui pertinent, de quo vide pulchram disputationem apud Augustinum. Alium adhuc sensum comminiscitur, quia nec Caluini euasiones nec prius suum commentum adhuc illi satisfecerunt. *Remissio* (inquit) *& condemnatio peccatorum in futurum seculum à Christo reijcitur, quia eo die Dominus sua iudicia reuelabit & exequetur.* Ita nunc Beza à die mortis ad extremi iudicij diem ingentem saltum fecit. Quo sanè die si aliqua peccata remitti docere Beza poterit, Scripturæ voces mutare debet, quæ illum diem respectu peccatorum non nisi *diem iræ, calamitatis, & miseriæ* vocant, de quo vide vtrumque Prompt Domin. 1. Aduentus. *Nulla peccata* (ait Beza) *post mortem propriè remittuntur, sed vel in hac vita vel in ipsa morte; tamen quia*

Caluini probatio audax affirmatio.

Verba habes loco citato.

1. Cor. 3.

Bezæ cacitas.

De ciuit. Dei libr. 13. cap. 11.

huius

huius remissionis plenum fructum non percipient fideles nisi ab extremo illo die iudicij futuri, videtur quodammodo ipsa peccatorum remissio in illum diem differri. Hæc ille; ad quem refutandum ipsius verba sufficient. Si enim nulla fit post mortem propriè remissio peccatorum, ergo in diem iudicij non differtur: vel si in diem iudicij differtur, nulla erit aut in hac vita aut in ipsa morte. Totum hoc dicit Beza, nec absurdissimas contradictiones à seipso proferri videt. Deinde quàm absurdum est non distinguere remunerationem iustitiæ, à remissione peccati! Plenus fructus remissionis peccatorum, quæ pars iustitiæ est, est ipsa iustitiæ remuneratio, quam in illo die reddet legitimè certantibus iustus iudex: quam præcedere debet peccati remissio, vt iustitiæ merces capiatur. Concludit Beza, *nimium esse ineptos qui ex hoc loco purgatorium volunt extruere.* Sed nihil illo atque Caluino fuit ineptius, qui tam ineptis & insulsis commentis suis apertissima Christi verba deprauare se posse existimauerunt.

Beza à seipso refutatur.

37. *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

MAgna confidentia hoc loco tum Caluinus tum Beza contra Catholicos, qui *iustificare impium*, exponunt, *facere iustum*, exclamant ex hoc vno loco contrarium manifestè probari, quia *iustificaberis* hoc loco (aiunt illi) nihil aliud significat quàm *absolueris:* quod euidenter conuinci aiunt ex eo quod illi opponitur, *condemnaberis.* Condemnari enim & absolui propriè opponuntur. Sed breuiter responde: *Iustificaberis*, hoc loco significat, gloria & corona dignus iudicaberis; *condemnaberis*, verò, pœna dignus iudicaberis, non solum ex bonis vel malis operibus, sed etiam ex bonis vel improbis sermonibus: quam etiam ob causam præmisit quòd *de omni otioso verbo reddetur ratio.* Docet ergo Christus partem iustitiæ nostræ etiam in linguæ custodia rectóque vsu consistere, non solum in operationibus bonis. Et hunc sensum habet apud Catholicos iustificare, in secunda quam vocant iustificatione, seu in augmento iustitiæ. Docet quoque Christus partem iniustitiæ nostræ non solum in malis operibus, sed etiam in verbis improbis versari. Verba autem improba condemnant, quia pars vna sunt illius iniustitiæ, ex qua coram Deo rei & iniusti sumus; sicut bona opera, & bona verba iustificant, quia pars illius iustitiæ sunt, ex qua coram

Iustificandi vocabulum.

Deo

Deo iustificamur & iusti sumus. Nullum ergo hic locum habet vel absolutio, quæ effectus iustificationis est, non ipsa iustificatio, vel condemnatio illa qua profertur Iudicis sententia, quæ effectus illius condemnationis seu formalis iniustitiæ est, propter quam talis profertur sententia. Sic Niniuitæ condemnabunt Iudæos, quia illorum pœnitentia Iudæorum impœnitentiam aggrauabit, propter quam condemnabuntur. Nihil ergo hic locus nouitium hæreticorum commentum iuuat, circa vocabulũ iustificandi. Postremò tametsi hoc loco iustificari pro absolui acciperetur, non propterea sequitur, in aliis Scripturis quæ ex fide & operibus nos iustificari affirmant, in eodem sensu vocabulum semper accipi, vt hæretici volunt: quum eadem vocabula diuersis sensibus accipi in diuinis Scripturis vulgatissimum sit. Talia sunt & tam ficulnea Archihæreticorum argumenta. *Cap. pref. ver. 4.*

50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, hic frater meus & soror & mater est.*

QVum hic locus bonorum operum studium, quo *facimus voluntatem Dei*, & ea quæ sunt placita Deo, *ambulantes in omnibus mandatis & iustificationibus eius*, vt de iustis loquitur Scriptura, mirificè amplificet, ita vt non solum quomodolibet Deo gratos ac iustos huiusmodi pietatis cultores esse doceat, sed etiam Deo gratissimos intiméque coniunctos demonstret, vt iam eos nec pro seruis tantum *facientibus ea quæ facere debuerant*, nec pro filiis tantum *qui à spiritu Dei aguntur*, quæ dilectionis quidem verba sunt, cum nota tamen subiectionis magnæque imparitatis coniuncta, sed altius adhuc consurgendo, *pro fratribus & sororibus*, imò etiam pro *matre* habeat. i. in intimam quandam familiaritatem recipiat, summóque dignetur honore; totam hanc tam emphaticam pietatis & obedientiæ mandatorum Dei commendationem vno *fidei* verbo impius Caluinus eludere se posse confidit. Sic enim scribit. *Eos intelligit facere voluntatem Patris, non qui exactè totam legis iustitiã implent (nam ita in neminem competeret fraternum nomen quo hic suos discipulos insignit) sed fidem præcipuè commendat, quæ sanctæ obedientiæ fons est & origo: simulq; defectus & carnis vitia tegit ne imputentur.* Homo impius ad vnam fidem tanquam radicem obedientiæ omnia refert, nec videt à Christo hoc loco non radicẽ, sed fructus laudari; non eos qui credũt,

Luc. 1. *Obediẽtia mandatorum.* *Luc. 17.* *Rom. 8.* *Ad vnam fidem omnia Caluinus refert.*

sed qui faciunt. Rursum non videt, sanctæ obedientiæ fontem & originem non esse solam fidem, sed multo magis charitatem. Nam vt *fides intellectum purificat*, quo videat quid sit agendum, & in quem finem actiones dirigẽdæ, & vnde agendi vis ac facultas petenda est: sic charitas voluntatem accendit, vt quæ agenda vidit, in actionem proferat, vt ad propositum finem currat, vt quæ petenda didicit, ardenter petat. Nam fides apprehendens Christum in sensu Caluini, nullius obedientiæ fons est, sed cerebri Caluiniani spectrum, Scripturis diuinis incognita. Verum quidem est, totius legis exactam obseruantiam à Christo hic non requiri vt faciat quis voluntatem Patris sui, & fortè de facto neminem adhuc fuisse (Beatiss. semper virginem propter honorem Domini semper excipio) qui totam legem exactè impleuerit, id est, sine peccato fuerit: sed aliud extremum est, omnem necessariam legis obedientiam excludere, & in sola fide totum ponere. Facere voluntatem Dei, nec totam & exactam postulat obedientiam, nec nullam quasi credere sufficiat; sed obedientiam flagitat & significat, qualis in hanc vitam cadit, vt *ambulantes secundum spiritum, non secundum carnem*, grauiora mandata exequamur, minores & quotidianos defectus oratione quotidiana purgemus. Quod autem Caluinus totum in sola fide ponat, probatio, quã subiungit, manifestum facit. *Nota est enim Christi sententia Ioan. 6. Hæc est voluntas Patris mei, vt quicumque videt Filium & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vult ergo non nisi fidem à Christo commendari, vt faciamus voluntatem Patris, quia qui credit, non peribit. Sed aduertere impius hæreticus debuit, vnam hic salutis causam poni, non totam. Qui credit, non perit, quia qui credit, alia gratiæ præsidia accipiet quibus saluetur: de quo vide Prompt. Cath ser. 1. Pentec. Deinde aduertere debuit alias Scripturas de voluntate Dei. *Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Videte fratres vt cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, &c. Serui obedite Dominis, &c. Vt serui Christi facientes voluntatem Dei, ex animo cum bona voluntate seruientes, Vt sitis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. In omni*

Marginal notes: *Act. 15.* — *Voluntatem Dei facere quid.* — *Rom. 8.* — *Ioan. 9.* — *Rom. 12.* — *Ephes. 5.* — *Ephes. 9.* — *Col. 4.* — *1. Thess. 4. & 5.*

omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Heb.10.
Iesu in omnibus vobis. Patientia vobis necessaria est, vt fa- Heb.1.
cientes voluntatem Dei, reportetis promissionem. Deus pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est 1.Pet.4.
viuat temporis. Denique illud Ioannis. *Mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet* 1.Ioan.2.
in æternum. Quis dubitare potest quin his omnibus in locis *facere voluntatem Dei*, nihil aliud significet quàm facere Dei mandata, & bonis operibus operam dare? Quòd si *facere voluntatem carnis*, necessariò in Scripturis significet facere ea quæ caro suggerit, expetit, & iubet, vt apud Pau- Ephes.2.
lum, quum de maximè impiis loquitur, *Conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum:* cui dubium esse potest, quin facere voluntatem Dei Patris sit ea facere quæ Dei Spiritus suggerit, quæ Deo placita sunt, ac demum quæ Deus in sua lege fieri mandat ac iubet? Sed voluntatem Dei facere, nunquam in Scripturis Caluino placuit, vt aliis adhuc in locis Euangelicis videbimus.

IN MATTHÆI CAP. XIII.

11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis datum non est.*

AD hæc & sequentia Euangelistæ verba, sparsit impius Caluinus infernalis suæ doctrinæ semina, de Deo peccati & cæcitatis reproborum authore atque impulsore actiuo. Affirmat *in diuersos fines hominibus à Deo proponi salutis doctrinam, & admirabili Dei consilio sic temperari, vt non minus odor sit mortis in mortem reprobis, quàm electis odor viuificus.* Hæc ille. Vult vtrumque finem ab ipso Deo proponi, & vtriusque effectus tam excæcationis reproborum quàm illuminationis credentium Deum authorem esse. Hanc ob causam affirmat Christum hic *data opera obscurius locutum esse, vt multis ænigmaticus esset sermo.* Addit postea vt totum suum venenum effundat, *Deum duobus modis priuare homines doctrinæ suæ luce: interdum ænigmaticè loquendo, interdum verò etiam si apertè loquatur, & absque figuris mentem suam palàm explicet, hebetando tamen illorum sensus & stupore per-*

Deus non excæcat reprobos actione propria.

cutiendo, vt in plena luce cacutiant. Hæc ille, vt probet non secus esse opus Dei excæcationem impiorũ quàm illuminationem piorum. Idem ex hoc loco & aliis Scripturis docet Instit.lib.3. cap.24. num.13. Sed ex sacra Euangelij historia non debuit Caluinus tale suxisse venenum. Textus ipse manifestè ostendit excæcationis reproborum causam non in Deo, sed in ipsis reprobis esse. *Ideo in parabolis loquor illis*, (ait Christus) ideo sermone obscuro & ænigmatico vtor, *quia videntes non vident*, id est, quia quum possint videre, nolunt videre. Sic enim postea dicit, *Oculos suos clauserunt*, id est, ex propria malitia auertere noluerunt. Non igitur idcirco Christus in parabolis apud incredulos Iudæos loquitur, quia data opera *voluit eos excæcare & stupore percutere*, vt impius Caluinus ait, sed quia illi improbi & malitiosi erant, qui nec apertissimè dicta intelligere vellent. Denique fatetur Caluinus, *Matthæum in his verbis auditoribus tribuere, vt cæcitatis suæ & duritiei culpam sustineant: quia quotquot in sensum reprobum coniecti sunt, sponte & intrinseca malitia se excæcant & obdurant.* Et rursum. *In ipsis excæcatis residet culpa, quia spontanea est excæcatio.* Hæc ille, vbi ex parte auditorum culpam residere quum agnoscat, ea sola cæcitatis causa contentus esse debuit, & non in Deo aliam causam ponere, quod hic Euangelium non docet. Nam eam ipsam ob causam D. Matthæus Esaiæ verba quæ citat, non iuxta literam
Esa. 6. hebraicam profert, vbi sic legitur, *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude*, quæ litera quasi iussionem & voluntatem Dei actiuam ponit circa illius populi excæcationem; sed iuxta versionem 70. profert: qui sic illa verba verterunt vt sit prædictio prophetica, non iussio diuina, quia reuera in talibus sermonibus Deus non iubet absoluta voluntate quod fieri vult, vel quod facturus est ipse, sed prædicit scientia sua infinita quod futurum est, & quod iusto iudicio suo fiet, subtrahendo quidem gratiam & negando lucem, sed non operando cæcitatem, aut stupore percutiendo mentes hominum, aut denique ob hunc finem proponendo doctrinam salutis quibusdam vt ea excæcentur: quæ omnia impius Caluinus hoc loco docet vt semina iaciat teterrimæ suæ doctrinæ, quòd Deus est author peccati, non solum permittens illud subtrahendo gratiam, sed etiam operans illud actiuè concurrendo, & voluntatem humanam ad malum impellendo.

Abutitur præterea hoc loco aliis Scripturis ad hanc suam impieta

impietatem confirmandam. Esa. cap. 28. vbi denuntiat Deus se *Barbarum fore populo qui peregrina & incognita lingua loquetur.* & Esa 29. *visiones propheticas doctis fore librum clausum & obsignatum in quo legere nequeant: vbi autem apertus fuerit liber, omnes fore idiotas, qui attoniti haerebunt, nescientes legere.* Haec ille. Sed prior locus quid velit, Paulus eadem verba citans satis nos docuit: nempe prophetiam esse futurae Iudaeorum incredulitatis, eo ipso tempore quo ex admirabili dono linguarum nouis Apostolis & Dei legatis impertito, variis linguis loquentur illi; de qua incredulitate ait Esaias. *Et noluerunt audire:* manifestè docens improbam eorum voluntatem liberam, non solum spontaneam vt Caluinus loquitur, huius incredulitatis causam fuisse. Posterior quoque locus non aliud est, quàm similis & eadem prophetia futurae incredulitatis Iudaeorum. Docet enim Propheta veteres prophetias fore Iudaeis clausas, vt Christum in illis non videant nec intelligant, idque propter velamen propriae & voluntariae incredulitatis, vt Apostolus docet. *Cùm autem conuersus fuerit ad Deum, auferetur velamen.* Quae sanè conuersio vt ex diuina gratia proficiscitur, ita quoque ex libera hominis voluntate semetipsum ad Deum conuertentis ortum habet, non secus dicente Scriptura, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,* quàm, *Conuerte nos ad te Domine, & conuertemur.* Summa ergo est, hominum propriam malitiam & incredulitatem in causa esse, non solum propinqua & proxima, sed plane vnica, si de causa propriè dicta loquamur, cur Dei mysteria à multis non capiantur. Quod in Prompt. Cath. circa haec ipsa verba latius disputatum vide. Hanc causam in fine huius capitis apertissimè posuit Matthaeus dicens, *Christum in patria sua non fecisse multas virtutes propter incredulitatem illorum.* Quae verba manifestè docent, Deum circa incredulos paratum esse suas partes agere, & propter hominum peruicaciam suam gratiam iustè subtrahere, non ex sola sua voluntate hominum mentes stupore percutere, vt suprà Caluinus docuit. Nunc enim suorum mendaciorum immemor hoc loco ita scribit, haec verba tractans. *Sanè ita res se habet. Dominus vbi videt virtutem suam à nobis non recipi, tandem eam subducit: & tamen interea conquerimur eius opem nobis deesse, quam nostra incredulitas procul arcet ac repellit.* Vide plura in Marc. cap. 6.

1. Cor. 14.

Esa. 28.

2. Cor. 3.

Zachar. 1.

Thren 5.

Domin. Sexagesi.

IN MATTHÆI CAP. XIIII.

9. *Propter iusiurandum autem iussit dari.*

INDVLGET hic stomacho suo Caluinus, non verbi Dei interpretem, sed maledicum & intemperantem conuiciatorem agens. Quum enim ex hoc Herodis iureiurãdo tum temerario & inepto, tum maiori cum impietate seruato, sana doctrina duplex sacrilegium vitandum colligat; vnum, ne temere Dei nomen assumatur; alterum, ne quod temere iuratum est, cum manifesta impietate seruetur: Caluinus ex hac sana doctrina religioni Catholicæ hanc calumniam struit. *Hinc sequitur* ait, *vota monastica, quibus coniuncta est manifesta impietas, non magis conscientiam ligare quàm magicos exorcismos, quia Deus sacrum suum nomen ad peccati confirmationem valere nõ vult.* Ponit homo impius pro manifesta impietate, ponitque tantum, nec vel vno verbo probat, quod tota semper Ecclesia Christi Catholica pro summa pietate, ac totius pietatis perfectione complexa est. Cui breuiter respondendum est. *Væ vobis qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, ac lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Nisi enim arrogantissimus Caluinus in oculis suis valde sapiens fuisset, vita monastica in tota semper Ecclesia & totius antiquitatis testimonio probatissima, tam perfricta & impudenti fronte *manifestè impia* nunquam pronunciasset. Sed huic impudentiæ vnus Augustinus, quẽ vnum maximi semper Caluinus facit, satisfaciet. Quod enim de Donatistis dixit, hoc aptissimè in Caluinum quadrat. *Meritò* (inquit) *insultant nomini vnitatis qui se ab vnitate preciderunt: meritò illis displicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt.* Hoc ille. Porro de eisdẽ Monachis alibi dicit. *Qui non perseuerauerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi & reus voti non redditi.* Hæc ille. Rursum alio in loco plenius. *Est quidam modus vouendi communis omnibus eorum quæ in communi præcipiuntur. Sunt etiam vota propria singulorum. Alius vouet Deo castitatem coniugalem, vt præter vxorem suam non nouerit aliam. Alij etiam vouent, & si experti tale coniugium, vltra nihil tale pati, nihil tale concupiscere aut sustinere: & ipsi vouerunt aliquid maius*

Vota monastica defenduntur.

Esa. 5.

Enarrat. in Psal. 132.

In Psal. 99

In Psal. 75. prope finẽ.

quàm

quàm illi. Alij virginitatem ipſam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti ſunt & reliquerunt: & iſti vouerunt plurimum. Alij vouent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis aduenientibus. Magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia ſua diſtribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in ſocietatem ſanctorum. Magnum votum vouit. Quiſque quod vouere voluerit, voueat. Illud attẽdat, vt quod vouerit reddat: quia ſcriptum eſt, Vouete & reddite Deo veſtro. Hæc ille, & multò illic plura. Idem denique voti ſemel facti vinculum vrget, & premit, in lib. de adulterinis coniugiis lib. 1. cap. 24 Solet Caluinus D. Auguſtinum fideliſſimum antiquitatis interpretem meritò vocare. Expoſtulent ergo contra illum, imò contra totam antiquitatem Caluiniſtæ, quibus authore Caluino vota monaſtica *cum manifeſta impietate coniuncta* videntur.

19. *Aſpiciens in cælum benedixit.*

Benedictio hoc loco, ait Caluinus, *vt alibi ſæpe pro gratiarum actione capitur.* Sed eadem hiſtoria apud Lucam poſita hanc expoſitionem manifeſti erroris conuincit, niſi forte ipſis panibus ac piſcibus gratias egiſſe Chriſtum dicere velit Caluinus. Nam in Luca ſic legimus. *Acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, reſpexit in cœlum, & benedixit illis, & fregit.* Manifeſtè dicitur quòd Chriſtus ipſis panibus & piſcibus benedixerit, id eſt, bene precatus fuerit, aſpiciens in cœlum, vt poteſtatem hanc benedicendi & per benedictionem multiplicandi à cœlo ſe accipere profiteretur. Porro idem Caluinus in capite 19. Matth. ad illa verba, *Oblati ſunt ei paruuli vt imponeret eis manus,* ait Chriſtum *oblatos ſibi paruulos ſolenni benedictionis ritu Deo Patri conſecraſſe.* Beza in hũc Matth. locum benedictionem quoque interpretatur gratiarum actionem, quia Matth. 15. & Ioan 6. in ſimili miraculo ponitur vox εὐχαριστήσας, gratias egit, non autem, εὐλόγησε, benedixit. Cæterum Luc. 9. vbi nõ ſolum repetitur verbum εὐλόγησε, benedixit, ſed additur relatiuum αὐτοὺς, illis, id eſt, panibus, in hunc modum cauillatur. *Non dubium eſt* (inquit) *quin* εὐλογεῖν *hoc loco ſignificet* τὸ εὐχαριστεῖν: *id eſt, gratias agere. Quia tamen additur relatiuum* αὐτοὺς, *& nimis abſurdum fuerit cogitare Chriſtum egiſſe panibus gratias, aut precatum eſſe panes ac piſces, emollienda eſt hæc interpretatio. Dicitur ergo panibus benedixiſſe, id eſt, de his panibus ac piſcibus gratias egiſſe Deo Patri, & ſimul eum precatus vt tantilla panum ac piſciũ copia*

Luc. 9.

Benedictio creaturarũ

Beza inanis luſta & tergiuerſatio.

tantam multitudinem pasceret. Denique vt totum hoc conuiuiũ ad Dei gloriam referretur. Hæc Beza contra apertam veritatẽ Euangelicam pertinaciter contendens, & contra stimulũ frustra calcitrãs. Hæc enim expositio sensum literę prorsus euertit. Nam de panibus gratias agere Deo, non est ipsis panibus benedicere, sed Deo. At Lucas dixit, quòd *ipsis panibus benedixerit Christus.* Deinde precari Deum pro multiplicatione panum, est rursum actio ad Deũ relata, non ad panes. At Lucas dicit, *ipsis panibus benedixisse Christũ*, vt benedictionis actio ad panes ipsos referatur. Denique vt totum conuiuiũ ad Dei gloriam referatur, finis certè benedictionis esse potuit, sed nõ ipsa benedictio, quæ ad ipsos panes referebatur, si vera narrat Lucas. Postremò si quum in aliis Scripturis legimus, *Benedixit auibus & piscibus* & hominibus, dicens, *Crescite & multiplicamini*; & ad Abraham, *Benedicã tibi, & magnificabo nomen tuum*, &c. & rursum de Sara, *Benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes*, & deniq; ad Isaac, *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*, &c. & postremò de Iacob, *Benedixit ei, dicẽs, Cresce & multiplicare*, sed & toti veteri populo, *Benedicam panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatẽ de medio tui*, in his multísque aliis similibus locis nemini dubiũ est *benedictiones* Dei ad ipsas creaturas relatas, & aliquid in illis operatas fuisse: quæ hoc loco hæreticorũ tergiuersatio est, benedictionis actionẽ in Christo à creaturis tanto miraculo multiplicatis remouere, & in solam gratiarum actionem conuertere? Sed impudentes hæretici clamant semper & postulant scriptum verbum & literæ contextum: ipsum tamen verbum & contextum audacissimè peruertunt. Alioqui cur non aduertunt Christum vt hominẽ gratias Patri egisse, vt Deum verò benedixisse, & benedicendo panes multiplicasse? Sanè dum ita pertinaciter contendũt Christi benedictionem nihil fuisse quàm gratiarum actionẽ, id obiter agunt, vt diuina sua actione & operatione propria, qua panes benedicendo multiplicauit, Christum spolient: quem sibi aditũ patefieri gaudebunt in sinu noui hodie Ariani. Tota autem hæc eorum pertinax contentio inde nascitur, ne in diuina Eucharistia, ad cuius doctrinam Christus hac panum multiplicatione viam sternebat (quam ob causam idẽ miraculum præter morem suum Ioannes reperit, vt sermonẽ quem Christus de carne sua manducanda proximè habuit, ante hoc miraculum proximè præcessisse ostenderet) benedictionem Christi ad ipsa elementa panis ac vini referri videan

Beza glossa literam destruit.

Gen. 1. *Gen. 22.* *Gen. 17.* *Gen. 26.* *Gen 35.* *Exod. 23.*

Scripturæ textũ audacter corrumpunt hæretici.

Ioan. 6.

deantur: de quo infrà cap. 26. plura dicemus.

28. *Domine, si tu es, iube me ad te venire.*

QVum Petri fidem hoc loco omnes interpretes laudent & admirentur, ipsaque res gesta & Christi approbatio proclamet, sed & singularem Petri prærogatiuam supra cæteros Apostolos, quòd solus super aquas ambulans ad Christum peruenit, veteres Patres obseruēnt, S. Chrysost. hom. 57. & Bernard. lib. 2. de considerat. ad Eugenium: vnus Caluinus, qui cum aliis hodie hæreticis omnia Petri præclara facta & dicta vel traducere vel extenuare conatur, incredulitatem in eo & temeritatem arguit. Incredulitatem arguit, quia postquam Christus dixerat, *Ego sum*, Petrus tamen dubius & perplexus dicat. *Si tu es*, Sed illam vocem non dubitantis fuisse, verùm maximè credentis & confidentis, illud adiunctum manifestè ostendit, *Iube me ad te venire super aquas.* Nulla enim fortior esse fides potuit, quàm iubente Christo, aquis se committere vt super eas ambulet. Nec vllus opinor hodie hæreticus qui solam fidem semper venditat, à Christo iustus hoc facere, idem tentare vellet. Quare illud, *Si tu es*, idem significare potest, quod, quia tu es, vt sæpe alibi in Scripturis. Infra cap. 19. *Si ita est causa hominis*, id est, quia sic se res habet in matrimonio vt dicis: *Si tamen iustum est*, id est, quia iustū est: *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum*, id est, quia vel quòd passibilis erat Christus, &c. Deinde si propriè accipiatur, non tamen dubitantis animum, sed maioris habendæ certitudinis affectum demonstrat: vt illud beatissimæ virginis, *Quomodo mihi fiet istud?* ad quæ verba ipse Caluinus ita scribit. *Sciendum est non ita dubitare vel sciscitari vt sensibus suis Dei potentiam vel subijcere vel æquare velit, tantum subita admiratione perculsa ad mouēdam hanc quæstionem rapitur.* Hæc ille. Eodem in Petri verbis candore vti oportuit. Videns enim tam inusitatum spectaculum, Christum super aquas ambulare, dicendo, *Si tu es*, non ita dubitauit vt sensibus suis Dei potentiā qua homo super aquas ambularet, vel subijceret vel æquaret: tantū subita illa admiratione perculsus (erant enim omnes turbati, *& præ timore clamauerūt, existimantes phantasma esse*) ad experimentum istius præsentiæ Christi petendū rapitur: vt cæteris sanè fortior ac firmior in fide, non vt præ aliis magis dubitans. Quare impiè subiunxit Caluinus. *In fide tam exigua & debili erumpit parū considerati voti ardor, Iube me venire super aquas.* Christus enim hoc

Petri fides defenditur.

2. Thes. 1.
Act. 26.

Luc. 1.

Caluinus à seipso refutatur.

non vt inconsiderati voti ardorem reprehendit, sed vt præstantissimæ fidei præclarũ testimoniũ approbauit, iubẽs eum ad se venire super aquas, quod & de facto Petrus præstitit, ambulãs super aquas vt ad Christũ veniret. Cæterum ad hanc tam luculentam Christi approbationem vide quid cauilletur Caluinus. *Deus plerumque nobis prospicit, negando quod petimus, aliquando autem nobis est facilis, vt ipsa experientia stultitiæ nostræ nos melius cõuincat.* Hæc ille, vt doceat ideo Christum voto Petri facile annui se, vt ipsa postea experiẽtia stultitiæ suæ Petrũ conuinceret: nempe quia paulo post submergi cœpit. Sed primùm aduerte hoc cauillandi modo omnia piorum vota quibus Deũ annuisse in Scripturis legimus, temeritátis quoque damnari posse. Nempe si cum Caluino dicamus Deũ facile illis annuisse, vt ipsa experiẽtia stultitiæ suæ eos conuincat. Cæterum tenendum est, Deũ, tametsi electorum suorum piis ac laudabilibus votis non semper annuat (quod diuini sui consilij secretum est, qui infinitè melius nouit quid nobis, & quando ac quomodo expediat, quàm nos ipsi,) stultis tamen & ineptis eorum votis nullo modo annuere. Istud enim esset stulta vota approbare. Vnde etiam sequitur, hanc ambulationem Petri super aquas, quã Christus primo verbo concessit, & quæ per se non nisi curiosa quædam & inutilis actio videtur, aliquid mysticũ & in ipso Petro singulare denotare debuisse; prout Patres suprà notati obseruarunt. Neq; verò Petri postea periculũ quãdo submergi cœpit, prioris voti inconsiderantiã, aut prioris fidei imbecillitatẽ arguit, sed propter nouã, ingentẽ ac vehementẽ tentationẽ, nouã fidei defectionẽ atque imminutionẽ demõstrabat. *Videns enim ventũ validũ*, ait textus, *timuit*, id est, à priori sua confidentia defecit: & sic mergi cœpit. Quare Christus eũ *modicæ fidei* appellat; modicæ videlicet respectu prioris, quæ multo maior erat, quando nec vndas nec vẽtos formidauit, *ambulans super aquas.* Tentatio quippe fidẽ probat, an constans & firma permanere velit. Nec qui tentationi succumbit, nullã propterea aut modicã semper fidẽ prius habuisse cõuincitur, sed in fide non permansisse plerũque ostenditur. Cæterum totã hanc nouam procellam nouámque tentationem propter quam timuit Petrus, dissimulat prorsus impius Caluinus, vt hunc Petri timorem & periculum subsequens ex priori incredulitate & timore ortum accepisse persuadeat. Ait enim quòd *temeritatis suæ pœnas dare hic Petrus incepit.* Dicit *dubitationem eius fuisse directè fidei contrariam.* Denique *vanum eius*

Deus stultis suorum votis non annuit.

Caluini dolus malus.

eius peruersumq; timorem vocat. Sic totam hanc historiam Euangelicam, ne aliqua singularis fidei commendatio in Petro appareret, homo impius corrũpit atque peruertit. Quod tamen ad eius singularem cõmendationem Matthæus scripsit, Marcus verò, qui Christi ambulationẽ super mare commemorat, hoc Petri admirabile factum more suo tacuit, vt cætera omnia quæ pro Petri prærogatiua faciunt: ipso hortante Petro, qui Marci Euangelium vidit & approbauit, vt notat B. Chrysostomus. *Homil. 55. in Matth.*

36. *Et rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salui facti sunt.*

Displicuit vehementer hæc narratio Caluino, & iuxta commentarium quem affert, facilè apparet, si Matthæi loco fuisset, vniuersam hanc historiam altissimo silentio inuoluere eum voluisse. Sic enim ad hæc verba scribit. *Credibile est superstitione aliqua fuisse implicitos quum ad tactum vestis restringerent Christi gratiam: saltem illum fraudabant honoris sui parte, quum nihil virtutis sperarent ex simplici eius verbo. Sed ne lignum fumigans extinguat, sese accõmodat eorum ruditati.* Hæc ille, pessimo suo fermento totam historiæ huius Euangelicæ massam corrumpens. Diuus enim Matthæus volens ex proposito ostendere, quanta iam esset Christi redemptoris nostri existimatio & fama, quantáque populi illius loci circa lacum Genesareth, vbi plurimum versabatur, fides & deuotio erga Christum; sic de illis scribit. *Et cùm cognouissent viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent,* &c. Quid? An impius Caluinus hoc quoque superstitioni deputabit, quòd *mittentes in vniuersam regionem, obtulerunt ei omnes malè habentes?* At D. Petrus hoc in singularem Christi laudem commemorauit, prædicans fidem Centurioni & eius familiæ gentium primitiis, *quòd pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* Quod si verò prior narrationis pars factum commemorat superstitione carẽs, quomodo posterior pars factum narrabit superstitione plenum? Deinde an solet Christus aliorum ruditati sic se accommodare, vt facta superstitiosa non solum toleret, sed & miraculis beneficis honoret?

Caluinus taxat quod Euangelista laudauit.

Historia Euangelica definitur. *Act. 10.*

1.

2.

noret? An vel in vllo magistro tolerandum hoc esset, vt fa-
3. ctum superstitiosum beneficio commendaret? An Christus, qui omnem in Pharisæis superstitionem acerrimè semper taxauit eandem in populo non solum dissimularet, sed & diuinis beneficiis cohonestaret? Dubitari absque impietate nō potest, Christum redemptorem non nisi virtutem supplicantium, maximè fidem ipsam in omnibus suis miraculis ac beneficiis remunerasse. Quo in genere valde illustre est, quod

Luc. 12. rogatus à quodam de turba; *Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem*; quia petitio illa non fidem aut pietatem vllam, sed auaritiam redolebat, penitus recusauit dicens: *Homo, quis me constitui iudicem aut diuisorem super vos?* Móxque ad illos dicebat: *Videte & cauete ab omni auaritia*, &c. Non secus Christo odio est superstitio quàm auaritia, maximè veritatis magistro, qui omnem imprimis superstitionem eliminare debet. Qui ergo horum duorum auaritiæ accommodare se noluit, quomodo tam multi populi superstitioni accommodare sese voluisse existimabitur?

Caluini cauillationes refutantur.

Sed & superstitionis suspicio quam hic cōminiscitur Caluinus, prorsus vana & iniqua est. Ait *illos superstitione implicitos, quia ad tactū vestis restringerent Christi gratiam.* Sed planè contrà se res habuit. Non enim ad tactum vestis restrin-
1. gebant Christi gratiam, sed extendebant. Tanta enim illorum fides erat, vt crederent nō solum verbo, aut contactu vel impositione manus Christum sanare potuisse (quod sæpius aut viderant, aut audiuerant) sed etiam solo vestis adeóque fimbriæ vestis contactu sanare posse. Itaque vsque ad ipsam fimbriam Christi gratiam extendebant, non restringebant. Vnde in hunc locum Chrysost. *Non similiter vt prius ad domos trahebant, & tactum manus inquirebant, sed cum maiori fide eum accedebant.* Id quod etiam verba Euangelistæ bene perpensa manifestum faciūt. Non enim dicit, Rogabant eum vt solam fimbriam tangerent, quasi eo solo modo Christum sanare posse existimarent, quod fuisset planè ridiculum: sed dicit, *Rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerēt*, nempe vt vel hac minima ac facillima ad Christum accessione sanari eos permitteret, quem multis aliis modis sanare
2. posse credebant. Addit Caluinus *quòd Christum parte sui honoris fraudabant, quum nihil virtutis sperarent ex simplici eius verbo.* Alia est & insulsa calūnia. Non enim hoc dicit Euangelista, quòd verbo Christi diffiderent, aut verbi Christi virtutem negarent, sed ostendit eorum fidem tantam fuisse, vt

vel

vel fimbriæ contactu contenti essent. Quod inusitatius & rarius erat, credebant; multo magis quod frequentius erat, credidisse dubitari non debet: frequentius verbo aut impositione manus Christus sanabat quàm solo fimbriæ contactu. Hanc igitur specialem gratiam ex firma & speciali in eum fide sibi fieri postulabant: quam & Christus vt laudabile ac fide plenũ concessit. Si quis à peritissimo & expertissimo aliquo medico, quem vna aliqua sola potione sanare id posse consideret quod alij medici non nisi variis adhibitis medicamentis, & multa cura sanarent, rogaret vt vel illam potionem ipsi ministraret, an iste totam reliquam huius medici artem aut contemnere aut negligere diceretur? An non potius ostendit se de hoc medico magnificè sentire, & propter singularem de arte & peritia eius opinionem, hoc vno medicamẽto contentum fore? Ita planè in facto præsenti se res habet.

Sed nunc cur in hoc facto superstitionis notã hærere tam studiosè Caluinus velit, videamus. Adiungit præcedentibus vt totum animi sui morbum aperiat. *Interea non est quòd inde sibi placeant qui gratiam Dei in ligno aut clauis aut vestibus quærunt, quum disertè pronũciet Scriptura nefas esse quicquam nunc concipere de Christo nisi spirituali cælestiq; eius gloria dignum. Tolerata fuit ad tempus eorum infirmitas qui nescientes Christum esse Deum, propius ad eũ accedere optarunt. Nunc quum odore gratiæ suæ cælum & terram impleat, fide non manibus vel oculis apprehendere docet quam è cælis offert salutem.* Hæc ille. Sed nimis serò prophanus homo suam hanc impietatem post annos 1500. nos docet: quum sanctissimi & doctissimi Patres in sanctorum ac maxime crúcis Christi reliquiis toto hoc tempore magnam venerationem posuerint, variáque à Deo beneficia senserint: non gratiam Dei in illis quærentes (vt iste impostor odiosè loquitur) quæ propriè gratia Dei vocatur, & hominem internè iustificat aut sanctificat, sed varia Dei dona ac beneficia in illis quærentes, quæ vel ad externam incolumitatem vel ad consolationes internas facerent: Augustinus videlicet, Ambrosius, Hilarius, Basilius, Chrysostom⁹, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Theodoretus, Eusebius Emissenus, Cyrillus, Paulinus, Hieronymus: quorum omnium vel verba citauimus, vel loca annotauimus in Prompt. Cath. Dom. 13. post Pentec. Hos omnes Caluino opponimus, & meritò anteponimus. Deinde qui reliquias aut Christi aut Sanctorum eius venerantur, nihil spirituali aut cælesti Christi gloria indignũ

Reliquiarum religiosus vsus defenditur.

(vt

(vt obiicit Caluinus) concipiunt: imò de ea tanto magnificentius sentiunt, quanto certius credunt, non illum solum, sed quicquid eius est, opitulari nobis posse: siue Sanctos eius, eorúmque reliquias, siue crucis lignum, aut terræ contactum vbi passus est. Rursum non est in illis infirmitas toleranda, quasi eorum qui Christum esse Deum nesciunt; sed est pietas maximè laudanda, & eorum qui Christum esse Deum maximè credunt: qui non fide tantum è cælis salutem expectant, sed manibus etiam atque oculis eum apprehendere, quatenus in terris apprehendi potest, cupiunt atque contendunt. Christus in terra manibus atque oculis apprehenditur, quando *vni ex minimis eius poculum aquæ frigidæ* porrigimus, quando
Matt. 10. *Prophetam ab eo missum in nomine prophetæ* accipimus, quan-
Luc. 10. do eum in pauperibus *esurientem pascimus, nudum vestimus,*
Matt. 24. &c. Quando eos quos mittit audiendo & honorando, ipsum audimus, ipsum honoramus. Postremò quando de pane illo
1. Cor. 11. edimus & de calice bibimus, de quo dixit: *Hoc est corpus meũ, & hic est sanguis meus.* Ex quibus omnibus manifestum est, vanam & impiam esse Caluini speculationem, quòd oculis ac manibus apprehendi Christus non debeat. Deinde an illi
Act. 5. & 19. pij ac fideles Christum esse Deum nesciebant, *qui ex vmbra Petri, & ex contactu sudariorum Pauli*, salutem quærebant? An non & tũc Christus in cælesti sua gloria gratiæ suæ odorem in terras spargebat? Planè vel maximè tunc eam spargebat. Sed inter varium diuinæ illius gratiæ odorem, etiam hoc quoque spargebat Christus, quòd *per Apostolorũ*, & alio-
Act. 4. rum Sanctorum suorum *manus prodigia faciebat in plebe:* & quòd *manum suam extẽdebat ad sanitates & signa & prodigia facienda per nomen sanctum suum.* De quo vno singulari beneficio magnas Deo gratias egerunt Apostoli ipsi & cæteri fideles in vnum congregati. Sed impius Caluinus hoc totum genus ad superstitionem relegat, & propter infirmitatem eorum qui Christum adhuc esse Deum nesciebant, toleratum à Christo tantisper fuisse somniat. Sic ille tota Dei Ecclesia audacissimè contempta, suam etiam in diuinis Scripturis crassam ignorantiam turpiter prodit.

1. *Tunc accesserunt ad eum ex Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes.*

MVLTVS & copiosus in hoc capite Caluinus est vt iustissimam Pharisæorum reprehensionem in eo comprehensam in Ecclesiam Catholicã transferat. *Videmus* (inquit) *quanta in ratione & modo colendi Deum sit hominum proteruia. Nouos enim cultus subinde confingunt; & quo quisque videri vult sapientior, suum acumen in hac parte ostentat.* Hæc ille pro suo libito garriens. Mox de quibus loquatur ostendit. *Non de extraneis loquor, sed de ipsis Ecclesiæ domesticis, quos Deus peculiariter hoc honore dignatus est, vt pietatis regulam ore suo dictatam habeant.* Catholicos ergo accusat, & ipsos imprimis Ecclesiæ magistros. Nunc accusationis fundamenta sequuntur. *Præscripsit Deus qualiter à nobis coli velit, ac perfectam sanctitatem lege sua complexus est.* Hoc Caluino negamus, quod totam rationem cultus diuini in particulari Deus in scriptura Euangelica vel Apostolica nobis præscripsit. Hanc enim Scripturam per legem Dei significare debet, nisi ad legales cæremonias cultum Dei hodie reformandum iudicet. Causas cur hoc meritò negari debeat, ex ipsis Scripturis ostendimus in Prompt. Cathol. in Domin. infrà Oct. Natiu. Domini. circa ieiunia Annæ prophetissæ, & in festo Simonis & Iudæ. Prosequitur suam accusationem Caluinus. *Bona pars, quasi res sit leuis & friuola, obsequi Deo ac seruare quod præcipit, multa Additamenta hinc inde sibi accersit.* Generalis accusatio, qua facilitate obiicitur, eadem negatur, & dolosus versatur in generalibus. Sequitur. *Qui authoritate pollent, commenta sua in hunc finem obtrudunt, quasi aliquid habeant perfectius verbo Domini.* Insulsa calumnia est hominis impotenter maleuoli. *Obrepit deinde tyrannis, quia vbi semel iubendi licentiam sibi sumpserunt homines, rigidè exigunt suarum legum obseruationem, nec sustinent vel minimum apicem vel contemptu vel etiam negligentia omitti.* Alia rursum hæc est & generalis calumnia à tetro maleuolentiæ pectore profecta, vt facilè ostendat Caluinus, in *felle amaritudinis & obligatione iniquitatis* se fuisse, quum hæc euomeret. Videamus tamen sequentia, an aliquid sobriè dicturus sit. *Porrò mundus quum legitimi Imperij sit impatiens, maximeq; ad iugum Domini fe-* *Act.* 8.

rendum contumax, laqueos tamen vanarum traditionum facilè ac libenter induit: imò talem seruitutem videntur multi appetere. Scilicet non contentus Ecclesiæ Catholicæ magistros tyrannidis accusasse, nũc totum populum Christianum affectatæ superstitionis accusat. Bene habet. Hominis insani maleuolentia & facundia canina nemini vult parcere. Sed nunc quam laruam obtendat, sequentia demonstrant. *Interea vitiatur cultus Dei, cuius principium ac caput est obedientia. Eius Imperio præfertur hominum authoritas, morosè adeóque tyrannicè cogitur vulgus totum suum studium ad nugas applicare.* Laruam obtendit de vitiato cultu Dei, sed totum definit
Hebr. 3. in accusatione Præpositorum Ecclesiæ; quibus *obedire & subiacere* quum Apostolus iubeat, hoc totum bonus Caluinus morositatem & tyrannidem vocat. Hæc quasi præfatus Caluinus, vt apud suæ farinæ homines, lectoris beneuolentiam captaret, ad doctrinam huius loci descendit.

1. *Docet* (inquit) *hic locus primùm omnes fictitios cultus minimè Deo placere.* Verum hoc est de omni cultu priuata authoritate aut superstitione inuecto, idque contra Dei legem, qui propriè fictitius cultus est hoc loco damnatus. Talis enim Pharisæorum hæc traditio erat, quòd filij offerentes dona in templo, & parentum necessitati non subuenientes, mãdatum Dei de honorandis parentibus satisfacerent. Sed an tales fictitios cultus Caluinus intelligat, sequentia docebunt. *Quia*
Cultus fictitius quis censendus. (inquit) *se vnum audiri Deus vult, vt nos ad veram pietatem suo arbitrio formet ac instituat.* Cultum ergo fictitium Caluinus definit, qui ab vno Deo non instituitur. Cui respondeo. Aut vnius Dei nomine eos quoque complectitur quos Deus mittit, vt eius nomine ad pietatem homines instituant,
Ephes. 4. & sic Ecclesiæ magistros, *Pastores ac doctores* agnoscit, qui *dati sunt ad consummationem sanctorum, & ad ædificationem corporis Christi*, quæ duo cultus quoque diuini rationem continent, & contra præcepta atque authoritatem Ecclesiæ nihil dicit; aut vnius Dei nomine alios omnes præter Deum excludit, & sic egregiè & impiè mentitur, quum ait: *Se vnum audiri Deus vult.* Christus enim Deus ipse aliter dixit, Apo-
Luc. 10. stolos suos alloquens, *Qui vos audit, me audit.* Pergit Calui-
2. nus. *Deinde docet hic locus operam ludere qui vnica Dei lege non contenti, in seruandis hominum traditionibus se fatigant.* Pertinet hoc ad alia illa verba, *Frustra me colunt docentes mandata hominum*, &c. quæ postea tractabimus. *Tertiò* (ait
3. Caluinus) *docet hic locus iniuriã Deo fieri quum ita in sublime*

efferun

efferuntur hominum commenta, vt legis eius maiestas ferè concidat, vel saltem frigeat eius reuerentia. De hominum commentis verissimum hoc est, quæ nullo planè in precio quo ad Dei cultum habenda sunt. Sed traditiones Apostolicæ & constitutiones Ecclesiasticæ hominum commenta non sunt, sed Dei instituta, vt locis citatis ostendimus. Sed neque illa sic in sublime ferri volumus, vt legis diuinæ maiestas propter earum obseruationem vel minimùm violetur. Sed nunc ad hæc tria seorsim loca ex hoc capite deducta quid disputet Caluinus, seorsim examinabimus.

2. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?*

CAuillationem hanc & superstitionem Pharisæorum in eo consistere vult Caluinus, *quòd ceremoniam lauandi manus* non per se *liberam & indifferentem, sic vrgebant contra discipulos Christi qui eam prætermiserunt, quasi rem necessariam & ad Dei cultum pertinentem, quum in lege Dei præscripta non esset. sed ab illis verbo Dei assuta.* Idem affirmat *de aqua benedictæ ceremonia Ecclesiastica, quia ad exorcismos illam applicamus, & vt rem necessariam vrgemus, & vnicum baptismum toties iterando, quantum in se est, obliteramus.* Quod postremum ab eo ineptissime obiici, vel quælibet anicula Christiana aduertit, quæ aquæ benedictæ vsum à baptismo longissimè distingui statim responderet. Nec secundum quod ponit, vel vllus idiota Catholicus ignorat merum mendacium esse, quum omnes videant in eius vsu nullam necessitatem poni, sed liberè vel assumi vel non assumi; modò absit contemptus qui non in ceremoniam, sed in Ecclesiæ præpositos qui eam instituerunt, imò in Christum cadit, dicente ad illos Christo, *Qui vos spernit, me spernit.* Primum quod obiectat, apertam Caluini insaniam demonstrat, iuxta illud August. *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissima insania est.* Ad cauillationem Pharisæorum quod attinet, si rectè expendatur textus, de discipulorum facto, nihil in alteram partem respondit Christus, sed in ipsos Pharisæos grauiora crimina retorquet, videlicet transgressionem mandati Dei in decalogo propter quandam eorum traditionem in auaritia fundatam, item hypocrisim eorum de qua postea dicetur. Sed factum discipulorum qui non seruabant traditionem illam Seniorum de

Luc. 10.

Epist. 118. cap. 3.

Traditio Seniorum à discipulis neglecta hæreticos non iuuat.

lauandis manibus, Christus apertis verbis nec defendit nec damnat, vt propterea traditionum Ecclesiasticarum contemptum ex hoc facto discipulorum Christi deducere hæretici nullo modo possint. Cæterum vtcunque hac in re discipuli vel peccauerint vel non peccauerint (Christus enim eorum factum nec damnat nec defendit) traditiones illas Seniorum cum traditionibus Ecclesiasticis nullam planè affinitatem habere, duabus maximè ex causis notandũ est. Primùm quia tota ratio cultus diuini apud Iudæos in ipsa lege Moysaica exactissimè & scrupulosissimè tradita fuit, diserteq; vetitum nequid ei adderetur dicente Moyse: *Non addetis ad verbum quod ego vobis loquor,* &c. Quare reliquis prophetis aut sacerdotibus post Moysen nulla est data potestas nouas sacrificiorũ cæremonias instituendi. Atqui de cultu nouæ Ecclesiæ quã Christus erexit, Christus ipse excepta Sacramentorũ institutione & precandi formula nihil ordinauit; nec in historia Euangelica vlla prohibitio extat, vt ad verbũ Euangelij scriptum nihil addatur, sed contra Christus iussit suos Apostolos *sicut semetipsum audiri:* misit illos cum amplissima potestate *sicut Pater ipsum miserat*, promisit & postea misit *Spiritum S. qui eos omnia doceret.* Denique ipsi Apostoli & Seniores præcepta varia promulgarunt, & obedientiam aliis Præpositis deferendã præscripserunt. Reliquerunt igitur nobis traditiones partim scriptas in epistolis, partim nõ scriptas, vt Paulus testatur. Hæc est vna latissima differentia cur Seniorum traditiones nõ scriptæ in lege, à discipulis Christi negligi potuerint, traditiones tamen Ecclesiasticæ non scriptæ in Euangelio, vel literis Apostolicis, contemni à Christianis non debeant. Altera ratio est, quòd hæ traditiones Seniorum ad nullam populi Iudaici ædificationem, sed ad onus inutile; nec ad diuini cultus augmentũ, aut tanquam mediũ melius colendi Deum, vt affirmat Caluinus, sed ad eius corruptelam potius faciebant. Vnde illa omnia *aniles fabulas* Paulus vocat, vt docet August. contra aduersar. Legis & Prophet. lib. 2. cap. 1 & à recẽtioribus Scribis ac doctoribus paulo ante Christi aduentum ortum habuerunt, vt late describit Epiphanius in hæresi Ptolomæitarum, & D. Hieronymus variis in locis: in cap. 8 Esaiæ, in cap. 3 epist. ad Titũ, in epist. ad Algasiam q. 10. Vide quoque Irenæum lib. 4 cap. 21. & 26. Traditiones autem Ecclesiasticæ, quas exemplo discipulorũ Christi contemnere volunt hæretici, sunt traditiones Apostolicæ, & totius antiquitatis testimoniis firmatæ, non recenter inuentæ, omnesq;

ad

Traditionum Eccle. discrimen a Pharisaicu.

Deuter. 4.

Luc. 10.

Ioan. 15. & 16.

Act. 15. & 16.

Heb. 13.

2. Thes. 2.

1. Tim. 1.

ad Dei cultum & populi ædificationem institutæ. Quare nullam, vt dixi, assignatem traditiones Ecclesiasticæ cum earum traditionibus, quarum transgressio à Pharisæis obijcitur, nihil commune habent.

3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

HOc erat maximum Scribarum & Pharisæorum sacrilegium, quòd illis recentibus suorum traditionibus ita inhærebant, vt propter illas seruandas Dei mandata in lege scripta violarentur. Id quod dupliciter fiebat: vno modo suarum traditionum obseruantiam magis exactè & rigidè à suis exigendo quàm scripta in lege Dei mandata, quod apud Marcum priori loco, hic verò apud Matthæum posteriori loco à Christo obiicitur, nósque posterius examinabimus. Alio modo ipsa Dei mandata per suas nouas traditiones quasique expositiones peruersas corrumpendo, vt in textu apparet circa mandatum de honorandis parentibus. Hoc idem crimen Catholicæ Ecclesiæ generalibus verbis obijciunt hæretici, sed in nulla Ecclesiastica traditione hactenus hoc probare potuerunt. Neque hoc loco Caluinus hunc transgressionis modum Catholicis impingit, sed priorem illum, quem Christus non istis verbis, vt putauit Caluinus, sed aliis expressit, quæ nunc explicanda sunt.

9. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

DVplicem hypocrisim in Iudæis notauit Esaias, & vt Christus exponit, non tam de sui temporis Iudæis quàm de futuris Messiæ tempore prophetauit. Prima hypocrisis erat, *labijs Deum honorare, sed cor ab eo longè habere:* id est, profiteri quidem se non nisi vnum & verum Deum colere, verum tamen Messiam à Deo missum nolle agnoscere & recipere, sed eum toto corde auersari. De hac hypocrisi nihil hoc loco Caluinus. Altera hypocrisis erat, quòd plane frustra & sine vllo fructu Deum colebant, quia in eius cultu, vel ad eum rite colendum, suas traditiones & doctrinas humanas sedulò alios docebant, vel obtrudebant populis, relinquentes interim, & negligentes mandata Dei. Hoc enim Marcus expressè adiunxit tanquam causam & rationem præ- *Hypocrisis Iudæorum duplex.*

cedentis prophetiæ in illis adimpletæ. Verbis enim Propheticis à Matthæo hic citatis adiungit. *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum.* Hic est igitur horum verborũ sensus, *Frustra me colunt* &c. & hanc ob causam *docere doctrinas & mandata hominũ* à Christo reprehẽditur, quia hoc ita fit, vt propter illa humana mandata, Dei mandata negligantur. Fuit ergo Pharisaica hæc (vt Caluinus ipse agnoscit) *non ex professo sed obliqua trãsgressio legis Dei, quum officia diuinitus iniuncta securè omitti patiebãtur. Scribæ enim suis placitis ita addictũ tenebant populum, vt intendere verbo Dei non vacaret.* Hæc ille & alia quædam, satis rectè Pharisaicam transgressionem, qualis esset, describens. Sed mox impiè & insulsè admodum in Catholicam Ecclesiã idem crimen retorquet his verbis. *Nunc pro se quisq; expendat, an non hodie magis hæc prauitas in Papatu grassetur, quàm olim apud Iudæos. Neq; negat quidem Papa quin sit obediendum Deo. Sed vbi ad rem ventum est, quia non secus ac capitale crimen detestantur modicum carnis gustum, quibus furtũ vel scortatio veniale delictum est, propter suas traditiones euertunt legem Dei.* Hæc est licẽtia Caluiniana & omnium hæreticorum hodie, non nisi putidis mendaciis Catholicam doctrinã traducere, suosque miseros discipulos meris mendaciis pascere. Non modicum carnis gustum (qui aliqua ex causa etiam ieiunio seruato legitimus esse potest) sed iustã ex carne refectionem tempore ieiunij nõ semper & simpliciter vt capitale crimen detestatur Ecclesia, (nam vel infirmitas ab omni peccato, vel obliuio aut ignorantia diei ab omni crimine liberare potest) nec tam in ipsa simplici comestione capitale crimen ponit, quàm in contemptu legis Ecclesiasticæ, vel in scandalo aliorum. Furtum verò vel scortationem pro veniali delicto Catholica Ecclesia nunquam habuit; nisi aut furtum intelligat vbi materiæ exiguitas à mortali excusat, vel de scortatione loquatur quæ sola cogitatione concipitur absque consensu criminis. Quæ sanè duo nec furtum nec scortatio simplici sermone appellanda sunt. Sed aliter quàm mentiendo Pharisaicam transgressionem Catholicæ Ecclesiæ impingere Caluinus non potuit.

Marc. 7.

Putidis mendacijs accusatur Ecclesiã.

Postea exponens illa verba, *Sine causa colunt me,* &c. ait hoc à *Christo in vniuersum reprehendi, quòd homines peruersè Deum colant suo arbitrio.* Qui sanè sensus de priuatis hominum cultibus acceptus verus est, sed nec intentus à Christo hoc loco, vt iam ostẽdimus, nec ad traditionum Ecclesiasti-

carum

carum reprehensionem vllo modo pertinens, quæ ipsum Deum authorem habent, non priuatos homines, vt dictum est. Addit postea docere his verbis Christum, *non alium esse rationalem Dei cultum, quàm qui ad regulam verbi eius formatus est.* Sed suprà ostensum est, nec Christum hoc loco huiusmodi aliquid docere, nec illud in Ecclesia Christi verum esse, tametsi in Synagoga Iudæorum quoad publicos & præscriptos cultus verum erat. Nam apud eosdem ex priuato pietatis instinctu multa laudabiliter circa Dei cultum à multis præstita fuisse, variis exemplis ostendimus in Prompt. Cath. Dom. infra Oct. Natal. Domini.

11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

OMnes pene hodie hæretici his verbis abusi sunt, vt ieiunia, aut delectus ciborũ ab Ecclesia præscriptos, res liberas esse & nihil ad pietatem facere, quia violatũ ieiunium aut quilibet sine delectu cibus coinquinare hominem non potest. A quorum etiam stultitia temperare sibi Caluinus non potuit quin illud etiam hoc loco annotaret. Nam circa huius parabolæ explicationem quam Christus postea facit, ait. *Hic Christus fusius exponit quod prius attigerat, regnum Dei non esse positum in cibo & potu, sicuti etiã Paulus docet, Rom. 14. Nam quum res externæ natura puræ sint, liber quoque ac purus est earum vsus. Nec verò ex bonis Dei creaturis contrahitur immunditiés.* Hæc ille: cui stolido hæretico iam millies à Catholicis responsum est, cibum quidem vetitum quatenus cibus est, & quatenus in os intrat, non coinquinare, sed præcepti Ecclesiastici contemptum, & ipsum cibum, quatenus vetitus est, multum coinquinare. Caro porcina si eam comederet Iudæus vigente adhuc lege, quatenus comesta non coinquinabat; sed quatenus vetita ita coinquinabat, vt sancti illi Machabæi senéxque Eleazarus mori potius voluerint quàm illam comedere. Dicit Apostolus, *In vino est luxuria.* Haud dubiè vinum quatenus bibitur & intrat in os non generat luxuriam nec coinquinat. sed immoderatè sumptum luxuriã generat. Sic ergo in cibo vetito est peccatum, sicuti in vino immoderato est luxuria. Pauli verba ad Rom. 14. quam vim habeant, ibi explicuimus. Rerum externarum, tametsi in se puræ sunt, non est tamen vsus purus semper ac liber: sed sicut immoderatus vsus impurus atque illicitus est, sic vsus earum legitima authoritate vetitus ac prohibitus impurus quoque atque illicitus est.

Delectus ciborum.

2. Mach. 6.
Ephes. 5.

23. *Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.*

QVia aliqui (vt videtur) scriptores Catholici moderni, hanc intercessionem discipulorum pro muliere Chananæa à Christo prima vice nihil impetrâte, in exemplum proferunt intercessionis sanctorum pro nobis, quorum suffragia & patrocinium inuocamus, quum à Deo confestim nô exaudimur ad maiorem fidei & patientiæ ac perseuerantiæ nostræ probationem, sicut cum Chananea hic Christus egit; totam hanc huius loci applicationem exagitat Caluinus his verbis. *Puerile figmentum fuit, quòd hoc prætextu conati sunt Papistæ Sanctos, qui mortui sunt, nobis inducere patronos. Nam vt demus hanc fœminam petiisse à discipulis aliquid suffragationis aut gratiæ (quod tamen ex textu elici non potest) alia tamen est mortuorum ratio quàm viuorum. Adde quòd fastidiosè eam audiunt discipuli: atque vt animus illis fuerit patrocinio suo eã leuare, nihil tamen impetrant.* Hæc ille partim plusquam pueriliter, partim etiam impiè respõdens. Plusquam puerile Caluini figmentum est, Chananæam hanc mulierem à discipulis Christi *fastidiosè auditam* fuisse. Neque enim tanti magistri tanto iam tempore discipuli, támque humilis ac mitis magister ipsimet quoque pauperes tam fastidiosi fuerunt, vt fastidiosè ac molestè piam matris pro filia petitionem audiuerint. Huiusmodi superba de discipulis Christi iudicia superbis hæreticis conueniunt. Alio iudicio sanctus Chrysostomus discipulorum interpellationem intellexit. Ait enim in hunc locum. *Aestimo discipulos ad calamitatem mulieris esse tristatos, sed tamen non sunt ausi dicere, Da ei hanc gratiam, sed, Dimitte eam: sicut & nos cùm volucrimus alicui persuadere, multoties contraria dicimus.* Hæc Chrysostomus. Deinde falsum est quod addit Caluinus nihil eos impetrasse. Christus enim mulieris fide paulo adhuc amplius probata, fecit quod Apostolorum interpellatio postulauit, non solum dimittens eam, sed etiam voti compotem & lætissimam dimittens. Nec minus falsum est quod affirmat *ex textu elici non posse* hanc fœminam à discipulis Christi *vllam gratiam petiisse.* Quid enim clamabat post Apostolos, nisi vt tacente Domino, aliquod ab eo benignum responsum ipsi impetrarent? Clamauit enim post illos non vt inanis dimitteretur, sed vt à Domino exaudiretur. Ideóque dicentibus Christo Apostolis *Dimitte illam,* respondit Christus, *Non sum missus nisi ad oues domus Israel:*

Inuocatio Sanctorum defenditur

Apostolorum falsa criminatio

Homil. 53. in Matth.

mani

manifestè doeens, Apostolos petiisse à Christo vt illius precibus annueret. Alioqui hæc Christi responsio nihil ad rem faceret.

Iam verò impia est tota Caluini responsio, qua infert pro patrocinio Sanctorum hoc exemplum facere non posse, quia alia est mortuorum ratio quàm viuorum. Impiũ est & ethnicum Sanctos in cælo cum Christo regnantes mortuos vocare, & phrasis propria infidelium. Sic Iulianus apostata Martyres Christi *homines mortuos* vocauit, & tota gẽtilitas Christianos, qui Martyres defunctos colerent, hoc nomine subsannauit, quòd *mortuos colerent*. Sed totam hanc Caluini impietatem vno verbo Christus refutauit, dicens, Deũ, qui Deus Abraham, Isaac & Iacob vocatur, *nõ esse Deum mortuorum, sed viuentium*. Sic Deus Sanctorum in cælo regnantium non est mortuorum Deus, sed viuentium: vnde non sunt mortui vocandi, sed viuentes: ideóque ad patrocinia non minus idonei quàm cùm in terris viuerent: imò multo magis idonei, vt Patres docent.

Cyrillus li. 6. cont. Iulian.

Matth. 22.

Hieron. cont. Vigilantium.

Chrysost. hom vlt. in Epist. ad Rom.

IN MATTHÆI CAP. XVI.

1. *Rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis.*

PHARISAEI isti & Sadducæi quum multa & maxima iam Christi signa vidissent, circa hominum & morborum omnium curationem, circa panum multiplicationem ipsam denique in mari ambulationem audiuissent, aliáque multa huiusmodi, importunè admodum & proteruè, vt suæ incredulitati aliquem fucum obtendant, etiam de cælo signum quærunt. Hanc importunitatem & dementiam obiicit Catholicis hodie Caluinus. *Sic* (inquit) *hodie Papistæ quasi nunquam sancita esset Euãgelij doctrina, nouis miraculis probari sibi postulant.* Cui putidæ calumniæ breuiter respondeo. Euangelij doctrina qualem tota per orbem Ecclesia post primam eius prædicationem hactenus tenuit, nobis satis supérque sancita est: neque ad eam magis sanciendam vel confirmandam vlla miracula desideramus, sed sufficit nobis Catholicæ Ecclesiæ fides in verbo Dei semper fundata, & à maioribus nostris ad nos vsque deriuata. At verò vt noua Caluini doctrina, quam ille Euangelium vocat, maioribus nostris hactenus incognita, nobis probetur, quãdoquidem ille nouus Euangelista esse vult, nouis quoque

Miracula noua prædicationi necessaria.

miraculis probetur meritò desideramus,tum quia planè noua est & inaudita, tū quia nullis hactenus miraculis illustrata est. Pharisæi & Sadducæi non in eo peccabant,quòd ad cōfirmationem doctrinæ Christi penitus noua signa petebant (nam ad illam confirmandam plurima signa Christus studio
Ioan.7. fecit,dicens tandem:*Si mihi non creditis, operibus credite*) sed tum quia signum è cælo petebāt,quasi genus miraculi Christo præscribentes, tum quia post tam multa & tam illustria præstita miracula,illis non contenti, noua semper postulabant. Nunc Caluinus cum suis nouis dogmatibus nullum miraculum facere potuit, re tandem infeliciter Geneuæ tentata, Matthæo quodam, qui se mortuum fingeret,vt à Caluino suscitari videretur,verè & miserè extincto. Nec ab eo signum de cælo, sed vel minimum in terra miraculū exigitur. Adeo nihil affine aut simile habet cū Pharisæorum impudentia,quod Catholicis impudenter impingit Caluinus.

6. *Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.*

QVod per fermentum Pharisæorum hoc loco Hieronymus & Hilarius in suis cōmentariis ipsam legem Mosaicam & literam eius intelligi volunt, sensus ille non ad intentum Christi, sed veluti ipsorum & nostris tēporibus magis conueniens, (quibus videlicet nunc lex illa quo ad sua ceremonialia & literam occidentem fermentum est) ab illis traditus fuit:idque docendi gratia: quod apud veteres interpretes frequenter obseruare licet. Ipsa enim lex adhuc Chri-
Cap.24. sto hæc loquente adeo vigebat, vt infra dicturus sit:*Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Quæcunque ergo dicunt vobis,facite & seruate.* Quæ verba non sunt huic loco contraria.Hîc enim iubet Christus suos cauere non ab eorum doctrina quam super cathedram Moysis sedentes docēt, id est, quam per continuam maiorum successionem à Moyse acceperant, sed ab eorum fermento,id est,priuata & propria eorum doctrina ab ipsis adinuenta (nam & ideo Sadducæos illis adiunxit, qui super cathedram Moysis non sedebant, sed propria tantum fermenta docuerunt) qualis est hodie hæreticorum omnium maximè Caluinistarum doctrina à seipsis excogitata,dum nouis suis & vitiosis dogmatibus ita oppressam tenent diuinarum Scripturarum, maximè Euangelicæ & Apostolicæ doctrinam, vt stantibus eorum commentariis ac nouis Dei verbi corruptelis, nihil in fide sanū, nihil in Scri-

prura

ptura integrum maneat. Citius ignis aquæ miscebitur quàm vt Caluini figmenta cum Euangelio quis conciliet. Quare qui Christi discipulus esse vult, ab hæreticorũ hodie & Caluini maximè fermentis purum se seruare imprimis studeat. De hoc argumento plura vide in Prompt. Cath.Dom.7.post Pent.ad illa verba:*Attendite vobis*, &c. Item fer.3.Pent.ad illa verba:*Alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* Caluinus tamen hoc loco contra Pontificiam & Ecclesiasticam doctrinam magnum se argumẽtum obseruasse putat. Sic enim scribit. *Videndum est quorũ doctrinam caueri velit Dominus. Tunc certè penes Scribas & sacerdotes ordinaria erat Ecclesiæ potestas, in quibus priuatum tenebant Pharisæi. Quum nominatim ab eorum doctrina prohibeat suos Christus, sequitur repudiandos esse omnes quia sua figmenta admiscent verbo Dei, vel quicquam alienum ingerunt, quocunque tandem polleãt honoris gradu vel titulo superbiant. Quare maledicta & præuaricatrix est eorum subiectio, qui se vltro Papæ cõmentis & legibus subijciunt.* Hoc Caluini argumentum omnium rebellionum hæreticorum fundamentum est, multiplici impietate & ineptia laborans. Primum, nõ sequitur Ecclesiæ magistros fermentatam & corruptam doctrinam tradere posse, eo quòd Synagogæ magistri Scribę & Pharisæi eam tradiderint. Firmiores quippe sunt Ecclesiæ promissiones quàm Synagogæ. Illi enim dictum est:*Portæ inferi non praualebunt aduersus eam.* Rursum: *Spiritus S. docebit vos omnem veritatem in æternum.* Denique: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Synagogæ error ac lapsus non solum possibilis, sed & prædictus erat. Secundò, quæ Synagogæ magistri etiam corrupti illi ex cathedra Moysis dicebant, id est, iuxta doctrinam à maioribus suis continua successione accepta, ea facienda & seruanda esse Christus docet. Fermentum à quo cauere iubet, priuata & recens erat quorundam adinuentio. Quo sanè sensu priuatus quispiam in Ecclesia Episcopus aut sacerdos non ex cathedra antiquitus tradita, sed ex suo cerebro propria quædam & noua dogmatizans audiendus non est. Tertiò quando Ecclesiarum magistri vel ex cathedra docent, vel sua fermenta obtrudunt, non cuiusuis è populo, sed aliorum superiorum Pastorum & Synodalis maximè authoritatis est iudicare. Quartò si Caluini argumentum simpliciter admittatur, nec ipse Caluinus nec alius quispiam hæreticus magister authoritatem docendi diu retinebit; sed non obstante ministerij sui honore & dignitate, facillimè à quolibet reiicietur quod do-

Synagogæ error non probat possibilẽ Ecclesiæ errorem.
Matth.16.
Ioan.14.
Matth.28.

cet, tanquam fermentum Pharisaicum: sicuti & olim *idem licuit Valentinianis quod Valentino* (ait in Præscript. Tertullianus) & hodie idem licuit Lutheranis quod Luthero, qui ab illo maximo numero desciuerunt, sicut ipse ab Ecclesia desciuerat. Nihil ergo hoc Caluini argumento magis impium, nihil ineptius. Sunt autem hæc omnia latius explicata in opere nostro de Princip. fidei, potissimum verò libro 2. cap. 13. & lib. 10. cap. 4.

18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

TOtum hunc locum Caluinus nouo commentario penitus peruertit. Ait Simonem Petrum vocari, *quia viuus in templo Dei lapis suam stabilitatem retinebat. Super hanc petram* exponit, esse *Christi fidem super quam non tantum Simon, sed & omnes alij fundati sancto consensu in spirituale ædificium aptantur: & quicquid piorum in mūdo futurum erat, Petro aggregare Christum voluisse. Non præualebunt aduersus eam*, exponit de Ecclesiæ quidem inuicta firmitate intelligi, sed quod de corpore Ecclesiæ dicitur, *ad singula eius membra pertinere, quatenus vnum sunt in Christo: & quicūque in Christo vniti Christum mediatorem agnoscunt, in finem vsque ab omni noxa tuti manebunt.* Hæc ille. Ita insigni impostura ac fraude totum hunc locum peruertit. Quæ Christus de vnius Petri & successorum eius persona dixerat, ad quemlibet fidelem trahit. Quæ de totius Ecclesiæ firmitate Christus promisit, ad specialem fidem & certitudinem salutis in quolibet credente contorquet. Ita non solùm verum sensum peruertit, sed & impio dogmati de vnica piorū fide in amissibili hanc Scripturam subseruire facit. Verum autem & genuinum ex Patribus depromptum horum verborum sensum, totiúsque loci vim & doctrinam vberius explicatam vide in Prompt. Cath. in festo SS. Petri & Pauli. Iam verò hæc verba, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, vni Petro singulariter dicta, ad omnes Euangelij ministros transfert Caluinus, & totam clauium potestatem in verbi ministerio ac prædicatione ponit. Contra quam duplicem huius loci corruptelam vide à nobis disputata in Prompt. Cathol. loco citato.

Cæte

Cæterum quia Caluinus facta sua expositione hæretica, Catholicam vult impugnare, disputationem eius breuiter examinabimus. Ait *se velle putidas Papæ calumnias breuiter diluere.* quum tamen quæ postea diluere conatur, non vnius Papæ, sed veterum patrum & doctorum Ecclesiæ assertiones & explicationes sint. *Fingit* (inquit) *Petrum vocari Ecclesiæ fundamentum.* Respondeo: Hoc Papa non fingit, sed patres magno consensu docent, quos loco citato magno numero produximus. Sed quomodo hanc interpretationem refutet videamus. *Quis autem non videt, quod transfert ad hominis personam, de Petri fide dictum esse?* Hoc non est veritatem refutare, sed fortiter quod falsum est affirmare. Quomodo autem de fide quoque Petri patres hoc exponunt, loco citato explicuimus. Deinde si nunc de Petri fide hoc dicitur, Caluine, cur prius de omnium in Christum credentium fide hæc verba exposuisti? Sequitur. *Idem fateor apud Græcos significant Petrus & Petra, nisi quòd prius nomen Atticum est, alterum verò communis linguæ. Sed hæc varietas non temerè à Matthæo posita est, quin potius consultò mutatum est genus, vt diuersum aliquid exprimeret: nec dubito quin tale discrimen notauerit Christus sua lingua.* Arqui hîc Caluinus propter ignorãtiam linguæ sanctæ egregiè fallitur. Nam in Matthæo Hebræo qui nunc extat, sine vlla mutatione generis legitur, & vtrobique idem nomen est, hoc modo: *Petrus & Petra vna Hebræis dictio.*

אתה כיפא ועל הכיפה

In Matthæo quoque Syro vtrobique est כאפא sine vlla variatione. Quare Beza ipse magistrum suum corrigens in hunc locum ait. *Dominus Syriacè loquens, nulla vsus est agnominatione, sed vtrobique dixit, Cepha.* Græcus autem interpres Attica voce priori loco vsus est, quia genus masculinum homini magis conueniebat. Secundo autem loco petram posuit, quia tametsi ad hominem & personã Petri illa vox pertineat, non tamen ad hominem aut Petri personam simpliciter sicut ipsa nuncupatio Petri, sed ad hominem in fide roboratum, & ad personam Petri à Christo stabilitam pertinet: quæ alibi latius explicata sunt, vt ridiculus sit hoc loco Beza, qui posteriori loco *petram non Petrum ab interprete positum nugatur, vt Christum, qui petra est, secundo loco designaret.* Christus enim tametsi petra certè est, non tamen est *hæc petra* ad quam ibi Christus loquitur. Probare tamen vult Caluinus ex Augustino. *Prudenter itaque Augustinus non petram à Petro, sed Petrum à petra dici admonet, sicut à Christo omnes sumus* *Beza Caluinum corrigit.*

sumus Christiani. Quo sensu ista & quibus de causis Augustinus ita in hunc modum disputat, accuratè explicatum vide in opere nostro de Princip. fidei lib. 6. cap. 3. Pergit Caluinus. *Porrò ne longior sim, quū illud Pauli inter nos pro certo & confesso habendum sit, non alibi posse fundari Ecclesiam quàm in Christo solo, non sine sacrilega blasphemia aliud fundamentum Papa commentus est.* Sed huic putidæ ac tritæ obiectioni vberius quidē loco iam postremò citato, breuiter verò in Propr. Cath. in die SS. Petri & Pauli satisfecimus. Quæ calumniando, vel eadem quæ dixerat repetendo, nuda semper affirmatione vsus prosequitur Caluinus, vt inania ac nugatoria prætermittimus.

Dicit tandem aliqua disputandi specie. *At Christus Petrum vnum nominatim alloquitur.* Rectissimè hoc obseruat sibiq; obiicit Caluinus. Nunc quid respondeat attende. *Nempe sicuti vnus omnium nomine Christum confessus fuerat Dei filiū, ita vicissim ad vnū dirigitur sermo, qui tamen perequè ad alios pertinet.* Atqui hæc responsio obiectionē magis confirmat. Luce enim meridiana clarius est, Petrum non omnium nomine, sed ex fide sibi soli reuelata, Christum confessum fuisse Dei filium. Idcirco enim non dixit illi Christus, Beati estis quia Pater meus vobis reuelauit, quod certè dicere debuisset, si omnes idem credidissent, & omnium nomine loquutus Petrus fuisset; sed dicit illi vni singulariter. *Beatus es Simon bar-Iona, quia Pater meus reuelauit tibi: Et ego tibi dico,* &c. Deinde quando Petrus alio in loco omnium Apostolorum nomine loquitur, id satis exprimit numero plurali vtens: vt dicente Christo, *Nunquid & vos vultis abire?* respondit omnium nomine Petrus: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Denique omnes ferè Patres contra vnum Caluinum, vnius Petri, non omnium Apostolorum hanc confessionem fuisse, concorditer docent. Quare sicut solus confessus est, ita ad illum solum dirigitur sermo.

Petrus non respondit omnium nomine.

Ioan. 6.

Ad aliam responsionem confugit Caluinus. *Nec verò spernenda est illa quæ à Cypriano & alijs adducitur ratio, Christum in vnius persona loquutum esse omnibus, vt Ecclesiæ vnitatem commendaret.* Responde Cyprianum docere quidem *claues Ecclesiæ sic vni Petro esse datas,* vt & aliis Apostolis dari intelligantur; *ideo autem vni, vt Ecclesiæ vnitas commendaretur:* sed addit Cyprianus, quod fraudulenter Caluinus silentio premit: *Vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit.* Et rursum. *Exordium*

In lib. de vnit. Ecclesiæ.

diū ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & vna cathedra monstretur. Hæc ille. Pergit Caluinus. *Excipiunt alijs omnibus præferri cui hoc peculiariter datum est. Hoc verò perinde est ac si magis fuisse Apostolum contenderent quàm suos collegas. Neque enim ab Apostolatu magis diuelli potest ligandi & soluendi potestas, quàm à sole calor vel lumen.* Nihil ineptius inferri potuit. Sic enim Caluini procedit argumentum: Ligandi & soluendi potestas ab Apostolatu diuelli non potest: Ergo Petrus si in potestate clauium præfertur aliis Apostolis, erit magis Apostolus quàm cæteri. Huius argumenti absurditas in simili apparebit: A locum tenente Regio diuelli non potest iudicandi potestas: Ergo si locum tenens Regius in potestate iudicandi cæteris iudicibus localibus, aut certarum ciuitatum Prætoribus antefertur, erit magis iudex quàm cæteri. Sicut enim hic locum tenens Regius maior quidē & superior iudex est, vt Regis vicarius, & cæterorum localium iudicum ac prætorum primus, qui ipsis etiam iudicibus præferatur, & illorum sub Rege caput sit, non tamen magis iudex est, sed alij in suo districtu æquè bene iudices sunt, veréque & efficaciter iudicant, quando officium suum legitimè exequuntur; de quo si dubitetur, ad locum tenentis tribunal fit appellatio: sic omnino Petrus Apostolus aliis præfertur in potestate clauium, vt supremus Apostolus, Christi vicarius, cæterorum caput & coryphæus (vt Patres de eo loquuntur) non tamē magis Apostolus est, vt cauillatur Caluinus, sed alij Apostoli respectu subditorum suorum non minus Apostoli sunt, nec minus verè & efficaciter ligant ac soluunt suos subditos quàm Petrus, quando clauis non errat; de quo si dubitetur, ad Petri tribunal fit appellatio. Quomodo autem Petrus ipsis Apostolis ratione clauiū prælatus fuerit, vide latius à nobis explicatum in opere de Princip. fidei lib. 6. cap. 7.

Futile argumētum Caluini.

Cauillatur adhuc Caluinus. *Cæterum vt demus Petro concessum plus aliquid fuisse quàm reliquis, vt inter Apostolos excelleret; stultè tamen inferunt Papistæ, datum illi fuisse primatum vt vniuersale esset totius Ecclesiæ caput. Nam & aliud est dignitas quàm Imperium: & aliud inter paucos summo honoris gradu pollere, quàm sub vlnas suas colligere totum orbem.* Hæc ille. Primum quod de dignitate distinguit & imperio, pueriliter nugatur. Petri & successorum eius primatus, dignitatem quidem aliquo modo significat, quatenus veri nominis prælatura est, & quidē in summo honoris genere, quia & Christi locum

locum tenet, & super animas hominum potestatem habet, quoad illas vel soluendas vel ligandas. Imperium autem illa vox non significat: Imperium huius mundi Regibus & Imperatoribus tum Petrus tum successores eius respectu officij pastoralis reliquerunt. Puerile & caninæ facundiæ est, sed Caluino vsitatissimum, in sacrarum Scripturarum tractatione grauissima, intemperanter maledicere, & verbis odiosis veram facti speciem inuertere: denique vel pueriliter ludere, vel muliebriter rixari. Alteram responsionis partem in sequentibus vult confirmare. *Et sanè (inquit) non plus illi oneris imposuit Christus quàm obire posset. Iubetur regni cælorum esse ianitor, iubetur ligando & soluendo dispensare Dei gratiã, eiusq; iudicium in terra exequi. Nempe quatenus se extendit mortalis hominis facultas.* Vult igitur Caluinus, spiritu planè ethnico & impio potestatem à Christo datam, ad mortalis hominis facultatem metiri. Potuit iuxta illum Petrus cæteris Apostolis & paucis illis hominibus præesse, sed non potest toti orbi præesse, *quia hoc mortalis hominis facultatem excedit.* In quo vide multiplicem hominis dementiam. Primùm, si Petrus paucis illis Apostolis præfuit, multo magis eorum subditis præfuit: At illi toto orbe prædicauerunt, & *in totum orbem exiuit sonus eorum:* Ergo Petrus, hoc ipso quod illis præerat, toti orbi præfuit. Deinde non potest dici quòd propter solas personas Apostolorum Petrus primatum acceperit: quia quum iste primatus ad schismatis occasionem tollendam & ad vnitatem in Ecclesia seruandam datus fuerit, hoc primatu sanctissimi Apostoli minimè omnium indiguerunt. Ergo primatum accepit propter ipsos potissimum reliquorum Apostolorũ subditos toto orbe dispersos. Rursum si *mortalis hominis facultas* spectetur, quis demum est qui vel vnius minimæ parœciæ præesse, imò qui suam solius animam seruare potest? Spectandum hîc ergo non quid *mortalis hominis facultas,* sed quid Christi gratia valeat, qui quibus iubet, dat id quod iubet. Vide plura in Princip. fidei, lib. 6 cap. 16. Quare Caluinus cõtra seipsum quasi vertigine laborans concludit *Ergo quicquid ei datum est, ad mensuram gratiæ restringere conuenit, qua donatus est ad Ecclesiæ ædificationem.* Planè contra seipsum & contra præcedentem disputationem concludit. Si enim quod Petro datum est, ad mensuram gratiæ qua donatus est, restringendum est, quare prius Caluinus id quod Petro datum est, ad mensuram facultatis mortalis hominis restrinxit? An putat Caluinus mensuram gratiæ, mortalis

talis

Caluini canina facundia.

Caluini spiritus ethnicus.

1.

Rom. 10.

2.

3.

Caluinus sibi contrarius.

talis hominis facultatem non excedere? Aut si hoc non putat; quo demum iudicio qua mēte, Petri potestatem superius *ad mortali hominis facultatem* restrinxit, nūc verò *ad mensuram gratiæ* restringit? Atqui aduertere Caluinus debuit mortalis hominis facultatem in potestate rerū spiritualium nullam esse; iuxta illud Christi: *Sine me nihil potestis facere:* Ioan. 15.
mensuram autem gratiæ, ad quælibet præstanda facultatem dare; iuxta illud Pauli: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Philip. 4.
Verè igitur quicquid Petro datum est, non ad mortalis hominis facultatem, vt prius disputauit, sed ad mensuram gratiæ qua donatus est, vt nunc disputat, expendendum est. Christus autem qui amplissimam potestatem Petro dedit, gratiæ quoque mensuram copiosam ei dedisse credendus est. Nam idcirco vni Petro postea dixit, *Ego rogaui pro te vt fides sua non deficiat.* Luc. 22.
Et hoc ipso in loco Christus ei dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Christus seipsum ædificaturum dixit. Illo igitur ædificante super Petrum, stabit Petrus & stabit ædificium. *Si enim Dominus ædificauerit ciuitatem, non frustrà laborant qui ædificant eam.* Psal. 126.

Nunc tamen post tam insulsam disputationem vide quantum triumphum agat Caluinus. *Ita concidit immensum illud Imperium quod illi arrogant Papistæ.* Triumphum sanè cecinit, sed ante victoriam. Quare adhuc in omnem se partem vertens, alia rem aggreditur via. Primum disputat Petri primatum ad successores transire non posse quod multis tamen argumentis necessarium esse, alibi demonstrauimus. Deinde Romanum Pontificem Petri non esse successorem declamitat, contra omnem antiquitatem affirmans Petrum Romæ Episcopum non fuisse: quam dementiam refutauimus ad illa Petri verba in fine epist. 2 *Salutat vos Ecclesia quæ in Babylone est.* Tertiò ac postremò debacchatur in Rom. Pontifices horum temporum, quod officium non faciant, ideóque inter Petri successores non habendos esse. Quæ tota oratio contumeliis plena, & argumentis vacua, seipsam satis abundè refutat.

Princip. fid. lib. 6. cap. 15.

23. *Vade post me Satana: scandalum es mihi.*

Scripturæ Euangelicæ corruptor Caluinus non solum hāc Petri reprehensionem durius & acerbius exponit quàm textus ferat, sed etiam in vniuersum Catholicorum pias intentiones & deuotiones circa voluntarium Dei cultum exagitat,

tat, quasi penitus Satanicas, & à Christo hoc loco acerrimè damnatas. De Petro dicit, quòd *praepostero suo zelo Satanae partes obiret; neque simpliciter à Christo aduersarium vocari, sed diaboli nomen ei imponi in signum maximae detestationis.* Nam & diabolum *eisdem verbis à Domino repulsum fuisse.* Cap. 4. & verbum ὕπαγε *facessere significare, vnde Latinum Apage deductum est:* ideóque *ineptè quosdam philosophari in verbo retro,* vel *post me, quasi iubeatur Petrus sequi, non praeire.* Hæc ille, & ex hac expositione deprauata colligit, docere hoc loco *quid valeant coram Deo quae bonae putantur intentiones, & hinc videri quanta pertinacia suas deuotiones venditent Papistae.* Denique Christum *in vnius Petri persona, cuius pia fuit intentio vel saltem probabilis, si sensus & iudicium carnis valeant, compescere omnes voluisse ne zelo suo indulgeãt.* Demum concludit. *Eant nunc Papistae, & sua placita in caelum extollant.* Hæc est hoc loco Caluini pugna, victoria, triumphus. Sed non nisi verborum fumi ac strepitus sunt.

Petri reprehensionem tam acerbam non fuisse, tum sancti Patres tradiderunt, tum textus ipse & litera satis ostendunt.

Tract. 1. in Matth. Dixit *Christus Petro* (ait in hunc locum Origenes) *Vade post me, quasi desistenti per ignorantiam ire post Christum. Satanas autem dixit ei, quasi per ignorantiam aliquid habenti contrarium Deo.* Hæc ille. Quem sensum magis explicans D. Hieronymus ait. *Mibi error Apostolicus de pietatis affectu veniens nunquam incentiuum videbitur diaboli. Sed quia contraria loquebatur voluntati Christi, debuit aduersarius appellari. Satanas enim interpretatur aduersarius, siue contrarius. Non tamẽ, vt plerique putant, eadem Satanas & Petrus sententia condemnantur. Petro enim dicitur, Vade retro me Satana, id est, sequere me, qui contrarius es voluntati meae. Ille audit, Vade Satana, & non ei dicitur retrò, vt subaudiatur, Vade in ignem aeternum.* Hæc Hieronymus. Et hic sensus maximè literalis ac genuinus est. Nam verba Christi Matth. 4. *Vade Satana,* non habent illud, ὀπίσω μου, post me: vt Origenes & Hieronymus disertè annotarunt, etsi pauci Græci codices ita legãt, & vt rectè annotauit Lucas Brugensis *ex alijs locis additum:* nec Matthæus Hebræus vel Syrus illam vocem habeat, sed simpliciter, *Vade:* (vel vt textus Syriacus, *Vade tibi,* זל לך) vt etiam Ignatius ad Philippenses, Chrysostomus, Euthymius & Anselmus legerunt. Fallitur igitur Caluinus dicens diabolum eisdem verbis repulsum fuisse, quibus Petrus. Nec rectè Cornelius Iansenius in sua Concordantia hanc Annotatio

Petri reprehensio qualis.

In cõment. in hunc locum.

Epist. 5.

Cap. 66.

tationem & distinctionem repellit. Deinde & Satanæ vocabulum non eodem modo vtroque in loco scribitur. Nam in Matthæo hebræo cap. 4. dicitur לך השטן, *Vade ille Satan*, id est, aduersarius præcipuus. Sed in Matth. hebræo cap. 16. ponitur simpliciter שטן sine articulo aggrauante. Fallitur igitur Caluinus dicens diabolum eisdem verbis repulsum fuisse quibus Petrus. Porro vulgare est hebræis cōtraria sentiētes Satan appellare. Sic Dauid filiis Saruiæ dixit, quum illum ad vindictā hortarentur: *Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Cur efficimini mihi hodie in Satan?* id est, cur contrarij mihi estis? Sic Salomon propter altissimā pacē qua fruebatur, dixit: *Non est Satan neque occursus malus.* Præterea Petrū non fuisse repulsum à Christo quasi diabolū, sed vt voluntati suæ cōtrarium, causa à Christo adiuncta manifestū facit. *Scandalum es mihi*, id est, Impedimēto mihi es & aduersaris, s. ad perficiendam voluntatē Patris mei. Ideo enim subiunxit: *Quia nō sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* j. humano more mortem times: & Dei de me dispositio nondum tibi reuelata est. 2 *Reg.* 19. 3. *Reg.* 5.

Iam verò Catholicorum piæ intentiones & deuotiones aut bonus zelus circa voluntarium Dei cultum, nihil commune habent cum hoc Petri affectu, quo Christum à sua passione reuocauit. Illæ enim sapiunt ea quæ sunt Dei, quia ad Dei cultum ordinantur. Illæ non sapiunt ea quæ sunt hominum, quia vel diuinæ Scripturæ vel Ecclesiasticæ traditionis & obseruationis regulam sequuntur. Illæ non aduersantur vlli dispensationi Christi, seu circa passionem, seu circa quamcunque actionem eius. Et impostor Caluinus in genere loquitur; nullam particularem Catholicorum deuotionem in medium profert, vt de ea consideretur, an cum carnali hoc Petri affectu aliquid commune habeat. Postremò, quando ex ignorantia inuicta (qualis hæc Petri erat circa passionem Christi futuram, nunc primum reuelari cæptam) aliud volumus pietati consonum quàm quod Deus vult, in eo omnino non peccatur, vt omnium theologorum habet sententia, ipséque Caluinus docet ad cap. Matth. 26. ver. 39 Christus autem acriter Petrum reprehendit potius ex ingenti desiderio passionis suæ, & ad eam discipulorum animis altius infigendam, quàm propter graue aliquod Petri flagitium. *Intentiones piæ defenduntur.*

27. *Et tunc reddet vnicuique iuxta opera sua.*

AD hæc rursum verba Caluinus sua inspergit venena, vt veri nominis retributionem à Christo hic affirma-

tam destruat, & Scripturam Euangelicam corrumpat. Sic enim scribit. *De operum mercede alibi disserui quantum satis erat. Summa hæc est: Quoties bonis operibus promittitur merces, minimè opponi eorum meritū gratuitæ fidei iustitiæ.* Vide impostoris fraudem. Meritum operum quæ iam iustorum opera sunt, non opponūtur sanè gratuitæ iustitiæ ex fide qua ex impio fit iustus, neque hoc quisquam contra hæreticos hodie affirmat, sed opponuntur saluti & saluationi ex sola fide quam hæretici docent. Ideóque quoties in Scripturis bonis operibus promittitur merces, eáque vitæ æternæ, vt hoc loco, toties in Scripturis docetur, quòd non ex sola fide, sed etiam ex bonis operibus homo saluatur: & quòd ad vitam æternam consequendam, non solùm fides, sed & bona opera exiguntur, vt salutis causa nō minus necessaria quàm fides. Quare prorsus falsum est, vt alibi ostendimus quantum satis erat, quod subiungit Caluinus. *Nec salutis causam ostendi, sed tantum animari fideles ad rectè agendi studium, dum certi sunt se operam non ludere.* Impia & falsa hæc est Caluini doctrina, vt necessitatem bonorum operum, contra manifestam hoc loco Euangelij doctrinam de ferenda cruce, & de bonorum operum retributione, penitus excludat. Causa salutis nō secus bona opera sunt quàm fides, quia non secus necessaria quàm fides. Non secus animamur ad rectè agendi studium quàm ad fidem, nec secus ad fidem quàm ad bona opera. Non secus quippe fidei promittitur merces quàm operibus. *Per fidem adepti sunt repromissiones*, ait Paulus: *Merces erit operi vestro*, ait Propheta. vtrobique non fit simplex exhortatio, *vt sciamus nos operam non ludere*, sed causa mercedis ac retributionis futuræ vtrobique docetur. Alioqui & fidei quoque necessitatem eadem arte eludet Caluinus si volet, qua bonorum operum necessitatem eludere conatur. Concludit mox Caluinus. *Quare optimè hæc duo conueniunt, gratis nos iustificari, quia Deo præter meritū accepti sumus, & tamen ipsam indebitam operibus nostris mercedem pro suo beneplacito rependere.* Hæc ille. Optimè quidem conueniunt hæc duo, gratis nos iustificari, quando ex impiis iusti facti, Deo reconciliamur, quia in illa prima iustificatione Deo præter meritū accepti sumus: & tamen iustorū operibus debitam mercedē Deum rependere, non solùm pro beneplacito suo, sed quia (vt Paulus disertè dixit) *iustus iudex est*, & ex iustitia retribuit. Atque ita gratuitæ per Christū iustificationi nostræ, bonorum operum merces & iusta retributio reuera non repugnat. Quod ergo Caluinus

Operum merita defenduntur.

Heb. 11.

2. Par. 15.

2. Tim. 4.

Caluinus dicit, *bonis operibus mercedem à Deo rependi indebitam*, implicat planè contradictionem in adiecto. Si enim vt merces rependitur, debita est: si indebita est, merces non est. Hoc vnum Pauli verbũ docere Caluinum potuit: *Merces non imputatur secundum gratiam* (putà solam) *sed secundum debitum.* Id est: In ratione mercedis non est pura gratia, sed quoddam etiam debitum ratione iustitiæ. Quod Paulus ipse de iustorũ operibus frequenter docet. *Reposita est mibi corona iustitia, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex.* Rursum. *Si tamen iustum est, Deum retribuere vobis qui tribulamini requiem*, & aliis in locis: vt in Paulo explicando frequenter annotabimus. Sic enim fidem propter Iudæos & Gentes de lege & moralibus virtutibus gloriantes commendat, vt propter Gentes iam conuersas & in Christum credentes, bonorum operum mercedem studiosè doceat. Rom 4. 2. Tim. 4. 2. Thess. 3.

IN MATTHÆI CAP. XVII.

12. *Dico vobis quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum.*

CAVILLABANTVR Scribæ & Pharisæi contra Christum, cum propterea pro Messia habendum non esse, quia Elias ante aduentum Messiæ venturus erat, iuxta illud Malachiæ. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.* Arguebant ergo Scribæ: Non est hic Christus, quia Elias necdum venit. Hanc obiectionem proponunt Christo Apostoli, qui sic respondet vt & prophetiam confirmet, & Scribarum tamen peruicaciam ostendat. Confirmat prophetiam dicens: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Hæc verba sic tractat Caluinus, vt *errorem Scribarum in eo fuisse* doceat, quòd *verba Malachiæ de Elia Thesbite Propheta iam dudum sublato intelligerent, quasi in mundum iterum redituruss esset.* At verò non in eo positus fuit illorum error, nec Christus hoc refutat, sed disertissimè confirmat. Ait enim *illum venturum esse, & omnia restauraturum*, id est, Iudæos ad Christi fidem reducturum. Nam de Iudaici populi restauratione Malachias agit. Error Scribarum erat, & adhuc hæreticorum hodie pertinax est, quòd non Malac. 4. Elias Thesbites denuo venturus.

distinguunt de primo Christi aduentu & de secundo. De secundo aduentu quem *Diem Domini magnum & horribilem* vocat, loquutus est Malachias: quem aduentum Elias in persona præcedet, vt in Apocalypsi manifestè docetur, nósque ibi perspicuè ostendimus. Quare 70. Interpretes locum illum Malachiæ vertentes, posuerunt expressè: *Mittam vobis Eliam Thesbitem.* Deinde si ad literam de Ioanne Baptista intelligeretur, vt volunt hæretici, falsum omnino esset quod hoc loco Christus post mortem Ioan. Baptistæ dicit, *Elias quidem venturus est*, sicut & illud quod addit, *Restituet omnia.* Neque enim ille quicquam restituit, sed viam tantû Domino præparauit. Falsum quoque esset quod Ioannes Baptista rogatus, num Elias esset, respondit, *Non sum.* Falsum denique

Cap. 48. esset quod Ecclesiasticus de Elia scribit: *Qui inscriptus est in iudicijs temporum*, ἐν ἐλεγμοῖς εἰς καιροὺς, *lenire iracundiam Domini*, κοπάσαι ὀργὴν κρίσεως κυρίου πρὸς θυμὸν, ad sedandam iram Iudicij Dei venientis cum furore: *conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Quæ omnia non nisi de extremo Christi iudicio & vltima Iudæorum conuersione intelligi possunt, & Malachiæ prophetiam clariorem reddunt. Quod ergo Christus subiungit hoc loco, *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum*, &c. qûum secundum literam & personam Eliæ sit manifesta cõtradictio verborum Christi præcedentium, necessario intelligi debet non secundum literam & personam Eliæ, sed secundum mysticam aliquam similitudinem eius. Et hunc intellectû Euangelium nobis suppeditat, quum alio in loco scriptum sit de Ioanne Baptista: *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Propter officij igitur similitudinem, & spiritum consimilem, dr Ioan. Baptista dicit hic Christus, *Elias iam venit.* Et hoc sensu Cap. 11. præcedenti dixerat Christus de Ioanne Baptista ad turbas: *Si vultis recipere.* i. si absque contentione & attentè vultis considerare, *ipse est Elias qui venturus est*, id est, Hic est alter Elias qui venturus expectatur. Hunc denique intellectum & sensum sequuti sunt omnes illi Patres antiquissimi, qui duos testes Dei ante Antichristum venturos, Enoch & Eliam esse tradiderunt: quos ad Apocal. cap. 11. magno numero produximus.

Ex quibus omnibus petulantissima hoc loco Caluini verba solidè refelluntur, qui postquam ostendit Scribas & Pharisæos Christum recipere noluisse, eo quòd Elias nondum venerat, subiungit. *Eodem ferè astu Papistas hodie diabolus fasci*

fascinat, ne diem Iudicij expectent, donec apparuerint Elias & Enoch. Sed quod Papistis hodie impingit Caluinus, antiquissimorum & doctissimorum Patrum, ante multa secula communis sententia erat, vt super Apocalypsi in capite 11. ostendimus. Quibus adde alia August. verba de pecc. orig. libro 2. cap. 23. vbi de illis duobus dicit: *Quos non dubitamus in quibus nati sunt corporibus viuere.* Adde etiam Origenem in hunc locum tract. 1. Iustinum in dial. contra Tryphonem, Hippolytum mart. in homilia de Antichristo, Tertull. in lib. de anima. Theodoretum in cap. 4 Malach. & in epitome diuinorum decretorum cap. penult. Cyrillum Alexand in Ioan. lib. 1. cap. 24 Procopium Gazeum ad cap. 4. Gen. Epiphanium hær. 64. & Cæsarium Gregor. Naziãzeni fratrem dial. 3. cuius verba citat Cedrenus in compendio histor. in Domitiano. Hos omnes Patres & alios alibi citatos, Augustinum, Hilarium, Hieronym. Ambros. Prosperum, Gregorium Magnum, Bedam, Chrysost. Theophylactum, Oecumenium, Damascenum, Aretam, iuxta impium Caluinum *fascinauit diabolus.* Sed sic solet impostor ille, quæ omnium Patrum communis & recepta sententia est, Papistis hodie tribuere; quasi moderna esset Catholicorum opinio, & non totius antiquitatis iudicium, quod homo impudens condemnat.

Caluini Procacitas retūditur.

Caluinus Papistarũ nomine totam Antiquitatẽ accusat.

20. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis monti huic, Transi hinc illuc; & transibit.*

CAuendi sunt hic hæreticorum commentarij, Caluini maximè, qui totum hunc Christi sermonem hyperbolicum esse pro certo affirmat. Sed certo certius est audacem hæreticum certissimè falli. Quum enim Christus hîc loquatur non de vulgari omnium credentium fide, sed, vt Caluinus ipse fatetur, *de speciali seu particulari fide*, quam fidem miraculorum ille vocat, quúmque fidei gradus sit, non fidei species, & de qua Paulus ait, *Alteri fides in eodem spiritu*, non est hyperbola, sed sermo proprius ac verus, quòd qui tali ac tanta fide prædiri sunt, id est, feruenti & acri sicut granum sinapis est, montes de loco transferent. Nam & Gregorium Neocæsariensem Episcopum, maximi zeli & ardoris virum, qui in sua diœcesi quum nisi 17. fideles primum inuenisset, in ea moriens non nisi 17. infideles reliquit, montem de suo loco per hanc fidem transtulisse, post Eusebium in

1. Cor. 12.

Fides miraculorũ.

historia Ecclesiast. referunt Ruffinus ac Hieronymus in Catal. virorum illustrium. Non est igitur hæc fides *ad communem totius Ecclesiæ fidem extendenda*, vt vult Caluinus, sed est paucorum virtute præstantium singulare donum, vt Paulus recenset; nempe eorum qui vacui vitiis, liberi à perturbationibus animi, & soluti à curis seculi, ingentem animo fiduciam concipiunt, Deóque arctiùs adhærent, vt eleganter in hunc locum docet Euthymius. Tales erant Martinus, Nicolaus, & alij, quorum tam stupenda miracula legimus. Talem denique fidem habere debent exorcistæ, vel ad eam proximè accedere, vt dæmones eiiciant. Tali & tanto gradu fidei donati Apostoli, faciebant signa & prodigia in plebe: sicut & Stephanus plenus Spiritu Sancto: id est, magna fide & fiducia plenus.

Lib. 7. cap. 25.

Act. 5. & 7.

21. *Hoc genus non eycitur nisi in oratione & ieiunio.*

DOcet Christus quoddam genus dæmoniorum, siue eorum à quibus vexati lunatici vocantur, vt quidam putant, siue eorum quæ iam diu quempiam possederunt, quod multò probabilius putamus, quia diuturna possessio & consuetudo difficilius tollitur, & iste dæmoniacus non solum lunaticus erat, sed diu admodum talis, non eiici sola fide vtcumque ardenti, sed adhibendam quoque esse orationem & ieiunium. Displicet Caluino hæc Christi doctrina, quia ieiunij prædicatio nullo modo ei placuit, nouóque commento totum Christi sermonem peruertit. *Sensus*, inquit, *est non sufficere quamlibet fidem, vbi seriò præliandum est cum Satana, sed requiri strenuos conatus. Languori autem fidei remedium præscribit orationem, cui ieiunium adiungit adminiculi vice. Ergo precibus docet excitandam esse fidem, & quia ad precandum tardi sumus, accedere debere subsidium ex ieiunio.* Ita Caluinus totum fidei tribuendum censet. Vult Christum disputare de fide excitãda. Sed de ea Christus prius disputauerat, docens eam debere esse *sicut granum sinapis*, acrem & fortem; qua quia carebant tunc Apostoli, circa lunaticum hunc curandum, nihil efficere potuerũt, vt Christus disertè hîc affirmat; dicens illis, *Propter incredulitatem vestram.* Nunc autẽ Christus aliam causam affert cur hoc dæmonium quod tam diuturnè hominem possiderat, *ab infantia* videlicet, eiicere Apostoli non potuerint. Necessarium quippe fuisse, orare & ieiunare. Caluinus igitur prorsus à Christi disputatione aberrat,

Ieiunij & orationis virtus.

Matth. 9.

rat,

tat,in hunc modum concludens. *Hinc clarè apparet quàm ridiculè Papistæ antidotum in ieiuniis constituant fugandis diabolis quum Dominus non aliò referat quàm ad acuendum precandi ardorem.* Puriliter cauillatur. Nihil enim hoc loco Christus vel de excitanda fide per orationem, vel de acuenda oratione per ieiunium agit (vt somniat Caluinus) sed de distinctis à fide mediis, *oratione & ieiunio*, quibus hoc genus dæmoniorum eiciatur. Sit fides quantumcunque feruens sicut granum sinapis, accedere tamẽ debet oratio & ieiunium, quasi ad fugandos huiusmodi dæmones potentissima quædam antidotus; quam non Papistæ tantum hodie, sed omnes semper in Ecclesia sanctissimi viri adhibuerunt, vt legenti vitas veterum Sanctorum, Martini, Nicolai & aliorum, luculenter patebit. Denique sic hunc locum non Papistæ tantum hodie, sed omnes veteres Patres atque interpretes semper intellexerunt, quos per Papistarum hodie latus transuerberat suo more Caluinus. Vide Origenem Hieronymũ, Hilarium, Chrysostomum, Bedam, Euthymium, Oecumeniũ, & Theophyl. in hunc locum. Ieiuniorum quoque vim atque virtutem cum oratione coniunctam, non ad excitandam fidem, à qua iam satis excitata ista procedunt, sed ad Deum placandum varia in Scripturis exempla nos docent. De S. Iudith cap. 3. & 8. de Esther cap. 4 de Achab 3. Reg. 21. de Niniuitis Ionæ 2. Quibus & aliis multis exemplis hæc Christi doctrina cõformis est: quam ventricolæ Caluinistæ omnibus modis peruertere conantur. *Papistarũ nomine totam Antiquitatem taxat Caluinus.*

27. *Sumens staterem, da eis pro me & te.*

SVbsannat hoc loco Catholicos Caluinus, qui ex hoc Christi facto aliquẽ Petri præ cæteris Apostolis primatum colligunt. *Ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ, qui tam friuolo prætextu Petrum dignitatis socium Christo faciunt. Vicarium* (inquiunt) *sibi elegit, & pari secum honore dignatus est, quem solutione tributi sibi æquauit.* Hæc ille. Atqui si ridiculi sunt hoc nomine Papistæ, ridiculi quoque erant hoc nomine doctissimi & antiquissimi Patres, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, & alij valde multi eos sequuti. Augustinus ita scribit. *Saluator quum pro se & pro Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, sic & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset* *Petri primatus.* *Papistarũ nomine antiquos Patres taxat Caluinus.* *Quæst. ex nouo Testa. q. 75.* *Homil. 66. in Matth.*

gregis dominici. Hæc ille. Chrysostomus ait, Zebedæi filios *ideo à Christo petiisse vt vnus eorum à dextris, alter à sinistris sederet, quia Petrum sibi ex hoc proxime præcedenti facto præferri formidabant.* D. Hieronymus ait. *Quia cæteri Apostoli videntes pro Petro & Domino idem tributum redditũ, ex æqualitate pretij arbitrati sunt omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus, ideo statim interrogasse Christum* (vt initio seq. cap. habetur) *quis maior est in regno cælorum?* Hæc illi Patres, qui si Caluino ridiculi videntur, erit ipse multo magis ridiculus, vel meritò potius execrandus.

In comm. in cap. 17. Matth.

Nunc autem ex literæ consideratione Petri primatum satis sobriè colligi posse ostendemus. Erat hoc didrachmum viritim & per capita soluendum, vnde in textu Syriaco vocatur רבבס רישא *argentum capitis:* idque ab omnibus qui 20. annum excesserunt, iuxta legem Moysis omnisque pecunia in templum inferebatur, idque tanquam pretium pro animabus suis Deo offerendum, in vsus templi. Arguit Christus à simili in Regibus gentium, quorum filij naturales tributa populo communia non soluunt, quòd & ipse tanquam Dei filius naturalis liber sit ab hoc didrachmo: maxime pro sua anima pretium dare non tenebatur, qui pro omnium animabus semetipsum in pretium daturus erat. Ait tamen: *Ne scandalizemus eos,* scilicet Iudæos istos didrachmi exactores, qui me adhuc esse filium Dei ignorant, sicuti tu bene nosti, iuxta confessionem tuam ante paucos dies factam, *sumens staterem*, qui est duplex didrachmum, *solue pro me & pro te.* Non soluit pro se solo, sed etiam pro Petro. Non dicit, ne scandalizem eos, sed, ne scandalizemus eos; tam de se quàm de Petro; quia censebat vtrumque liberum & immunem esse debere ab hoc tributo: se quidem tanquam Dei filium naturalem, & *Caput super omnem Ecclesiam* vitale ac principale: Petrum verò non tanquam ex familia sua, sicut tota familia filij Regis libera esse solet (sic enim pro omnibus Apostolis soluere debuisset) sed tanquam filij Dei vicarium, & totius Ecclesiæ fundamentum ac caput ministeriale. Idcirco nec pro se solo soluit, ad vitãdum scandalum; nec pro omnibus Apostolis. Non pro se solo, ex causa antedicta: non pro omnibus Apostolis, quia illi needum à Christo potestatem acceperant, vt liberi atque immunes forent, sicut Petrus, certa iam & firma promissione Christi accepta, quodammodo accepisse videbatur. Erat enim per verba Christi præcedentia quasi nomi-

Exod. 30.

Cap. 16.

nominatus Supremus Ecclesiæ Pastor. Collationem accepit in illis verbis: *Pasce oues meas*. Pro se ergo & pro Petro soluit Christus cum protestatione quadam sui & Petri, immunem se & Petrum esse professus, tanquam pro Ecclesiæ Capite residéte, & Capite nominatario seu designato. Cæteri Apostoli & discipuli Christi pro seipsis soluebant, iuxta communem legem cæterorum Iudæorum, absque vlla protestatione Christi in contrarium. Hinc ex hoc facto elucet iuxta literam Petri primatus. Aliam olim explicationem dedimus iuxta Græcorum Patrum sententiam in lib. de Princip. fidei. Sed hæc expositio literæ & historiæ veteris tributi Mosaici, cuius hic fit mentio, magis conuenit. *Ioan 21.* *Lib. 6. cap. 12.*

Notandum porro circa hoc Christi factum, à Marco illud studio prætermissum fuisse, quia ad Petri primatum pertinebat, sicuti cætera omnia eo pertinentia prætermittere solet, non permittente Petro humilitatis causa, qui Marci Euangelium vidit & approbauit, vt talia ad eius præ cæteris excellentiam pertinentia insererentur: vt olim ex Chrysostomo annotauimus. Deinde quia in itinere ad Capharnaum disceptabant inter se Apostoli, *quis eorum videretur futurus maior*, quum Christus à mortuis resurgeret, Christus factis potius quàm verbis volens eos admonere, pro se & pro Petro solo didrachmum soluit, facta ea quam diximus protestatione: & Petri primatum vt antea sæpe, sic ex hoc etiam accidente insinuauit. Caluinus verò vt hanc Christi intentionem peruerteret, hoc Christi factum de didrachmi solutione, in sua Harmonia post sequentem disputationem, vbi contentioni discipulorum satisfacit Christus, astutè ponit: idque contra historiæ Euangelicæ iuxta omnes Concordantias manifestum filum atque contextum. Ne videlicet ad illã cæterorum Apostolorum de primatu contentionem, hoc Christi factum vllo modo pertinere videretur. Ita omnibus modis fallendis imperitis insidias struit Caluinus. *Homil. 59. in Matth.* *Caluini dolus malus.*

IN MATTHÆI CAP. XVIII.

7. *Necesse est vt veniant scandala.*

NECESSITAS hæc nec ex parte rei est absoluta, nec propter Dei præscientiam aut voluntatem infallibilis. Neque enim quia Deus præscit, ideo euentura sunt scandala: sed contrà quia sunt euen- *Deus non est autor malorum.*

tura scandala, ideo Deus illa præscit futura. Multo minus
Psal. 5. quia Deus vult fieri scandala, ideo necesse est fieri. *Non enim Deus volens iniquitatem tu es*; ait Propheta regius. Sed posita hominum in mundo malitia & corruptione, necesse est ea venire; sicuti posita hominis infirmi mala diæta, necesse est illum malè habere. Cauendus igitur hæreticorum commentarius, Caluini imprimis; qui scribit hoc loco, *Deum velle homines scandalis esse obnoxios, quò fidem suorum exerceat: nec obstrepere nos debere, aut absurdum putare, quòd laxet Satanæ frenum Deus, sed de arcanis Dei consiliis reuerenter sentire.* Ita homo impius iuxta satanicam illam suam doctrinam, quòd Deus est author peccati, hanc Scripturam corrumpit, vt necessitatem scandalorum Dei prouidentiæ, adeóque voluntati impingat.

10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.*

Angelorũ custodia particularis. Colligitur ex hoc loco Angelorum custodia, non solum in genere, sed etiam particularis. Non enim dicit Christus, Angeli hominum custodes, sed dicit, *Angeli eorum*, id est, qui eorum curam & custodiam gerunt. Non enim Angelus *eius* est, putà Thomæ aut Ioannis, nisi qui Thomæ aut Ioanni peculiaris est. Hanc peculiarem cuiusque custodiam Angelicam colligit ex hoc loco D. Hieron. tum in comment. in hunc locum, tum in Esai. caput vltimum. Origenes quoque tract. 5. in Matth. & Hilarius can. 18. in Matth. Vide plura in Prompt. Cath. in festo S. Michaëlis. Eadem sententia apud omnes Catholicos obtinuit. Caluinus tamen pro sua authoritate magistrali hoc totum contemnit. *Quòd* (inquit) *hunc locum ita quidam accipiunt, quasi Deus singulis fidelibus proprios Angelos attribuat, infirmum est.* Rationes subiungit. *Neque enim sonant verba Christi Angelum vnum huic vel illi perpetuò addictum esse, idque cum tota Scripturæ doctrina repugnat, quæ testatur Angelos castra mutari in circuitu piorum, & non vni tantum Angelo, sed pluribus mandatum esse, vt quemque fidelium tueantur.* Hæc ille. Sed hæc profectò argumenta valde infirma sunt. Quum enim duo dicat, prius manifestè falsum est, vt iam ex verbis Christi ostendimus; alterum putidum sophisma est. Sic enim arguit: Scriptura docet custodiam Angelorum generalem, ergo negat particularem. Cui simile nugamentum hoc est:

Scriptu

Scriptura docet Spiritum sanctum toti Ecclesiæ dari, ergo non datur singulis, per varia & peculiaria eius dona. Rursum illud: Dedit Christus Episcopos qui regant Ecclesiam Dei: ergo nec paterfamilias, nec parentes naturales, nec proximus quisque spiritualem suorũ curam habere tenentur. Denique & illud. Rex totam Rempublicam per varios magistratus in vnaquaque ciuitate temporaliter regit: ergo nec domino seruus, nec patri filius, nec duci miles, nec artifici tyro, nec magistro discipulus obedire debet. Est quippe Angelorum custodia generalis, est & cuiusque particularis; sicut est tum Spiritus sancti, tum Ecclesiæ, tum Reipub. cura ac moderatio generalis, quæ particularem in vnoquoque genere non excludit. Deinde, etsi aliqua Scriptura docet generalem Angelorũ custodiam, aliæ tamen Scripturæ docent particularem; sicuti tum hic locus, tum ille maximè de Petro fores pulsante: *Angelus eius est.* Act 12. vt in loco suprà citato cõtra Caluinum explicuimus. Insulsè igitur & nimis præproperè post tam stupida argumenta concludit Caluinus. *Facessat ergo commentum illud de bono & malo genio.* Facilius fuit Caluino citò concludere, quàm solidè disputare.

15. *Lucratus eris fratrem tuum.*

NOtandus in Scriptura loquendi modus, qui effectum totum partialibus causis eisdémque infimis interdum tribuit. Lucrari enim animam perditam, præcipuè quidem Deo, eius gratiæ, & Christi merito tribuendum est; partim quoque ipsius conuersi pœnitentiæ, lacrymis, fidei, fiduciæ, orationi, aliisque ex libero eius arbitrio cum speciali Dei auxilio profectis conatibus. Hoc tamen in loco tribuitur correptioni fraternæ, quæ nõ nisi externum quoddam medium est, idémque inter externa infimum: quum Pastoris prædicatio & correptio magis sit ordinarium & excellens medium, quia ex vnctione loquitur. Docere hic locus hæreticos hodie debet, ne blasphemiam putent, si B. Virginem aut alios Sanctos, vitam, spem, ac salutem nostram interdum vocamus: quatenus videlicet, vitæ, spei, ac salutis nostræ partiales causæ sunt, tametsi nec primariæ nec integræ. *Causis partialibus tribuitur effectus.*

17. *Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

DIsciplinam & censuram Ecclesiasticam à Christo hoc loco institui omnes intelligunt. Sed *Ecclesiæ* nomine quid

quid intelligi debeat, non omnes rectè assequuntur. Hæretici hodie, vt Ecclesiasticam disciplinam, quam à Prælatis Ecclesiæ exerceri videbant, penitus subuerterent, ídque ipsos à censuris Ecclesiæ ipsáque excommunicatione immunes seruarent, nouas huius loci interpretationes commenti sunt. Quidam enim toti congregationi hanc authoritatem tribuunt, tum quia Ecclesia congregationem & multitudinem significat, tum maximè quia publica censura his verbis significatur. Christus enim (aiunt illi) gradatim ascendit à priuata admonitione ad testes duos, aut tres: à testibus ad Ecclesiam: quæ nisi plures quàm duo aut tres essent, non esset gradatio, sed descensio. Totam igitur fidelium congregationem intelligūt, non quidem toto orbe dispersam, sed illius loci ac parœciæ cui frater corripiendus subiicitur, quia actor sequitur forum rei. Hæc fuit prima Lutheranorum sentētia, adeo vt quidam illorum vertant hæc Christi verba, *Dic Reipublicæ*, vt annotauit hoc loco Beza. Sed hos omnes turpiter errare idem statim affirmat. Caluinus igitur cum suis exponit hæc verba, *Dic Ecclesiæ*, id est, *Dic Senioribus populi.* Nam ad hunc quidem locum ita scribit. *Legitimam Ecclesiæ gubernationē presbyteris iniunctam fuisse constat, non tantum verbi ministris, sed qui ex plebe morum censores illi adiuncti erāt.* Hæc ille hoc loco. Idem accuratè docet Institut. lib. 4. cap. 3. num. 8. & Ecclesiæ nomine intelligendos esse ait *Seniorum senatum*, seu consistorium, vt nunc vocant. Theodorus Beza in hunc locum eodem ferè modo. *Euangelista* (inquit) *pro Seniorum collegio Ecclesiam dixit. Lucas autem cap. 22. versu 66. Seniores populi τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ*: quæ verba ille vertit, *Ordo Seniorum populi.* Idem in confess. fidei cap 5. sect. 32. *Seniorum senatum* à Christo hoc loco intelligi affirmat: & in præfatione confessionis Helueticæ, in hunc senatum Seniorum viros principes ac nobiles, qui authoritate valeāt, eligendos monet. Hinc erexerūt Caluinistæ per totam Galliam & in Hollandia, sicut & Anabaptistæ, sua consistoria seu Seniorum senatum ex laicis hominibus pastori adiunctis confectum: penes quos est omnis potestas & iurisdictio Ecclesiastica, non solum quoad censuras & disciplinas, sed etiam quoad collectas pecuniarias faciendas, quoad leges morum, quoad cæremonias in cultu diuino, & quoad dubia de fide definienda. Puritani in Anglia Caluini sentētiam sequuntur, nisi quòd *ex solis Ecclesiasticis viris* hunc Seniorum senatum consistere volunt. Anglocaluinistæ à tota hac Caluini forma ex voluntate Princi

Ecclesia quæ audienda.

Protestantiū varia sententia.

Consistorialis potestas.

Principis diffidentes, docent & sustinent contra Puritanos, in locum horum Seniorum *Magistratum ciuilem* successisse. Quare apud illos, *Dic Ecclesiæ*, significat, Dic Magistratui ciuili. Ex hac sententia Musculus in locis commun. in cap. de Magistratibus, hæc Caluinistarum consistoria & Seniorum senatum multis verbis confutat. Gualterus quoque Tigurinus acerbè in illa inuehitur in commen. in 1. ad Cor. cap. 5. Quare Heluetica confessio, cui Tigurini subscripserūt, presbyteros & Seniores confundit, ac pro eisdem habet. Nam & electos ad ministerium à Senioribus ordinandos, & peccantes à Senioribus corripiendos docent. Sic varia & confusa est hæreticorum hodie circa hæc Christi verba sententia. Omnes tamen in eo conueniunt, ne Ecclesiæ nomine Prælati Ecclesiæ, vt vnus Pastor, aut Episcopus, aut summus Pontifex vllo modo intelligatur.

Vno autem argumento præter ea quæ iam dicta sunt, omnes innituntur. Christus (inquiunt) censuræ & disciplinæ formam hoc loco accepit ex ipsa Synagogæ consuetudine, in qua tunc erat Synedrion, seu Seniorum populi tribunal, quorum arbitrio omnis disciplina subiacebat, ad exemplum Moysis, qui causis & litibus componendis 70. Seniores præfecit, Exod. 18. In hoc ergo iudicio, *Dic Ecclesiæ*, intelligit Christus Seniores populi, non vnum aliquem pastorem. Hoc argumentum multis verbis hoc loco prosequitur Caluinus, & breuiter perstringit Beza. Sed vtrique breuiter respondeo: Tametsi probabile sit iuxta formam loquendi, ad Seniorum senatum, qui apud Iudæos erat, Christum allusisse, ideóque *Ecclesiæ* vocabulo, quæ multitudinem significat, vsum fuisse; tamen certum est quòd sensus verborum eius non ad Iudaicę præsentem, sed ad suæ Ecclesiæ futuram politiam respiciebat, quæ quia nec Democratica vt populus regat, nec Aristocratica vt pauci Seniores gubernent, sed Monarchica instituta est (*Dedit enim Apostolos, Prophetas, Doctores, & Pastores in ædificationem corporis sui*, &c.) non nisi de vno Ecclesiæ Præposito intelligi possūt: vt Chrysostom⁹, Oecumenius, Theophylactus, & alij hoc loco intellexerunt. Sic quæ Christus de Scribis & Pharisæis ad literam dixit, *Quæ dicunt, facite*, &c. de Præpositis Ecclesiæ totum intelligendum est: vt docet August. serm. 49. de verbis Dom. Chrysost. homil. 85. in Ioan. & Orig. homil. 7. in Ezechielem. Sed & Caluinus ipse, vt primam Lutheranorum sententiam refutet, quæ Ecclesiæ nomine totam credentium multitudinem intelligi vult, idque exem

Argumētu respondetur.

Ephes. 4.

Matth. 23.

1. Cor. 5. exemplo disciplinæ apud Paulum, qui Corinthium incestum non ab aliquo delecto numero Seniorum, sed à toto piorum cœtu excommunicari iubet, hunc in modum respondet. *Quia tunc nulla adhuc Ecclesia erat, quæ Christo nomen dedisset, nec talis ratio de paucorum delectu adhuc cōstituta, ipse autem Dominus tanquam de more vsitato receptoq. loquitur; non dubiū est quin ad veteris Synagogæ ordinem alludat, quia absurdum fuisset, Ecclesiæ, quæ adhuc nulla erat, iudicium proponere.* Hæc ille. Eodem modo ipsi Caluino de Seniorum senatu quem confinxit, respondendum: Quia necdum Ecclesia Christi aut futura eius politia constituta erat, Dominus vsitato more loquens ad veteris Synagogæ ordinem alludit, quia absurdum fuisset, Ecclesiæ, quæ adhuc nulla erat, iudicium quale futurum erat proponere. Sicuti ergo ex his verbis, *Dic Ecclesiæ*, Democratia in Ecclesia Christi poni non potest propter vocem Ecclesiæ, quæ multitudinem significat, vel propter exemplum Pauli qui inprimis Ecclesiæ rudimentis illa forma vsus videtur, sic nec Aristocratiam aut Seniorum consistoria ponere oportet propter morem Iudaicum ad quem Christus allusit: sed Ecclesiæ nomine illi intelligi debent, quibus postea Christus omnem disciplinæ Ecclesiasticæ potestatem commisit. Neque enim Christus in his verbis, *Dic Ecclesiæ*, dat aliquam authoritatem Ecclesiæ; sed præsupponens illam authoritatem futuram, ostendit quanta & qualis esse debeat. Penes autem quos futura esset, non his verbis, *Dic Ecclesiæ*, sed sequentibus illis, *Quæcunque alligaueritis super terram*, &c. explicat Christus. Nam de Ecclesiæ Præpositis, & de vno sententiam ferente hæc verba intelligi, non solum Patres omnes semper intellexerūt, sed & ipsi hodie Caluinistæ agnoscunt, qui ipsam excommunicationis sententiám, quæ est alligare super terram, non nisi à ministro seu pastore pronunciari debere vnanimiter docent. Postremò quid sit dicere Ecclesiæ, vel non audire Ecclesiam, hoc loco, satis perspicuè Christus docuit, quando non populo aut senioribus populi, sed solis Apostolis eorúmque successoribus dixit. *Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit.* Dicit ergo Ecclesiæ qui dicit Præposito Ecclesiæ, & audit Ecclesiam qui audit Præpositum Ecclesiæ.

Caluinus ex seipso refutatur.

Lutherani argumenti solutio. Neque tamē propterea Christi gradatio hoc in loco manca aut mutila, sed prorsus perfecta & plena est. Plus enim est vni dicere, seu apud vnum querelam deponere, penes quem authoritas est alligandi in terra, quæ erunt ligata in cælo, quàm

quàm vel priuatim vel coram testibus corripere, qui refractarium per excommunicationem aut aliam censuram puniendi potestatem non habent. Denique sicut in veteri populo per totum populum & totam Synagogam intelligebantur Seniores populi vt habes Exod.4. Iosue 20. & 1.Paral.13. quia penes Seniores populi erat gubernatio, sic in nouo statu & hoc in loco per Ecclesiam intelliguntur Præpositi & Pastores, quia *hos Spiritus sanctus posuit regere populũ Dei*. Frustra ergo Caluinus, Beza, Musculus, omnesq; ferè huius ætatis hæretici, ex Christi verbis, *Dic Ecclesiæ*, Monarchicam in Catholica Christi Ecclesia politiam perpetuò obseruatam subuertere conati sunt. Sanè quum Theodorus Beza pro suo Seniorum collegio seu senatu, consuetudinem temporis Apostolici allegaret, dicens: *Quod ad nostras Ecclesias attinet, profitemur maximè nobis probari puritatem Ecclesiarum, quæ sub ipsis Apostolis viguit*, Confess. fidei cap.5. sect.10. respondet ei Musculus in locis commun. cap. de Magistratibus: *Si reuocas temporum illorum mores, primum conditiones & status quoque illorum temporum reuoca*. Et rursum: *Distinguendum est inter statum Ecclesiarum qui tum erat, & inter eum qui nunc est*. Hæc ille, admittens quidem pro vero quod Beza affirmat (quum tamen sit penitus falsum, vt vel ex his quæ dicta sunt, satis apparet) consequentiam tamen, quam Beza facit, penitus reiiciens.

Act.20.

Bezam refutat Musculus.

20. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.*

QVum hæc Christi verba à Catholicis tractatoribus, tum hodie tum olim, ad perpetuam Christi assistentiam in Episcoporum Synodis maximéque generalibus probandam, applicata & accommodata fuerint per argumẽtum à minori ad maius; quia si duobus aut tribus quibuscunque credentibus in Christi nomine, id est, in quacunque pia causa ad Christi gloriam pertinente congregatis adest Christus, multo magis multóque certius plurimis congregatis; nec quibuscunque credentibus, sed credentium populorum Pastoribus ac Præpositis; nec in qualibet causa, sed in causa communis fidei examinanda, explicanda, & confirmanda, Christus aderit; quia dubitandum non est, Dei prouidentiam Christíque assistentiam in generali Ecclesiæ bono procurando certiorem esse, quàm in quouis particulari; totam hanc Catholicorum

Conciliorũ authoritas defenditur.

argumentationem & firmissimam & saluberrimam atque vnitati fidei conseruandæ imprimis necessariam, impius impostor Caluinus hoc loco verbis phaleratis & astutia plenis penitus conuellere conatur. Sic enim ad hæc verba scribit. *Promissio Christi hoc vult, vt qui simul congregantur, resectis omnibus impedimentis, quæ nos ad Christum accedere non sinunt, sincerè ad eum aspirent, eius verbo se in obsequium addicant, ac Spiritu gubernari permittant. Timendum non est, vbi viget hæc simplicitas, quin palam ostendat Christus, suis auspicijs non frustrà coactum fuisse cœtũ. In quo se prodit crassa Papistarũ inscitia. Clamant non potuisse errare Concilia, ideóq; standum omnibus eorum decretis, quia quoties duo aut tres cõgregantur in nomine Christi, ipse in medio eorum est. Atqui in primis quærendum erat, conuenerint nécne in Christi nomine: de quorum fide, doctrina, & affectu ambigitur. Hoc dum omittunt vel inuoluunt Papistæ, quis non videt astutè discrimen inter sacros & profanos conuentus ab illis confundi, vt potestas quiduis agendi ab Ecclesia ad hostes Christi iuratos transferatur?* Hæc Caluinus, cuius multiplex dementia à me explicanda est. Primum obiectat *crassam inscitiam.* Postea dum illam ostendit, ait *astutè confundi discrimen inter sacros & profanos conuentus.* Si crassa est in hac parte Papistarum inscitia, profectò non est astuta confusio. Quod enim astutum, subtile: quod subtile est, crassum non est. Ita inter se pugnantia ex animi impotentia obiectat. Deinde vbi est hæc vel crassa inscitia, vel astuta confusio? *Quærendum* (inquit) *erat vtrum conuenerint in Christi nomine, de quorum fide, doctrina, affectu ambigitur.* Hoc non quærunt Papistæ. Astutè igitur & crassè agũt. Agnosco meritò de illis quærendum hoc esse, de quorum fide, doctrina, affectu ambigitur. Sed de Conciliorum veterum Patribus, & totius orbis Episcopis, ideo nos Catholici post tot iam secula hoc non quærimus, quia de eorum fide, doctrina, affectu nos non ambigimus. Nihil ergo nos vel ex crassa inscitia vel astutè hac in parte egimus. Ostendere prius Caluinus debuit; hoc ipsum nos ambigere, ideóque culpandos quòd ambigentes non quæreremus. Sed hæc est Caluini vel crassa inscitia, vel insignis astutia. Crassa inscitia est, si existimet nos Catholicos de veterum Patrum & Episcoporum, qui in generalibus Concilijs contra veteres hæreticos congregati, fidem Catholicam omnibus temporibus explicarũt, fide, doctrina, affectu ambigere. Planè eos orthodoxam fidem tradidisse, doctrina excelluisse, pietatis affectu viros sanctos fuisse, nos

Caluini contradictio.

Caluini vitia quæ alijs obiectabat.

nos non ambigimus, credimus, confitemur, ideóque *in Christi nomine conueniſſe, ſincerè ad eum aſpiraſſe, eius verbo ſe in obſequium addixiſſe, Dei Spiritu gubernari ſeſe permiſiſſe* (quæ tria Caluinus deſiderat vt in Chriſti nomine conueniatur) nihil dubitamus. Inſignis verò Caluini aſtutia eſt & paralogiſmus egregius, ſi hoc de nobis non exiſtimans, iubet nos quærere de quo alij ambigunt, nos non ambigimus. Propterea aſtutè & vafrè ſcripſit, *de quorum fide* &c. *ambigitur:* quum dicere debuiſſet, quia de Papiſtis loquitur, *de quorum fide*, &c. illi ambegerunt, vel ſaltem ambigere debuerunt. Nunc enim à Caluino quærimus, à quibus hoc ambigitur? An à Papiſtis, an à vobis Caluiniſtis, aliíſque horum temporum ſectariis? Si à nobis dicit, craſſiſſima inſcitia laborat, & mentitur egregiè. Si à ſuis ſuíque ſimilibus, quid hoc ad Catholicos, quos hoc loco redarguit, quaſi temere Concilia venerentur, de quibus non quæſierint, vtrum in nomine Chriſti conuenerint nec ne? An fortè quia Caluiniſtæ ambigunt, aliíque hæretici ſemper ambigere voluerunt, ideò ſequetur Catholicos quoque ambigere, aut omnes ambigere debere? vt indefinitè ac vniuerſaliter ſit verum, *de quorum fide*, &c. *ambigitur?* Hoc ſi dicit, nónne iterum craſſa inſcitia laborat? Aut ſi hoc non dicit, nónne manifeſta eſt inſignis eius aſtutia? Cæterum de veterum Conciliorũ fide, doctrina, affectu, nec Catholici vnquam ambigere voluerunt, nec hæretici ambigere debuerunt. Ac per hoc vtrum in nomine Chriſti Patres illi conuenerint, quærere aut inueſtigare, nec Catholici voluerunt, nec hæretici debuerunt. Quod quum ita ſit, ad Conciliorum ſaluberrimam authoritatem hic locus imprimis valet, eóque Catholici prudenter & piè ad eandem comprobandam vſi fuerunt.

Caluini vafricies aperitur.

Nunc tamen Caluini concluſionem audiamus. *Sciamus ergo non niſi pios Dei cultores, qui Chriſtum purè quærunt, animari ad fiduciam, ne ſibi eum adfore dubitent. Spurijs autem & abortiuis Concilijs, quæ telam ex proprio ſenſu contexuerunt valere iuſſis, apud nos ſemper Chriſtus vnus cum Euangelij ſui doctrina emineat.* Non minus inepta quàm impia eſt iſta concluſio. Ineptum pariter atque impium eſt, veterum Conciliorum Patres ab hac Chriſti promiſſione repellere, & pios Dei cultores, qui Chriſtũ purè quærunt, ſubſtituere. Ineptum eſt, quia ſemper quæri & ambigi poteſt qui demum ſint iſti pij Dei cultores: nec dubitandum eſt quin quilibet inſulſiſſimus hæreticus, etiam ipſe Caluinus, in eorum numero ſe

Caluini ineptia.

ponere velit. Impium est, veterum Conciliorum Patres & totius orbis Episcopos, qui omnes veteres hæreses iugularunt,& Ecclesiam Christi perpetuò rexerunt, à piis Dei cultoribus secernere,quasi impios & impuros repellere. Sed magis adhuc impium est, omnibúsque hæresibus latissimam fenestram aperit,vetera totius orbis Concilia *spuria & abortiua vocare.* Hinc quippe factum est,vt sicut Conciliũ Constantiense Lutherus, quia Vviclef in eo condemnatus est; Lateranense Concilium Caluinus, quia Berengarius in eo reiectus est; Florentinum, Tridentinum omnes hodie hæretici, quia variæ eorum hæreses anathemate illic percussæ sunt,pro spuriis & abortiuis habuerunt; eodem modo,eadem fiducia, noui in Trãsyluania & Polonia Ariani ac Trinitarij Concilium Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, aliáque in vniuersum omnia suis placitis repugnantia reiecerint. *Telam autem ex proprio sensu contexere,* nouis hæreticis, Caluino imprimis, proprium est, quasique inseparabile accidens,à veterum Conciliorum Patribus alienissimum, qui maiorum suorum vestigiis religiosissimè insistentes,& traditam ab illis doctrinam sequentes,sic demum de re dubia definierunt,vt in omnibus Conciliorum definitionibus videre licet. Postremò, *vnus quidem Christus cum sui Euangelij doctrina eminere debet:* sed tunc eminet, quãdo per os eorum loquitur quos suæ Ecclesiæ Magistros ac Præpositos constituit: quibus dixit, *Qui vos audit, me audit.* Et iterum. *Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum quoque seruabunt.* quia videlicet eisdem dixerat. *Docete omnes gentes seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Apud hæreticos verò,nec Christus nec Euangelij sui doctrina eminere potest, quia *currunt nemine mittente:* Christus per eos non loquitur,quia non misit eos: nec Euangelij doctrinam docent, sed eius verba tenentes, sensum & doctrinam pestilenter corrumpunt, Caluinus maximè, vt tot iam in locis ostendimus, ac,fauente Deo, ostendemus adhuc magis.

Eiusdem impietas. *Insistentes SS. Patrũ vestigijs.* *phrasis Conciliorum trita.* *Luc. 13.* *Ioan. 15.* *Matth. 28.*

21. *Quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? vsque septies?*

DVpliciter hunc locum corrumpit Caluinus. Primùm circa personam Petri, de quo ita scribit. *Non rogabat Petrus an septies remitteret, quòd placeret eò vsque progredi: sed vt obiecta magni absurdi specie Christum à sententia deduce*

duceret. Hæc ille. Duo falſa impingit Petro homo impius & Apoſtolos criminandi auidus. Negat Petrum ſic iſtud rogaſſe, vt vſque ſepties peccanti in eum fratri remittere vellet. Atqui omnium Patrũ interpretatio aliter rem accipit: Chryſoſtomi, Hieronymi, & Hilarij hoc loco, quibus potius credendum eſſe nemo ſani cerebri negauerit. Deinde Chriſti reſponſio idem confirmat, qua numerum à Petro ſignatũ multiplicat, non taxat: quaſi probans quidem, quòd vſque ſepties remittere paratus erat, ſed hoc valde parum eſſe, quod multum putabat Petrus, ſtatim oſtendens. Secundò ait Petrum *Chriſtum à ſua ſententia deducere voluiſſe.* In quo fingit abſurdiſſimè Petrum talem fuiſſe Chriſti diſcipulum (qui tamen feruore charitatis & fide cæteros omnes ſemper excellebat) vt nec ſemel fratrem peccantem corripere, eique dimittere voluerit. Nam non niſi de ſemel peccantis correptione & venia Chriſtus antea diſputauerat.

Petrus indignè a Caluino exceptus.

Rurſum hunc locũ corrumpit Caluinus, quòd hanc ignoſcentiam peccatorum ad leuia & quotidiana peccata reſtringit, quaſi in grauioribus criminibus fratrum dimittere nec ſeptuagies nec ſepties teneremur. Propoſita quippe ſibi hac quæſtione, *Vbi erit diſcrimen, ſi ad centeſimum vſq; crimen impunè quiuis nobis illudat? Reſpondeo* (inquit) *de quotidianis delictis hic haberi ſermonem, in quibus etiam optimus quiſque venia indiget.* Hæc ille. Ita qui Petrum reprehendit quòd ſepties nollet fratri dimittere, ſed potius Chriſtũ ab hac ignoſcentiæ fraternæ lege ſtatuenda deducere, maiori nunc impietatis & reprehenſionis nota, non niſi in leuibus & quotidianis peccatis, quibus optimus quiſque non caret, fratribus frequenter dimittere doceat, quũ Chriſtus de omni peccato in genere ac imprimis de grauioribus loquutus ſit; in quorũ videlicet remiſſione & maior charitas ex parte noſtra, & maior neceſſitas ex parte peccãtis fratris elucet. Neque enim vel magna laude dignum eſt leuia & quotidiana ignoſcere, quibus ipſi non caremus; vel noſtra venia multũ opus habet frater in iſtis quotidianis ignoſcẽdis, quæ talia perrarò ſunt, vt veniam à fratribus propter huiuſmodi petere neceſſe ſit. Deinde peccata in fratres quæ correptione indigent, & quæ ad Eccleſiæ tandem iudicium deferenda ſunt, in quibus ſi nos non emendamus, erimus ſicut ethnici & publicani, de quibus peccatis Chriſtus antea diſputauit, & Petrus hic interrogat, ex illa diſputatione occaſione accepta, non ſunt haud dubiè quotidiana & leuia peccata quibus optimus quiſque nõ caret:

Grauiora peccata fratribus remittenda contra Caluinum.

ſed ſunt haud dubiè illa peccata quæ cum ſalute & iuſtitia ſtare nō poſſunt. Idcirco enim Chriſtus dixit.ſi in huiuſmodi peccans correptionem noſtram audierit, quòd *lucrati fuerimus fratrem* noſtrū: periturum videlicet ſi non audiuiſſet ſeſéque emendaſſet. Propter leuia autem & quotidiana peccata, *quibus optimus quiſque non caret*, nemo peribit: niſi fortè & optimus quiſque perire debeat. Sunt igitur etiam ingentia peccata, quæ crimina propriè vocamus, fratribus noſtris perpetuò ignoſcenda, quantumcunque multa & ſæpius repetita, ſi vel à nobis toties correpti ſeſe emendent, vel ſua ſponte toties veniam rogauerint, quam conditionem Chriſtus in ſequenti parabola adiecit. Vt propterea hæc Chriſti doctrina non peccandi licentiam, ſed pœnitentiæ fructū, noſtrámque erga proximos charitatem perpetuam ac neceſſariā doceat.

34. *Quoaduſque redderet vniuerſum debitum.*

TAxat hoc loco Catholicos Caluinus, & ait. *Ridiculi ſunt Papiſtæ, dum ex aduerbio, Quouſque, purgatorium ignem eliciunt. Certum enim eſt, mortem æternam hic à Chriſto notari, non pœnam temporalem qua Dei iudicio ſatiſfiat.* Hæc ille. Aſturè homo nequam generaliter loquitur, ſicut doloſus verſari ſolet in generalibus: ſed neminem profert Catholicum ſcriptorem, qui hæc Chriſti verba ad purgatorium accommodet. Hic illi perpetuus in his ſuis cōmentariis ludus eſt. Accuſat Catholicos interpretationis falſæ, ſed nullum ſcriptorem Catholicum qui ſic interpretetur profert. Quæ eſt maledica contumelia, non legitima accuſatio. Ego verò in nullo adhuc ſcriptore Catholico aduertere potui, hunc locum ad purgatorium accommodari. Fefellit fortè Caluinum alius ſimilis locus Matth. 5 vbi dicit Chriſtus. *Non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Hunc enim ſanè locum ad purgatorium applicari poſſe diſputant interdum Catholici, & inter alios Robertus Bellarminus ſatis copioſè & accuratè Controuerſ. tom. 1. Controuerſ. 5. lib. 1. cap. 4. de purgatorio. Et de hoc loco ſuprà Caluino prolixius ſatisfecimus, vbi prolixius debacchatur.

Calumnia putida repellitur.

IN MATTHÆI CAP. XIX.

6. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

ARRIPIT hoc loco Caluinus, vt in tota paſſim quam facit ſacri Euangelij expoſitione, Catholicos taxandi ac reprehendendi occaſionem. Quæ ſeu hic

hic seu alibi si iusta foret, laudem mereretur veritatis defensio. Nunc quum putidas calumnias effutiat, nec illæ à nobis negligendæ sunt, quia simplici lectori imponitur, & Christi Ecclesia diffamatur; & docet præterea nos quæ contra hæreticos modernos passim valent, vt ea diligenter obseruemus: sicut solent mali mores bonis legibus causam dare. Ait igitur hoc loco. *Latius extendi hæc Christi doctrina potest. Papistæ Ecclesiam à Christo Capite suo auulsam nobis fingentes, truncum & mutilum nobis relinquunt corpus. In sacra Cœna quum Christus panem vino coniunxerit, vsu calicis totam plebem priuare ausi sunt. His diabolicis corruptelis opponere licebit: Quod Deus copulauit, homo non separet.* Hæc ille. Monuit nos cauillator impotens cauillandi magis auidus quàm peritus, quæ in illum iusta & certissima accusa- *Præpositorum Ecclesiæ authoritas non diuellit corpus à Capite.*
tionum tela coniicere debeamus. Ait nos fingere Ecclesiam à Christo Capite auulsam. Nempe quia caput Ecclesiæ agnoscimus Rom. Pontificem D. Petri successorem. Quæ accusatio si iusta est, ipse ergo Christus quum dixit Petro, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & postea *Pasce oues meas*, in quibus verbis Petrum constituit *Matth.16.*
Ecclesiæ suæ (non particularis alicuius, sed vniuersalis, nem- *Ioan.21.*
pe *contra quam portæ inferi non praualerent*) Caput vicarium & ministeriale, suam Ecclesiam à seipso Capite diuulsit: vel si hoc vnum totius Ecclesiæ Caput satis in Scripturis expressum non videtur (quo nihil tamen expressius positum est) quum Paulus dixit, *Obedite Præpositis vestris*, &c. an illos à *Heb.13.*
Christo diuulsit, vt Christo non obedirent? An non Christus disertissimè docuit Ecclesiam suam à se Capite non diuelli, sed sibi potius arctissimè coniungi, quando Præpositi, Pastores, Magistri Ecclesiarum audiuntur, quos ipse misit, dicens illis hæc verba: *Qui vos audit, me audit*, &c. Nos ergo *Luc.10.*
seu vnum totius Ecclesiæ Caput, seu in particulari quaque Ecclesia vnum proximum & proprium Caput audientes, siue ille Pastor, siue Episcopus sit, non Ecclesiam à suo Capite diuellimus, sed Ecclesiam suo Capiti arctissimè obedientiæ & vnitatis vinculo coniungi ostendimus. Caluinus autem qui Ecclesiam Catholicam tot seculis à Christo diuulsam affirmat, qui tot Patres & Ecclesiarum toto orbe Episcopos in Scripturis exponendis turpiter errasse, erroribúsque in fide grauissimis laborasse contendit, qui nec vnum supremum Caput diui Petri successorem, nec vllum in Ecclesia aliqua particulari Præpositum agnoscit,

sed ad Seniores populi totam Ecclesiæ gubernationem transfert, ille certè cui leotissimè Ecclesiam à Christo Capite diuulsit, planéque ἀκέφαλον penitúsque truncum reliquit. Rursum si vnam venerab. Eucharistiæ speciem populo subtrahendo, separatur quod Deus coniunxit, quanto peccauit enormius & sceleratius Caluinus, qui ab vtraque specie sacrum Christi corpus sacrúmque sanguinem ita penitus diuulsit ac separauit, vt à pane & vino in cœna quam celebrat, tam procul separetur corpus & sanguis Cristi, quàm cælum à terra seiungitur? Illis enim ipsissimis verbis homo impius profanam suam cœnam commendat; nec in sacramento, sed in cælo quærere nos iubet quod in hac sacra Cœna vel comedamus vel bibamus. Nec accipere corpus & bibere sanguinem Domini, sed audire historiam Euangelicam & credere docet. His diabolicis Caluini corruptelis meritò opponere licebit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Catholica verò Ecclesia vnam speciem populo porrigendo, & totum Christum illis porrigit, quem huic Sacramento Deus coniunxit; & nihil separat quod Christus coniunxit, quia in sacrificio quod Christus fecit, vtramque speciem tenet, sicut tenuit Christus. Quam rem infrà suo latius loco discutiemus.

Ad Matt. capit. 26. ver. 27.

9. *Et qui dimissam duxerit, mœchatur.*

Nuptiæ post diuortia superstite dimissa.

HIs Christi verbis pro secundis nuptiis post diuortium adulteræ coniugis adhuc superstitis more omnium hæreticorum hodie abutitur Caluinus, omnésque hactenus Scriptutarum interpretes qui aliter senserũt, tam vetustissimos Patres quàm tractatores modernos audacissimè erroris condemnat. Ait enim. *Hoc membrum pessimè expositum fuit à multis interpretibus. Generaliter enim & confusè putarunt cælibatum præcipi quoties diuortium factum fuerit. Ita si maritus adulterã reijceret, vtique iniũcta est cælibatus necessitas. Quasi verò sit hæc repudij libertas tantum ab vxore secubare, quasi etiam Christus non clarè in hac causa fieri permittat quod promiscuè sibi Iudæi pro suo arbitrio vsurpare soliti erant. Fuit ergo ille nimis crassus error.* Hæc ille. Duo affert, quasi erroris, quem aliis impingit causas duas. Prius est, quia parua aut nulla videtur repudij libertas ab vxore separari quoad thorum tantum. At Christus hoc loco non repudiis libertatem dare, sed ea restringere dis[...]rtè vol[...]it. Quum enim Iudæis *ex quacunque causa vxores dimittere dato repudij libello* permitte

Christi institutum Caluinus inuertit.

mitteretur, Christus hanc repudij libertatem ad solam fornicationis causam restringit. Et quia non repudij libertati hoc loco consulit Christus, sed vinculo potius coniugali, quod ex prima sua institutione & ex Dei præcepto (sicut Christus hîc commemorat) indissolubile fuit, permittit quidem repudium fornicationis causa, sed ita vt firmum nihilominus valeat vinculum coniugale, ideóque qui etiam ob fornicationem dimissam duxerit, mœchari docet: videlicet quia alterius adhuc vxor est, tametsi iustam ob causam repudiata. Non ergo pro libertate repudij contendere hoc loco debuit Caluinus, sed pro coniugij vinculo, si ex Christi instituto & mẽte Euangelium exponere voluisset. Alterum quod adfert est, quia Christus in causa fornicationis id fieri permittit, quod promiscuè Iudæi ex quacunque causa faciebant. Respondeo, quòad repudium, verum id esse, sed non quoad secundas nuptias facto repudio. Christus enim (quod aduertere Caluinus cæterique hæretici debuerunt) legem illam Mosaicam de libello repudij, tanquam perfectionis Magister, in tribus corrigit. Primum quòd non liceat nisi ob fornicationis causam dimittere vxorem, quum ibi liceret ex quacunque causa dimittere. Secundò quòd etiam sic dimissa coniuge, non liceat alteri nubere, quod Iudæis permissum erat. Ideò Christus præter vnius huius causæ exceptionem, addit, *Et aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Illã enim *vnius causa exceptionem* ad verbum *dimittere*, quod præcedit, referendam esse, etiam ipsi hæretici agnoscunt, qui dimissionem illam & repudium ex quacunque causa per hanc exceptionem restringi pariter nobiscum fatentur. Mœchari igitur eum qui post repudium aliam ducit vxorem, vel qui ab alio repudiatam ducit generalis est Christi doctrina, quacunque tandem de causa fiat repudium, sicuti apud Marcum manifestè legitur: *Quicunque dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit super eam.* Item apud Lucam. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Ad quæ duorum Euangelistarum verba ait Augustinus. *Qui ergo nos sumus vt dicamus. Est qui mœchatur vxore sua dimissa alteram ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur, cùm Euangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit? Proinde si quicunque hoc fecerit vt vxore sua dimissa alteram ducat, mœchatur, sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter & qui propter fornicationis causam dimittit vxorem.* Hæc Augustinus. Hoc igitur secundum est in quo Christus corrigit legem veterem

Lex de libell. repudij in tribus correcta.

1.

2.

Mar. 10.

Luc. 16.

De adulter. coniug. lib. 1. ca. 9.

de libello repudij. Matthæus autem solus hanc exceptionem de causa fornicationis ponit; quia apud illum solùm quæstio illa proponitur, *de dando libello repudij ex quacunque causa:* ideóque ad libellum repudij referenda hæc exceptio est, non ad crimen adulterij in eo qui repudiata vxore aliam ducit: vel certè si eò referre omnino quis velit, quia ambiguus videtur sermo, tunc, vt docet August. lib. citato cap. 11. *Matthæus ex parte totum intellexisse putandus est*, & illud adulterium ex vna partiali causa docuisse, quod cæteri duo Euangelistæ ex tota causa docuerunt: id est, ex nouo matrimonio post quod-
3. cunque repudium inito. Tertium in quo veterem legem de libello repudij corrigit Christus, illud est, quod peræquè liceat vxori castæ virum fornicantem dimittere, quàm viro casto vxorem fornicantem: quorum nisi posterius in veteri lege licebat. Hoc tertium apertè docet Paulus 1. Cor. 7.

Alias adhuc Caluinus rationes adfert, quas expēdere oportet. *Nam quum adulterij damnat Christus qui repudiatā vxorem duxerit, restringi ad illicita & friuola diuortia certum est. Ideo Paulus manere innuptas iubet quæ sic dimissæ fuerint, aut viris suis reconciliari, quia scilicet rixis & discordijs non aboletur coniugium: idque ex Marco elicitur, vbi nominatim exprimitur vxor quæ à marito discesserit: non quòd liberum fuerit vxoribus dare maritis repudij libellum, nisi quatenus in exteros mores prolapsi erant Iudæi: sed notare voluit Marcus corruptelam quæ tunc passim trita erat, reprehendi à Domino, quòd post voluntaria diuortia vtrinque ad nouum coniugium transibant. Ideo adulterij nulla fit apud Paulum mentio.* Hæc Caluinus.

Adulterij crimen in eo qui repudiatam ab alio ducit, *ad friuola diuortia à Christo restringi* affirmat. Cui assertioni Marci & Lucæ verba citata manifestè contradicunt, qui aiunt in omnibus quibuscunque diuortiis *mœchari eum qui ab alio dimissam duxerit.* Deinde si ad friuola diuortia illa Christi verba restringuntur, erit iste sensus planè absurdissimus. Qui præter fornicationis causam (quæ iusta est) dimissam à viro vxorem duxerit, mœchatur. Puta si ex rixa aut alia quacunque causa vxor dimissa fuerit. Sed si ex fornicationis causa dimissam duxerit, non mœchatur. Iuxta hunc ergo sensum meliori loco erit vxor adultera ex causa fornicationis à viro dimissa, quàm vxor proba & casta absque fornicationis causa à viro dimissa. Hanc enim ducere nemini licebit, illam licebit: & hæc aut manere innupta cogitur, aut viro reconciliari: altera nouas nuptias adire poterit, nec de

Quicunque dimiserit. Omnis qui dimittit.

recon

reconciliatione cogitare opus habet. Quæ omnia absurdissima sunt. Confirmat tamen sententiam suam ex Paulo quem de friuolis istis diuortiis dixisse vult, *dimissam à viro aut manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Sed Pauli verbis turpiter abutitur. Clarum enim est, Paulum non de friuolis, sed de iustis diuortiis hoc dixisse. Ait enim. *Iis qui matrimonio iuncti sunt, pracipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam.* Atqui Dominus in Euangelio quando præcipit vxorem à viro non discedere, præcipit sine iusta causa non discedere, scilicet sine causa fornicationis. Ergo quod subiungitur; *quòd si discesserit, manere innuptam*, intelligendum est, si discesserit etiam ex iusta diuortij causa. Nam vt Christus non permittit vxori omne à viro diuortium, sed tantum ex iusta fornicationis causa, sic discedentem iubet manere innuptam Paulus, non ex qualibet rixa aut friuola causa discedentem, sed ex ipsa iusta fornicationis causa discedentem. Deinde vxori à viro discedenti ex iniusta aut friuola aliqua causa, non dedisset Paulus optionem, vt aut maneret innupta, aut viro suo recôciliaretur, sed simpliciter iuberet eam viro suo reconciliari. Hoc enim illi necessariò faciendum fuit, quum sua sola culpa & temeritate maritum reliquerit. Sed quia de vxore à viro discedente etiam ex iusta causa Paulus disseruit, propterea ponit illi optionem, vt aut viro suo reconciliaretur, & peccato viri sui indulgeat, aut, si hoc nolit, sciat se innuptam manere oportere: idque propter vinculum coniugale adhuc manens. Sapienter igitur S. August. hæc Pauli verba sic intellexit vt diceret: *Non pracepisset Apostolus, si à viro discesserit, innuptam manere mulierem, nisi eam cui discedere licuisset. illa vna videlicet causa que ibi propterea tacita est quia notissima est, hoc est, fornicationis.* Hæc ille.

1. Cor. 7.

De adulter. coniug. lib. 1. ca. 5.

Sed huic Caluini & aliorum hæreticorum cauillationi occasionem dederunt alia Christi verba: *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Existimant enim docere quidem eo loco Christum, eos qui dimissa vxore præter causam fornicationis aliam ducunt, mœchari, sed qui propter fornicationem dimissa vxore aliam ducunt, non mœchari. Quum enim dicat Christus omnem qui dimiserit vxorem præter fornicationis causam, facere vt dimissa mœchetur, suprà si alteri nubat: prorsus innuere videtur, omnem qui dimiserit vxorem propter fornicationem, non facere vt dimissa mœchetur si alteri nubat: & conse-

Erroris circa nouas nuptias post diuortia causa.

Matth. 5.

quentet nec virum mœchari si ex tali causa dimissa vxore alteram ducat. Alioqui hanc vnam causam non interposuisset, sed generaliter dixisset, quòd quicunque ex quacunque causa dimittit vxorem , facit eam mœchari si alteri eo viuente nubat. Hæc ille. Sed respondet S. Augustinus duo: Primum, *Christum hoc quod maius est commemorare voluisse.* Maius quippe & absurdius peccatum est, repudiatam vxorem ducere, quæ præter fornicationis causam dimissa est , quàm eam quæ propter fornicationem dimissa est, quum hæc iusta & vnica nunc causa repudij sit. Sed non quia illud maius peccatum , propterea hoc nullum aut paruum peccatum est.

Iacob.4. Sic alia Scriptura dicit. *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi.* Nec tamen excusantur omnes qui ignorantes peccant, quum ignorantia iuris neminem excuset. Secundò respondet, *Matthæum sic Christi verba retulisse , vt à parte totum significare voluerit :* videlicet non quosdam qui vxores dimittunt, & alias ducunt, mœchari, quosdam non; sed planè omnes tales mœchari, vt particula illa, *præter fornicationis causam,* ad dimittendi vxores prohibitionem referatur (qui erat Christi scopus hoc loco) non autem ad rationem mœchiæ, quæ inde consequitur ex secundis nuptiis. Quare Christi verba plenius apud Marcum & Lucam leguntur , vbi

Matth 10. & Luc.16. generaliter Christus dicit. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Ibi quippe Christus non explicat aut corrigit legem veterem de libello repudij, sicuti hic in hoc sermone facit, sed tractat in genere causam vinculi matrimonialis. Lege Augustinũ de adulterinis coniugiis lib.1. cap.9. 10.11. & 12. Sed Pauli mentem ex Marco elicere vult Caluinus , quia ibi nominatim exprimitur vxor quæ à marito discesserit. Ait enim Marcus. *Et si vxor dimiserit virum suum , & alij nupserit, mœchatur.* In his verbis existimat Caluinus reprehendi à Domino quod post voluntaria diuortia , vtrinque ad nouum coniugium transibant Iudæi , in exteros iam mores prolapsi. Cui respondendum, apud Marcum quidem & Lucam secundas nuptias post quæcunque diuortia seu voluntaria & friuola, seu iusta & legitima, vt fornicationis causa, à Christo prohiberi , vt suprà ex Augustino accepimus , idque tam ex parte viri respectu vxoris , quàm ex parte vxoris respectu viri : nec vllo modo verisimile esse quod apud Iudæos Christi tempore vxores viros dimiserunt , quum hoc lex non permitteret.

Sed

Sed quum Paulus de illo vxoris à viro diuortio disputat, quod Christus prohibuit, debet necessariò illud intelligi secundum totam prohibitionem à Christo factam. Prohibet autem Christus vxorem à viro discedente alteri nubere, sicut prohibet virum qui vxorem dimiserit alteram ducere. Pares enim illos hac in causa esse, verba Marci ostendunt, & Paulus postea manifestius docuit, dicens: *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Atqui virum qui vxorem dimiserit etiam fornicationis causa, aliam sine mœchia ducere non posse, apud Matthæum Christus docet. Omnes igitur post diuortia secundas nuptias Christus damnat, seu voluntaria sint illa diuortia seu iusta. Alioqui enim hic esset sensus planè absurdissimus, vt iam in præcedentibus explicatum est. 1. Cor. 7.

11. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.*

CÆlibatus votum ac firmum propositum his verbis à Christo damnari hæretici hodie volunt. Sic in hunc locum Beza. *Docet Christus continentiæ donum rarum esse Spiritus sancti donum: ex quo consequitur non temerè modò, sed etiã contra Dei voluntatem facere qui perpetuum cælibatum voueant.* Hæc ille in Annotationibus in hunc locum. Caluinus quoque ad hæc verba. *Non esse omnibus liberũ eligere vtrum libuerit, continentiam an coniugium, inde probat Christus, quia speciale sit continentiæ donum.* Hæc ille. Stupidi hæretici ex Dei dono libertatem eligendi quod melius est, tolli existimant, quum Dei donum hanc libertatem imprimis augeat; quia liberum arbitrium non tollit gratia sed adiuuat, nõ impellit sed roborat, non destruit sed firmat, vt plurimis in locis docet ipse Augustinus gratiæ Dei prædicator maximus. Sed hoc in loco sola consequentiæ hæreticæ absurditas demonstranda est. Si quia continentia Dei donum est, temerè & contra Dei voluntatem facit qui perpetuum cælibatum vouet, temerè quoque & contra Dei voluntatem facit omnis vir vni vxori coniugatus, omnis anima vni Deo & vni fidei sese obstringens, omne denique obseruationis mandatorum Dei aut renunciandi diabolo firmum propositum, quale in baptismo omnes stipulati & polliciti sumus. Nam cum vna vxore castè viuere, & vnum Deum perpetuò colere, vnam fidem firmiter tota vita tenere, diabolo & pompis eius in perpetuum renun

Caluini & Bezæ stupiditas.

Cælibatus votum defenditur.

renunciare, mandata à Deo iniuncta obseruare, purum Dei donum est: neque omnes capiũt verba hæc, sed quibus à Deo datum est. Cæterum quemadmodum tametsi Dei dona sunt, liberè tamen à nobis illa omnia suscipiuntur, nec temerè aliquid aut contra Dei voluntatem propterea facimus, sic cælibatus ac continentiæ propositum liberè à quouis suscipitur, nec temerè aut contra Dei voluntatem facit qui suscipit. Quare Christus ipse vt continentiæ quoque virtutem liberè ab vnoquoque suscipi doceret, subiunxit postea. *Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei*: id est, volũtariam continentiam susceperunt, eámque perpetuam. Hoc enim verbum *castrare* designat. Sed ad hæc Christi verba recalcitrat Caluinus, & ex libero arbitrio continentiam suscipi negat. Quid ergo? *Simplex* (inquit) *sensus est: Quum natura apti sint quidam ad coniugium, licet abstineant, non tamen Deũ tentare, quia Deus immunitatem illis concedit.* Placet sanè hic sensus, quia verus est. Sed contra liberam continentiam hoc nihil facit. Qui enim ad coniugium apti abstinent tamen, tum ex Dei dono abstinent, ideóque Deum non tentant; tum liberè & ex propria sua voluntate abstinent, nec vllo præcepto coacti, nec vlla ex gratiæ dono necessitate imposita. Et ideo sicut Christus dicit, *seipsos castrauerunt*, sibi ipsis continentiæ perpetuæ (hoc enim castrandi vox concludit) legem imposuerunt: non quasi *libero arbitrio subijceretur hæc castratio*, vt Caluinus loquitur, aut quasi solius liberi arbitrij hoc opus esset, sed quòd ex Dei dono liberè suscipitur. Quod adeò verum est, vt plerique sanctissimi Patres, illa Christi verba, *Non omnes capiunt verbum hoc*, exponant, *Non omnes volunt capere.* Gregor. Nazianz. orat. 31. Basilius in lib de vera virginit. vltra medium, Chrysost. & Hieron. in hunc locum, August. Confess. lib. 6. cap. 11. Nempe quia credebant, volentibus omnibus & petentibus, non negari hoc donum: ideóque capere hoc verbum omnes posse qui capere seriò cupiunt, mediáque adhibent ad hoc donum impetrandum requisita, vt docet August. de adulter. coniugiis lib. 2. cap. 19. & 20.

12. *Qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.*

Virginitatis meritũ. HÆc Christi verba sic intellexit Catholica semper Ecclesia, vt voluntariæ continentiæ mercedem esse regnum cælorum ex hoc loco indubitatè colligeret. Ita quippe doctissimi Patres ante multa secula hæc verba acceperunt, Hilarius,

larius, Hieronymus, & Chrysostomus in hunc locum. Virginitatis quoque meritum & præmiū cæleste varij Patres studiosissimè prædicarunt, integris de ea re libris editis. Basilius de vera virginitate, S. August. de sancta virginitate tom. 6. Ambr. lib. 3. de virginibus: Hieronymus vtroque libro contra Iouinianum, qui hoc nomine damnatus est, quòd virginitatē virtutem esse specialem negaret, & nihil apud Deum mereri dogmatizaret. Cuius stuporem hoc loco imitatus Caluinus, aperto & impudenti ore scribit: *Stulta est imaginatio, cælibatum esse virtutem.* Eadem impudentia omnium veterum Patrum hac de re iudicium quasi Papistarum hodie nouam aliquam sententiam, more suo, reiicit. Ait enim. *Insulsè exponunt multi ad promerendam æternam vitam, quasi cælibatus meritorium aliquem cultum in se contineat, sicuti Papistæ fingunt statum esse Angelicum.* Hæc ille. Atqui non Papistæ hoc fingunt, sed omnes toto orbe doctissimi Patres ita tradiderunt libris ac locis citatis. Verba quoque Christi, *propter regnum cælorum* alium sensum habere non possunt, quàm vt causam designent castrationis voluntariæ: sicut in aliis Christi verbis: *Qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Et iterum: *Quum maledixerint vobis homines mentientes propter me.* Vtrobique illud *propter* rationem causæ habet, vt causa persecutionis & maledictionis quæ beatos facit, sit ipsa iustitia & fides Christi. Sic regnum cælorum hoc loco causa est cur nonnulli seipsos castrent, id est, perpetuæ continentiæ propositum arripiant. Causa autem est quatenus propter illud consequendum continentia assumitur. Aliæ quidem sunt etiā continentiæ voluntariæ causæ, vt liberius posse Deo seruire (quam hic assignat Caluinus) & *tribulatione carnis carere*, vt Paulus docuit. Sed Christus hoc loco illas omittens, voluntariæ continentiæ non præsens emolumentum, sicut Paulus, sed futurum præmium proponit. Ipsum sanè regnum cælorum, quod neque qui eunuchi nascuntur, neque qui ab hominibus castrantur, eo nomine consequuntur: tametsi vtrique illi hoc emolumentum quoque habent ex necessaria illa sua continentia, vt liberius Deo seruiant, curísque omnibus soluti ad pietatis officia alacrius se accingant. *Sunt autem*, ait Christus, *qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum*, id est, vt consequantur regnum cælorum, quasi tantæ virtutis amplissimam mercedem, qua cæteri eunuchi carent, quatenus tales sunt: quia non id volūtate operantur, sed necessitate patiuntur. Hic est simplex & apertus verborum Christi sensus.

Caluini petulca impudentia.

Papistarū nomine totam antiquitatem perstringit Caluinus.

Matth. 5.

12. *Qui*

12. *Qui poteſt capere, capiat.*

HÆc Chriſti verba prorſus inuertit Caluinus: & quod Chriſtus de cælibatu ſeu voluntaria caſtratione dixit, de coniugio exponit. Sic enim ad hæc verba ait. *Hac clauſula admonet Christus minimè ſpernendum eſſe coniugij vſum, niſi cæca temeritate nos in exitium præcipites dare velimus.* Vult ergo Chriſtum his verbis hortari ad coniugium: quum luce meridiana clarius ſit ex verbis proximè præcedentibus, *Qui ſe caſtrauerunt*, &c. hanc clauſulam Chriſtum intuliſſe, *Qui poteſt capere*, ſcilicet hanc voluntariam cōtinentiam, *capiat.* Nec hic ad coniugium Chriſtus hortatur, nec id opus erat facere, ad quod homines natura procliues ſunt: ſed vbi vinculum illud coniugij indiſſolubile docuiſſet, eáque doctrina Apoſtolis incommoda & dura videretur, quia libertatem repudij frenabat, ideóque à coniugio abſtinendum Apoſtoli cenſerent, voluntatem illam abſtinendi nec damnat nec refrenat Chriſtus; ſed Dei donum eſſe docet, & virtutem cælo dignam, ad quam hortatur eos qui volunt, neminem autem præcepto cogit. Suum tamen nouum & inauditum commentum aliqua ratione firmare vult Caluinus. *Nam* (inquit) *diſcipulis quos videbat ſine iudicio ruere, manū inijcere oportuit.* Quaſi verò diſcipulos ad continentiam procliues hoc verbo reuocare, & ad coniugium hortari Chriſtus voluerit. Quo nihil dementius cogitari potuit. Primùm quia diſcipuli adhuc talem propenſionem non ita apertè declararant, ſed ex occaſione antedicta difficultatem hanc propoſuerunt, duram videri coniugij cōditionem, quod quidem tam propter alios quàm propter ſe propoſuiſſe poterant: deinde ſi hanc in illis propenſionem Chriſtus aduertiſſet, ab ea nunquam reuocare voluiſſet, qui Paulum poſtea ſuo Spiritu docuit ad continentiam diligenter hortari. Rurſum in verbis ſequentibus adeo ab ea non reuocat, vt diſertè doceat paucorum hanc eſſe ex ſingulari Dei dono eximiam virtutem; & quoſdam hoc laudabiliter facere propter regnum cælorum. Poſtremò quomodo illos Chriſtus ad coniugium hortaretur, quos certiſſimè conſtat ab omni poſtea coniugij vſu abſtinuiſſe? Hæc igitur quam adfert ratio, quam & vnicam adfert, impudentiſſimum eius commentum tueri non poteſt.

Verborum Chriſti corruptela prodigioſa.

1. Cor. 7.

De ipſa prorſus perpetua continentia qua ſe caſtrant quidam propter regnum cælorum, dicit Chriſtus: *Qui poteſt capere, capiat.* Neque ſic hoc dicit, quaſi hæc voluntaria conti-

nen

nentia in hominis potestate non sit. Sic enim ipse Caluinus sibi planè contrarius alio in loco affirmat his verbis. *Ne talem castrationem in hominis sitam esse potestate quis putet, concludit Christus: Qui potest capere, capiat.* Hæc ille Institut. lib.2 cap.8.num.42. At verò sicut de fide docet accuratè Augustinus *illam esse in potestate hominis, sed hanc potestatem nullam esse nisi à Deo data sit*, iuxta illud D. Ioannis, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius:* sic omnino continentia perpetua sita est in potestate hominis, sed hæc potestas nulla est nisi à Deo detur: *quia non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Dicit ergo Christus, *Qui potest capere, capiat:* id est, qui habet à Deo hanc potestatem, qui iam ex Dei dono voluntatem & propositum continendi habet, contineat. Posse in Scripturis circa Dei cultum significat, habere voluntatem faciendi, sed vtique ex Dei dono. Dixit Iosue suis Iudæis. *Non poteritis seruire Domino.* In quibus verbis non negat in eorum potestate hoc esse situm, sed de voluntate dubitat. Quare illis statim respondentibus, *Nequaquam vt loqueris ita erit, sed seruiemus Domino*; concludit Iosue: *Testes vos estis quia ipsi elegeritis vobis Dominum vt seruiatis ei.* Iam posse eos agnosci, quia voluerunt & elegerunt hoc facere. Sic Christus in Euangelio. *Si potes credere, omnia sunt possibilia credenti.* Haud dubiè posse credere, in proprio sermone, commune est omnibus, quia naturæ est hominum, sicut ipsum credere gratiæ fidelium. Sed posse credere hoc loco significauit Christus, *Si vis credere:* quia illud demum posse facere censemur, ad quod faciẽdum necessaria omnia præsidia habemus, maximè autem & imprimis ipsam voluntatem faciendi. Patres igitur hoc loco expositam esse docent omnibus continentiæ virtutem qui eam capere volunt. Dei enim gratiam omnibus eam expetentibus, & implorantibus paratam esse.

Caluinus sibi contrarius.

De Spir. & lit. cap 30.

Ioan. 1.

Iosue 24.

Marc. 9.

13. *Discipuli autem increpabant eos.*

INcrepationem hanc discipulorum, interpretantur veteres, quòd ex zelo proficiscebatur, quo & honori & quieti Domini sui consulere volentes, hanc paruulorum oblationem respuebant, existimantes vel ex honore tanti Magistri non esse ad paruulorum curam se dimittere, vel hãc ab illo quasi molestiam alioqui occupatissimo remouere cupientes. Hoc exemplo facilè colligitur, peruersos esse iudices, qui ex carnis

nis suæ sensu æstimant Christum. Subinde enim fit, vt ita & debito honore eum spolient, & quæ minimè ei competunt, sub specie honoris ei affingant. Caluinus hoc posterius arripiens, idem crimen Catholicis impingit, sed huiusmodi prolato exemplo, quod prioris criminis eum reum constituit. Sed primùm in genere ludit ac dicit. *Hinc nata est immensa superstitionum congeries, quæ fictitium Christum mundo induxit. Quare discamus non aliter de ipso sentire quàm ipse docet, nec aliam illi induere personam quàm à Patre fuit imposita.* Hæc adhuc in genere rectè dicuntur, & ipsum Caluinum omnesq; hæreticos propriè perstringunt, qui Christi doctrinam in Euangelio traditam nefariè corrumpentes (vt in vno Caluino iam frequenter ostendimus, magísque adhuc ostendemus) longè aliter de Christo sentiunt quàm Christus docuit, aliámque prorsus ei induunt personam quàm ei à Patre imposita fuit. Christo à Patre hæc persona imposita fuit, idq; imprimis & maximè, *vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum: vt sanguis eius emundaret conscientias nostras ab operibus mortuis*, vt essemus *noua creatura*, seu eius factura, *creati in illo*, seu per illum, *in operibus bonis quæ præparauit Deus vt ambulemus in illis:* Denique, *vt in nouitate vitæ ambulantes nõ seruiamus vltrà peccato, sed liberati à peccato serui simus iustitiæ, habentes gratiam per quam seruiamus placentes Deo.* Quæ omnia docent Christum esse iustificatorem nostrum seu iustitiam & sanctificationem per Spiritum gratiæ suæ, cuius beneficio non seruimus nunc peccato, sed ambulamus in bonis operibus placentes Deo. Caluinus autem cum aliis hodie hæreticis omnibus aliam personam Christo affingũt, vt sit iustificator noster, seu iustitia & sanctificatio nostra, per imputationem iustitiæ suæ, manente in nobis immunditia perpetua peccatorum, ac seruitute tanta, vt legem mandatorum obseruare, aut in operibus bonis, quæ Deo placeant, ambulare non possimus, ideóque sola fide tum iustificari tum saluari debeamus. Sic homines isti impij non superstitionum sed impietatum immẽsa congerie fictitium Christum mundo induxerunt.

Christus hæreticorũ fictitius. *Tit. 2.* *1. Ioan. 1.* *Ephes. 2.* *Rom. 6.* *Hebr. 12.*

Nunc in particulari vt Caluinus nos accuset, dissimulandum non est. *Videmus* (inquit) *quid in Papatu contigerit. Magnum se Christo honorem deferre putarunt, si coram panis frustulo se prosternerent. Fœtida coram Deo abominatio.* Hæc os illud impurum & fœtidum hoc loco euomuit. Impurus & fœti

Abominãda Caluini vox.

fœtidus hæreticus, Deóque & Angelis abominabilis, panis frustulum vocat, de quo Christus ipse dixit: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur.* Et rursum: *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* De quo Paulus dixit: *Qui hunc panem manducat indignè, iudicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini.* Annon & impius Caluinus hunc panem ore impuro tractans indignissimè iudicium sibi tractauit, *non dijudicans corpus Domini*, sed *frustulum panis* per summum contemptum illud appellitans? *Abominatio desolationis*, & fœtida coram Deo abominatio est hæc impurissima Caluini doctrina, qua *iuge tollens sacrificium*, frustulum panis substituit. Hîc videlicet detracta larua suam personam Caluinus demonstrat. Alibi *sacram Cœnam* vocat, *sacrum epulum, & communionem sacram, in qua corpus Christi verè nobis exhibetur, non secus ac si Christus ipse præsens aspectui nostro obijceretur, ac manibus attrectaretur.* Hæc ille in Institutione sua. Aut ergo ibi impostor, aut hîc blasphemus est. Aut ibi contra animam suam mentitus est, aut hîc Christum ita verè exhibitum ac si præsens aspectui nostro obiiceretur, pro frustulo panis habet. Nisi fortè etiam coram Christo præsente, & aspectui nostro sese obiiciente prosterni, *fœtidam coram Deo abominationem*, Caluinus iudicet. Cæterùm de legitima venerabilis huius Sacramenti adoratione, contra fœtidam Caluini & abominandam blasphemiam, latè disputauimus in Prompt. Catholico. Sicuti etiam quomodo Christo Mediatori Sanctorum inuocatio nihil repugnet (quod alterum hoc loco Caluini exemplum est, & obsoleta accusatio) eodem in opere accuratè explicuimus, in Dominica 7. post Pentec. ad illa verba, *In vestimentis ouium, &c.* vestimento 21. & in die SS. Philippi & Iacobi, ad illa verba, *Nemo venit ad Patrem nisi per me.*

Matt. 26. *Ioan. 6.* *1 Cor. 11.* *Caluini larua hypocritica detrahitur.* *Institut. lib. 4. cap. 17. nu. 3.* *In die venerab. Sacrament.*

17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

QVum hæc Christi doctrina mandatorum Dei obseruationem ad vitam æternam necessariam esse manifestè demonstret, vt & in Prompt. Cath. latius ostensum est, Caluinus totam hanc historiam totámque doctrinam nefariè corrumpit, quod ad Euangelicæ veritatis puritatem retinendam necessariò expendendum est. Primùm totum statum quæstionis ab hoc adolescente propositæ, & causam quærendi penitus inuertit. *Venit* (inquit) *ad Christum non insidiosè,*

Dom. 11. post Pent. *Mandatorum obseruatio necessaria.*

vt Scribis mos erat, sed discendi animo. Itaque tam verbis quàm genuflexione Christum se vt fidum Doctorem revereri testatur. Vera hæc sunt, & ad statum quæstionis Christique responsionem intelligendam bene obseruanda. *Sed rursus* (ait Caluinus) *obstabat cæca operum confidentia, ne proficeret sub Christo, cui se alioqui docilem præbere optabat.* Hoc totum commentitium & falsum est. Christus enim contra hoc vitium nihil hoc loco disputat, nec hoc in adolescente isto reprehendit, sed prorsus contrà, bonorum operum studium imprimis commendat, & adolescentem, qui eorum se studiosum fuisse dixerat. hoc ipso nomine diligit, non vt cæca operum confidentia laborantem redarguit. Dicente enim adolescente, *Omnia hæc seruaui à iuuentute mea, Iesus intuitus eum, dilexit eum, & ait illi, Adhuc vnum tibi deest:* vt est apud Marcum. Si cæca operum confidentia laborasset, nec dilexisset eum Christus, nec dixisset vnum illi deesse, sed totum illi deesse, qui cæca illa præsumptione laborasset: denique contra illam disputasset. Nunc autem quia vitium quo hic adolescens laborabat, non cæca operum confidentia, sed amor inordinatus diuitiarum fuit, propterea statim Christus ad contemptum diuitiarum, & ad eas abiiciendas adolescentem hortatur. Cuius doctrinæ quum capax non esset, sed *tristis abiret* disputat Christus *contra confidentes in diuitijs suis*, & de difficultate salutis in homine diuite, propter amorem earum inordinatum. De cæca operum confidentia nihil disputat. Prorsus ergo commentitium & falsum hoc est, quod pro fundamento futuræ expositionis seu potius deprauationis suæ Caluinus posuit. Quo nunc euerso, reliqua videamus.

Commentũ Caluini insulsum, vt Scrip. Euangelicam inuertat.

Marc.10.

Notanda est (inquit) *quæstionis forma. Non simpliciter rogat quo modo & qua via perueniet ad vitam, sed quid boni faciendo eam acquiret. Merita igitur somniat, quibus vita æterna reddatur, quasi debita compensatio. Quare appositè Christus ad legis obseruationem eum amandat: quàm certum est esse viam vitæ, vt mox plenius disseram. Nam illa verba, Serua mandata, perperam interpretati sunt quidam ex veteribus* (ad vnum omnes debuit dicere) *quos Papistæ secuti sunt, ac si doceret Christus per legis obseruationem posse nos vitam æternam promereri. Atqui non respexit Christus quid possint homines, sed ad propositam quæstionem respondit, quænam sit operum iustitia, nempe quam lex definit.* Hæc ille. Rursum quæstionem propositam inuertit, vt respondentis Christi verba penitus peruertat.

Caluini astu impostura.

peruertat. Negat adolescentem simpliciter rogare qua via perueniet ad vitam. Atqui hoc illum simpliciter rogasse, Christi respōsio simplex manifestissimè docet. Ad hoc enim quod de perueniendo ad vitam æternam rogauerat simpliciter, respondet simpliciter: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Si vis peruenire ad vitam æternam, de qua me interrogas, serua mandata. Ad illud autem adolescentis verbum, *Magister bone, quid boni faciendo,* respondet hic apud Matthæū: *Quid me interrogas de bono? vnus est bonus, Deus.* Docet adolescentem Christus, in eo sensu quo ille quæstionem proposuerat; nec debuisse illum dicere, *Magister bone,* quasi Christus vt purus homo, qualem illum putabat adolescens, originaliter & absolutè bonus esset; nec debuisse adiicere, *Quid boni faciendo,* interrogando illum de bono, quasi quæ homines facerent, ex se facerent, aut absolutè & perfectè bona essent. Originaliter enim ex seipso absolutè & perfectè vnus est bonus, non nisi Deus ipse. Homines tamen ex participatione summi boni bonos esse Christus ipse alibi docet dicens: *Euge serue bone & fidelis.* Sed adolescentem qui hoc discrimen needum didicerat, docere voluit Christus absolutè neminem bonum vocādum, nec opera nostra absolutè bona esse, sed solū Deum eiúsque opera, quæ perfecta sunt omnia. Quare in his verbis *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* non respondet Christus ad illa verba, *Quid boni faciam* sed ad illa verba, *Quid faciám vt habeam vitam æternā?* Nec hic est vlla quæstio de iustitia operū, vt fingit Caluinus; sed quæstio est de vita æterna consequenda. In qua quæstione quia obiter verbū *bonum,* bis ingeminauerat adolescens, respōdens prius Christus ad id quod ipsum interrogauerat *de bono,* postea ad principalē quæstionem respondit de vita æterna cōsequenda, *Serua mandata.* Porro quia adolescens nullā hic planè operum aut legalem iustitiam somniabat, sed in genere rogauerat, *Quid boni faciendo,* respondente Christo, *Serua mādata,* adhuc interrogat, *Quæ mandata?* nesciens videlicet an Christus, vt nouus Magister ac Propheta, noua aliqua mandata adferret quæ seruare oporteret, paratū se ostendens etiā ad illa. Cui Christus primū vetera ex lege mādata proponit. Sed postea Euangelicam perfectionē subiungit, de qua mox suo loco plura. Statum igitur quæstionis penitus inuertit Caluinus, vt Christi responsionem penitus corrumpat & contra necessariam mandatorum Dei obseruationem homo impius pugnet. Ait *Christum non respexisse quid homines possint,*

Matth. 25.

Quæstionis statum inuertit Caluinus.

quum diceret, *Serua mādata.* Et paulò pòst. *Fateor, quia mercedem vitæ æternæ Deus legis suæ obseruatoribus promisit, nisi obstaret carnis nostræ infirmitas, hanc viam tenendam esse: sed nostro vitio fieri Scriptura docet, vt necesse sit nobis donari quod meritis non consequimur. Si quis obijciat, frustra nobis proponi iustitiam in lege, cuius nemo vnquam fieri compos poterit, respondeo, quia rudimentum est quo perducimur ad precariam iustitiā, minimè superuacuum esse.* Hæc ille. Tota hæc eius disputatio gratiam noui Testamenti subuertit, facitque vt adhuc simus sub lege, non sub gratia. Lex enim rudimentū est ad quærendam gratiam filiis veteris testamenti, & adhuc seruiliter ac cum timore audientibus verba legis, qualem se

Caluinus vet. testamenti filius. Caluinus hìc prodit. Adeo enim timet ac terretur, vt affirmet eam à nemine seruari posse. Sed lex & mādata legis filiis gratiæ, quibus datum est, *non seruire amplius peccato, sed seruire iustitiæ,* non sunt amplius rudimentum aut pædagogus, sed sunt *mandata ad vitam,* & recta ad vitam æternam via, vt Christus hìc docet. Carnis nostræ infirmitas non obstat quin hæc via tenenda sit, vt per legis obseruationem vitæ æternæ mercedem cōsequamur: quia hanc infirmitatē gratia Christi

Rom. 6. sanauit & superauit. *Peccatum enim nobis non dominabitur, quia sumus sub gratia, non sub lege. Non regnabit peccatum in mortali corpore nostro, vt obediamus concupiscentijs eius, quia Spiritus Christi habitat in nobis, & lex Spiritus vitæ liberauit nos à lege peccati & mortis.* Quomodo ergo impius Caluinus *carnis nostræ infirmitatem obstare* ait, ne hæc via teneatur quam hic Christus præscripsit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* quum ad hoc venerit Christus, vt hanc infirmitatem tolleret, *mundans sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum,* quæ in mandatorum obseruatione vel maximè consistunt? Quod ergo concludit Caluinus *legale hoc esse Christi responsum, vt iuuenis proposita legis obseruatione, quæ est impossibilis, infirmitatis suæ conuictus ad fidei subsidium se conferret,* & insulsum & impium valde est. Impium est, dare Christo partes Moysis, vt falsum iam sit, *Lex per Moysen data, gratia per Christum facta est:* & è conuerso dicatur, Lex per Christum data est, gratia facta non est. Insulsum est ad subsidium fidei ablegatum hunc iuuenem somniare. Nec fidei vlla hìc à Christo mentio, nec ad eam illum ablegare opus erat, qui iam Christo, quatenus tunc opus fuit, crediderat, illum pro veritatis magistro agnoscens, & ab eo, quæ ad vitam æternam via esset,

discere

discere paratus. Sic vndique Caluini ineptia & impietas palpanda se præbent.

21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.*

NOn parua quæstio est, de qua perfectione hîc Christus loquatur, an ea quæ ad salutem necessaria est, Euangelica videlicet perfectio, *vt hoc mundo vtamur tanquam non vtentes*, & diuitias tenentes, earum tamen affectum non teneamus; an perfectio aliqua maior, non quidem ad salutem necessaria, sed quæ maiorem mercedem *& thesaurum copiosum in cælo* accipiat. Quæstionis autem huius ambiguitas oritur ex ambiguo sensu illorum verborum Christi, *Vnum adhuc tibi deest.* Nam vel deerat illi aliquid ad salutem necessarium, vel aliqua perfectio necessaria. Quid autem illi deerat, ambiguum est; quia quo affectu dixerat, *Hæc omnia à iuuentute mea seruaui, quid adhuc mihi deest?* ambiguum quoque sensum habet. Nã aut verè omnia seruauerat sicut dixit, & nihil ad salutem necessarium illi deerat, quia Christus iam dixerat, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, aut non verè seruauerat, ideoq; deerat illi hæc perfectio quã Christus hîc describit, tanquam res illi ad salutem necessaria. Quòd verè, sicut dixit, mãdata seruauerat, ex eo probabile fit, quòd Christus his auditis, *Intuens in eum, dilexit eum.* Neque enim dilexisset mentientẽ, vel ex arrogãtia aliter præsumentẽ quàm par erat. Huc accedit quod non animo tentandi, sed discendi studio accessit. Sed & si mandata non seruasset, nõ dixisset illi Christus, *Adhuc vnum tibi deest*, sed potius, Multa vel omnia tibi desunt adhuc faciẽda. Magis tamen adhuc probabile est quòd verè mãdata nõ seruauerat, quia morbo auaritiæ adhuc laborabat, sicuti subsequẽs eius tristitia audito Christi respõso manifestũ facit; vnde Aug. hunc locũ tractãs ait. *Puto quòd se arrogantius quàm verius seruasse responderit.* Et D. Basilius eum planè auaritiæ morbo insigniter laborasse cẽset. Christus nihilominus *intuens in eum, dilexit eum*, tanquam adhuc proficiendi auidũ, & maioris perfectionis cupidum, nec planè mentitũ, quia sic seruauerat sicut vulgus Iudæorũ seruãda putauerat, nemini quidẽ nocendo, nõ tamẽ proximis liberaliter subueniẽdo, aut amorẽ diuitiarũ deponẽdo, quem spirituales Iudæi deponere sciebãt, iuxta illud vnius eorũ Prophetæ, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Christus igitur respõdens ei, *Vnum adhuc tibi deest*, aliquid ei ad salutem necessarium

Perfectio de qua Christus loquitur, quæ tandem.

Luc. 16.

Epist. 89.

Homil. in diuites auaros.

Psal. 61.

deesse docet. Nempe contemptum diuitiarum, & vt fiduciam ac confidentiam suam in eis deponeret. Ad quem cõtemptum vt eum inducat, subiungit, non vt simplex præceptum in ipsa lege contentum, vt Caluinus hoc loco imaginatur, ne nouum aliquid Christus induxisse videretur, sed vt medium quoddam aptissimum contemnendi diuitias & omnem auaritiam abiiciendi. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c. Proponit igitur hoc Christus huic adolescenti, non tanquam aliquid simpliciter omnibus necessarium ad salutem, sed vt illi auaritia laboranti & propter diuitias multas magna earum cupiditate flagranti, tanquam remedium morbo suo valde opportunum. Qui enim diuitias sine earum nimio amore tenere non potest, alienando illas, bene que collocando, ab insano hoc amore facilè liberabitur. Dicit igitur Christus, *Si vis perfectus esse*, id est, si cupis adhuc omnia quæ tibi desunt habere, abiice diuitias tuas, quas nimio affectu complecteris, *& veni, sequere me*, meæ paupertati atque humilitati te cõformans. Sed ille amore diuitiarum victus, *tristis abscessit*, móxque Christus contra diuitum hominum statum periculosum (quia solent diuites amore diuitiarum vinci) in sequentibus disputat.

In his igitur Christi verbis duo extrema sunt cauenda. Vnum est, ne præceptum generale existimetur, vt nemini liceat diuitem esse, qui fuit Pelagianorum error, quem S. Aug. conuellit epist. 89. Alterum est, negare hanc paupertatem voluntariam medium & instrumentum esse maioris perfectionis qui fuit Vigilãtij error & hodie Caluini omniúmque hæreticorum est. Dicit hoc loco Caluinus. *Retinere quod in manum nostram posuit Deus, si modò parcè & frugaliter nos & familiam alentes partem aliquam pauperibus erogemus, maioris virtutis est quàm omnia dilapidare.* Dicit *dilapidare*, pro eo quod dicere debebat, *vendere & dare pauperibus*. De eo enim est quæstio, & illud Christus perfectionem vocat. Fuit autem eadem prorsus Vigilantij sententia, quam ex his Christi verbis D. Hierony. rectè refutat. Quamuis enim qui simpliciter ad extinguendam auaritiam diuitias relinquit, & pauperibus distribuit, rem facit saluti suæ necessariam, & quod illi adhuc ad salutem deest, tamen tum ille ipse Christũ prætérea sequendo, id est, perpetuæ paupertatis & humilitatis seu obedientiæ statum amplectendo, perfectionis statum aggreditur, & rem consilij facit, nõ præceptum, multò magis qui nulla tali necessitate constricti aut compulsi ex puro Dei

Voluntaria paupertas defenditur

Techna Caluiniana.

amore

amore diuitiis carere volunt, quibus optimè in seculo vti poterant, *excellentiorem perfectionem*, vt August. loco citato loquitur, suscipiunt. Et sic hæc verba perfectionis statum docent, & consilium Euangelicum proponunt.

Garrit hoc loco Caluinus *nimis ridiculos esse Monachos, qui huius loci prætextu statum perfectionis sibi arrogãt*. Sed ille argumentis maximè ridiculis hoc probat. *Primùm quia non omnibus sine delectu hoc à Christo mandatur.* Hoc quidem verum est, quia nullum est hic generale Christi mandatum. Sed quid hoc contra Monachorum institutum, qui non ex Christi aliquo generali mandato, sed vel ex remedio morbi proposito, vel ex consilio Christi & maioris perfectionis studio id faciunt, quod Christus hic docet. Non enim iubet Christus omnia vendere & dare pauperibus: sed ait, *Si vis perfectus esse*, si habes studium perfectionis, aut vis salutis tuæ perfectam & plenam rationem habere, hæc via est ad illam consequendam. Aliud argumentum non adfert Caluinus, sed meris conuitiis debacchatur. *Ait Monachos pauperibus erogare iussos quæ iustè possidebant, suo iam non contentos aliena rapere.* Vocat impostor impudens *aliena rapere*, quod est, ex piorum eleemosynis victum & vestitum accipere. Nec videt cæcus magister quid Christus in sequentibus huiusmodi promiserit, qui suos aut sua propter Christum reliquerunt, nempe *centuplum in hac vita*: id est, multam & variam consolationem, vt nihil illis desit: nouos patres, matres, fratres, sorores, vt in textu explicatum est.

Monastici status defenditur

Techna Caluiniana.

32. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

HOC *Christi responso* (ait in hunc locum Caluinus) *vulgare illud axioma, quod ex Hieronymo hauserunt Papistæ, refellitur. Quisquis legem dixerit obseruatu impossibilem, anathema sit. Clarè enim pronuntiat Christus possibile non esse hominibus viam salutis tenere, nisi quatenus illis gratia Dei succurrat.* Putida calumnia & cauillatio est cauillatore Caluino digna, vt Concilij Tridentini grauissimum decretum futili hac annotatione odiosum & infame reddat. Pelagianorum sententia erat, *posse hominem esse sine peccato si velit*, & viuere absque peccato, totámque legem seruare, solius esse voluntatis humanæ. Hanc impiam planéque ethnicam sententiam ex humanæ Philosophiæ lacunis depromptam studiosè re-

Obseruatio mandatorum quo sensu possibilis.

fellit S. Hieronymus totis tribus libris contra Pelagianos. In quorum tertio ita scribit. *Recordare quid & tu dixeris, & ego loquar. Posuisti hominem sine peccato esse si velit. Ego impossibile hoc in homine esse respondeo: non quia statim à baptismate homo peccato non careat; sed illud tempus quãdo sine peccato est, nequaquam possibilitati humanæ, sed Dei gratiæ deputatur. Tolle igitur posse, & ego esse cõcedam. Quomodo enim potest qui per se non potest?* Et paulò pòst, interente Pelagiano Critobulo, *Frustra ergo dantur præcepta, si ea implere non possumus,* respondet Atticus Catholicus; *Deus possibilia mãdauit: hoc nulli dubium est. Sed quia homines possibilia nõ faciunt, idcirco omnis mũdus subditus est Deo, & indiget misericordia eius:* id est, gratia Dei, de qua ibi Paulus disputat. Rursum docet possibilia esse mandata, nõ hominibus vt per se ea possint implere, sed Deo, cuius gratia & misericordia homo indiget. Præterea in epistol. ad Ctesiphontem. *Possibilia* (inquit) *mandata dedit Deus. Et quis hoc negat? Sed quomodo hæc intelligẽda sit sententia, vas electionis apertissimè docet. Ait enim: Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulemus.* Vbi, per Christi gratiam iustificationem legis impleri, quod per doctrinam legis impleri non potuit, Apostolus docuit. Hieronymus igitur sententiam illam, *impossibilia esse mandata*, damnat quidem, quia per Dei gratiam seruantur mandata; sed non ita damnat, vt absque Dei gratia possibilia esse doceat, quod ille vnus doctissimus Pater prolixissimè in Pelagio damnauit & refutauit. Eadem hodie est Catholicorum sententia, quæ in Concilio Tridentino clarissimè his verbis expressa est. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.* S. quoque Augustinus, quem ad verbũ hac in parte Patres Tridẽtini sequuti sunt, eodem modo Pelagium refutauit, dicentem *possibilia esse homini mandata si velit. De ipsa* (inquit) *possibilitate nõ contendo, cùm sanata & adiuta hominis volũtate, possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proueniat, dum charitas Dei quantum plenissimè natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Et paulò pòst. *Deus igitur impossibilia non iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possit, & petere quod nõ possit. Iam videamus vnde possit, & vn*

Rom. 3.

Sess. 6. can. 18. De nat. & gratia, cap. 42.

Ibidem cap. 43.

& vnde non possit. Ille dicit: Voluntate non est quod natura potest. Ego dico: Voluntate quidem non est homo iustus si natura potest: sed medicina (gratiæ) *poterit, quod vitio* (corruptæ naturæ) *non potest.* Et rursum in eodem opere. *Rectè quidem disputat Pelagius, hoc ipso eos confiteri nō esse impossibile sine peccato esse, quia hoc vel multi vel omnes volunt: Sed hoc vnde sit possibile fateatur, & pax est. Ipsa est enim gratia Dei per Christum Iesum Dominum nostrum: qua omnino iste nos orantes adiuuari vt non peccemus, nunquam dicere voluit.* Hæc ille. Cap. 59. Christi ergo responsum hoc loco, *Impossibile esse apud homines, diuitem confidentem in diuitiis suis saluari*, Catholicorum hodie sententiam de possibilitate mādatorum Dei à D. Hieronymo & aliis Patribus acceptam, imò ex apertissimis Scripturis haustam, nullo modo refellit, sed in sequentibus confirmat, dicens, *omnia esse Deo possibilia*: ideóque etiam ipsam mandatorum Dei obseruationem esse possibilem: accedente videlicet & opitulante Dei gratia. Cæterum posterior hæc pars responsi Christi, Caluini dementiam manifestè refellit, qua perpetuo asserit Dei mandata esse obseruatu impossibilia. Vnum nempe extremum errorē tenuit Pelagius, alterum extremum tenuit Caluinus. Pelagius omnia esse possibilia adeóque facilia Dei mandata asseruit, si homo velit, id est, sine necessario Dei gratiæ adiutorio, Caluinus à contrario latere stans, affirmat omnia Dei mandata esse impossibilia, etiā gratia Christi donatis, quia iuxta Caluinum hæc Christi gratia, non est gratia adiuuans ad mandatorum executionem, sed est gratia imputans nobis Christi iustitiam. Voluit ergo hoc loco luculento mendacio Catholicos traducere. Sed ista nunc explicatio dementissimam Caluini sententiam aperuit. Quam aliis in locis, quum Paulum explicamus, vberius & latius aperiemus. *Caluinus & Pelagius in duobus extremis.*

IN MATTHÆI CAP. XX.

16. *Sic erunt nouissimi primi, & primi nouißimi.*

QVVM huius parabolæ scopum & intentum non aliud velit esse Caluinus, quàm vt doceat Christus causam non esse cur glorientur vel aliis insultent, qui tempore sunt priores: quia Dominus quoties ita placuerit, vocare poterit quos visus est ad tempus negligere, eósque vel æquare vel præferre prioribus illis:

qui sanè sensus (parabola ipsa in se considerata) probabilis valde est, & à Patribus traditus, Chrysostomo imprimis, sed huic sensui conclusio parabolæ plurimum repugnet, & maximè quod pro conclusionis causa Christus infert dicens, *Multi enim vocati, pauci verò electi*, vbi manifestè ostendit ideo hanc parabolam propositam fuisse, vt doceret ex Dei beneplacito sic multos vocari vt pauci eligantur, idque ita vt inter illos, qui videbantur primi & electi, fiant nouissimi ac reiecti; & contra qui videbantur nouissimi & penitus reiecti (sicuti gentes toto orbe dispersæ, & discipuli qui Christum sequebantur, quos Scribæ & Pharisæi pro abiectissimis habebant) fiant primi, & inter electos singulariter deputati: audax hoc loco Caluinus non contentus hunc sensum penitus reiicere, vnico vsus argumento (vt mox videbitur) tentat etiam hanc totam sententiam; *Multi enim vocati, pauci electi*, è textu eradere. Ait enim. *Minimè quadrat quæ à quibusdam inseritur sententia, Multi vocati, pauci electi.* Ait hanc sententiam à quibusdam esse insertam, quum in omnibus planè exemplaribus Latinis, Græcis, Syriaco & Hebræo, inueniatur: nec de ea vllus hactenus vel antiquus vel recens, ne quidem Beza ipse hoc loco dubitauerit. Hæc est singularis & arrogantissima Caluini audacia, vt sententiam suo sensui repugnantem, è textu extrudere homo importunus, suique nimium amans, audeat. Sensum autem illum à nobis memoratum, quem ista conclusio demonstrat, *Sic erunt nouissimi primi*, &c. cum verbis eisdem in fine præcedentis capitis, quibus hęc parabola ita subiungitur vt eorum verborum causam & explicationem contineat, (ait enim Christus, *Simile est enim regnum cœlorum*, &c.) & maximè cum eisdem iterum verbis apud Luc. cap. 13. vbi de reiectione Iudæorũ & vocatione Gentium eadem manifestissimè pronunciantur, hoc vnico argumento refutat Caluinus. quòd *filiis Dei Iudæos murmurãtes in mercede æquari, absurdum foret.* Cæterum aduertere debebat Caluinus, quod ipsemet aduertẽdum hoc loco docuit. *Si quis* (inquit) *exactè singulas huius parabolæ partes discutere velit, inepta erit eius curiositas.* Hæc ergo pars de æquali mercede à primo & nouissimè vocatis accepta, soli parabolæ cõuenit, in qua Christus hominis patrisfamilias benignitatem proponere voluit; rei autem per parabolam significatæ non conuenit; nec vt conueniat necesse est, magis quàm aliæ particulæ, quas conuenire non posse manifestum est. Solummodo scopus & intentum Christi in hac parabola

Caluinus textum Euangelicum audacissime expungit.

spectan

ſpectanda fuerunt; quæ qualia erant, ex verbis parabolæ præcedentibus ac ſubſequentibus, & apud D. Lucam iterum poſitis, ipſáque Chriſti concluſione, optimè & certiſſimè demonſtratur.

25. *Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos.*

26. *Non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter.*

TOtum hoc loco Chriſti inſtitutum atque doctrinam inuertit Caluinus, vt omnem in Eccleſia Chriſti prælaturam ſubuertat, ſeque & ſuos ab omni obedientiæ vinculo ac neceſſitate eximat. *Oſtendit Chriſtus* (inquit Caluinus) *primatum, qui certaminis inter diſcipulos cauſa erat, in regno ſuo nullum eſſe.* Et paulò pòſt: *Eccleſiæ paſtoribus nihil plus Chriſtus detulit, quàm vt miniſtri ſint, à dominio autem prorſus abſtineant. Quare notandum eſt, magis de re ipſa, quàm de affectu haberi ſermonem.* Hæc ille. Cæterum euidenter patebit Chriſtum de ſolo ambitionis affectu, non de re ipſa prælaturæ aut primatus in ſe, hoc loco diſputare. Chriſtus enim duobus hìc exemplis vtitur, vt hanc diſcipulorum contentionem de primatu compeſcat. Vnum proponit Regum & Principum huius mũdi, quod fugere debent: Alterum proponit de ſeipſo, quod amplecti debent. Neutrum exemplum primatum tollit, ſed vtrumque exemplum faſtum & ambitionem in primatu condemnat. Separat Chriſtus Apoſtolos à Regibus, non quia nullum illi primatum exercere debeant, ſed quia faſtuosè dominari non debent, ſicut Reges terræ; quia pro ſuo libito aut commodo præeſſe non debent, ſicut Reges terræ præeſſe ſolent. Verum quidem eſt, *Regibus quoque non licere ſeſe efferre inaniter; nec iuſtè ac legitimè Reges dominari, niſi ſuorũ commodis ſeruiant,* (quæ duo hic notat Caluinus) ſed non in hoc Apoſtolos à Regibus ſeiungit Chriſtus, vt fingit Caluinus, quaſi Apoſtolis nulla planè prælatura, nullus primatus conueniret; nec illam moderationem quæ Regibus adeſſe debet, docet hoc loco Chriſtus, quaſi in Apoſtolis quomodocunque moderatum ac temperatum primatum inhiberet; ſed contrà, ambitionem & vanitatem, quæ Regibus ineſſe ſolet, proponit ob oculos Chriſtus, vt illam penitus Apoſtoli fugiant. Principes gentium (inquit) dominantur eorum, κατακυριεύουσι, id eſt, dominium exercent contra ſuos, hoc eſt enim

Prælatorũ in Eccleſia iuſta authoritas.

Apoſtolos à Regibus quomodo Chriſtus ſecernat.

κατακυριεύειν, quum ſimpliciter & legitimè dominari ſit, κυριεύειν. Notauit huius verbi vim hoc loco Beza,& vertit, *Dominari in eas. Hoc enim* (inquit) *vocabulo* κατακυριεύουσι,*& eo quod proximè ſequitur,* κατεξουσιάζουσι, *non quauis dominatio ſignificatur, ſed cum imperioſa quadam acerbitate coniuncta, quam prohibet Paulus ad Epheſ.6. verſ.9. vbi monet dominos remittere minas, ſeu non minaciter dominari: ſic accipitur verbum* κατακυριεύω. *Actor.19. vbi dicitur de maligno ſpiritu, Dominatus amborum inualuit contra eos:* κατεκυρίευσαν αὐτῶν. *Sic 1.Petr.5. accipitur, Non dominantes in cleros,* μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. *Ideo etiam interpretatus ſum,* κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, *Licentia vtuntur aduerſus eas: quum alioquin ſoleamus* ἐξουσίαν *interpretari authoritatem. Videtur enim licentia plerumque poni in vitio. Nam alioquin fideles verbi Dei miniſtri authoritate funguntur minimè omnium contemnenda, quam paucis explicat Paulus 2.Cor.10.* Hæc hactenus Beza magiſtri ſui Caluini ignorantiam ex proprietate verborum Chriſti luculenter patefaciens. Ex his quippe liquidò conſtat, non de re ipſa,& legitima authoritate Principum huius mundi, Chriſtum diſputare, vt Caluinus affirmat; ſed de prauo affectu & imperioſa dominatione qua vti ſolent, quod Caluinus negat. Hunc prauum & ſecularem typhum remouet à ſuis Apoſtolis Chriſtus, non omnem penitus primatum & authoritatem legitimam, quã in loco Pauli à Beza annotato, aliisq; in locis iamdudum annotauimus. Docet Chriſtus, qui inter diſcipulos eius maior eſſe voluerit, id eſt, *qui Epiſcopatum deſiderat*, vt Paulus loquitur (velle enim hoc loco non prauam cupiditatem, ſed laudabile inſtitutum animíque propoſitum ſignificat, ideóque verbũ θέλω ponitur hoc loco, non βούλομαι, quod impetu quodam ferri ſignificat, vt 1.Timoth.6. *Qui volunt diuites fieri,* οἱ βουλόμενοι πλουτεῖν) *erit veſter miniſter*: id eſt, veſtris commodis ſeruiet, non ſuis; & veſtrum honorem quæret, non ſuum. Et hunc perſpicuum literæ ſenſum, quem penitus inuertit Caluinus, ſequentiã Chriſti verba,& alterum de ſeipſo exemplum luculenter confirmant. Ait enim: *Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam pro multis*: id eſt, Sicut in me videtis quòd non ideo in mundum veni vt mihi à pluribus miniſtraretur, vt eſſem magiſter ac dominus, tametſi reuera à plurimis mihi miniſtratum fuit tam viris quàm mulieribus,& inter vos fui tanquam magiſter & Dominus, ſed potiſſimum veni propter bonum aliorum, vt illis verbum vitæ adminiſtrarem, & animam

mam meam pro salute omnium ponerem; sic vos ad Ecclesiasticas prælaturas vocati & missi conscendere debetis, non honoris & emolumenti vestri causa, tametsi vtrumque vobis debeatur (*Qui enim bene præsunt, duplici honore digni sunt*) 2.Tim.2. sed vt tanquam boni pastores aliorum curam habeatis, & quidem parati animas vestras ponere pro ouibus vestris, vt Ioan.10. plenius Christus docet. Hic est totius doctrinæ Christi hoc loco sensus germanus & proprius, quem impius Caluinus voluit inuertere, vt legitimam in Ecclesiæ Prælatis authoritatem, ad quam adhuc Geneuę pertingere non potuit, penitus conuelleret. Nam & ideo postea Bęza eandem authoritatē hoc loco tuetur, quia iam Geneuæ dominari Caluinus cœpit, ipseq; Beza ad dominium illud aspirabat, quod & post Caluinum consequutus est.

28. *Et dare animam suam redemptionem pro multis.*

Caluinus hoc loco temperare sibi non potuit, quin documento huic saluberrimo aliquid veneni inspergeret. Sic enim scribit. *Aptè sciteq; vis & fructus mortis Christi exprimitur, dum vitam suam pretium nostræ redemptionis esse affirmat. Vnde sequitur, nobis gratuitam esse reconciliationem cum Deo: cuius non alibi quàm in morte Christi pretium reperitur. Itaque hac vna voce auertitur quidquid de putidis suis satisfactionibus garriant Papistæ.* Hæc ille putido admodum argumento vsus, & ridiculè garriens, nec Papistas, sed totam antiquitatem scurriliter perstringens. Putidum & insulsum argumentum est. Vna Christi mors pretium est reconciliationis nostræ gratuitæ cum Deo. Ergo omnes satisfactiones, quas Catholici docent, putidæ sunt, & hac vna voce refelluntur. Satisfactiones enim quas post totam antiquitatem Catholici hodie docent, nec reconciliationis nostræ cum Deo pretium aliquod esse docentur, nec eiusdem causæ omnino vllæ ponũtur. Satisfactio enim eorum est qui iam Deo recõciliati per Christum sunt, non autem vt Deo reconciliemur adhibetur. Homo impius Deo reconciliatur & iustificatur, seu ex impio iustus fit, per gratuitam remissionem peccatorum pretio sanguinis Christi illi concessam. Vt hæc peccatorum remissio obtineatur, alia sanè ex parte hominis iustificandi requiruntur, fides imprimis, amor Dei, spes veniæ, dolor de præteritis, emendationis propositum, & huiusmodi: quæ omnia nec pretium nec causa, sed dispositio tantùm necessaria sunt ad remissio

Satisfactiones nostræ redemptioni per Christum non præiudicant.

missionem peccatorum gratuitam consequendam. At verò satisfactio quæ relapsis propria est, homini iam reconciliato imponitur, non vt peccatorum remissionem consequatur, quã iam habet, eámque gratuitam beneficio mortis Christi; sed vt peccatorum pœnæ temporales subeantur. Qui reconciliatur Deo, à pœna peccatorum æterna liberatur, regníque cælestis hæres constituitur: cuius tamen possessionem prius adire non potest, nisi iustitiæ Dei, quæ pœnas temporales exposcit, satisfiat. Quod totum multis Scripturæ exemplis Catholici luculenter probant, nósque ex parte attigimus in Propr. Catholico. Ridiculè igitur garrit Caluinus, qui *satisfactiones quas Catholici docent, per gratuitam reconciliationem refutari* affirmat, quum ad illam reconciliationem nihil prorsus illæ pertineant, sed eam iam factam & completam ex alio capite consequantur. Papistarum verò nomine totam antiquitatem scurriliter perstringit, quorum sententia de satisfactione, vna pœnitentiæ salutaris parte, tam clara & copiosa est, vt Caluinus eam negare non ausit, cõtemnere tamen non sit veritus. Sic enim scribit. *Parum me mouent quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes ferè quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè ac durè loquutos.* Hæc ille lib. 3. cap. 4. num. 38. Institut. Non igitur de satisfactionibus garriunt Papistæ, sed tota garrit antiquitas, nisi & veteres omnes Papistas esse velit: quod libenter amplectimur, quia & verum est.

In die animarum.

Caluini ridicula cauillatio.

Papistarũ nomine totam antiquitatem suggillat Caluinus.

IN MATTHÆI CAP. XXI.

5. *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis.*

Christi introitus in die Palmarum.

HIC Christi in Hierosolymam ingressus toti reliquæ eius vitæ inusitatus, ab omnibus quatuor Euangelistis commemoratus, & à Propheta Zacharia specialiter prædictus, aliquam explicationem magis accuratam meritò desiderat. Causæ eius variæ fuerunt. Primum vt specimen quoddam regni sui daret, etiã circa huius mundi honores. Tametsi enim asino insidens & à pauperculis comitatus, *ridiculam pompam*, vt impius Caluinus

uinus eam vocat, præbuisse videatur; tamen ipsa inequitatio insolita, animal cui insedit, & via ipsa instrata, ramorum gestatio, totius populi fausta acclamatio, eorum qui in ciuitate erant occursus frequens, diuinæ voces acclamantis populi, principum populi turbatio, magnificum & regale aliquid præferebant. Altera causa erat existimationis, quam de illo plerique habebant quòd verus Messias esset, publica testificatio. Dicebat enim populus: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galileæ. Et omnis turba laudabat Deum voce magna super omnibus quas viderat virtutibus. Tunc quoque testimonium perhibebat ei* (id est, magnificè eum prædicabat) *turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis.* Tertia causa esse potest, vt ipsis Iudæis in iudicium & testimonium maius fieret, quòd quem tam paucis antè diebus tanto honore dignum existimassent, paulò pòst crucifigendum esse vna voce clamauerint. Quarta causa, quia illo eodem die post passionem à morte resurgens, gloriam suam & regnum immarcescibile auspicaturus esset. Quinta, vt figuram veterem impleret, secundum quam agnus 14. die Lunæ immolandus, decima Lunæ (quæ hic dies erat) in domum patris familias solemniter introducendus erat, & futuræ immolationi præsto seruandus. Sexta esse potest ad aliam figuram implendam, quia decima mensis primi quæ hic dies erat, Iosue terram promissionis ingressus est, & decimaquarta sequenti solemne Pascha immolauit. *Ioan.12.* *Exod.12.* *Iosue 4. & 5.*

Ad literam quod attinet, valde notandum quòd Matthæus duas prophetias coniungit, quod non aduertens Caluinus, aliud ineptum quid somniauit. Nam prima illa verba, *Dicite filiæ Sion*, apud Esa. cap. 62. legũtur hoc modò: *Dicite filiæ Sion: ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.* Quæ prophetia vt Iudæis notissima & gratissima adiungitur alteri prophetiæ ex Zacharia dicente: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, &c. quæ tanquam ignobilis & despicabilis, minus erat Iudæis grata. Eodem modo Marc. 1. duæ prophetiæ simul iunguntur similem ob causam. Nam post illa verba, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam*, &c. Malach. 3. quæ celeberrima erat apud Iudæos prophetia, adiungit Marcus, *Vox clamãtis in deserto*, &c. Esa. 40. vt videlicet intelligerent Angelum illum, de quo loquitur Malachias, esse hanc vocem clamantis in deserto, de qua loquitur Esaias. Sic vt hoc loco intelligerent Iudæi, Regem venientem super asinam pauperem ac mansuetam, eundem esse

esse de quo Esaias dixit, *Ecce venit Saluator tuus*, &c. alterius prophetiæ principium attexit Matthæus. Quod autem Propheta dicit, *Sedens super asinam & pullum filium subiugalis*, aliqui interpretes, quos Caluinus sequitur, existimant per Synecdochen dictum, vt duorum nomine vnum intelligatur, & vt ait in hunc locum Beza, equitat cum tribus equis qui non nisi super vnum equitat, quia plures sequuntur. Hoc illis probabilius videtur, quia cæteri Euangelistæ non nisi super pullum Dominum equitasse narrant, & improbabile videatur, quòd in tam paruo itinere diuersis animalibus insederit. Nã allegoriam quòd asina subiugalis Iudæos iugo legis assuetos, pullus verò gentilem populum indomitũ significet, vt Christus vtriusque Saluator vtrique animali insederit, tanquam ridiculam subsannat Caluinus. Sed vtrique animali Dominũ insedisse, verba Matthæi & Prophetæ manifestè docent, qui de vtroque manifestè loquuntur, & Matthæus imprimis qui ait. *Adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & desuper eum sedere fecerunt.* Quum itaque vtrumque animal stratum esset, vtrique insedisse dubitandum non est. Quare hunc sensum sequitur Chrysost. homil. 65. in Ioan. Theophyl. in hunc locum, & alij multi. Quòd autem aliqui Zachariæ verba sic exponunt, vt nõ asinam, sed asinum legant, quia vox Hebræa חמור masculini generis est, & sensus sit, super asinum & pullum, id est, natura asinum, ætate pullum, falluntur haud dubiè. Nam 2. Reg. 19. eadem vox in fœminino reperitur: & apud Hebræos nominibus animaliũ commune, hoc est, vt & maribus & fœminis dentur, sicut vox Græca ὄνος, vtrique sexui communis est. Sed omnem dubitationem tollit quòd Matthæus disertissimè de duobus loquitur, *Inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.* Et iterum: *Adduxerunt asinam & pullum.* Cùm ergo duo essent, fœminam non marem fuisse ex eo patet, quòd pullus asinæ non patrem, sed matrem sequatur. Quòd cæteri tres Euangelistæ non nisi pulli mentionem fecerint, ideò factũ videtur, quia propter gentiles illi sua Euangelia scripserunt, sicut propter Hebræos Matthæus; vel quia potissimũ & diutius pullo insederit, eíque insidẽs Hierosolymam ingressus fuerit. Narrationi autem Matthæi, quæ vera quoque esse debet, hoc nihil repugnat, quum frequens hoc Euangelistis sit, vt de eodem Christi facto alius plenius alius breuius scribat. Vide August. de consensu Euangelist. lib. 2. cap. 66. Vtrique porrò animali in tam breui via insedit, nõ fatigationis, sed mysterij cau

causa, de quo iam diximus. Cuius sanè mysterij in vtroque animali significati, vtcunque id Caluinus simplici negatione reiiciat, grauissimi testes sunt Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Origenes tract.14. in Matth. Hieron. in hunc locum. Ambros. lib.9. in Lucam, August. contra Faustum lib. 12. cap. 42. & alij ferè veteres omnes. Notandum autem contra Iudæorum hodie vsque incredulitatem, quòd hanc prophetiam Zachariæ post eam à Christo tam manifestè impletam Iudæi in suis synagogis, vbi per sabbata Scripturæ leguntur, nunquam legere voluerint: quod in plena concione coram 200. & amplius Iudæis Dom. Andreas ex Iudæo Rabbino Christianus factus, & diebus sabbatinis in vrbe Roma Iudæis ex superiore loco veteres Scripturas explicans, me audiente, illis exprobrauit. Quorum impietati patrocinatur Caluinus, qui hæc omnia de pullo, & asina, Prophetam metaphoricè loquutum affirmat de contemptibili Christi specie.

Iudæorum perfidia.

In comment. in Zachar. cap. 9.

9. *Clamabant dicentes, Hosanna filio Dauid.*

QVum huius vocis Hosanna explicatio iam dudum à D. Hieronymo iuxta veritatem Hebraicā satis excussa fuerit, tum in comment. in huc locum, tum in tractatu peculiari de voce Osanna, & post eum Cornelius Iansenius prolixè & accuratè idem explicuerit, textúsque hodie Syriacus & Hebræus idem clarissimè attestentur, nempe vocem esse apud Hebræos compositam à verbo saluandi, & interiectione obsecrandi, vt significet, *Saluum fac quæso*, quò etiam sensu Psal.117. illa eadem vox accipitur, ex quo Psalmo hanc acclamationem desumptam esse, illud quod adiungitur, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, inuictè demonstrat: non parua temeritas est noui cuiusdam & celebris Scriptoris, qui consentientem veterum interpretationem agnoscens, ab ea tamen recedere voluit, propter authoritatem cuiusdam Caninij, & Ioannis Drusi, qui Rabbinos secuti scripserunt hanc vocem vnam tantum esse dictionem, & significare *ramos salicum*, vt verum sensum hunc esse ille decernat: *Osanna filio Dauid*, id est, *Rami filio Dauid*. Quam explicationem planè absurdam & ridiculam esse, vel id quod statim sequitur apud Matthæum, illum & alios illos hebraizantes docere debuit: *Osanna in altissimis*. An dicent hic sensum esse, *O Rami in altissimis?* Deinde docere eos debuit eadē vox in Psal.117. quam vulgatus interpres rectissimè vertit, *O Domine, saluum me*

Hosanna quid significet.

fac, bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini. An illic sensus erit; Rami salicum bene prosperamini? Denique docere eos debuit Catholicæ Ecclesiæ sensus, quæ in sacratissimo trisagio hanc vocem vsurpat, *Osanna in excelsis.* An ibi quoque dicent, Osanna significare ramos salicum? Sed vno argumento mouetur ille. *Vitiosa* (inquit) *hæc esset locutio, & quæ nullum congruentem refert orationis sensum, Salua quæso filio Dauid. Nisi dicere velimus esse hebraismum, idemq; sonare, ac si diceretur, Salus nostra à filio Dauid, vt notat Ioan. Drusius de voc. hebr. noui test. cap.19.* Hæc ille. Sanior certè & magis sobria hæc esset Drusi expositio, tametsi apertè falsa iuxta literam hebræam: quum vocibus illis, *Filio Dauid*, non beth, sed lamed præponatur. Sed docere hunc nouum Scriptorem potuit solus Cornelius Iansenius, hebraismum quidem hîc esse, sed longe alium propter præpositionem lamed, quæ non à, vel ab, vt beth, sed ad, vel in, significat: quæ etiam præpositio tametsi propriè est nota datiui casus, est tamen nonnunquam nota accusatiui, vt exemplis probat ex Iud. cap.7. ver.2. & 1. Reg.10. ver.1. Sensus ergo proprius & iuxta hebraismum literalis est, *Saluum fac quæso filium Dauid.* Precatur quippe populus Christo, quasi nouo Regi & Messiæ expectato, salutem & prosperitatem à Deo. Eadem quidem vox in festo tabernaculorum quando etiam rami palmarum circunferebantur, à Iudæis vsurpata fuit, clamantibus *Osanna in excelsis.* Sed ipsos ramos suos, quos gestabant, hac voce compellasse, aut illos inclamasse, planè ridiculum est. Vox quippe illa ad singulas petitiones succinitur, vt nos in Litaniis nostris repetimus, *Miserere nobis*, vel, *Ora pro nobis.*

13. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

QVum hæc Christi verba rectum & proprium templorum vsum (quibus & Christiani carere non possunt, vbi pax Ecclesiæ tuta & acies ordinata conspicitur) manifestè describant, loca videlicet esse vni Deo consecrata (ideo enim *Dei domum* vocat Propheta quò Iudæi conueniebant) & ad Dei cultum specialiter ordinata (*orationis quippe voce*, ait ipse hoc loco Caluinus, *totus Dei cultus à Propheta notatur*) qui & precibus & sacrificiis imprimis constat; voluit vno verbo Caluinus Christianorum templis hoc totum eripere, suúmque obiter venenum inspergere. Ait enim. *Hodie quanquam ad sacros conuentus agendos templis vtimur, diuersa tamen est ra*

est ratio, quia ex quo exhibitus est Christus, nobis externa & vmbratilis eius imago minimè proponitur, sicut olim Patribus sub lege. Hæc ille. Verum quidem est, vmbratiles illas Christi imagines, vitulorum & hircorum victimas, panes propositionis, & asseruatum Manna, in nostris templis non proponi: sed quia templa quoque nostra, Deo Deique cultui, precibus, sacrificiis, sacramentorum administrationi, ac demum verbi prædicationi destinantur & consecrantur, planè hac ex parte eadem illorum ratio est: *Domus Dei* & *Domus orationis* non secus sunt, quàm templum Iudæorum. Imò tanto excellentius hæc sunt, quanto magis non vmbræ aut imagines rerum, sed res ipsæ olim adumbratæ in illis exhibentur. Quomodo autem templa Christianorum sunt verè domus Dei, & domus orationis, in vtroque Promptuario explicatum dedimus: contra Caluinum, in Catholico; contra prophanatores malos Christianos, in morali: in Dominica nona post Pentecosten, ad hæc eadem verba.

Templa nostra domus orationum nō secus quam olim.

21. *Si habueritis fidem & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle & iacta te in mare, fiet.*

PLacuit admodum Caluino hæc Christi doctrina, & pro speciali sua commentitia fide, & certitudine salutis imaginaria, qua ad certam suam perniciem mirificè se oblectant hodie hæretici, locum accommodatissimum sese nactum ratus, sic in hæc verba scribit. *Hic locus ad vim naturamq; fidei exprimendam insignis est, nempe quòd certitudo sit in Dei bonitatem recumbens, quæ dubitationem non admittit. Neque enim alios credere agnoscit Christus, nisi qui indubiè statuunt Deum sibi esse propitium, nec hæsitant quin daturus sit id quod petunt. Vnde perspicimus quàm diabolico figmento fascinati sunt Papistæ, qui fidem dubitationi permiscent, imò stulta præsumptionis nos insimulant, si de paterno Dei erga nos fauore persuasi coram ipso sistere nos audemus.* Hæc ille. Nefarius impostor mera fallendi & cauillandi libidine ductus, imperitum lectorem ludificat, & veritati insidias struit. Ipsemet enim non ignorauit Caluinus vana & mendacia esse quæcunque hîc scripsit. Ipsemet non ignorauit, vim naturámque fidei, à qua fideles dicimur, qua iustificamur, quæ ad salutem necessaria est, hoc in loco à Christo non describi, 1.

Certitudo salutis Caluiniana refellitur.

Mendacia Caluiniana.

2. non exprimi, non attingi. Ipsemet optimè sciebat Caluinus, fidem, de qua hoc loco Christus agit, particularem quandam quorundam fidem esse, quæ miraculorum fides vocatur, quam Paulus inter specialia quædam Spiritus sancti dona ipsis iam credentibus & fidelibus impertita enumerat, di-

1. Cor. 12. cens: *Alteri fides in eodem Spiritu.* Optimè, inquam, hoc totum ipsemet sciebat, vt nunc ex ipsius verbis ostendemus. Quum enim certo certius planéque indubitatũ sit, Christum hoc loco de illa & eadem fide agere, de qua suprà Matth. cap. 17. eisdem penè quibus hîc verbis vsus, dixerat, *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Caluinus qui illo loco non de fide propria fidelium omnium virtute, sed de fide signorum Christum agere disertè profitetur, de eadem fide signorum Christum hoc loco agere ignorare non potuit. Illo quippe in loco sic scribit Caluinus. *Propriè de speciali fide agit nunc Christus, quæ, prout res nata ferebat, arcanos habebat instinctus. Atqui hæc fides est cuius Paulus meminit prioris ad Corinth. cap. 12. ver. 9. vbi dicit: Alteri fides in eodem Spiritu.* Sciebat ergo ipse Caluinus, *vim & naturam fidei*, vnde fideles dicimur, & quæ omnibus generalis est, à Christo hoc loco non expri-

3. mi. Sciebat putum esse mendacium, *quòd non alios credere Christus hoc loco agnoscit, nisi qui indubiè statuunt Deum*

4. *sibi esse propitium.* Sciebat de certitudine gratiæ in Dei bonitatem recumbente, omnino Christum hoc loco non agere. Impostorem tamen nefarium agere libuit.

Fides igitur de qua Christus hîc loquitur, fides illa, quæ

Fides miraculorum quæ & qualis. donum significat edendi miracula ad Dei gloriam & aliorum ædificationem, nullam hæsitationem admittit. Nihil enim aliud est, quàm eximius fidei gradus cum fiducia coniunctus impetrandi aut faciendi miracula quum opus est, quum Dei gloria & proximi ædificatio id postulat. Porro fides etiam generalis omnium credentium, omni quoque dubitatione caret, omnem hæsitationem excludit: sed circa proprium suum obiectum, non circa omnia, quæcunque vesano aut temerario cuipiam fide apprehendere libeat. Pro-

Fides quomodo sine dubitatione. prium autem fidei obiectum est, veritas omnis in Dei verbo reuelata, seu scripto, seu per Ecclesiam explicato & tradito. *Certitudo in Dei bonitatem recumbens, qua indubiè quisque statuit Deum sibi esse propitium,* vt Caluinus hìc de fide

Instit. lib. loquitur, siue vt alibi fidem definit, *certa notitia & persuasio*

beneuo

beneuolentiæ Dei erga nos, specialiter & in vnoquoque particulari accepta (vt Caluinus cum suis accipit) nec in Scripturis reuelatur, nec ab Ecclesia docetur, ideóque fidei obiectum non est. Nam vt cætera argumenta taceam, quæ alibi latius tractauimus, quicquid de fide est, ab omnibus credi oportet, omni dubitatione remota. Huic autem in particulari, puta Ioanni Caluino, Deum indubiè propitium esse, omnes indubiè & absque dubitatione credere oportere, nec ipse opinor si viueret Caluinus dicere vellet. *Diabolico ergo figmento fascinati sunt*, non Papistæ, vt Caluinus dicit, quasi *dubitationi fidem permisceant*. quum eam ab omni dubitatione longissimè remoueant; sed Caluinistæ, qui præsumptioni impiæ ac diabolicæ fidem admiscent. Nec stultæ tantum, sed & sceleratæ præsumptionis Caluinum & Caluinistas meritò insimulamus, qui de paterno Dei erga se fauore ex certa fide persuasi, audent se coram illo sistere hac sola fide, falsa & sterili, imaginaria & mortua, commentitia & inani, armati atque muniti: *carentes veste nuptiali*, quæ charitas est, bonorum operum fœcunda mater. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Hac armati non fide sola, & persuasione diuinæ bonitatis, sed mandatorum pia & sedula obseruatione, fiduciam habemus apud Deum, & de paterno eius erga nos fauore persuasi sumus.

Fides Caluiniana iugulatur.

Matt. 22. 1. Ioan. 3.

Quod Caluinus hîc ex Paulo subiungit, præsumptionem Caluinianam nihil adiuuat. *Atqui* (inquit) *hoc precipuè Christi beneficium Paulus commendat. quòd ex fide illius audaciam habemus accedendi ad Deum cum fiducia*, ad Ephes. 3. ver. 12. Ostendit quippe Paulus vnam fiducialis accessus ad Deum causam fidem esse, sed non solam. Docet D. Ioannes aliam esse huius rei causam, *Si cor nostrum nos non reprehendat, si mandata eius custodimus, si quæ coram eo placita sunt, facimus.* Hoc totum præsumptionem Caluinianam, sola fide & persuasione inani innixam, penitus subuertit.

23. *In qua potestate hæc facis, & quis tibi dedit hanc potestatem?*

HOrum temporum hæretici Catholicorum voces, qui Pastorum authoritatem & successionem legitimam

contra subintroeúntes lupos vrgent, Pharisæorum has esse voces volunt contra Christum: vt quia impiè Pharisæi Christi doctrinam exagitabant, de potestate docendi inquirentes, impiè quoque & nos de hæreticorum authoritate inquiramus. VVolfgangus Musculus hæc verba in medium proferens, *Quasi dicerent* (inquit) *Templi huius potestas ac ius docendi penes nos est. Quæ facis, non facis potestate legitima. Non de ipso facto Christi quæstionem mouebant, quod culpare non poterant, sed de potestate calumniam struebant. Consimili modo Papistæ hodie, quoniam nec manifestos errores & abusus authoritate verbi Dei tueri, nec doctrinam veritatis de mendacio redarguere possunt, confugiũt ad potestatẽ & authoritatem Episcopalem, perinde ac si hanc inculpatam ac legitimam possideãt.* Hæc ille. Cui malè sano homini breui dilemmate responderi poterit. De potestate legitima eorũ qui docent ac pascunt in Ecclesia Dei, aut nunquam est inquirendum, & hæc Pharisæorũ præsumptio in vniuersum damnanda est; aut aliquãdo inquiri potest, & hæc Pharisæorum quæstio erit aliquando legitima adeóque necessaria. Si prius, falsum erit quod Christus docet, *fures quosdam & latrones esse qui non intrant per ostium, sed aliunde:* falsum erit quod Paulus scribit, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* & rursum, *Nemo sumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* falsum denique & vanum illud Prophetæ, *Ipsi currebãt, & ego non mittebam eos,* Sed Musculum correxit hoc loco Caluinus ipse his verbis: *Non armantur hic proterui homines, qui sine vllo mandato, sed priuata audacia publicum sibi munus vsurpant.* Est igitur aliquando de doctrinæ potestate ac legitima missione inquirendum, tametsi Pharisæi impiè & proteruè de Christi potestate flagitarent. Horum temporum noui magistri si Christi loco esse volunt, vt de eorum potestate nobis inquirere non liceat, faciant in conspectu nostro quod Christus in conspectu Pharisæorum toties fecit. Opera Christi faciant, quia *opera eius testimonium perhibebant de illo.* Dent visum cæcis, claudis gressum, surdis auditũ, mutis loquelam, mortuis denique ac sepultis auram rediuiuam. Proferant aliquem Ioannem, præcursorem aliquem de cælo missum, cuius testimonio & admirabili sanctitate commendentur, sicuti Christus hoc loco Pharisæorum quæstioni Ioannis de se testimonium tacitè opponit. Si enim id respõdissent, quod verè respondendum erat, *Ioannis Baptismum,* hoc est, totum ministerium & prædicationem *esse de cælo*, Ioannis quoque de Christo

In locis commun. Cap. de ministris Ecclesiæ.

Potestas docendi inquirenda, an legitima sit.

Ioan.10.

Rom.10.

Heb.5.

Ierem.23.

Ioan.5.

Christo testimonium necessario accepissent, deque eius legitima & summa potestate nunquam verbum mouissent. Est ergo quæstio de potestate docendi legitima; sed contra eos proponenda, de quorum potestate dubitare licet; & ab iis mouenda, qui tantam rem iudicandi & discernendi facultatem habent. Vtrumque hodie hæretici confundunt, rebellium in morem, qui de legitima potestate aut nullam quæstionem fieri volunt (quia ea se carere vident) aut ipsi de ea iudicium ferre contendunt, vt ea quæ legitima est, hac arte conuulsa, seipsos intrudant; & deiectis magistratibus, Reip. gubernacula teneant.

32. *Venit ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei.*

ARguit hoc loco Christus Pharisæos quòd Ioanni Baptistæ vitam apud eos irreprehensibilem agenti, qui in summa victus ac vestitus asperitate, &, vt alibi dixit, *neque manducans neque bibens*, id est, à communi hominum cibo ac potu abstinens, maximum iustitiæ, id est, pietatis & sanctitatis exemplum præbuisset, docenti tamen & facienti non crediderint, nec pœnitentiã egerint. Sic enim intelligit Christus Ioannem in *via iustitiæ venisse*, sicuti alibi eundem semper prædicat non solum à doctrina, sed etiam à singulari vitæ sanctitate: *vt non esse hominem mollibus vestitum, non arundinem vento agitatam, non esse eo maiorem inter natos mulierum:* denique fuisse *lucernam ardentem & lucentem*: ardentem in feruore & zelo prædicationis, lucentem admirabilis vitæ exemplo. De hac via iustitiæ quam Ioannes tenuit, dicit D. Bernardus, *quòd ab ortu vitæ suæ vsque ad occasum, forma vitæ & informatio morum fuerit, virginitatis speculum, Martyrum lumen, anachoretarum principium, orbis exẽplum, iustitiæ principatus.* De eadem Cyrillus Hierosolymitanus scripsit, Ioannem *exercitationis typum in seipso monstrasse.* Gregorius quoque Nyssenus, eandem iustitiæ viam expendens, ait de Ioanne. *Nulla in re diuina minus præstitit, quàm cæteri qui in exercitio virtutis ante illum extitere.*

Matth. 3. *Ioan. 5.* *In Serm. de excell. Ioan. Bapt.* *Catech. 3. ad illuminatos.* *Orat. in laudem Basilij.*

Sed totum hunc ac perspicuum Christi verborum sensum inuertit egregiè Caluinus, totius iustitiæ ac sanctitatis iuratus hostis. *Mihi* (inquit) *nihil aliud sonat Iustitiæ nomen hoc loco, quàm Ioannis doctrinam puram & rectam fuisse, ac si dixisset: nihil fuisse causæ cur eam reijcerent Pharisæi.* Deinde

Caluini corruptela prodigiosa.

arrogantiſſimus hæreticus Chriſti locutionem corrigit. *Plenior* (inquit) *fuiſſet locutio: Venit Deus iuſtitiæ viam Ioánis ore demonſtrans.* Hæc eſt execranda ſuperbiſſimi & audaciſſimi hæretici proteruia. Quia viam iuſtitiæ, quam tenuit Ioannes, in plano & germano verborum ſenſu tenere non vult, ſed quod de vitæ ſanctitate dictum eſt, ad doctrinæ puritatē transferre; nec Chriſti verba, vt in textu Euangelico iacent, hunc ſenſum vllo modo admittant; audet homo nefarius, quaſi pedagogus diſcipulum, Chriſtum quid & quomodo loqui debeat, docere. *Plenior* (inquit) *fuiſſet locutio.* Ergo Chriſtum Dominum plenius loqui homo impiè docebit? Ergo ſermo Seruatoris noſtri tibi mancus ac mutilus videtur? Sed non eſt hæc tua ſola impietas. Non plenius Chriſtum loqui, ſed planè aliud ac diuerſum loqui (ô blaſphemiam) iubes. Hic enim ſermo, hæc locutio, *Venit Deus iuſtitiæ viam Ioannis ore demonſtrans*, longè aliud ac diuerſum dicit, ab eo quod ſacer Euangeliſta habet: *Venit ad vos Ioannes in via iuſtitiæ.* Agit Chriſtus de via iuſtitiæ quam Ioānes tenuit, non de ea quam Deus per os eius docuit. Agit de via qua Ioannes ad Iudæos venit *(Venit ad vos)* non de via qua Deus ad Ioannem venit. *Deus iuſtitiæ viam Ioannis ore demonſtrans*, ad Ioannem venit, ad cor & linguam eius ſuæ gratiæ luce acceſſit, non ad Iudæos qui Ioannem non Deum audiuerunt. Miſſus eſt enim Ioannes *à Deo vt teſtimonium perhiberet de lumine, & vt omnes crederent per illum:* id eſt, per os & prædicationem eius. Venit quoque Ioannes ad Iudæos per prædicationem quidem, ſed cum admirabili vitæ ſanctitate coniunctam, quam vitæ ſanctitatem, ad maiorem Phariſæorum condemnationem, *viam iuſtitiæ*, Chriſtus hîc vocat. Rurſum in omnibus Eccleſiæ Doctoribus ac Magiſtris improbis, ac malis mercenariis, auaris, *qui non ex charitate, ſed per occaſionem Chriſtum annunciant*, venit Deus ad homines iuſtitiæ viam annuncians, & per ora eorum *Chriſtus prædicatur*, vt Paulus affirmat, ſed ipſi tales Magiſtri ac Doctores non veniunt ad eos quos docent per viam iuſtitiæ, verùm per viam auaritiæ, aut ambitionis, aut contentionis, aut inuidiæ, aut alterius cuiuſquam infamis notæ. Aliud ergo longéque diuerſum loqui Chriſtum, ab eo quod verè loquutus eſt, proteruus impoſtor Caluinus cogit. Quare verò iſtud? Quia iuſtitiæ viam, ſanctitatis ſtudium, ferre Caluinus non poteſt. Sic Lutherus *Ioannem vt Doctorem conſiderare, vitam verò eius minus curare iubet.* Deum ait *non adeò magnifacere quomodo*

Caluinus Chriſtum vt pedagogus diſcipulum corrigit.

Ioan. 1.

Philip. 1.

In ſerm. de nat. Ioan. Bapt.

modo viuant homines, sed potiùs eorum spectare doctrinam. Ex hac fœtidissima cloaca suum nouum sensum suxit Caluinus.

42. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

QVum hæc prophetia, eiúsque per Christum applicatio, liquidò & perspicuè doceant, Architectos ipsos Synagogæ Iudaicæ Principes sacerdotum, Scribas ac Pharisæos, Synagogæ magistros, Messiam aduenientem reprobaturos; arripit hoc exẽplũ auidè Caluinus, & suæ suorúmq; ab Ecclesia Christi apostasiæ nobile patrociniũ hoc esse posse cõfidit. *Prodigij* (inquit) *simile est reijci salutis authorẽ, non ab extraneis, sed à domesticis, neque à stulta plebe, sed ab ipsis Principibus qui gubernacula Ecclesiæ tenẽt.* Et paulò pòst. *Hinc colligitur vtilis admonitio, non obstare legitimam vocationem, quo minus impij sint ac scelerati Christi hostes, qui ministri esse debuerant. Certè legale sacerdotium diuinitus erat ordinatum, & Leuitis permissa erat à Domino potestas regendæ Ecclesiæ. An ideò fideliter suo munere functi sunt? An illis obedire pios decuit ad Christum negandum? Eat nunc Papa cum suis cornutis Episcopis, & sibi fidem in omnibus habendam esse iactent, quia pastorum locum occupant.* Hæc ille. Hæc vtilis Caluini admonitio, est futilis & insulsa collectio, est impia & insana disputatio. Pharisæis Synagogæ magistris nihil profuit legitima vocatio, quo minus Christum negarent: Ergo Catholicæ Ecclesiæ Episcopis & Pastoribus fides habenda non est, quia Pastorum locum occupant. Age, valeat interim consequentia, & in simili concludatur: Ergo Ministris & Pastoribus Geneuensibus, Bernatibus, Tigurinis, VVittenbergensibus, aliísque in Germania, in Scotia, in Anglia pseudoepiscopis, fides habenda non est, quia isti omnes Pastorum quoque loca occupant, & permittitur illis regendæ Ecclesiæ potestas. Rursum: Seniores populi & tota quoque popularis Iudæorum turba & stulta plebs (quod stultè hîc negat Caluinus) Christum clamoribus pertinacibus reiecerunt, ac ad necem postularunt: Ergo nihil vel magistratuum vel totius populi Christiani consensus in causa religionis valere debeat. Non videt insulsus Caluinus eodem argumento aduersus seipsum totúmque corpus fidelium concludi posse, quo aduersus Papã & Episcopos ac Pastores Ecclesiæ Catholicæ ille concludit.

Schismatis Caluiniani patrocinium futile & inane.

Consequentia Caluiniana turpitudo.

Deinde quàm impia hæc disputatio est? Principes veteris Synagogæ Christum prædicantem repulerunt: ergo tota Catholica Ecclesia, tam Pastores quàm populus Christianus vniuersus, totis his 1500. annis Christum ignorauit, deseruit, reiecit. Meminisse Caluinus debuit firmiores Ecclesiæ quàm Synagogæ promissiones esse: Synagogæ debuisse succedere Ecclesiam Christi, transferri legem, transferri sacerdotium, interire Synagogam, *vt plenitudo Gentium intraret*, oportuisse. Ecclesiæ Christianæ nihil aliud succedit quàm mundi consummatio, dicente Christo Ecclesiæ suæ. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Non erit translatio Euangelij, sed per totum orbem dilatatio, *donec impleantur tempora gentium.* Non interibit Ecclesia Christi, sed sic permanebit *vt portæ inferi non possint praualere aduersus eam.* Eat nunc Caluinus cum suis barbatis & galeatis Ministris, & Ecclesiam Christi interiisse blasphemet, quia Synagoga cecidit. Affirmet mentiri Paulum, qui ait *Pastores & Doctores datos esse à Christo, in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in agnitionem filij Dei*, quia Synagogæ architecti Christum respuerunt. Hæc est insani hominis disputatio insana. Cùm enim, *Papam cum suis Episcopis* dicit, vniuersam Ecclesiam Catholicam dicit, vniuersis Episcopis adhærentem, & vni supremo in terris Capiti coniunctam.

Synagoga Iudaica & Ecclesia Christiana iniqua comparatio.

Matth. 28.

Matth. 25.

Matth. 16.

Ephes. 4.

Reliqua nunc dementissimi hominis verba proferemus, vt eorum quoque appareat turpitudo. *Vt demus* (inquit) *ritè ad Ecclesiæ regimen vocatos, frustra tamen plus sibi arrogant quàm se titulares esse Ecclesiæ præsides.* Putida & mera calumnia est, impudenter asserta, nullo argumento munita. Sequitur, *Atqui ne vocationis quidem titulus illis suppetit.* Cur ergo dedisti ad Ecclesiæ regimen esse ritè vocatos? modò ais, modò negas, homo instabilis nescit vbi pedem figat. Ferire vult, sed quò ictum destinet, incertum habet. Hoc tamen posterius probare nititur. *Nam* (inquit) *vt se in hanc tyrannidem attollerent, euerti necesse fuit totum Ecclesiæ ordinem.* Homo insulsus probare se existimat, quando strenuè bacchari, & fortiter conuitiari potest. Quæ enim hæc tyrannis sit, aut quomodo euersus Ecclesiæ totus ordo fuit, nec vno verbo demonstrat, dixisse & maledixisse contentus. Pergit adhuc. *Verùm vt iurisdictionem ordinariam sibi meritò vsurpent, si tamen euertunt sacram Dei domum, non nisi*

Caluinus iurgiis non argumẽtis pugnat.

nomi

nomine tenus architecti censendi sunt. Hoc quidem verum est. Sed quòd Catholicæ Ecclesiæ toto orbe Episcopi ac pastores sacram domũ Dei euerterint, id Caluino strenuè probandum, non impiè supponendum fuit. Nihil ergo aliud hæc tota Caluini declamatio, quàm fanaticum hominis ingeniũ & spiritum vertiginosum prodit, maledicendi auidum, firmis & bonis argumentis destitutum. *Caluini ingenium fanaticum.*

42. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

DEclamitat hîc rursum Caluinus, & illustrem hanc prophetiam de gloria Messiæ quem Synagoga reiecit, ad hodiernæ apostasiæ nouitatem & incremẽtum homo impius transfert: verbis quidem non ita perspicuis & claris, vt de se ipso suísque Geneuensibus loqui velle videatur (sic enim omnes Lutheranorum sectas, quę validæ tunc erant, & totum reliquum sodalitium in se vnum concitasset) sed sic vt à suis facilè intelligatur. Quæ Caluini frequens astutia est, quam euidenter prodit in comment. ad 1. Cor. 11. vbi quum Christi corpus & sanguinem in sacra Cœna *realiter exhiberi & sumi* dixisset, *Verbu* (inquit) *vulgaribus vtor, sed me mei intelligũt.* Nempe quòd nihil minus cogitaret, sed realis exhibitionis nomine Catholicos & Lutheranos ludificare vellet, quum realem ipse non aliam quàm spiritualem, & quæ fide fit, (si tamen illam) intellexerit. Non dissimiliter in genere hîc declamat Caluinus *de admirabili & stupendo noui Euangelij exortu, restitutione, ac statu.* De quo Euangelio nouiter exoriente ac restituto loquatur, non explicat; ne reliquas sectas ab ipso seiunctas, quæ sibi singulæ hunc nouum exortum & restitutionem Euangelij venditant, grauiter offenderet; sed à suis intelligitur de sola Geneuensi Ecclesia aliísque ab ea progressis eíque adhærentibus loqui. Sic enim in hũc locum scribit. *Meminerimus quoties de Ecclesia ortu, restitutione, statu, totáq; salute agitur, non esse consulendos sensus nostros, sed tribuendum virtuti Dei honorem, vt absconditum eius opus miremur. Reuocamur enim hic à stulta hominum reuerentia, qua sæpe Dei gloriam obscurat. Ac si dixisset Propheta, quamlibet splendidis titulis polleant homines, peruersè tamen fieri, si quis illos Deo opponat. Quo refellitur diabolica Papistarum impietas, qui laruatæ suæ Ecclesiæ determinationem Dei verbo præferre non dubitant.* Hæc ille, torquendi, deprauandi, & adulteran- *Caluini astutia.*

Caluini artificium in adulterando verbo Dei. terandi verbi Dei, mirus artifex. Vide enim vt præſentem prophetiam miſerè torqueat & impiè deprauet. De caſu Synagogæ,& veterum Sacerdotum perfidia, Chriſtique & Euāgelij eius exaltatione dictum eſt: *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris:* Ergo quandocunque aliqua noua ſecta exurgit contra Paſtores & Doctores, *quos Christus dedit Eccleſiæ ſuæ, & quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, nulla eſt habenda Paſtorum reuerentia, nec curandum quàm ſplendidis titulis polleant, ſiue Apoſtoli, ſiue Prophetæ, ſiue Euangeliſtæ, ſiue Paſtores,& Doctores, ſiue Epiſcopi,& Præpoſiti Eccleſiarum, ſiue Presbyteri & Seniores vocentur. Valet enim ſcelerata Caluini collectio & prophetiæ huius deprauatio nōn ſolùm contra præſentes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos & Paſtores, ſed etiam contra Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, & alios quoſcunque ſplendidos in Eccleſiæ regimine titulos. Nec minus iuxta Caluini collectionem licuiſſet Iudaizantibus illis Chriſtianis, Apoſtolos & Seniores in Concilio Hieroſolymitano collectos, & omnia ferè legalia abolentes ex alto deſpicere, quantumuis ſplendidis titulis pollerent, dicerêque ſe verbo Dei per Moyſen ſcripto inhærere, illos verò licet architectos Eccleſiæ verbum Dei reprobantes, minimè mirum facere, *quia à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*, vt illi non ſecus errent quā Phariſæi & Scribæ in Chriſto reiiciendo errauerunt. Non minus, inquam, hoc illis licuiſſet dicere ac facere, quàm hîc licet Caluino ſuā ab Eccleſia apoſtaſiam eodem fuco tegere.

Ephes.4. Act.20.

Caluiniana conſequētia abſurditas & blaſphemia.

Caluinus ſuo telo iugulatur. Lutherani quoque, Anabaptiſtæ, Seruetiani, aut alia quælibet hodie ſecta nō ſecus contra Caluinum, omnéſque Eccleſiæ Geneuenſis miniſtros, Paſtores, Seniores, vbi de aliqua Scripturæ interpretatione, aut cenſura Eccleſiaſtica oritur quæſtio (quales inter eos ſunt innumeræ) hoc eodem modo excipiet, quo Caluinus contra omnes Eccleſiarum Præpoſitos excipiendum dicet. Splendidis quidem titulis polletis; Miniſtri verbi, Paſtores populi, Seniores conſiſtorij vocamini. Veſtrum in Scripturis exponendis iudicium interponitis, (perpetuum enim Caluino ac Bezæ eſt, reiectis Patrum ſententiis dicere, *Ego ſic iudico. Ego ſic ſentio. Ego hunc eſſe ſenſum non dubito*, &c.) Penes vos cenſuram eſſe dicitis. Vos pro architectis & Præſidibus Eccleſiæ venditatis. Sed peruersè facitis quòd Deo vos opponitis. Verbum Dei nos aliud docet.

Titu

Titulos vestros non curamus. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Manifestè hîc refellitur vestra diabolica impietas, qui laruatæ Ecclesiæ vestræ determinationem verbo Dei præferre non dubitatis. Quam enim Caluinus Catholicis impietatem impingit, eandem quælibet alia secta Caluino & suis meritò impingere potest. Quælibet enim alia secta Geneuensem Ecclesiam pro laruata non vera habet. Quælibet alia secta verbum Dei pro suis dogmatibus facere affirmat & credit.

Sed quî fit quòd cæteris omnibus sectis prætermissis, solam veram & Catholicam Ecclesiam hîc perstringit Caluinus? Cur solos Catholicos (quos Papistas vocat) diabolicæ impietatis arguit, quòd suæ Ecclesiæ determinationem verbo Dei prætulerint? Subiungit aliquid, quo id probare contendit, quod dissimulandum non est. *Vnde enim* (inquit) *secundum eos pendet verbi Dei authoritas, nisi ab hominum placito? vt Deo nihil plus sit iuris residuum quàm quod ab Ecclesia precariò accipit. Longè aliter hoc loco nos instituit Spiritus sanctus. Nempe simul ac in medium prodit maiestas Dei, silendum esse toti mundo.* Hæc ille. Multum haud dubiè laborauit Caluinus, vt post tam atrocem accusationem, quòd Catholici *sua Ecclesia determinationem verbo Dei praferre non dubitauerunt*, certam aliquam tantæ accusationis notam, certum & illustre aliquod argumentum subiiceret, ac dogma aliquod proferret à Catholica Ecclesia determinatum, cui verbũ Dei manifestè repugnaret. Hoc enim esset propriè ac verè suam determinationem verbo Dei præferre. Nunc autem nihil tale profert, sed huiusmodi aliquid, quod si verum crimen esset, conficeret tamen non aliquam Ecclesiæ determinationẽ, sed ipsam Ecclesiam determinantem verbo Dei præferri. Ait enim, secundum Catholicos *verbi Dei authoritatem non nisi ab hominis placito pendere, & eam totam ab Ecclesia precariò Deum accipere.* Nempe quia quid sit pro verbo Dei & Scriptura Canonica habendum, Ecclesia suo iudicio determinat. Hoc enim intelligit, hoc vult dicere Caluinus, licet obscurè loquatur, vt à rudiori lectore Catholico vix intelligatur. Satis ei erat quòd à suis suorúmque scriptorum lectoribus intelligeretur. Sic quippe alibi scribit. *Pendet* (inquiunt Papistæ) *ab Ecclesia determinatione, & qua Scriptura reuerentia debeatur, & qui libri in eius catalogo censendi sunt.* Móxque paucis interiectis infert. *Quibus impiorum sannis subycietur fides nostra, si credatur hominum beneficio non secus ac precariam habere*

Cur solos Catholicos perstringit Caluinus.

Institut. lib. 1. c. 7. num. 1.

bere authoritatem? Huic obſoletæ & rancidæ calũniæ quam hîc Caluinus vt cramben ſæpè recoctam regerit, iam olim reſpondimus, tum in opere noſtro de Principiis fidei, tum vberius multo in defenſione noſtra contra Vvhitakerum, qui Caluini vanitatem maiori vanitate & ineptia tueri fruſtra conatus eſt. Summa eſt, mentiri Caluinum quando ait ſententiam Catholicorum eſſe, quòd ab Eccleſiæ determinatione pendet, quæ Scripturæ reuerentia debeatur. Hoc enim Eccleſia non determinat, ſed vt rem per ſe notiſſimam penitus indeterminatam relinquit. Determinat quidem qui libri pro ſcriptura Canonica habendi ſint, ſed non determinat quanta fides & authoritas ipſi ſcripturæ Canonicæ adhibẽda ſit. Quæ duo quàm longè latéque inter ſe diſcrepent, in vtroque opere prænominato, ſed magis in poſteriori, latè & copiosè explicuimus. Vana ergo & friuola, ſcelerata & impia eſt, tota hoc loco Caluini declamatio. Quæ tamen impietas maxima in poſtremis eius verbis clarius cõſpicitur, vbi ait, *Spiritum ſanctum hic docere, ſimul ac in medium prodit maieſtas Dei, ſilendum eſſe toti mundo:* id eſt, vbi aliqua noua ſecta exoritur, ſilendum eſſe toti Eccleſiæ. Suam enim ſectam, ſui noui Euangelij exortum, & reſtitutionem, pro quo hoc loco pugnat, homo blaſphemus deſignat, quum *Dei maieſtatem in medium prodire* fingit; ſicuti Eccleſiæ Paſtores ac Præpoſitos negligendos deſignat, *quum toti mundo ſilendum* affirmat. Hæc eſt Caluini hoc loco laruata blaſphemia, quam detracta larua omnium oculis in propria forma conſpiciendam ſubiicere operæpretium duxi.

Lib. 9. cap. 3. Lib. 3. cap. 12.

Defenſ. contra Vvhitak. Lib. 1. cap. 2. ad ſect. 6.

Caluini laruata blaſphemia.

IN MATTHÆI CAP. XXII.

12. *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?*

Bonorum operum neceſſitas defenditur.

QVVM hæc terribilis Dei increpatio, & horrenda quæ conſequitur pœna, nõ ad Iudæos, ſed ad Gentiles, de quorũ vocatione poſterior parabolæ pars loquitur, manifeſtè pertineat; nec ad quoſuis Gentiles, ſed ad vocatos, & Eccleſiæ domum ingreſſos, atque in conuiuio nuptiali diſcumbentes, id eſt, fide iam & ſacramentorum participatione fidelium ſocietati admıtos, in huiuſmodi autem ſub perſona vnius (ſiue vt vnius exemplo cæteri caueant, ſiue vt ne ille vnus ſit quilibet apud ſe accuratius

perpendat) desiderata vestis nuptialis, necessariò significare debeat, non infidelitatem, sed cum fidei professione coniunctam vitæ turpitudinem, vt propterea hic locus vitæ puritatem & bonorum operũ studium ad salutem esse necessariam euidenter conuincat; Caluinus hunc locum exponens, in omnem se partem versat, variáque pertentat, ne illam bonorum operum necessitatem ingenuè & apertè profiteatur, aut solius iustificantis fidei naufragium ante oculos positum videre & agnoscere cogatur. Totam eius explicationem subiiciam. *De veste* (inquit) *nuptiali frustra certatur sitne fides, an sancta & pia vita: quia neque fides à bonis operibus separari potest, & bona opera non nisi ex fide procedunt.* Hæc est prima tergiuersatio, & superbi hæretici inanis lucta. Demus enim fidem à bonis operibus separari non posse, (quod tamen falsitatis ac demẽtiæ plenum esse plurimæ scripturæ docent, vt suis in Paulum locis docebimus) verum sit (quia verum est) bona opera, quæ verè bona sunt, nõ nisi ex fide procedere. An propterea frustra quæritur de veste nuptiali hoc loco, sit ne fides an sancta & pia vita? Ad posterius quod attinet, expeditum & clarum est, tametsi ex fide bona opera procedunt, sicut ex radice fructus, tamen sicuti radix frequentissimè caret fructu, sic fides carere potest operibus bonis, ideóque data fide non sequi bona opera. Vnde meritò hoc loco quæritur, an hæc vestis nuptialis fuerit radix an fructus, fuerit fides an vitæ puritas. Sed ad prius quod attinet, eo quidem concesso à nobis (quod concedere opus non est, nec nisi vberioris disputationis causa, & vt maior reluctantis hæretici absurditas elucescat, concedimus) probabilior videri potest Caluini assertio; sed falsa nihilominus & absurda est. Tametsi enim fides à bona vita separari non posset, tamen quum negari nequeat, quin res sint inter se distinctæ, credere & operari, sicut radix à fructibus distincta est, etsi talis radix esset quæ semper germinaret, meritò quæri potest an vestis nuptialis hoc loco fidem ipsam significet an vitæ puritatem, radicem an fructum. Tametsi, inquam, inseparabilia concedimus, tamen diuersa & distincta esse nec ipse Caluinus negabit. Hominem & risibilem esse, inseparabilia sunt, & ex Principiis speciei humanæ profluit, quòd homo solus risibilis sit, sicut ex fide promanant opera verè & coram Deo bona. Distincta nihilominus sunt homo & risibile. Illud enim naturam, hoc accidens designat. Vnde non quicquid tribuitur homini, hoc etiam risibili quatenus tali tribuendum. Quum ergo

Prima Caluini tergiuersatio.

ergo diſtincta & diuerſa ſint fides & vitæ puritas, eſto, inſeparabilia ſint, tamen non quicquid tribuitur vni, idem tribuitur alteri; nec defectus vnius eſt defectus alterius. Pone, inquam, vno deficiente alterum deficere, & vbi primum ceſſat fides, ceſſare opus bonum, & contrà. Alia tamen & diſtincta peccata ſunt, ſuáſque habent diſtinctas pœnas in Dei iudicio, non credere promiſſionibus Dei (vt in ſenſu Caluini de fide loquamur) & non diligere proximum, vel alio quocunque modo contra ſecundam tabulam delinquere. Sicut ergo diſtincta virtus eſt fides à vitæ puritate, & diſtinctum peccatum eſt, non credere promiſſionibus Dei, & non facere quæ Deus iubet; ſic increpante nos Deo quòd veſtem nuptialem non habemus, meritò quæri poteſt, an hæc increpatio defectum fidei vel defectum charitatis notet; & an ipſa veſtis nuptialis ſit ipſa fides, an charitas fidei adiuncta.

Præterea eo magis hæc neceſſaria quæſtio eſt, quia tametſi hæretici velint fidem à bonis operibus ſeparari non poſſe, & vtrumque in eo qui ſaluatur adeſſe affirment, tamen ſalutem aiunt ex vna fide pendere, non ex bonis operibus, quæ nihil aliud quàm notæ & teſtimonia ſint præſentis fidei, ſicut fructus notæ & argumenta ſunt viuentis arboris. Hoc enim ita conſtituto, tametſi demus fidem & bona opera non ſeparari, tamen quum in hac Scriptura increpatur & damnatur à Deo iudice qui veſte nuptiali caruit, meritiſſimè quæritur vtrùm hæc veſtis nuptialis fidem ſignificet, an bona opera: vt ita videlicet intelligamus vtri damnatio inflicta fuerit, an fidei defectui, & quia non credidit; an potiùs bonorum operum defectui, & quia nullis bonis operibus veſtitus fuit. Fruſtra ergo Caluinus hanc quæſtionem fugit, in qua ſe cauſa caſurum facilè præuidebat. Veſtis quippe nuptialis nomine ipſam charitatem & bonorum operum ſtudium ac vitæ puritatem neceſſariò intelligi, tum parabolę ipſius tota connexio, tum aliæ Scripturæ, tum veterum Patrum conſentientes ſententiæ luculenter probant, ſicuti in Promptuario Catholico olim explicatum dedimus. Quod autem fruſtra & inaniter, etſi callidè & veteratoriè, hanc quæſtionem fugit Caluinus, familiari exemplo docebo. Pone me aliquem interrogare, Quomodo huc intraſti nihil videns? Quamuis enim certum ſit vt homo videat varia requiri, oculi bonitatem, medium diſpoſitum, ac lumen, & hæc non ſeparari in eo qui videt, meritò tamen quæri poteſt, quo ſenſu interrogauerim, cur nihil vidēs ingreſſus ſit, an quia cæcus omnino erat, aut oculis læſus, an quia

Dom. 19. poſt Pent.

Caluini aſtutia expenditur.

quia lumine caruit, an etiam quia nec cæcus nec læsus nec lumine carens, casu tamen aut vi aliqua iniecta videre non potuerit. Sed idcirco Caluinus quærere noluit, ne quærendo aut apertam veritatem negare, & iustissimæ reprehensioni patere, aut ipsam veritatem suæque solius fidei apertũ ante oculos naufragium conspicere & deplorare cogeretur. Omnes igitur veteres interpretes quærunt, & quærendo concludunt, vestis nuptialis nomine ipsam bonorum operum vestem, qua indutus & ornatus esse debet qui in Christum credit, significari; qua qui caret, & quia illa caret, proiicitur in tenebras exteriores.

Præterea si fides à bonis operibus separari nõ potest, ideóque frustra quæritur, sítne hæc vestis nuptialis fides, an pia sanctáque vita, de vtroque igitur loquetur Christus, & vtrunque significabit vestis nuptialis. Si vtrunque significat, ergo vtrunque ad salutem necessarium est. Hac enim veste nuptiali qui caret, id est, illo vtroq; qui caret, qui, inquã, fide & bonis operibus caret (separari enim ista non possunt) ille ligatis manibus ac pedibus proiicitur in tenebras exteriores. Præclarè igitur Caluinus suam solam saluificàm fidem tutatus est. Præclarè bonorum operum necessitatem, quam ex hac veste nuptiali tam necessaria colligunt inuictè Catholici, remouit. Dum enim de neutra quæri vult, vtramque posuit, vtramque stabiliuit. Sic iterum concesso eo quod falsissimè ponit, nihil contra orthodoxam sententiam, sed totum cõtra insanas suas hæreses cõclusit. Videamus quæ in eo sequũtur. *Caluinus ex suis principijs refutatur.*

Subiungit quid Christus hac interrogatione dicere voluerit. *Christus* (inquit) *hoc tantùm voluit, hac lege nos à Domino vocari, vt spiritu renouemur in eius imaginem, ideóq; vt perpetuò domi eius maneamus, veterem hominem cum suis inquinamentis exuendum esse, ac meditandam nouam vitam, vt vestitus tam honorifica vocationi respondeat.* Hæc ille. Notanda fraudulenta doctrina. Ait quidem exigi his verbis à Christo totius vitæ puritatem & sanctitatem (hoc est enim spiritu renouari in imaginem Christi, & exuere veterem hominem cum inquinamentis suis) sed ideo exigi *vt vestitus talis tam honorifica vocationi respondeat*: id est, non quia talis vestitus sit ad salutem necessarius, sed quia congruum est filios Dei per adoptionem gratuitam factos, piam ac sanctam vitã ducere filiis Dei dignã, & *quæ tam honorifica vocationi respondeat.* Hoc enim totum est quod hæretici hodie vitæ puritati ac sanctitati tribuere volunt, vt bona opera sint quidem *Fraudulenta Caluini doctrina.*

M

Christianis hominibus digna, sint notæ & signa fidei ac vocationis nostræ, sint opera quædam eucharistica, vt ostendamus nos nón ingratos esse gratuitæ iustificationi nostræ per Christum: sed nullo modo esse ad salutem & iustitiam necessaria, aut quæ nos coram Deo iustos & gratos faciant, vel denique vt ex eis iustificemur aut saluemur. Atqui totum hoc pestilentissimum eorum cōmentum hic vnus locus subuertit, qui *vestem nuptialem*, quam ipse iam Caluinus ponit in totius vitæ puritate, videlicet *in renouatione spirituali, & in veteris hominis depositione:* non solum *vt vestitum honorifica nostra vocationi respondentem*, quod solum Caluinus hoc loco dicit, hunc fucum lectori faciens vt vitæ sanctitati aliquid magnum tribuere videretur; sed præterea vt vestitum penitus ad salutem necessarium: quando qui eo caruit, hoc ipso nomine *proijcitur in tenebras exteriores.*

Bonorum operū necessitas cōcluditur.

Vidit hanc huius loci consequentiam & hanc difficultatem Caluinus. Vidit priorem fucum non penitus satisfacere nasuto & cordato lectori. Sibi igitur hanc difficultatem mouet, subiungens. *Sed quæritur qui conueniat mendicum atroci pœna mulctari, quia nuptialem vestem non attulerit, quasi verò nouum sit, miseros qui victum in compitis quæritant, laceros ac deformes conspici.* Proponit vafer hæreticus quæstionem, quasi de mendico & corporali amictu ageretur, non autem de vocato ex Gentibus ad fidem, adeóque iam in conuiuio nuptiali discumbente, id est, credente & in sacramentis participante, ideóque non fide tantùm, sed & bonis operibus (separari enim ista non possunt iuxta Caluinum) aut induto, aut certè induēdo. De isto enim certè quæritur cur tam atroci pœna mulctatur, si bonorum operum vestis ad salutem necessaria non est. *Respondeo* (ait Caluinus) *hic non tractari vnde vestis petenda sit.* Neque id hoc loco quæritur vnde vestis hæc petenda sit, sed quare hæc vestis tam rigidè exigitur, vt ea qui caret, *proijciatur in tenebras exteriores.* Declinat improbus hæreticus, & fugit verum statum quæstionis. Pergamus tamen, & totam eius responsionem audiamus. *Nam Dominus* (inquit) *quoscunque inuitat, simul etiam vestit: ac in omnibus nobis impletur, quod dicit Ezechiel. 16. 7.* (vbi videlicet indumenta bonorum operum & dona gratiæ Dei præclarè explicantur) *quum nihil Deus inueniat in nobis præter miseram nuditatem & fœtidas sordes, ornare nos splendido vestitu? Scimus etiam non aliter reformari nos in imagine Dei, nisi dum Christum induimus.* Hæc omnia vera sunt, quia vestis

Quæstionem a re proposita alienam mouet.

Rursum fugit præsentem quæstionem.

vestis nuptialis quæ hîc desideratur, tametsi nostra sit, nósque ea indui oportet, non tamen ex nobis est, sed ex multiformi gratia Dei. Sed hoc totum huic quæstioni adhuc πάρεργον est: & nihil ad rem præsentem pertinet. Cōcludit tamen statim Caluinus. *Non ergo pronūciat Christus, eiectum iri miseros homines qui pretiosam vestem ex arca sua deprompiam non attulerint: sed qui reperti fuerint in suis sordibus, vbi Deus ad examen de conuiuis suis habendum adueniet.* Duo dicit Caluinus in hac conclusione; quorum prius nihil ad præsentem causam facit, posterius etsi timidè ac parcè prolatum, ad causam tamen obtinendam contra Caluinū sufficit. Verum quidem est non id Christū hoc loco pronūciare, vt omnes damnentur, qui ex propriis naturæ suæ viribus fidem & bona opera non habent, neque ea de re vlla hîc vertitur quæstio. Cæterùm id agit Christus, quod tandem ægrè agnoscit Caluinus; *quando Deus ad examen de suis conuiuis habendum adueniet,* siue id in iudicio cuiusque particulari & mortis articulo fiat, siue (quod probabilius est) in iudicio omnium generali, *illos eiectum iri in tenebras exteriores qui in suis sordibus reperti fuerint,* id est, qui in peccatis suis (à quibus semel purgati per baptismum Christum in eo induti fuerint) adhuc reperiātur, abiecta stola prima in baptismo accepta, nec per pœnitentiam recepta, vt ille filius prodigus mediante pœnitentia à Patre misericordiarum recepit, dicente Patre, *Cito proferte illi stolam primam,* &c. id est, quam prius in baptismo acceperat, vt præclarè docet S. Basilius in homilia de Pœnitentia. Summa ergo disputationis Caluinianæ est, quòd ad tantam lucem verborum Christi attonitus, primùm de veste nuptiali quæri non vult, fidémne an bona opera significet: deinde bona opera pro honore vocationis nostræ requiri non inficiatur; sed ne ad salutem necessaria videantur (quòd hæc *vestis nuptialis* tam vehementer necessaria inuictè conuincit) nouam quæstionem proponit non ideo damnari homines, quòd hanc vestem ex sua arca non depromant; ægrè tandem vno minimo verbo agnoscit, *homines in suis sordibus repertos damnari.* Sed de veste nuptiali, qualis illa sit, quàm ad salutem necessaria, perfidus interpres nihil apertè dicit, sed implicata illa & varia disputatione tenebras & caliginem veritati offundere studuit. Exemplo esse potest hæc vna Caluini tergiuersatio, quàm perfida & cauteriata conscientia Scripturas tractent nostrorum temporum hæretici, sed omnium maximè Caluinus ipse.

Caluini conclusio contra ipsum concludit.

Luc. 15.

Summa lusta Caluiniana.

1. 2. 3. 4. 5.

16. *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.*

Herodiani unde sic dicti.

Fingit hoc loco Caluinus aulicam quandam apud Iudęos religionem ab Herode maiore, illo qui Christum natum persequebatur inuectam, vt Herodiani dicantur qui illi assentantes, homini semiiudæo, & adulterino legis professori, integram & puram legis obseruationem negligebant. Totum hoc fictitium & vanum est. Herodiani enim hoc loco dicuntur, qui census seu tributi à Romanis Imperatoribus Iudæis indicti collectores erant; quibus omnibus præfuit Herodes Agrippa, vel tunc à Tiberio constitutus, vel quia eo Consule cum Augusto census iste primum indictus fuit, vt scribit Dio. Herodianorum quidem secta apud Iudæos fuit, qui Herodi adulantes, ipsum esse Christum & Messiam affirmarent, vt videre est apud Iosephum in Antiquitatibus Iudaicis. Sed ad illos quæstio de censu Cæsari soluendo nihil pertinebat: nec Herodiani, sed Galilæi erant, alia quædam seditiosa secta, qui censum Romanis soluendum negabant, de quibus Iosephus lib. citato, cap. 1. Sed istis apertè seditiosis hominibus adiungere se Pharisæi, vt Christum tentarent, nec audebant, nec ad rem præsentem faciebat. Isti enim Herodiani censum exigebant: Pharisæi non esse dandum mussitabant. Vtrique Christum aggrediuntur, vt vel illos offenderet si solutionem negaret, vel populum, qui non libenter soluebat, si solutionem approbaret, quasi rem populo Dei indignam. Sed vtrique satisfecit Christus, Cæsari quod suum, Deo quod Dei erat, reddendum respondens.

Histor. Rom. lib. 48. Lib. 18. cap. 19. & 20.

21. *Reddite quæ sunt Dei Deo.*

Ex his Christi verbis mirabile corollarium infert Caluinus, vt dexteri sunt hæretici (si Scripturas tractandi potestas illis datur, à quo imprimis arceri debebāt tanquam hospites & aduenæ, imò tanquam hostes & aduersarij fidei, iuxta antiquissimi Tertulliani saluberrimas Præscriptiones) ad omnem Scripturam in sensus suis placitis congruos detorquendam, & obtorto collo pertrahendam. Ad hæc quippe verba sic scribit Caluinus. *Hoc discrimen tenendum est, quum Dominus ad regendas animas vnicus legislator esse velit* (ecce iam Christus *legislator* erit, quum id Caluino cōmodum est, qui suprà ad cap. 5. Matth. fortissimè id negauit) *non aliundè eius colendi petendam esse regulā quàm ex ipsius verbo, atq; in*

Caluini contradictio. Solius Scripturæ perfectio an ponenda.

solo

ſolo puróq; cultu, qui illic præſcribitur, manendum. Hæc ille. Verbi Dei nomine ſemper Scripturam & ſcriptum verbum intelligit Caluinus, licet apertè ita loqui nolit, vt abſurda eius doctrina minus lectori pateat, & vt probabilius loqui videatur. At verò in his verbis, *Reddite quæ ſunt Dei Deo*, nec de ſeipſo Chriſtus propriè ac diſtinctè loquitur, nec de verbo ſcripto intendit loqui, & omnium minimè de ſolo verbo Dei ſcripto. Chriſtus Iudæis & eorum præpoſteræ ſuperſtitioni reſpondit, qui, vt Caluinus ipſe hoc loco cõmemorat, *violari ius Dei & lædi eius cultum exiſtimabant, ſi quoad externã politiam Romanis parerent. Videtur igitur eorum hypocriſim perſtringere, ac ſi dixiſſet: Valde ſoliciti eſtis ſi tributum ſoluatur Romanis, ne quid ex Dei honore decedat. Atqui potius danda opera eſt, vt Deo cultum exhibeatis, quem à vobis requirit: interea hominibus etiam reddatis quod ſuum eſt.* Hæc ipſe Caluinus. Docet igitur Chriſtus Iudæos his verbis, Deum eſſe purè ac ſincerè colendum, eáque præſtanda omnia, quæ ad Dei cultum atque obſequium ſpectant. Non docet hoc loco vel ſeipſum eſſe Deum, vel legiſlatorem eſſe animarum, vel ea omnią præſtáda quæ ipſe docet: multo minus quæ poſtea in Scripturas Euangelicas vel Apoſtolicas redigenda erant. Hæc quidem omnia vera ſunt: ſed hæc iſto loco non docentur. Non eſſe autem aliunde petendam colendi Dei regulam quàm ex ſolo Dei verbo eóque ſcripto, nec hîc dicitur, nec ex Chriſti dictis vllo modo conſequitur. Quæ enim iſta tandem conſequentia eſt? *Date Deo quæ Dei ſunt.* Ergo iuxta ſolas Scripturas diuinas Deus colendus eſt, non iuxta aliquã doctrinam non ſcriptam. Planè qualis iſta eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua:* Ergo ſolus Deus diligendus eſt, non proximus, non parentes, non quos tibi præfecit Deus. Sicut enim mandatum de diligendo Deo non probat ſolum Deum eſſe diligendum, nec excludit dilectionem proximi, quia diligendo proximum vt oportet, Deum quoque diligimus; & ſimile eſt hoc mandatum alteri; ſic mandatum de colendo Deo, etiam ſi intelligatur ſecundum Scripturas diuinas, non probat ſecundum ſolas Scripturas colendum eſſe Deum, nec excludit traditiones Apoſtolicas & Eccleſiaſticas non ſcriptas, quia ſeruando illas, & colendo Deum iuxta illas, ſecundum Scripturas Deũ colimus, quæ traditiones nõ ſcriptas retinendas eſſe docent ipſæmet, & ſimilis eſt ratio traditionum Apoſtolicarum & Eccleſiaſticarũm, atque Scripturarum, quia in

Caluiniana conſequentia futilitas.

vtrifque Deus loquitur, & vtræque à Deo funt. Ita fruftra, fraudulenter,& ineptè corollarium hoc & appendicem Chrifti hoc loco doctrinæ fubfternere Caluinus voluit.

23. *In illo die acceſſerunt ad eum Sadducai.*

NOtat hoc loco Caluinus contra Catholicos, quafi præuentione vfus. quod contra fe & fuos optimo iure notandum effe aduertit. *Hic* (inquit) *videmus vt Satan impios omnes, quibus alioqui peßimè inter fe conuenit, ad oppugnandam Dei veritatem fimul colligat. Nam quum duabus iftis fectis hoftilis effet diſſenſio* (Pharifæis & Sadducæis) *tamen aduerfus Chriſtum confpirant. Ita hodie videmus omnes Satanæ copias, quamuis alioqui aliæ aliis contrariæ funt, vndique tamen in Chriſtum infurgere.* Veriffima hæc funt, & in omnibus hodie hæreticis ac fectariis, qui omnes vnanimiter contra Catholicam doctrinam fcriptitant, prædicant, verbo & calamo pugnant, veriffimum effe confpicitur: quod & nos alio loco latiùs oftendimus. Sed Caluinus fcabiem ac turpitudinem fuam ac fuorum aliis affricare vult. Ait enim. *Et tam infeſto odio flagrant Papiſtæ contra Euangelium, vt Epicureos, Libertinos, & alia huiufmodi portenta libenter foueant, modò ad illud labefactandum vtantur his adiutoribus.* Mutato nomine,de re,déque tuis,Caluine, fabula narratur.Epicurei & Libertini quos nominat Caluinus,quales homines fint, aut quos illa nomina perftringant, diuinandum lectori relinquit. Quomodo Ecclefia Catholica huiufmodi portenta foueat,aut quomodo illis adiutoribus contra Caluinifmum, quem Euangelium hîc vocat Caluinus,Catholici vtantur, nihil explicat,nihil dicit. Sicuti dolofi verfantur femper in generalibus; & quum certa criminis fpecies deficit, in genere debacchantur improbæ meretriculæ: fic Caluinus hoc loco nec à maledicendo temperare fibi potuit,quia improbus eft; & non nifi in genere maledicere voluit,quia dolofus eft.Clarum autem eft, totóque mundo notiffimum, contra vnam Catholicam Ecclefiam, eiúfque fidem facrofanctam, antiquam, Apoftolicam, omnes hodie quafcunque fectas, Caluiniftas,Lutheranos,Anabaptiftas,& quofuis alios operofiffimè fcribere. In Anglia contra folos Catholicos tam Caluino Papiftæ, vt à Puritanis vocantur, quàm Puritani, Superilluminati, & aliæ fectæ, perfecutionem acerbiffimam mouent, fouent,& accendunt. Cogimur in fcriptis noftris pro fide

In Prompt. Morali. Dom. 21. poſt Pentec. tex. 2.

Caluinus fuam fcabiem aliis affricat.

fide orthodoxa, modò Lutheranorum, modò Caluinistarum, modò Caluini, Bezę, Musculi, modò Chemnitij, Melãchthonis, Magdeburgensium argumenta soluere, maledictis respõdere, mendacia detegere. Nunc bonus Caluinus ne hanc suam & suorum turpitudinem in hac Pharisæorum, Sadducæorum, & Herodianorum contra vnum Christum pugna quisquam aspiceret, auertit lectoris oculos ad vmbras quasdam à se confictas Epicureorum & Libertinorum, qui vnà cum Catholicis Principibus, Pastoribus, ac Scriptoribus, Caluini cacangelion infesto odio persequuntur.

24. *Magister, Moyses dixit, Si quis mortuus fuerit non habens filium, &c.*

OBseruare hoc loco licet, omnes veritatis hostes contra ipsam veritatem testimonia veritatis obtendere. Putauit sibi hoc obseruandum Caluinus, vt, dum alios accusat, sese ab eodem crimine immunem esse persuadeat. Ait enim. *Sic impij omnes ac hæretici calumnias fabricant, quibus deforment veram pietatis doctrinam, ac pudefaciant seruos Christi.* Nec generali hac veráque obseruatione contentus, addit. *Imò Papistæ nulla verecundia tenentur, quo minus apertè Deo verbóque eius illudant, dum nos circumuenire tentant.* Suam iterum fœtidam scabiem aliis affricat; & præoccupatione vsus, crimen horrendum, quo ille vnus maximè tenetur, aliis impingit. Vnum quippe Caluinum Deo, verbóque eius Euãgelico, turpissimè & audacissimè illudere, vt simplicem lectorem circumueniat, per tot iam Euangelij loca ostendimus, quot contra corruptelas eius iam pertractauimus: per tot rursum loca ostendemus, quot deinceps, fauente Deo, tam in hoc quàm in aliis Euangelistis tractaturi sumus. Et ne longè abeamus, in hoc ipso S. Scripturæ textu, quem citant Sadducæi, illudit præsenti Scripturæ Caluinus, siue per ignorantiam, siue per superbiam, vt aliquid præ cæteris sapere videretur. Legem enim illam, quòd frater defuncti fratris vxorem ducat, ad semen suscitandum fratri suo, negat Caluinus *de fratribus germanis intelligendum esse, sed de consobrinis tantùm & similibus.* Quod apertè falsum esse veteris populi praxis in Scripturis deposita ostendit. Quum enim eadem lex apud Patriarchas quoque veteris populi maneret, propter eandem tunc huius legis causam, ne familiæ earundem tri-

Caluinus suum crimen aliis impingit.

Caluinus Scripturarum corruptor maximus.

buum interirent, Iudas duobus filiis suis fratribus germanis
Gen.38. Her & Onan Thamar vxorem dedit, & culpam suam postea agnouit, quòd tertio filio suo Sela eandem non dedisset, reliquis duobus fratribus cita morte à Deo percussis.

29. *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

INsignis hic locus est, ad tòtius erroris, quo veritatis hostes hæretici laborant, fontem atque originem duplicem demonstrandam. Duas ob causas errare Sadducæos dicit Christus: tum quia Scripturas ignorabant, tum quia Dei virtutem ac potentiam admirabilem non credebant. Vtrumque agnoscit hoc loco Caluinus. De priori dicit. *Hac Christi obiurgatio generaliter in omnes falsorum dogmatum inuentores competit. Nam quum nobis in Scripturis clarè Deus affulgeat, errorum omnium fons & causa est earum ignoratio.* De posteriori (licet obscurius) dicit, *ritè & prudenter eos demum sentire & loqui de regni cælestis mysteriis, qui Dei potentiam cum Scripturis coniungunt.* Quæ quidem posteriora verba duplicem habere sensum possunt: vel vt tum Scripturas tum Dei potentiam circa regni cælestis mysteria considerare debeamus, qui huic loco consentaneus est: vel vt Dei potentia cum Scripturis ita coniungatur, vt de Dei potentia nihil credendum sit, nisi quod in Scripturis reuelatum est; qui sensus ab hoc loco alienissimus est, nec perinde verus. Et quia in hoc sensu alibi de Dei potẽtia disputat Caluinus, meritò quo sensu hìc dicat Dei potentiam cum Scripturis coniungendam, dubitare possumus. Ad rem autẽ ipsam parum interest. Christum enim duas erroris causas notare perspicuum est. Nam primùm ignorasse Sadducæos Scripturas probat Christus, quia Scriptura apertè vocat Deum, *Deum Abraham, Isaac, & Iacob: Deus autem non est Deus mortuorum, sed viuẽtium.* Viuunt ergo quoad animas (nam & hoc Sadducæi negabant, non credentes animarum immortalitatem, vt de illis scribit Iosephus Antiq. lib. 18. cap. 2.) & victuri sunt quoad corpora; quia vnum ex altero cõsequitur, propter perpetuam illam inclinationem animæ ad corpus, quæ frustra esse non potest. Postea virtutem ac potentiam Dei eos ignorasse probat, quia post resurrectionem corporum nõ viuent vita mortalium communi, quasi cibo & potu indigentes, quod illi crassè existimabant, quasi Deus aliter eos in vita corporali sustentare non posset, sed viuent sicuti Angeli vita spirituali,

Ignorantia & incredulitas.

Hæresum origo duplex.

tametsi

tametsi in corpore, quod etiam resurget spirituale, id est, cum dote subtilitatis.

Ignorantia & incredulitas in hæreticis modernis.

Notandum autem hoc loco diligenter; quomodo vterque hic erroris fons in nostros hodie hæreticos & Caluinum imprimis ad amussim quadret. Dicit Christus errare Sadducæos *quia nesciebant scripturas.* Non quia prorsus illas ignorabãt, aut non legebant (solas quippe Scripturas isti Sadducæi, quamquam non omnes, sed solum Pentateuchum recipiebant, omnibus reiectis traditionibus, teste Iosepho Antiq. lib. 13. cap. 18. nostris hæreticis hac in parte simillimi) sed quia quas solas legebant, eas ipsas non intelligebant. Idcirco enim Christus ex solo Pentateucho & libro Geneseos contra eos testimonium profert, vt eos conuincat etiam Pẽtateuchum, quod solum tenebant, non intelligere. Sic omnino errant hodie hæretici, & in errorem mittunt, *quia nesciunt Scripturas*, id est, quia non intelligunt illas; sed vel ignoranter illis abutuntur, vel maleuolè & impiè illas deprauant; vt omnium maximè Caluinus, sicuti hæc nostra locorum Euangelicorum explicatio ad oculum docuit ac docebit. Deinde Sadducæis istis simillimus est Caluinus, quia sicut illi *Dei virtutem & potentiam ignorabant*, sic & Caluinus Christi corpus in venerabili Eucharistia verè & realiter adesse, idcirco pertinacissimè negat, quia illud corpus Christi verè & realiter in cœlo est, nec in duobus locis vnum corpus simul consistere potest.

Caluinus Dei potentiã negat.

Asserentibus Catholicis Deo hoc impossibile non esse, ídque ex argumentis certissimis, quum locus corpori quatenus corpori vt substantiam non quantitatem designat, nihil sit intrinsecum, præfatur quidem seu præludit potius Caluinus *improbam calumniam esse quòd Dei potentiam ab eo negari dicimus*, móxque varia mirabilia circa suum commentitium canalem, quem Christi corpori substituit, enumerat; & ait *multa ibi subesse miracula*, quasi hoc eum excusare debeat, quòd quædam in Deo agnoscat miracula, qualia ipse commentus est; & alia neget, quæ ex disertissimis Christi verbis necessariò sequuntur. Deinde respondet *non hic quæri quid Deus potuerit, sed quid voluerit*, quasi velle Christum id fieri quod factum esse dixit, dubitare quis debeat, aut quasi non satis expresè de eo, quod in manibus tenebat, dixerit, *Hoc est corpus meum*: quum interea idem corpus in alia quantitate & specie mensæ accubuerit. Ad aliam Christi voluntatem, quæ nihil ad præsens Sacramentum pertinet, conuertit se Caluinus, *quòd verus homo esse voluerit, similis fratribus per*

Institut. lib. 4 cap. 17. nu. 24.

omnia absque peccato, ideóque vera carne indutus qualis nostra est. Quod quidem vt verum est, ita nihil ad rem præsentem facit, tum quia ipsi carni nostræ & cuiuis corpori non repugnat per absolutam Dei potentiam pluribus in locis esse, vt theologi demonstrant, tum quia Christi caro ita vera ac naturalis erat, vt naturæ tamen legibus non subiiceretur. Vnde quum adhuc mortalis esset, clauso matris vtero exiuit, super aquas ambulauit, per medium densæ multitudinis, quæ præcipitare eum volebat, transibat, denique in fulgidissimam speciem transfigurata erat. His itaque frustra allegatis, quũ vrgetur, cur Deus non faciat vt eadem caro diuersa loca occupet, primùm respondet *insanum esse à Dei potentia postulare, vt carnem faciat simul esse carnem & non esse carnem* Quasi caro esse desinat, quum aliquid illi supra naturæ suæ conditionem ex diuina potẽtia accidit: quod in tam multis Christi carni adhuc mortali accidisse superius accepimus. Non minus, imò magis intrinsecum est igni vrere, quàm corpori vno certo loco contineri. Ignis tamen & verus ignis erat, quem in rubo Moyses videt ardentem, & qui rubum non combureret. Ignis & verus ignis erat, qui in fornace tres pueros iniectos non lædebat, ad ostium autem fornacis stantes voracibus flammis absumpsit. Hæc igitur Caluini responsio eius adhuc blasphemiam non excusat. Tandem concludit, & totum effundit venenum. *Carnem igitur* (inquit) *carnem esse oportet, spiritum spiritum, vnumquodque qua à Deo lege & cõditione creatum est.* Hic omnipotentiam Dei clarissimis verbis homo impius negat. Astringit enim Deum ad legem & conditionem rerum creatarum. *Vnumquodque* (inquit) *qua lege & conditione à Deo creatum est, ea oportet esse.* Ignis nónne à Deo hac lege & conditione creatus est, vt adureret, sol vt suum in cœlo cursum teneret, luna vt solis corpori, nisi quum in combusto est, non subderetur, corpus vt densum ac ponderosum sic esset vt nec aliud corpus penetrare, nec nisi à solido corpore sustineri posset, denique vt nõ scilicet nisi humanam speciem & hominum oculis facilè aspectabilem retineret? Nónne, inquam, hæc singula hac à Deo lege & conditione creata sunt, non secus quàm *carnis conditio est, & vno loco, vt sua dimensione, vt sua forma constet*, quod hic Caluinus de carne vrget? Et tamen, nisi multis aliis Scripturis contradicere vult Caluinus, fateri cogitur ignem aliquando ex Dei potentia non comburere, solem ex Dei potentia ad preces Iosue cursum suum in cœlo suspendisse,

Exod 3. *Dan. 3.* *Omnipotẽtiam Dei clarè negat Caluinus.* *Dan. 3.* *Iosue 10.*

lunam, quum iam plena & ex opposito solis staret, vnico momento medium cæli spatium decurrisse, vt corpori solis subderetur, nisi fortè (quod non secus naturæ leges superat) solem offuscare stans in opposito potuit. Christi carnem natura densam vterum matris clausum, posteáque sepulchrum, & clausas ianuas penetrasse, eandem quoque carnem fluidis aquis inambulasse, ac demum in speciem mutatam esse quæ solis splendorem æquaret, quam humani oculi ferre nequirent. Negat igitur disertissimè Dei potentiam impius Caluinus, ideóque errat turpissimè in tota doctrina venerabilis Eucharistiæ, *nesciens Dei virtutem.* Sadducæi nescientes Dei virtutem, negabant resurrectionem corporum, qualis futura est, spiritualem & gloriosam, quasi rem Deo impossibilem. Caluinus nesciens Dei virtutem, negat Christi corpus verè & realiter à nobis manducari, cuius tamen manducatio resurrectionem illam corporum nostrorum spiritualem & gloriosam operatur, dicente Christo, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die,* id est, *Hoc corpus quod comeditis, resuscitabit vos,* ait D. Cyrillus: negat hoc, inquam, quia Dei virtutem nescit. Atque ita sicut resurrectionem ipsam Sadducæi, sic vnam resurrectionis causam Caluinus idcirco negat; quia Dei virtutem ac potentiam vtrique nesciebant. Imò iuxta Caluini regulam nec omnino à mortuis caro resurget, quum & carni intrinsecum sit, vt semel corrupta eodem numero nequeat amplius existere, quia naturæ axioma est, à priuatione ad habitum nullum esse regressum. Adeò hic locus & duo isti errorum fontes, ad hæreticos hodie & ipsum imprimis Caluinum ad amussim quadrant. Et aliis quidem exemplis demonstrari hoc posset: sed aliqua instructio ad Caluinum meritò execrandum, hoc vnum esse potest.

Matt. 27. *Matt. 14. & 17.* *Sadducæorum & Caluini comparatio.* *Ioan. 6.* *In comment. ibidem.*

32. *Non est Deus mortuorum, sed viuentium.*

Docet hæc Christi responsio impiè ac profanè horum temporum loqui hæreticos, & ad Sadducæorum impietatem quàm proximè accedere, qui quoties contra cultum & inuocationem Sanctorum in cælo cum Christo regnantium loquuuntur, toties eos *homines mortuos* vocant, nósque *mortuos colere*, & inuocare affirmant. Probat Christus resurrectionem mortuorum in genere, (nam de illa quærebant Sadducæi, & generaliter Christus dicit, *Quòd autem mortui resur*

Sancti in cælo non sunt vocandi mortui.

resurgant, Moyses dicit, &c. Luc.20.) *quia Deus non est mortuorum Deus, sed viuentium*: id est, *Omnes autem illi viuunt*, vt Lucas addit; ergo omnes resurgent. Omnes autem Deo viuunt, etiam impij, nec nisi dormiunt, euigilaturi tandem, *quia fixum & decretū apud Deum est quòd omnes resurrecturi sunt*, vt hunc locum exponit Irenæus, & *propter pollicitationem resurrectionis*, ait in hunc locum Chrysostomus, quem cæteri Græci sequuntur. Quoad animas viuunt mortui, etiam omnibus hominibus, qui sciūt animas esse immortales. Sed omnes Deo viuunt, & non nisi dormiunt, quia ex Dei decreto & certa scientia omnes resurgent, sicut in Euangelio de filia archisynagogi resuscitāda dixit Christus, *Non est mortua puella, sed dormit*, quia certò decreuerat Christus eam resuscitare. Specialiter tamen Sanctorum Deus dicitur, quia specialiter illi viuunt: tum quoad animas in gloria, tum quoad corpora in spe resurrectionis. Vtrumque negant hæretici, quum de Sanctis tanquam de mortuis disputant, & Christi hoc loco responsionē dupliciter eneruant. Exponit Caluinus hoc loco *omnes Deo viuere, quia fideles, postquam mundo interierint, agunt cælestem vitam cum Deo*: quum certum & euidens sit, non omnes hoc sensu Deo viuere, ideóque hunc sensum illa verba, quæ generaliter loquuntur, habere non posse. Clarius alibi hanc contra seipsum liquidam veritatem professus est. Sic enim ad Act.cap.7. hæc eadem Dei verba tractans scribit. *Ex hoc loco Christus non absque optima ratione colligit, pios post mortem esse superstites. Nam si totus homo in morte intereat, inepta esset locutio: Ego sum Deus Abrahæ. Ergo Abrahā, Isaac, & Iacob, quamuis carne perierint, spiritu tamen apud Deum viuunt.* Hæc ibi Caluinus. Suam igitur impietatem hac duplici expositione satis superq; ipsemet refutauit, qui Sanctos omnes non secus quàm Abraham, Isaac, & Iacob apud Deum viuentes, *Mortuos* passim vocat.

Lib.4.c.9.

Luc.8.

27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Mādatum dilectionis Dei nō est impossibile in hac vita.

PRopter hoc præceptum & illud alterum huic simile, *Non concupisces*, legem obseruatu impossibilem esse, dicere hoc tempore hæretici ausi sunt: & ad hæc verba hoc in loco Caluinus ita scribit. *Ex hoc compendio apparet Deum in legis præceptis non respicere quid possint homines, sed quid debeant. Nam in hac carnis infirmitate fieri non potest vt perfectus Dei amor regnum obtineat. Scimus enim quàm propensi sunt ad*

vanita

vanitatem omnes sensus nostri. Perniciosa & pestilens hæc doctrina est, tam crudè & indistinctè posita. Deus quippe in præceptis legis non quidem respicit quid possint homines ex se, & ex naturæ suæ viribus, sed quid possint, atque ideo debeant ex adiutorio suæ gratiæ perficere. *Ideo nobis præceptum est* (ait S. Augustinus) *vt Deum tota anima diligamus, (quod non fit dum caro concupiscit aduersus animam) vt admoneremur quid fide exposcere, quò spem præmittere, & obliuiscendo quæ retrò sunt in quæ anteriora nos extẽdere debeamus.* Hæc ille. Est igitur hoc præceptum perfectionis, cui obstat concupiscentia, quæ quia in renatis culpabilis non est, absque culpa hac perfectione caremus. Perfectionem dico omnimodam, qualem sonat præceptum. Vnde alibi August. *Quamdiu est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus.* Ait non omnimodo ex tota anima diligi Deum. Nempe quia *minuitur ista dilectio & delectatio spiritualis sanctorum mentium, dum ad alteram concupiscentiam debellandam occupatur bellantis animus:* vt contra Iulianum docet lib. 4. cap. 2. Et hæc est illa carnis infirmitas & propensio ad malum, de qua hîc Caluinus loquitur. Sed ea non obstante, *exercet gloriosa certamina* miles Christi (ait eodem loco August.) & verè diligit Deum ex toto corde, *quia licet totam non assequatur charitatem, nullam tamen sequitur cupiditatem,* ait August. de Spiritu & lit. cap. vltimo: vel vt expressius S. Thomas docet, licet totum cor actualiter in Deum non feratur semper, tamen habitualiter fertur, quamdiu nihil contra dilectionem Dei cor admittit. 2.2 q. 44. artic. 4. ad 2. Et hoc sensu in præceptis legis respicit Deus quid facere debeamus: nempe vt legem, quam tulit, impleamus, sed tanquam viatores, non tanquam possessores & hæredes vitæ æternæ: id est, in carne adhuc viuentes, sed non secundum carnem viuentes. Christus quippe *in carne sua de peccato damnauit peccatum,* id est, per carnem suam, vt hostiam pro peccato oblatam, mulctauit peccatum, & sustulit dominium eius in omnibus filiis adoptionis, *in quorum cordibus diffusa est charitas per Spiritum sanctum qui datus est illis, vt iustificatio legis impleretur in illis,* seu ab illis, *qui non secũdum carnem ambulant, sed secundum spiritum.* Sicut ergo præceptum Dei est quod seruare & debemus & possumus, *non ambulare secundum carnem* (quia *si secundum carnem vixeritis, moriemini*, ait Paulus) sic præceptum est quod seruare & debemus & possumus, *diligere Dominum*

De Spir. & lit. cap. vlt.

In lib. de perfect. iustitiæ.

Præcepta legis quomodo facienda.

Rom. 8.

Rom. 8.

minum ex toto corde: id eſt, non ambulare ſecũdum carnem, nullam ſequi cupiditatem. Vnde Auguſt. *Prudentia carnis per Christum ablata & extincta, iuſtitia legis impletur, quum non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulamus.* Hæc prudentia carnis eſt ſapere ſecundum carnem, & ſequi cupiditates eius. Hoc per Chriſti gratiã tollitur; & ideo per Chriſti gratiam omnes cupiditates prauas ſuperare & debemus & poſſumus, *vt non regnet peccatum in mortali corpore noſtro vt obediamus cõcupiſcentijs eius*, etſi maneat peccatum ſeu peccati propenſio quam hic Caluinus vrget, *ſed regnet gratia per iuſtitiam*, vt Paulus loquitur, id eſt, regnet amor Dei perfectus: quod fieri poſſe impiè hic negat Caluinus, perfectus, inquam, iuxta viæ perfectionem in qua adhuc ſumus, quæ eſt, nullam ſequi cupiditatem; *non obedire concupiſcentijs carnis*, tametſi ipſa maneat in carne concupiſcentia, denique *condelectari legi Dei ſecundum interiorem hominem*, quod eſt, *mente ſeruire legi Dei*, mente & animo Deum diligere, licet *caro ſeruiat legi peccati*, id eſt, licet caro & carnalis infirmitas concupiſcere non deſinat.

In expoſit. quarũdam propoſit. in epiſtol. ad Rom.

Rom. 6.

Rom. 5.

Rom. 6.

Rom. 7.

38. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

HOc quoque præceptum ſuo fermento corrumpit Caluinus. Negat enim ordinem charitatis, quem perſpicuè præceptum ponit, videlicet vt dilectio reſpectu proximi incipiat à ſeipſo. Sic enim ſcribit. *Quum proximos ſicuti nos ipſos diligere iuſſit Moyſes, noluit amorem noſtri priore loco ſtatuere, vt quiſque ſeipſum prius amet, deinde proximos, quemadmodũ Sorbonici ſophiſtæ cauillantur, regulatum inferius eſſe ſua regula; ſed quum ſimus nobis nimium dediti, Moyſes vitium hoc corrigens, proximos noſtros æquali gradu ſtatuit; ac ſi vetaret vnumquemque alijs neglectis habere ſui curam, quia charitas in vnum corpus omnes coniungit. Et φιλαυτίαν corrigens, quæ alios ab alijs ſeparat, ſingulos ad cõmunem ſocietatem, & quaſi mutuum complexum reducit.* Hæc ille. Homo reprehendendi auidus, reprehendit quod neſcit. Neſcit enim à ſcholaſticis, quos hic Sorbonicos ſophiſtas vocat maledicendi cupidus, communem illam ſocietatem & mutuum complexum omnium proximorum diſertè in hoc præcepto doceri; ſed quia in ipſa ſocietate communi, caſus frequenter accidunt, vt omnibus ex æquo ſubueniri nequeat, diligenter ab illis quæri, quis ſit præcepti huius ſenſus in caſibus huiuſmodi: An te & proxi

Charitatis ordo defenditur.

proximo æqualiter periclitante, quum vtrique subuenire nequeas, prius ne tibi prospicere debeas an proximo. An etiam meliore te periclitante, teipso neglecto illum iuuare tenearis. *Proximus diligitur* (ait S. Thomas) *secundum rationem societatis in bono*, id est, dilectio proximi docet socialem & communem esse debere dilectionem nostram, non priuatam, in eo bono quod ipsi rectè & ordinatè diligimus, videlicet in Deo. *Consociatio autem ista est ratio dilectionis secundū quandam vnionem in ordine ad Deum. Vnde sicut vnitas potior est quàm vnio* (nam ab vnitate vnio incipit, & principium semper in suo genere cæterorum caput est) *ita quòd homo ipse participet bonum diuinum* (in qua participatione potissimùm proximus diligitu) *est potior ratio diligendi, quàm quòd alius associetur sibi in hac participatione.* Hæc explicatio non tollit mutuum complexum in hoc præcepto positum, sed in hoc complexu quis ordo sit tenendus, præterea docet: vt frustra propter vnum aliud conuellere Caluinus conetur.

In ... 2. 2. q. ... art. 4.

IN MATTHÆI CAP. XXIII.

2. *Sederunt super cathedram Moysi Scribæ & Pharisæi. Quæcunque ergo dicunt, facite & seruate.*

TORSIT hic locus Caluinum, omnésque hæreticos torquet, qui *cathedram contra cathedram, & altare contra altare erigunt*, vt veteres piè & grauiter loquuntur. Docet quippe disertissimè Christus audiendos esse qui cathedram tenent, id est, qui potestatem docendi legitimam habent, vtcunque aliter ipsi viuant quàm docent: quod illis quidem summum dedecus ac vituperium est; ouibus autem & subditis nullum impedimĕtum esse debet, quo minus rectæ & sanæ eorum doctrinæ acquiescant. Versat itaque se hìc in omnem partem Caluinus. Nec apertam veritatem diffiteri potuit, nec à loci tamen corruptela abstinere voluit. *Sedet* (inquit) *in cathedra Moysis, qui non ex seipso vel proprio sensu, sed ex Dei authoritate & verbo præcipit.* Rectè hoc quidem. Sed quia quilibet magister mendax, qui non nisi ex seipso loquitur, venditare id sibi potest, & solet, quòd ex Dei authoritate & verbo præcipiat, ægrè quidem adiecit, sed necessariò adhuc adiiciendum vidit, de legitima docentis vocatione, quæ propriè ad cathedram

Episcopalis & pastoralis authoritas defenditur.

Mosis

Mosis vel Christi pertinet. Addit igitur. *Simul tamen legitima vocatio hic notatur: quia ideo audiri Scribas iubet Christus, quòd publici essent Ecclesiæ doctores.* Rectissimè. Cur igitur, Caluine, publicos Ecclesiæ doctores despexisti? Cur absque legitima vocatione ciecto prius Episcopo qui cathedrã illic tenebat, Geneuæ post Farellum, qui primus erat, docendi munus tibi arrogasti? Cur denique eorum communionem

August. Epist. 163. deseruisti, *quos per orbem terrarum successionis ordinem custodientes, sedere in sedibus Episcopalibus vel vidisti vel audisti,* & Donatistarum impietatem hac in parte imitari voluisti? Pupugit hic scrupus Caluinum, & sibi ipsi malè conscius, tantum facinus à sese amoliri studiosè contendit. Subiungit igitur. *Papistis satis est titulo præditos esse, ac locum occupare, qui leges imponunt. Huc enim torquent verba Christi, quasi necesse sit obedienter recipere quicquid mãdant ordinarij Ecclesiæ Præsides.* Ecce agnoscit Catholicos eorum locum occupare qui leges imponunt, & esse ordinarios Ecclesiæ Præsides: non tamen

Caluinus & Christo & sibi contradicit. recipiendum esse quicquid mandant. Nónne igitur & Christo & sibi ipsi contradicit? Christo, qui de huiusmodi dixit, *Quæcunque dicunt, seruate & facite:* sibi ipsi, qui dixit, *Audiri iubet Scribas Christus, quòd publici essent Ecclesiæ doctores?* Aut ergo malè iubet hoc Christus, aut Christo contradicit Caluinus. Iubet audiri Christus. Non est necesse audire, ait Caluinus. *Obedienter* quippe *recipere quod mandant,* audire est in sensu Christi; videlicet *seruare & facere ea quæ dicunt.* In quas se hîc angustias compegit Caluinus, qui vt schismatis sui fœditatem quoquo modo obtegeret, eodem penè halitu pugnantia protulit.

Sed placuit illi magis posterior assertio; quam vt astruat, Christum quoque sibi contradicere bonus interpres monstrare vult. Addit enim. *Atqui satis superq; hac calumnia refellitur altero Christi edicto, vbi à fermento Pharisæorum ca-*

Matt. 16. Christi doctrina Caluino calũnia est. *ueri iubet.* Calumniam vocat ipsam Christi doctrinam de audiendis Scribis & Pharisæis super cathedram Mosis sedentibus. Hanc ab ipso Christo per alterum eius edictum satis supérque refelli ait. Nónne bellus interpres Caluinus, qui Scripturas inter sese committit? qui Christi doctrinam calumniam vocat? qui Christi hoc loco doctrinam ipso Christi edicto refellit? Sed quomodo tandem refellit? Sequitur. *Si reijcere authore Christo non tantum fas est, sed etiam oportet, quicquid puræ legis doctrinæ de suo Scribæ admiscent, certè non sine delectu & iudicio amplecti conuenit, quicquid ipsis man-*

man

mandare libuerit. Hæc ille. Cæterum quo sensu à fermento Pharisæorum Christus cauere iusserit,& quòd illud Christi edictum huic eius mãdato nihil repugnet, ad illa ipsa verba (suprà cap.16.) contra Caluinum demonstrauimus. Summa est, quando ex cathedra loquuntur qui cathedram legitimè tenent,id est,quando iuxta doctrinam à maioribus suis continua successione acceptam docent, audiendos illos esse vt Christus hîc mandat; quando verò non à maioribus acceptam, sed suam aliquam nouam & propriam doctrinam adferunt, quasi fermentum pessimum reiiciendam esse. Atque hoc modo, quatenus super cathedram sedent, *seruare & facere* oportet quæ dicunt, obedienter recipere necesse est quicquid mandant: quatenus sua fermenta admiscent, cauendi sunt. Hoc hæreticorum schisma nihil iuuat. Hoc legitimæ Prępositorum Ecclesiæ authoritati nihil derogat.

Pergit tamen Caluinus vt Ecclesię magistris obtemperandum non esse doceat. *Deinde* (inquit) *si hominum preceptis suorum conscientias hic Christus obstringeret, falsò alibi pronuntiaret frustra Deum coli hominum mandatis.* Ecce rursum probare vult non esse audiendos Ecclesiæ doctores, quos Christum audiri iubere dixerat. Rursum & sibi & Christo contradicit. Hęc hæreticorum nefaria impietas est, apertissima Scripturæ verba, ex aliis eius verbis iniquissimè detortis, peruertere & corrumpere. Quo sensu Christus dixerit, *Frustra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum,* suprà cap.15. prolixè explicuimus; & illa verba huic Christi mandato nihil aduersari, contra Caluinum demonstrauimus. Concludit Caluinus. *Hinc apparet Christum eatenus populum hortari, vt Scribis pareat, quantisper in pura & simplici legis interpretatione manent.* Christus non hortatur tantum sed & iubet populum (*Seruate & facite*) Scribis parere, non quidem quatenus legis interpretationem puram tradunt, de qua populus iudicare non potest puráne & simplex an impura & adultera sit; sed quatenus *in cathedra Moysis sedent,* id est, quatenus traditam sibi & acceptam à maioribus doctrinã administrant: de quo populus iudicare, & nouáne an vetus doctrina sit quam adferunt discernere, facilè potest populus iam orthodoxus ac fidelis: qualẽ hîc Christus alloquebatur.

Sed pulchrum est quòd ex Sancto Augustino quædã profert Caluinus, quasi stimulo veritatis adactus, quæ & hunc locum appositè elucidant, & luctam hanc & recalcitrationem Caluini inanem atque impiam fuisse demonstrant. *Scitè*

enim Augustinus (ait Caluinus) *& apposite ad Christi mentem Scribas super cathedram Moysis sedendo legem Dei docuisse exponit, ideoque oues debuisse vocem pastoris per ipsos audire tanquam per mercenarios. Quibus verbis continuò pòst subijcit, Deus ergo per illos docet. Sua verò si docere velint, nolite audire, nolite facere. Tract. in Ioan. 46. Cui sententiæ respondet quod idem tradit lib. 4. de doctrina Christiana Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, ideo vtiliter audiuntur qui etiam vtiliter non agunt. Cathedra ergo non Scribarum, sed Moysis, cogebat eos bona docere etiam non bona facientes. Sua enim agebant in vita sua, docere autem sua, cathedra eos non sinebat aliena.* Hìc præter solitum circa Scripturæ Euangelicæ sensum Augustinum proferre Caluinus voluit; sed contra caput suum tantum Doctorem protulit. Vterque locus de fermento doctrinæ malæ vitæ in doctore veritatis, non de fermento doctrinæ propriæ in falso magistro loquitur; & quidem, vt fatetur Caluinus, *apposite ad mentem Christi hoc loco.* Neque enim hìc Christus aliud docet, quàm doctores veritatis secundum veritatem non ambulantes, in eo quod docent audiendos, in eo quod malè ambulant non sequendos esse. Quæ doctrina contra aliam Caluini & Caluinistarum hæresim plurimum valet, quapropter peccata Pontificum & cleri Catholici (quæ quàm possunt studiosissimè exaggerant) nec Pontificibus nec clero Catholico obediendum esse vociferantur. Sed Caluini sensum schismaticum, quòd sedentibus in cathedra obedire nõ sit necesse, Augustini verba nulla ex parte insinuant. Imò si posterioris loci verba integrè posuisset Caluinus, illum apertè refutassent. Sic enim habent integra Augustini verba, à Caluino artificiosè mutilata. *Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, qui ait, Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt: ideo audiuntur vtiliter qui etiam vtiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus, priusquam de talibus quod commemoraui diceret, præmisit, Super Cathedram Moysi sederunt. Illa ergo Cathedra non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua, docere autem sua, Cathedra non permittebat aliena.* Hæc Augustinus, ex cuius verbis callidè resecuit Caluinus: *Sua docere non audent, de loco*

Malis Præpositis obediendum.

Augustinus à Caluino contra seipsum citatus.

De Doct. Christ. lib. 4. cap. 27.

Caluini dolus manifestus.

loco ſcilicet ſuperiore ſedis Eccleſiaſticæ, quem ſana doctrina conſtituit. Hæc quippe verba ipſam cauſam attingunt, cur qui cathedram Chriſti tenent, ſua docere non audent, ideóque neceſſariò ab ouibus audiendi ſunt. Nempe quia *de loco loquuntur Sedis eccleſiaſticæ, quem ſana doctrina conſtituit.* *Cathedra ſana doctrina.* Non quia qui illum locum tenet, docere falſa non poſſit; ſed quia qui falſa docet, illum locum tenere nequeat. Illum enim locum *ſana doctrina conſtituit:* quam qui non docet, ab illo loco depellitur, vt Neſtorius, Eunomius, Eudoxius, aliíque plurimi Eccleſiaſticæ ſedis locatenentes à ſuis locis depulſi ſunt, quia ſanam doctrinam deſeruerunt. *Cathedram Eccleſiaſticam,* ait Auguſtinus, *ſana doctrina conſtituit:* id eſt, cura & prouidentia Dei de Eccleſia ſua factum ſemper eſt, fit, & fiet, vt quum contra eius Eccleſiam portæ inferi præualere nequeant, & ſine legitimè vocatis paſtoribus portæ inferi præualerent, legitimè ſuccedentes Paſtores nunquam deſint. Vnde alibi S. Auguſtinus. *Cæleſtis magiſter de malis Præpoſitis ſecuram ſuam plebem fecit, ne propter illos doctrina ſalutaris Cathedræ deſereretur: in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim ſua ſunt quæ dicunt, ſed Dei, qui in Cathedra vnitatis poſuit doctrinam veritatis.* *Epiſt. 166.* Hæc ille. Vide eundem in libro de Paſtoribus cap. 10. & contra Petilianum libro 2. cap. 61.

11. *Qui maior eſt veſtrum, miniſter veſter erit.*

QVum doceat hic locus, eúmque ſemper Eccleſia ſic intellexerit Catholica, ſummam in Eccleſia dignitatem non imperium eſſe tyrannicum aut profanum, vbi ſtat pro ratione voluntas, ſed miniſterium ad vtilitatem populi Dei, idémque ſummus in Eccleſia Dei miniſter aptiſſimo titulo à multis iam ſeculis profeſſus fuerit, vocans ſe *ſeruum ſeruorum Dei,* profanus Caluinus, cui omnia Catholicæ Eccleſiæ diſplicent, hunc ipſum titulum, hoc maximè Chriſti verbo fundatum, ore rabido arrodit. *Calumnia Caluini probroſa.* *Quid* (inquit) *prodeſt quòd Papa tyrannicis legibus oppreſſurus miſeras animas, ſe ſeruum ſeruorum Dei præfatur, niſi vt palàm inſultet Deo, & hominibus probroſè illudat?* Hæc ille. Quid verò prodeſt quòd ſuperbus & maleſanus hæreticus Caluinus, tam innumeris Scripturæ Euangelicæ corruptelis oppreſſurus miſeras animas, ſe miniſtrum verbi venditat, & ſupremo in Eccleſia Chriſti Sacerdoti impuro ore maledicit, niſi vt palàm

Ioan. 21. Cyprian. in lib. de unitate Eccle.

insultet Christo, qui Petro dixit, *Pasce oues meas*, & in *vna Petri Cathedra vnam Ecclesiam suam monstrauit*, & omnibus hactenus Christianis probrosè & impiè illudat, qui à tot iam seculis huius Sedis Apostolicæ primatum constanter & vnanimiter agnouerunt. Quomodo autem intelligenda sunt illa Christi verba, *Qui maior est vestrum, minister vester erit*, suprà ad Matth. cap. 10. explicatum à nobis est, vbi eadem doctrina à Christo latius tradita, à Caluino quoque corrumpitur & impugnatur.

15. *Circuitis mare & aridum vt faciatis vnum proselytum; & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.*

Maledicus Caluini calamus.

TOrquet hunc locum Caluinus contra Monachos, quos ait *sedulò vndique proselytos corradere, sed quos ex lasciuis & impura vita hominibus reddant prorsus diabolos.* Maledictum hoc est è triuio arreptum, & panico hæretici hominis furore dignum. Cæterum res ipsa omnium oculis exposita loquatur, an non multo verius in nostri temporis hæreticos hæc verba quadrent. Audiamus hac de re proprias ipsorum confessiones, ne simulatis aut alienis eos criminationibus grauare videamur. Lutherus ad nouum suum Euangelium corrasit quos potuit. Quales illi accepta Lutheri doctrina euaserint, ipse loquatur Lutherus. *Mundus* (inquit) *indies fit deterior. Sunt enim homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodestii, & indisciplinati, multóque deteriores quàm fuerunt in Papatu.* Hæc ille. Accedat alius & primarius Lutheranæ sectæ Magister, Musculus. *Ita nunc sunt* (inquit) *res Lutheranorum, vt si quem magnum numerum nebulonum, prædonum, vltorum, impostorum, fœneratorum, atque id genus veteratorum videre iuuet, is in ciuitatem, in qua Euangelium docetur, introëat: plurimos nimirum illo in loco inuenerit.* Et paulò pòst. *Verum est certè, siue inter ethnicos, siue Iudæos, siue Turcas, alió[s]que infideles nullos inueniri magis effrenes, & apud quos minori in pretio sit honestum, atque virtutes, quibus adeo omnia culpa vacant aut nihil propemodum vitio datur, quàm apud Euangelicos, apud quos omnia vincula Dæmon excussit.* Hæc ille. Adiiciamus nunc recentiores Euangelicos, qui nos ipsi edoceant qualia eorum proselyti sub noui Euangelij professione euaserint. Prodierunt anno 574. Tubingæ

Protestantium impuritas teste Luthero In serm. Dom. 1. Aduentus in postilla domestica. Musculi de eodem testimonium. In lib. de Prophetia Christi.

Tubingæ excusæ Conciones de Planetis authore Iacobo Andreæ, siue de vitiis & capitalibus peccatis, tunc in Germania apud ipsos Euangelicos regnantibus. In eo libro post alia multa ita legimus. *Alia Germanorum pars permittit quidem vt prædicetur verbum Dei, verum nulla subsequitur emendatio, sed dissoluta, epicurea, & belluina vita, in comessationibus, symposiis, auaritia, superbia, nominis diuini blasphemia. Atque hic non minus quàm Papistæ in sua idololatria redargui non sustinent. Grauis & Christiana modestia ac disciplina quam Deus verbo suo tam grauiter præcepit, & à Christianis requirit, tam illis dura videtur, vt ad eam opere complendam nouus sit Papatus nouúsque monachismus oporteat. Didicimus (inquiunt illi) nos per solam fidem in Iesum Christum saluos fieri. qui morte sua omnia nostra peccata expiauit, nec poterimus nostro ieiunio, eleemosyna, oratione, aliisve operibus pro eisdem satisfacere. Missam igitur faciatis operum horum inculcationem: facilè siquidem possumus per Christum salui fieri, omnemq́; fiduciam in sola Dei gratia & Christi merito collocamus. Atque vt vniuersus orbis videat eos à Papatu alienos, nec in operibus spem ponere, idcirco nihil bonorum operum faciunt, locóq; ieiunij comessantur & inebriantur totos dies ac noctes: pro eleemosynis pauperes expilant & deglubunt, pro oratione execrantur & blasphemant nomen Domini vsq; adeo profanè vt ne Turcæ quidem & Sarraceni tãtam in Christum impietatem designent. Pro humilitate regnat superbia, fastus, ferocia, luxus vestimentorum, &c. Hæc omnia Euangelij prætextu defenduntur, & nihilominus persuadent sibi homines infelicissimi sinceram se habere fidem erga Deum in cordibus suis, se Deum habere propitium, se meliores idololatris & apostaticis Papistis.* Hæc illæ cõciones, multóq; plura. Nihil nouum loquuntur quod non omnium oculis incurrat, qui cum Euangelicis seu Lutheranis seu Caluinistis conuersantur. Sed satius duxi, ex tabulis potius consignatis cum illis agere, quàm (vt Caluinus hîc facit) publici accusatoris personam gerere. Quod autem ipsi de seipsis Lutherani conquesti sunt, hoc tam Lutheranis quàm Caluinistis acerbè obiicit Anabaptistarum Doctor non incelebris Menno Simonius his verbis. *Hæc dissoluta doctrina* (nempe, solam fidem sine bonis operibus saluare) *effrenem & rudem populum, maiores & minores, ciues & plebem aliquam ad tam dissolutam & belluinam viuendi rationem induxerunt, iisq; frenum ita laxarũt, vt tam impiam & abominabilem vitam inter Turcas & Tartaros*

Iacobi Andreæ testimoniũ de eodem.

Sola fides quid Protestantes docuerit.

In lib. de vera Christiana fide, tit. de fide Lutheran.

In lib. Fuu damētum, dicto tit. de doctrina cōcionatorum. *inueniri non putem, qualem inter istos videre licet.* Hæc ille de Lutheranis solis. Alio in libro tam Sacramentarios quàm Lutheranos ita depingit. *Scio verè* (inquit) *quòd sunt extra Christi Spiritum, missionem, & verbum, & quòd in doctrina sua, & actionibus, hominum fauorem, honorem, superbiam, reditus, splendidas domos, & iucundam ac voluptatibus affluentem vitam non minus quærunt quàm Papistæ.* Et paulo pòst

Sacramentariorum pietas. vtramque sectam alloquens: *Vos ipsi* (inquit) *ij estis qui dissolutam carnalémque vitam ducitis, qui Christum crucifigitis iterum, qui blasphematis Spiritum eius, & gratiam eius contemptui habetis.* Hæc ille. Tandem de ipsis Sacramentariorum

In lib. de Christiana fide, tit. de fide Cananeæ mulieris. & Lutheranorum concionatoribus ita scribit. *Cùm ad concionatores eos peruenitur, qui se gloriantur habere Dei verbum, quosdam manifestè ac apertè mendaces, quosdam ebriosos, quosdam vsurarios & maledicos conuitiatores, quosdam persecutores & proditores innocentum esse deprehendes. Quomodo etiam illorum quidam se gerant, & qua ratione vxores suas consecuti sint, quales etiam vxores habeant, id ego Domino atque ipsis etiam committo. Vitam quietam, otiosam, desidem, & iucundam ducunt. Seductionibus & adulatoribus sese alunt de rapinis Antichristi, & tantum concionantur quantum terrenus & carnalis magistratus ferre atque audire vult.* Hæc ille & alia adhuc infinita de vtriusque huius sectæ hominibus. Non sunt hæc è triuiis arrepta conuitia: sed ex ipsis nouis huius Euangelij magistris (Euangelium quippe hoc nouum quælibet sibi secta venditat) literis ac monimentis consignata testimonia. Plura hac de re alibi dicendi locus dabitur, vbi similem hanc scabiem tangendi occasionem Caluinus dabit.

19. *Stulti & cæci. Quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum?*

HAnc Pharisaicam superstitionem & impietatem, qua ex auaritia & rapacitatis studio res oblatas, quarum participes fiebant, ipsi templo & altari præponebant, tanquam superstitionum in populo causam, quæ ab ipso Deo eiúsque cultu homines auocarent, à Christo hoc loco reprehendi; & in hac reprehensione Christi intentum præcipuè consistere; atque in easdem superstitiones Catholicam hodie Ecclesiam fœdè prolapsam esse; declamitat hoc loco Caluinus. Sed tam in ipso præsentis disputationis scopo aberrat, quàm impiè Christi sponsam exagitat. *Hoc delirium* (ait Caluinus) *quòd*

plus

plus reuerentiæ auro templi & sacris oblationibus quàm templo & altari Iudæi deferrent, à Scribis & Sacerdotibus profectum fuisse credibile est. Fuit autem non minus perniciosus quàm stultus error, eò quòd populum ad crassa figmenta abduceret. Nihil procliuius est quàm homines à puro Dei cultu delabi. Huius ergo veli obtentu, Satanæ promptum fuit procul à Dei intuitu abstrahere, qui iam plus æquo ad stultas imaginationes tendebant. Hæc ratio est cur eum errorem tam duriter Christus castiget. Hæc ille. Sed toto cœlo à vero Christi intento aberrat. Christus enim hoc loco non turbas aut populum, sed Scribas & Pharisæos (*sacerdotes* vocat Caluinus, à quo verbo Christus abstinuit propter honorem sacerdotij, tametsi Scribæ isti & Pharisæi plerique sacerdotes essent) reprehendit, nec superstitionem in populo, sed cæcitatem & ignorantiam Scribarũ in doctrina manifestè arguit. *Stulti* (inquit) *& cæci Scribæ & Pharisæi.* Illorum cæcitas & stultitia erat, plus reuerentiæ tribuere auro & oblationibus quàm templo & altari, quatenus videlicet iuramenta per aurum & oblationes facta iurantes obligare, per templum & altare facta non obligare docebant. Hanc ineptam & præposteram eorum doctrinam ex auaritia fortasse natam, sed in altero eorum errore præcipuè fundatam, quòd per creaturas iurare licitum esse existimabant, in hoc quarto *Væ* propriè & ad literam Christus reprehendit. Hanc enim ob causam docet Christus per Deum eos iurare, qui per templum aut per cœlum iurant. Nullam hîc superstitionem aut populi aut Scribarum Christus perstringit, sed in proximo sequenti *Væ* illud crimen arguit. Ita Caluinus torquet hunc locum, & obtorto collo trahit ad sui cerebri idolum, quod passim ille sacris in Scriptis magna cum reuerentia & pompa quasi in theatro venerandum proponit: nempe ex superstitiosis cultibus nasci Dei contemptum Dei quidem cultum superstitio fœdè contaminat & eneruat; sed à Dei intuitu non magis abstrahit, quàm auaritia ab affectu pecuniæ. Verum istud huius loci non est, nec de hoc vitio in hac sententia Christus disputat.

Populi superstitionem sine causa exagitat Caluinus.

Pharisæorum proprius error his verbis taxatus.

Superstitio non parit Dei contemptum.

Nunc vt Ecclesiam Catholicam hoc loco taxat Caluinus, eius odio suos lectores perpetuò imbuens, videndum est. Primum in genere garrit. *Sic* (inquit) *videmus in Papatu innumeris artibus auctas fuisse superstitiones, quũ sacrifici prædæ inhiarent: qui adhuc quotidie multa excogitãt, quibus stultũ vulgus magis dementent.* Hæc accusatio generalis absque vlla facti specie iniecta, non nisi ex dolo malo proficiscitur. Dolosus

Superstitionũ falso arguitur Ecclesia.

quippe (vt dici solet) versatur in generalibus, & nihil est facilius quàm mulierculatum more generaliter in quemuis obuium aut transeuntem debacchari, aut canum more molestissimè allatrare. Tandem quibusdam interiectis, vt aliquid accusatione dignum dixisse videatur, ait: *Et tamen Papistas nō puduit sacrum Dei nomē ad turpius ludibriū prostituere. Nam apud illos pluris est frustum putridi cadaueris tangere, quā sanctum vtriusque testamenti volumen, vel etiam leuare in cælum manus.* Patefacta nunc & in certam facti speciem adducta accusatione, quis eius pudendam turpitudinem non videt? Primum Sanctorum corporum reliquias *putridi cadaueris frustum vocat.* Cui plusquam Vigilantio & procacius insanienti respondebit S. Hieronymus contra Vigilantium scribens. Dixerat in Ecclesia sua Vigilantius. *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesiis, quum puluisculum nescio quod in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant.* Cui respondet in hūc modum Sanctus Hieron. *Quid est illud, nescio quid, scire desidero. Expone manifestius, vt tota libertate blasphemes* (Hoc iam fecit Caluinus, *non puluisculum nescio quod*, sed *putridi cadaueris frustum* dicens) *Doles martyrū reliquias pretioso velamine operiri, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium. Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorū basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, &c. Sacrilegus dicendus est & nūc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo pōst tēpore de Iudæa transtulit in Thraciam: Omnes etiam Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos* (aut vt Caluinus loquitur, *putridi cadaueris frustum*) *in serico & vase aureo portauerunt? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem viuentémque Prophetam cernerent, susceperunt? vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonabant?* Hæc Hieronymus. Hanc ergo à mille ducentis annis Ecclesiam Christi antiquissimam accuset Caluinus, non Papistas præsentes, si reliquias corporum sanctorum venerātur. Sed quod Caluinus vt *putridi cadaueris frustum* tanta cum nausea fastidit, quomodo alij etiam non minus antiqui & celebres Patrum singulari in honore habendum censuerint, iam olim ostendimus ex Augustino, Basilio, Ambrosio, Gregorio Nazianzeno,

Reliquiarū veneratio antiquissima.

zeno, aliisque Patribus in Prompt. Catholico.

Sed (inquit Caluinus) *pluris hoc faciunt Papistæ quàm sanctum vtriusque testamenti volumen, vel etiam leuare in cælum manus.* Quid ergo? vult Caluinus libros ipsos Sacræ Scripturæ eadem veneratione à nobis coli, qua Sanctorum coluntur reliquiæ, & non iam cadaueris humani frusta, sed vel pecorum mortuorum pelles, vel putridos panniculos in Ecclesiis reuerenter proponi, & à nobis in honore haberi? Dolet quippe pluris à nobis Sanctorum reliquias fieri quàm volumen Biblicum. Eodem igitur & pari honore affici desiderat. Cæterum vnde factum est vt ad Sáctorum reliquias Dæmones rugierint, torti & eiecti fuerint, multáque fidelibus beneficia impertita, ad Bibliorum contactum vel præsentiam nihil huiusmodi contigerit? An non manifestè docuit Dei Spiritus in Sanctorum reliquiis, ipsos Sanctos, & in Sanctis Deum ritè ac debitè coli: in libro verò Biblico seu chartaceo seu in mébranis pretiosissimis descripto, Deum coli nolle; sed in Scripturis illis sanctis, quatenus ore magistrorum exponuntur, vel cùm pia ac sancta meditatione leguntur, sanctam suam voluntaté nobis patefacere voluisse: ad doctrinam quidem & executionem eorum quæ in illis libris docentur, non ad ipsorum librorum venerationem aliquam? Nullam igitur iniuriam sacris voluminibus facimus, quòd folia & chartas non veneramur. Pluris autem nos Sanctorũ reliquias facere *quàm in cælum leuare manus*, id est, quàm putas & pias ad Deũ orationes fundere, proterua Caluini calumnia est. Quum enim ipsas reliquias sic veneramur, vt earum inspectio & cõtactus ad inuocandum Deum per Sanctos suos, id est, ad leuandas manus nostras in cælum directè nos moueant & excitent, insanus est qui medium fini nos interponere garrit. Catholici semper ita Sanctorum reliquias venerari didicerunt, vt putas ad Deum orationes facere pietatis studium multo excellentius esse semper intelligerent.

Dom. 23. post Pentec.

21. *Decimatis mentham, & anythum, & cuminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.*

HAnc quoque criminationem Pharisæis à Christo iustissimè intentatam, Ecclesiæ Catholicæ similiter intentandam pro suo sibi sumit imperio Caluinus. *Sic* (inquit) *videmus hodie Papistas, quum transgrediuntur summa Dei præ-*

cepta, valde ardenter in frigidis ceremoniis satagere. Maledico conuiciatori breuiter respondeo. Videmus hodie Caluinistas quum nulla Dei præcepta seu magna, seu parua obseruari à quoquam posse, nec eorum obseruationem ad salutem quicquam facere dogmatizent, valde ardenter in solius fidei commendatione satagere, de operibus autem legis præstandis, de iudicio, misericordia, & fide, vel, vt Lucas loquitur, de ipsa charitate Dei & proximi, adeò nihil solicitos esse, vt omnibus sese flagitiis ac sceleribus doctrinæ suæ conformiter contaminauerint, quod etiam suprà ex illustribus suorum hominum testimoniis confirmatum dedimus. Suaues homines iustitiam legis à Catholicis fastuosè exigunt: sibi ac suis nullam legis iustitiam imponi sinunt.

29. *Aedificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monimenta iustorum, & dicitis. Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.*

HIc verò Caluinus amplam sibi datam materiam ratus, in cultum ac religionem Catholicorum latius ac plenius excurrit. Iudæorum, quos Christus arguit, hypocrisis, & impietas hęc erat, vt sepulchra quidem veterū Prophetarum magnificè extruerent atque ornarent, & eorum persecutores grauiter reprehenderent, ipsimet tamen eadem impietate & Dei Prophetas persequēdi libidine laborarent: quod in Ioanne primum (nam ex Pharisæorum consilio eum in carcerem Herodes coniecit) postea in Christo iam perpetrauerant, & in Christi Apostolis ac discipulis vberius postmodum patraturi erant, vt illis hoc loco Christus prædicit. Hæc illorum insignis hypocrisis erat, Prophetarū monimēta ornare, ipsósque Dei Prophetas identidem missos ad necem quærere. Iam hanc totam & similem impietatem Catholicis horum tēporum, maximéque Ecclesiarū Præpositis impingit Caluinus. Audiamus Diaboli voces & calumniatoris mendacia. *Huius* (inquit) *rei nimis illustre in Papatu cernitur documentum. Nam Apostolorum & Martyrū legitima veneratione non contēti, diuinos illis cultus affingūt, & quoscunque congerāt honores, non putant se modum excedere.* Mentitur hîc Satan, & fratrum

nostrorum accusator pessimus. Nullos Apostolis aut Martyribus diuinos cultus affingimus. Aliquos in specie huiusmodi cultus nominare Caluinus debuit. Nunc generaliter nebulo loquitur, quia hoc illi facilius fuit. Dolosus enim & mendax versatur in generalibus; & *qui malè agit, odit lucem; nec venit ad lucem*, in particulari & expresse non loquitur, *ne arguantur mendacia eius*. Huiusmodi crassis mendaciis crassi Caluinistae à Caluino sese deludi & irrideri sunt passi. Caetera hominis videamus; & quomodo in cathedrae Christianae magistris exagitandis Christi partes agere contendat, dispiciamus. *Interea (inquit) saeuiendo contra fideles, ostendūt qualis futura sit sua pietas erga Apostolos, & martyres, si hodie superstites idem quod olim munus obirent. Cur enim tanta in nos rabie exardent, nisi quia eam doctrinam recipi ac vigere cupimus, quam suo sanguine obsignarunt Apostoli & martyres? Porrò quum sanctis Dei seruis pretiosior ea fuerit quàm propria vita, an huic parcerent qui eam tam furiosè persequuntur?* Scilicet Lutherus ac Caluinus sunt Ioannes Baptista & Christus, quos hodie Pharisaei persequuntur. Harum sectarum magistri Apostoli sunt horum temporum & martyres. Tota eorū doctrina ipsissima est quam Apostoli tradiderunt. Hoc nisi totum Caluino concedas, tota eius fabula in risum vertitur. Sed si Apostoli aut Apostolicae doctrinae restauratores Caluinistae sunt, quid Lutherani, quid Anabaptistae, quid tot aliae sectae sunt, quas vna Catholica meritò persequitur Ecclesia? Deinde an non Catholicorum quoque illa vox est imprimis & vera & solida? *Eam doctrinam recipi ac vigere cupimus, quam suo sanguine obsignarunt Apostoli & martyres?* Nec Apostoli, nec tot aetatum martyres aliam doctrinam suo sanguine obsignarunt, quàm quae ab Apostolorum tempore per tot aetates ac secula ad nos deriuata est. Nec Caluiniana, nec Lutherana, nec Anabaptistica dogmata ante hanc aetatem exorta sunt; suis & authoribus distincta, & profanis cuiusque sectae vocibus separata. Iterum ergo non nisi generalem instituit hactenus accusationem criminator Caluinus, eo fundamento nixam quod non ab aduersariis modò quos accusat, sed & à qualibet secta venditatur.

Sanctorū veneratio defenditur.

Ioan. 2.

Reliqua adhuc dispiciamus. *Suffitu ergo (inquit) candelis, floribus, omniq; pomparum genere Sanctorum imagines ornent vt libuerit. Si nunc viueret Petrus, eum discerperent, lapidibus obruerent Paulum. Si Christus ipse adhuc ageret in mundo, eum lento igni vscularent.* An huius hominis aut

ineptiae

Candelarũ & florum pompa circa SS. reliquias.

ineptiæ aut impietati aliquid addi poteſt? Quid ineptius quàm ex ſuffitu, candelis, floribus, ſimiliſque pomparũ genere ad Sanctorũ imagines exhibito, quòd diuini honores eiſdem affingantur, declamare? Tenuiter ille de Deo ſentit, qui has ceremonias ad honores diuinos pertinere exiſtimat. Sola ſacrificia ſiue externa ſiue interna ad cultum propriè diuinum pertinere, qui de Deo rebúſque diuinis hactenus diſputarunt, ſemper iudicauerunt. An diuinos honores arca teſtamẽti aut vetus tabernaculum habuit, quæ ſuffitu, candelis, floribus, varióque alio pomparũ genere, partim ex Dei præſcripto, partim ex piorum Patrum religioſa veneratione ornata fuerũt? Hæc ab honore & cultu ſoli Deo debito omnes Dei cultores lato ſemper diſcrimine diſtinxerunt. *Quicunque accendunt cereos ad memorias martyrum* (ait D. Hieronymus) *ſecundum fidem ſuam habent mercedem. Illud fiebat olim idolis & idcirco deteſtandum: hoc fit nunc martyribus, & ideò recipiendum eſt.* Laudat idem Nepotianum presbyterum quòd *Baſilicas Eccleſiæ, & martyrum memorias, diuerſis floribus & arborum comis vitiumq́; pampinis adumbrarit, vt quicquid placebat in Eccleſia tam diſpoſitione quàm viſu, presbyteri ſtudium ac laborem teſtaretur.* Commemorat S. Auguſtinus ad reliquias S. Stephani, quum publicè ab Epiſcopo per plateas deferrentur, *mulierem cæcam, vbi flores quos ferebat, pignoribus ſacris impoſitos, oculis poſtea admouiſſet, viſum recepiſſe.* Ad memoriam quoque ſancti Stephani flores ſuper altare poni ac relinqui ſolitos, ex alterius occaſione miraculi, idem narrat ibidem celeberrimus Doctor. An hæc antiquiſſima Eccleſia diuinos propterea honores martyribus detulit? aut hi celeberrimi Doctores vel idololatræ fuerunt, vel idololatriam in aliis commendarunt?

In epiſt. ad Riparium.

In Epitaphio ad Heliodorum.

De ciuit. Dei lib. 22. cap. 8.

Sed hac omiſſa putida Caluini calumnia, vide hominis impietatem. Petrus, Paulus, Chriſtus ipſe ita Catholicis odio & execrationi ſunt, vt ſi denuo ſupereſſent, indigniſſima illos nece conficerent. Quis vel Turca vel Iudæus hanc de Catholicis Chriſtianis opinionem vel ſemel in animum demitteret? Sed quouis aut Turca aut Pagano ſceleratior Caluinus, non animo tantum tam atrocem criminationem concipere, aut leuiter apud paucos effutire, ſed & publicis monimentis conſignare, adeóque in diuini verbi explicatione, quaſi veritatem certam ac ſacram, ſacræ Scripturæ lectoribus totique poſteritati commendatam ac teſtatam facere auſus eſt. Palpandam ſe præbet nefarij hominis maleuolentia, quæ nullis

Caluinus quouis Turca preteor.

mode

modestiæ finibus contineri potuit. Nihil quàm suam ipse immedicabilem animi ægritudinem prodidit: & quàm impias animo cogitationes foueret, hac virulenta oratione omnibus contestatum voluit.

47. *Quoties volui congregare filios vestros, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti?*

QVia hæc Christi verba contra duo sua paradoxa manifestè facere Caluinus aduertit, eorum sensum studiosè peruertit. Vidit ex hoc loco arbitrij libertatem stabiliri, quæ vocanti & volenti Deo repugnet, quia eo volente congregare, homines congregari nolunt. Vidit ex hoc loco non omnem hominis circa salutis opus voluntatem ex Dei electione pendere, sicuti ille singulariter docet, affirmans omnes qui credunt & conuertuntur, ex prædestinante Dei gratia conuerti, neminem iustificari nisi electum, & nunquam perire qui semel iustificatus est: vt sic apud eum nulla sit sufficiens aut adiuuans Dei gratia, sed sola operans & efficax. Quæ omnia docet Instit. lib. 3. cap. 24. *Quòd* (inquit) *hic locus ad probandum liberum arbitrium, & arcanam Dei prædestinationem abolendam, à sophistis arripitur, facilis est solutio. Respondeo, voluntatem Dei, cuius hic fit mentio, ab effectu esse considerandam. Quia videlicet verbo prædicationis omnes ad se promiscuè vocat, meritò dicitur omnes ad se colligere.* Et paulò pòst: *Miror quosdā ita præfracto esse cerebro, vt ἀνθρωποπάθειαν, quæ passim in Scripturis occurrens nihil eos offendit, tantùm hac in parte non admittant.* Mox alibi dicit se hoc argumentum copiosè tractasse. Id verò fecit loco prææallegato num. 17. Sed ad hunc locum nihil aliud responde, quàm *sicut in alijs Scripturis Deus dicitur irasci, brachia & manus extendere, quia quod humanum est, ad Deum transfertur, sic & in hoc loco se rem habere.* Censet ergo Caluinus voluntatem Dei hoc loco non propriè & formaliter, sed metaphoricè accipi, vt illud dicatur velle quod ab effectu aliquo vocationis externæ videtur velle, sicut dicitur irasci ab effectu vindictæ quam homines cùm infligunt irasci solent, quam Dei voluntatem aliqui voluntatem signi vocant. Cæterum contra Caluinum certò tenendum est, voluntatem Dei hoc loco propriè & formaliter accipiendam esse, non metaphoricè. Nam & ipsa voluntas

Voluntas Dei vocātis refractarios qualis.

ſigni in Deo, quæ præcipit, prohibet, permittit, conſulit, & operatur, à melioribus theologis, non metaphoricè & ab effectu, ſed propriè & formaliter dici intelligitur. Propriè enim & formaliter Deus vult ea quæ præcipit & conſulit fieri; volens quoque permittit ipſa mala; volens operatur præueniendo multa bona quæ ſuum effectum non ſortiuntur. Vide Molinam quæſt.19.art.6.diſp.1. Hoc autem loco ipſa Dei voluntas quæ beneplaciti vocatur, reſpectu ſanè auxiliorum gratiæ Dei intelligitur; reſpectu autem operum ipſorũ voluntas non abſoluta & efficax ſeu conſequens, quæ ſemper impletur, & cui non reſiſtitur, ſed antecedens & conditionata. Deus quippe verò voluntatis ſuæ affectu, vera bonitate & miſericordia ſua, voluit & frequẽter voluit, Iudaicum populum ad idola & alias impietates diffluentem, ad ſeſe reuocare, & in ſinum gratiæ ſuæ ſuppeditatis auxiliis tam externis quàm internis recolligere; ſicut gallina vero & tenero affectu vagantes ſuos pullos vult ad ſe recolligere, ne à miluo vagantes rapiantur. Hunc ſenſum ipſa Chriſti allata ſimilitudo à nobis extorquet: & ſine tali ſenſu falſa erit ſimilitudo propoſita. Non enim metaphoricè, ſed propriè vult ſuos ad ſe pullos gallina colligere. Nec ſequitur tamen quòd Deus efficaciter & abſolutè ipſam conuerſionem velit, quia gallina vult abſolutè ſuos ad ſe pullos colligere; eò quòd Deus ſic miſericorditer vult congregare diſperſos, vt cum iudicio & iuſtitia id faciat, non impetu & impulſu aliquo naturali. Dei autem iudicium hoc habet, vt rationalem creaturam pro modo conditionis eius ad ſe colligat, volentem ſcilicet, & diuinæ voluntati ac vocationi liberè acquieſcentem. Quare cauſa hoc loco cur hæc Dei voluntas reſpectu conuerſionis ipſius impleta non fuerit, adiicitur: *Et noluiſtis.* Hanc quoque voluntatis humanæ repugnãtiam liberam fuiſſe, & ab ipſa profectam, pœna ſubſequens demonſtrat: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Porrò & ſic liberam fuiſſe ad malum, vt potuerint quoque ſeſe conuertere ad bonum, eadem verba demonſtrant. Non enim pro eo quod facere non poterant, tanta pœna plecterentur. Fuit ergo in hac Dei voluntate gratia ſufficiens, tametſi non efficax: ſufficiens, inquam, vt poſſent congregari, ſed non efficax vt vellent, quæ vt deeſſet, ipſi in cauſa fuerint; quod illa Auguſtini ſententia docet. *Gratia Dei adiuuat hominum voluntates* (nimirum quantum in ſe eſt, & antecedenter) *qua vt non adiuuentur* (ſcilicet efficaciter & cum effectu) in *ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo:* id eſt, quia

De pecca. mer. & remiſſ. lib.2. cap.17.

quia ipsi nolunt hoc fit, non quia Deus non vult; qui, vt alibi Augustinus docet, *sic omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum, vt omnes homines possint, si velint, ad Dei præcepta seruanda sese conuertere.* De Genesi contra Manichæos lib.1. cap.3. Vnde & rursum dicit. *Verum omnino est, omnes homines ad Dei præcepta complenda sese conuertere posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis vt possint.* Hanc Dei erga Iudæos præcipuè gratiam adiuuantem, ac sufficienter præparantem, sed eorum sola culpa inefficacem, Christus hoc loco ad futuræ in eos vindictæ iustitiam demonstrandam commemorat. Idem facit alius Propheta. *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.* Et ne hæc Dei voluntas velleitas tantum quædam & metaphoricè dicta putetur, addit Propheta. *Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem.* Docet Deum multam illis & copiosam gratiam dedisse vt à peccatis suis mundarentur, illos tamẽ mundari noluisse. Non igitur à Dei sola electione, vt vult Caluinus, & absoluta eius voluntate, sed à Dei bonitate & libera hominum cooperatione pendet hominis voluntas bona vt ad Deum conuertatur, quod & perspicuè Augustinus docet, Retract. lib.1. cap.22. vbi concludit contra Manichæos, *in potestate hominis esse, mutare in melius voluntatem*; sed addit contra Pelagianos, *hanc potestatem nullam esse nisi à Deo detur*, id est, nisi Deus velit nos congregare, voluntatem præparare, adiuuare, &c. Caluinus, vt Pelagianismum excutiat, in Manichæorum dementiam incurrit.

Retract. lib.1.c.10.

Ezech 24.

Denique sic hunc locum explicat Caluinus, vt quum Christus hîc dicat voluisse se congregare, &c. ille dicat Christum hoc non voluisse, sed signum aliquod voluntatis suæ dedisse quasi hoc voluerit, sicut Deus quum punit, signũ dat iræ quæ in eum non cadit. Sed quum ex hac expositione sequatur aut Euangeliũ hîc mentiri, aut Deum rem eandem velle ac non velle, hunc nodum Caluinus his verbis abrumpit: *Solutio alibi à nobis adducta sufficit, quamuis multiplex sit Dei voluntas quoad sensum nostrum, non tamen eum hoc & illud in se velle, sed pro sapientia sua variè multiplici attonitos reddere sensus nostros, donec cognoscere nobis dabitur mirabiliter eum velle quod nũc videtur esse voluntati eius aduersum.* Hæc ille. Concludit hoc loco sic Christum voluisse congregare quod reuerá non voluit, sicut alibi docet Deum *mirabiliter velle peccata*

Caluinus Christo contradicit.

Instit. lib. 3.cap.24. num.17.

Instit. lib. 1.cap. 18. num.3.

cata

cata impiorum, quæ nunc propter præcepta eius in contrarium, voluntati eius aduersa videntur. Et hanc blasphemiam docens, iubet nos stare attonitos, & Dei sapientiam mirari, sui cerebri spectrum *Dei sapientiæ* nomine pallians.

IN MATTHÆI CAP. XXIIII.

15. *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta,* &c.

HIc locus multis ex causis obscurus est, vt parum attendentibus valde dubium sit, quæ tandem sit ista abominatio desolationis, de qua Christus loquitur. Primùm *abominatio desolationis*, vox in Scripturis rara est, nec nisi apud Danielem & hoc loco reperitur, nec significat abominandam desolationem iuxta consuetam Hebræorum phrasim, sed abominationem quæ desolationis causa aut principium erat. Ipsa quoque abominatio non designat aliquam rem propriam, sed ab effectu, id est, quę execranda & abominanda est. Desolatio verò Græco quidem vocabulo τῆς ἐρημώσεως respondet, sed in Hebræo *stupendam*, vel admirabilem potius significat. Ita verba generalissima & dubia magnam difficultatem pariunt. Deinde Danielis locus valde incertus est. Ter enim cap. 9. 11. & 12. de hac abominatione desolationis loquitur. Et cap. quidem 9. atque 11. satis clarè de illa loqui videtur quæ facta est in vastatione Hierusalem, per Romanos. Quod enim cap. 9. dicitur; *In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio*; non nisi de cessantibus legalibus redemptione per Christum facta, & statim (ad maiorem eius rei euidentiam) templi vastatione consequente, intelligi potest. Similiter quod cap. 11. dicitur, *Venient super eum trieres & Romani*, &c. móxque paulò pòst, *Auferent iuge sacrificiũ, & dabunt abominationem in desolationem*, non nisi de vastatione Hierosolymæ per Romanos facta intelligi potest. Attamen cùm in fine cap 12. sic legimus: *A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies 1290. Beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies 1335.* non nisi de fine seculi, & de sublato per Antichristũ Christianorum sacrificio, eiúsque breui regno intelligi posse videntur. Christus ergo hoc loco de eadem loqui videbitur.

Difficultatis huius loci causa.

Et

Et pro hoc sensu faciunt Christi verba proximè præcedentia. *Prædicabitur hoc Euangelium regni vniuerso orbi, & tunc veniet consummatio.* Hæc enim verba non nisi de fine seculi loqui videntur. Quare de illo tempore hæc verba exponit Irenæus lib.5.

Attamen non nisi de vastatione Hierosolymitana Christum hîc loqui, duo inuictè demonstrant. Vnum quod subiungit: *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes*, &c. alterum quod Lucas adiecit: *Cùm videritis circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquat desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt*, &c. vt hîc in Matthæo. Quod multis verbis explicat Augu{st}. epist.80. ad Hesychium. Quare nimis impudens Caluinus est, qui vt singulariter sapiat, falli eos ait quibus videtur hoc loco notari Hierosolymitæ obsidio; nec Lucæ verba illis suffragari, quia non idem quod dixit Matthæus, sed aliud quid ei dicere propositum fuit. *Abominatio desolationis quid hoc loco significet.*

Quid autem illud aliud sit, non exponit. Daniel igitur cap. 12. de iugi sacrificio & de abominatione desolationis quum loquitur, non illa intelligit de quibus cap.9. & 11. loquutus fuerat, sed illa quorum priora typus & figura fuerant. Iuge enim sacrificium Iudæorum typus erat sacrificij Christi tam in cruce quàm in cœna: & abominatio desolationis quæ accidit Iudæis, typus erat futuræ desolationis abominandæ in Ecclesia Christiana per Antichristũ in fine seculi venturum. Prædicatum autem fuit Euangelium toto orbe ab Apostolis ipsis, & quos illi mittebant, vt ad Rom.10. Paulus testatur. *Difficultas in contrarium soluitur.*

Nunc autem alia difficultas est, intelligendo Christum loqui de illa vastatione quam Daniel cap.9. & 11. prædixit, Iudæis propria; quæ tamen definitè & in particulari fuerit hæc abominatio desolationis quæ stetit in templo Iudaico. Hoc enim alij volunt esse ipsam templi vastationem per Romanos factam, vt Petrus apud Clementem Const. Apost. lib.1. 1.
Sed quia tunc fugiendi tempus non erat, illa Petri verba de fine & consummatione huius abominationis, non de ipsa in se exponi debent. Alij de idolo Antiochi dictum putant, de quo 1. Machab. cap.1. ver. 28. legitur, & de quo vaticinatur 2.
Daniel cap.8. Sed hoc prorsus falsum esse manifestũ fit, quia Christus de eo quod futurum est loquitur. Alij statuam Cæsaris à Pilato in templum inuectam, de quo Iosephus Antiq. 3.
lib.18.c.5. aut de equestri statua Adriani ibidem posita intelligi posse coniiciunt, vt Hieron. in hunc locum. Alij statuam Titi Imperatoris, qui vrbem expugnauit, exponunt, vt Chry- 4.

5. ſoſtomus in hunc locum in pleno commentario. Alij ipſum exercitum Rom. intelligunt, qui cum imaginibus Cæſaris quas in vexillis ferebant, Ieroſolymam obſidebant ſub Ceſtio Floro; maximè propter verba Lucæ, *Cùm videritis circundari ab exercitu Ieruſalem.* Et hunc ſenſum latè exponit Cæſar Baronius in Annalibus tanquam valde probabilem, quia ante illud tempus imagines Cęſaris Romani in Iudæam non inferebantur. Sed quia hæc abominatio in ipſo templo futura deſcribitur, alius ſenſus quærendus eſt. Abominatio
6. igitur deſolationis *ſtans in loco ſancto*, id eſt, in templo, vt Daniel loquitur c. 9. eſt illa barbara templi prophanatio quam in templo quod occupauerant, ſeditioſi quidam Iudæi Zelatæ dicti exercuerũt, multos in templo trucidando, & in eo quaſi in caſtro contra ciues ſuos & contra Romanos bellum gerendo, in prima illa obſidione per Florum facta, quæ poſtea ſoluta eſt. Illa enim abominatio, quam paulò poſt ſequuta eſt extrema totius populi deſolatio, ponitur hîc à Chriſto in ſignum futuræ deſtructionis vrbis Hieruſalem, & in ſignum, fugiendi piis atque electis, vt viſa illa abominatione in templo, *fugiant ex Iudæa ad montes*, id eſt, ad loca tuta. Iuxta quam Chriſti hoc loco admonitionem, ſoluta illa prima obſidione Flori, & antequam ad ſecundam obſidionem veniret Titus, Chriſtiani omnes relicta Iudæa recipiebant ſe trans Iordanem in oppidum quoddam Regis Agrippæ, Pellam dictum, vt narrat Euſeb. libro 3. capite 5. hiſt. Eccleſ.

22. *Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi.*

CHriſtus adhuc de propriis Iudæorum calamitatibus diſſerens, ait illas tantas fore, vt niſi pauciores forent illarum calamitatum dies quàm Iudæorum peccata mererentur, nullus Iudæus aut mortem aut diram captiuitatem euaderet: ſed propter eos qui ex Iudæis credituri erant, vel certè ab illis quantumuis incredulis naſcituri vt credentes fiant, pauciores fore illius vaſtationis dies, & victorẽ exercitum iræ ac vindictæ ſuæ modum impoſiturum. Móxque de ſuo aduentu & conſummatione ſeculi diſputationẽ orditur Chriſtus. *Tunc ſi quis vobis dixerit, Hic eſt Chriſtus*, &c. id eſt, Poſt excidium Hieroſolymitanum, & poſt finitam atque abbreuiatam Iudaici populi vaſtationem, audite ſigna aduentus mei ad Iudiciũ. Quantũlibet enim hic aduẽtus ab illa vaſtatione

tione longissimè distet, de eo tamen quasi proximè imminente disserit, vel vt eum tanquam semper propinquum expectemus, vel quia totum interiacens tempus hora nouissima est, nec alia expectanda rerum immutatio, quoad religionis vsum, aut nouum aliquem Dei aduentum.

Cæterum quia hæretici hodie, deserta penitus Ecclesia Christi Catholica per totum orbem dispersa, occultas quasdam & latentes Ecclesiæ reliquias scrutari & vēditare coguntur, putauit Caluinus inter alias scripturas eò detortas, hunc quoque locum ad hanc rem accommodatum esse. Primùm igitur cōuenire ait hunc locum cum illo Esa.9. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, fuissemus sicut Sodoma & Gomorrha.* Quod quidem quoad seruatas Iudæorū reliquias, quæ prædicantibus Apostolis in Christum crediderunt, verū est; sed ab eo quod fingit Caluinus, alienissimum est. Mox enim ex illis credentium Iudæorū reliquiis in vastissima illa aliorū Iudęorum incredulitate, infert & concludit homo impius similem in Ecclesia Christi per omnes gentes diffusa fore vastitatem, & ait. *Est hoc insigne diuini iudicij documentum, vbi visibilem Ecclesiam sic affligit, vt funditus videatur perdita: & tamen ad seruādum aliquod semen, suos electos, & quidem paucos numero, mirabiliter ab interitu eripit, vt præter spem è gurgite mortis emergant. Sic enim terrentur hypocritæ ne Ecclesiæ titulo & specie freti, vanā spem impunitatis sibi fingant, quia modum inueniet Dominus quo Ecclesiam suam liberet, ipsis in exitium traditis.* Hæc ille. Homo impius ex casu Synagogæ, quæ tota typica, pædagogica, & localis erat, visibilis Ecclesiæ Christi, quæ ipsa veritas est, status perfectus, & toto orbe diffusus, casum & interitum deducit. Non est hoc diuini iudicij documentum, quo pereat visibilis Christi Ecclesia seruatis paucis Caluinistis, sed est diuinæ scripturæ manifesta corruptio, quę diuinas promissiones mendacij arguit, quæ veritati figuram, Euangelio legem, generalitati partem, perpetuitati temporaneum, perfectioni imperfectū, Christo Moysen adæquat: quæ denique omnibus nouis & occultis hæreticis fenestrā defensionis aperit. Christi enim Ecclesia visibilis vt nō vnius gentis sed omniū erat, (*Prædicabitur hoc Euangeliū regni in vniuerso orbe*) vt nō vmbras amplius sed res ipsas pertractat, (*Vmbram quippe habuit lex futurorum bonorū, non ipsam imaginem rerum*) vt non pædagogum agit, sed ad virum perfectū in Christo ædificat, vt denique non Moysen sed Christum legislatorem ac *magistrum* habet; ita non definiti cuiusdam temporis est,

Latitans Caluini Ecclesia profligatur.

Matt.24. Heb 10. Galat.3. Ephes.4. Matth 23.

Rom. 11. Matt. 16. Ioan. 14. Matth. 28. ſicut Synagoga, *cuius diminutio diuitiæ gentium, & amiſſio reconciliatio mundi* erat, ſed perpetuæ ſtabilitatis eſt, *contra quam portæ inferi non præualebunt*, quam *Spiritus S. docet omnem veritatem in æternum*, & cum qua *Chriſtus eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*. Viſibilis, inquam, Eccleſia quoad ſuos Paſtores ac Præpoſitos, maximè quoad ſummum eius Paſtorem talis eſt. Nam de Eccleſia ſuper ſummum Paſtorem ædificanda Chriſtus loquebatur dicens, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Apoſtolis ſuis & baptizaturis ac prædicaturis Euangelium, Chriſtus promiſit *Spiritum veritatis in æternum*, ſuámque præſentiam vſque *ad conſummationem ſæculi*. Non ſunt igitur nouæ expectandæ reliquiæ pereunte viſibili Chriſti Eccleſia, ſed eſt in ea firmiter permanendum, qui ſaluus eſſe vult. Neque enim ad Chriſtum pertinere poteſt, qui in Chriſti corpore non eſt.

24. *Dabunt ſigna magna & prodigia.*

Miracula Catholicæ Eccleſiæ defenduntur. QVia hîc ſeductorum prodigia taxantur, exiſtimauit Caluinus ad ſuum inſtitutum hoc imprimis facere, vt propter falſa ſeductorum ſigna, Eccleſiæ Catholicæ vera miracula traduceret, idque eo magis quòd ſe ſuóſque ſectarios tam falſis prodigiis quàm veris miraculis carere cerneret. Sed ipſius diſputatio talis eſt, vt ipſa ſemetipſam perſpicuè euertat. Sic enim ſcribit. *Quum antichriſtos & mendaces Prophetas Dominus miraculis armatos fore pronũtiet, non eſt cur tantopere ſuperbiant Papiſtæ hoc obtentu, vel ipſorum iactantia territemur. Miraculis ſuas ſuperſtitiones confirmant: nempe quibus prædixit filius Dei labefactandam eſſe multorum fidem. Quare tantum apud prudentes momentum habere non debent, vt per ſe ſufficiant ad probandum hoc vel illud doctrinæ genus.* Hæc quidem ille. Sed quum hactenus nihil niſi nugari ſe aut blaſphemare potius animaduerteret, quum contra vera miracula tam Chriſti quàm Chriſtianorum omnium hæc diſputatio faciat, quibus Chriſtus dixit. *Maiora horum facietis,* & iterum, *Signa autem eos qui crediderunt hæc ſequentur, ægris manus imponent, & bene habebunt, ſerpentes tollent, &c.* idque in teſtimonium & approbationem veritatis, de quo dixerat, *Spiritus teſtimonium perhibebit de me*, quum, inquam, hanc expeditam contra ſe obiectionem præuideret, eam conatur ſoluere. *Si excipiant* (inquit) *hoc modo euerti ac in nihilum redigi miracula, quibus tam legis quàm Euangelij*

Ioan. 15. Marc. 14. Ioan. 15. *Caluinus ſuos lectores ludificat.*

gelij sancita fuit authoritas, *respondeo certam Spiritus notam illu insculptam fuisse, quæ dubitationem & errandi metum fidelibus eximeret. Neque enim quoties ad suos confirmandos virtutem suam exeruit Deus, ita confusè operatus est, quin vera extaret nullique fallaciæ obnoxia distinctio.* Hæc quidem ille; sed quæ sit hæc Spiritus nota, & quæ distinctio, dolosus hæreticus nihil dicit, sed generalem calumniam suam excusatione generali probabilem facere contendit, quod eorum est, qui fallere lectores suos volunt, non docere. Hæc igitur adhuc responsio ac satisfactio nulla est. Pergit igitur magisque lectorem ludificat. *Adde quòd doctrinam sic obsignant miracula, vt illa quoque vicissim præluceat, & discutiat omnes nebulas quibus simplices mentes obfuscat Satan. Denique si ab imposturis cauere placet, sit apud nos indiuidua signorum & doctrinæ coniunctio.* Hæc ille. Sed non aduertit impostor, aut certè id simplicem lectorem aduertere non posse præsumit, tum de ipsa doctrina, quantumcunque lucuenta & pura, dubitari posse non secus quàm de miraculo; tum miracula ad doctrinæ confirmationem, & *ad eius sanciendam authoritatem*, sicut ipse sibi Caluinus obiecit, adferri solere. Christi doctrina maximè haud dubiè præluxit, & cum miraculis quæ fecit coniuncta erat; tamen doctrinam ipsam suam miraculis confirmari voluit. *Si mihi* (inquit) *non creditis, operibus credite.* Non ergo sufficit prælucere doctrinam nouam & inauditam, & ex sese incredibilem, nisi miraculis confirmetur. Caluinus igitur impotens & insulsus hæreticus, Catholicorum miracula impotenter conuellit, vera miracula à falsis distinguere insulsus non potest. Quantò melius in schola Catholica didicimus seductorum signa & prodigia à veris miraculis distinguere, vel à personis seductorum, quia non legitimè vocati sese ingerunt; vel à fine quem obtendunt, *vt post se discipulos abducant*, vel ab ipsis in se miraculis aut fallacibus & meris præstigiis, quæ nisi deceptionem oculorum habent, aut si veris, vel huiusmodi quæ ex causis naturalibus poterant prouenire, tametsi occultis, vt docet Augustinus de Trinitate lib. 3. cap. 8. vel prorsus inutilibus, & ad ostentationē factis, non beneficis, qualia omnia sunt veri nominis miracula. *Cùm talia faciunt magi qualia nonnunquam faciunt sancti* (ait S. Aug.) *diuerso fine & diuerso iure fiunt.* Et paulò pòst. *Aliter magi faciũt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani. Magi per priuatos contractus, boni Christiani per publicã iustitiam,*

Ioan. 8. & 14.

Lib. 83. qq. q. 79.

mali per signa publicæ iustitiæ. Denique alibi scribit, *piorum miracula vel maiora, certiora, clariora esse vel ratione finis, quo discernuntur, incomparabiliter excellere.* Sunt igitur falsa prodigia à veris miraculis distinguenda vel ex personis facientium, vt quo iure fiant, attendamus; vel à fine ad quem collimant; vel à modo & cursu quem tenent, ex quibus falsum à vero non ita difficulter discernere illi possunt, ad quos ista discernere ac dijudicare propriè pertinet.

De Ciuit. Dei lib. 20. cap. 16.

28. *Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.*

TAmetsi ad literam nihil aliud Christus hìc dicat, quàm futurum vt eo veniente ad Iudicium, omnes sancti veluti aquilæ ad cadauer, quod longissimè prospiciunt, velocissimè congregabuntur, vt in hac sententia celerrimam iustorum ad se collectionem doceat, sicuti in præcedenti sententia celerrimum suum aduentum docuit, quomodo exponunt hunc locum Hieron. Hilarius, & Origenes tract. in Matth. tamen satis aptè & accommodatè ad eam iustorum cum Christo vnionē, quæ in huius vitæ militia per fidem & charitatem fit, hic locus applicari potest. Quam applicationem secutus Caluinus, pessimum inde corollarium in schismaticorum omniū fauorem ac patrocinium deducit. *Sensus*, inquit, *est: Quibuscunque artificiis conetur Satā huc & illuc distrahere filios Dei, in ipso tamen Christo sacrū esse vnitatis vinculum, quo deuinctos teneri cōueniat. Vnde enim dissipatio, nisi quia multi à Christo diffluunt, in quo solo sita est nostra firmitas: Ergo hic modus præscribitur fouendæ sanctæ coniūctionis, ne errorum distractiones corpus Ecclesiæ lacerent: nempe si in Christo defixi manemus.* Hæc ille. Sensus iste, vti diximus, non displicet, quia pius ac verus est, tametsi non literalis. Sed quid inde impostor colligat, sequentia eius verba docebunt. *Quod diligenter notandū est. Neque enim vel ad Romanæ Sedis primatū, vel ad alias nugas nos adstringit Christus: sed hoc vnico nodo Ecclesiā suam colligat, si ad ipsum vnicum Caput omnes vndique respiciant: vnde sequitur, Quicunque ei pura fide cohærent, extra schismatis esse periculum. Eant nunc Romanenses, & schismaticos esse clament, qui se à Christo alienari non sinunt, vt latroni fidem suam mancipent.* Totus hic inanis verborum strepitus vno penè verbo solidè compescitur. Christo capiti ille solus vnitur, qui Christi corpori, quod est Ecclesia, vnitur. Nemo Christo pura fide

In com. in hunc locū.

Schismatis patrociniū

Vnitas Ecclesiæ tenenda.

cohæ

cohæret, qui ab eius corpore, quod est Ecclesia, diuellitur: Ad vnicum caput, quod Christus est, vnicum scilicet vitale, respicere non potest, qui capita populi ab ipso constituta, *Pastores & Doctores, quos dedit in consummationem fidelium, & in ædificationem corporis sui,* non respicit. Illos enim *posuit regere Ecclesiam sanguine suo acquisitam.* Illos ita omnes vndique respicere iubet, vt *qui eos audit, Christum audiat, qui eos spernit, Christum spernat.* Denique adstringit nos Christus non solum ad se vnum, *tanquam vitæ authorem, quo solo verè pascimur,* vt postea Caluinus dicit, sed ad eum quoque nos adstringit, cui dixit, *Pasce oues meas,* & sic ad Romanæ Sedis primatum disertè nos adstringit; quia in illa sola Sede ille vsque hodie sedet, qui Petri locum tenet, *cui pascendas oues suas per vniuersum mundum concredidit.* Ea tnunc Caluinus, & extra schismatis periculum se esse clamitet, quia Christo sese adhærere dicit (quod omnes semper hæretici dixerunt, & nisi Christi nomine palliati, Christianos fallere nunquam potuerunt) & illi adhærere recusat, imò illum hoc loco *latronem* cauillator insulsus vocat à quo, si ouis Christi esse vult, pasci & regi necessariò debet. In his enim verbis, *Pasce oues meas,* vni Petro *primatum gubernationémque per vniuersum mūdum à Christo concreditum esse,* scribit S. Chrysostomus Episcopus Græcus, adeóque Patriarcha Constantinopolitanus: nec Petro tantùm, sed *& Petri successoribus oues suas pascendas Christum commisisse,* idem scribit Chrysostomus. In eandem sententiam alij scribūt antiquissimi Patres, Origenes, Arnobius, Gregorius, M. Augustinus, Theophylactus, & alij, quorum verba alibi recitauimus. Schismaticos illos esse, & non in Ecclesia, definit, latéque probat S. Augustinus, *tam qui de ipso Capite Christo Scripturis sanctis consentiunt, & de Christo credūt quæcunque credenda sunt, sed vnitati Ecclesiæ non communicant, & in vna parte separata inueniuntur,* (sicuti Caluinus cū suis) *quàm qui in Ecclesiæ communione inuentus, ea tamen de Christo sentit ac sapit, quæ secundum sanam fidem sapere & sentire nō debet, quia videlicet totus Christus Caput & Corpus est.*

Ephes. 4. Act. 20. Luc. 10. Ioan. 21. Chrysost. Homil. 87. in Ioan. homil. 1. de pœnitent. Lib. 2. de Sacerdotio. De Princip. fid. lib. 6. cap. 9. & 15. In lib. de vnitate Ecclesiæ c. 4.

Iam verò quia ad vnionem fidelium cum Ecclesia, sicut aquilæ ad cadauer congregantur, aliquos Catholicos hunc locum applicasse Caluinus vel aduertit vel fingit, eos sibi carpendos iudicauit. Ait enim. *Quòd Papistæ ipsi pro eorum societate accipiunt, qui vnam fidem profitentur, & aquilas allegoricè exponunt pro acutis & oculatis, nimis insulsum est.* At quare tandem? *Quum* (inquit) *aliud non fuisse Christi consilium*

palàm fit, quàm ad se vocare & in se retinere Dei filios vbicunque sint dispersi. Præclara sanè refutatio. Nimis insulsus Caluino est, qui, quos Christus ad se vocat & in se retinet, eos Ecclesiæ Christi vniri & corpori eius adiungi debere docet. Arqui non insulsus modò, sed & impius Caluinus est, qui ita Christo vniri vult, vt corpus Christi contemnat, ab eius Ecclesia se diuellat, eius vnionem & coniunctionem negligat. Qui *corpus* hoc loco pro Ecclesia, & *aquilas* pro acutis & oculatis acceperunt, Christum imprimis tanquam huius corporis & Ecclesiæ Caput spectauerunt, vt propterea nihil illi insulsum dixerint, sed nimis insulsus Caluinus fuerit, qui hoc non aduerterit; vel certè nimis impius, qui quod bene aduertit, altè dissimulauit, vt reprehensioni locus esset.

Caluinus insulsus & impius.

Pergit adhuc, & alios interpretes mordet Caluinus, veluti rabidus quidam canis omnes sibi obuios insiliens. *Neque etiam satis solida est aliorum argutia qui odoriferam esse Christi mortem dicunt vt electos Dei alliceret.* Atqui hunc sensum sequuti sunt doctissimi in Ecclesia Patres, Origenes tract. 30. in Matthæum, Hieronymus & Hilarius in hunc locum. Horum iudiciũ contemnit & argutiæ taxat Caluinus. Sed quamobrem, aut quo argumento ductus? *Nam* (inquit) *meo iudicio ratiocinari voluit Christus à minori ad maius. Si tanta est in auibus sagacitas vt ex remotis locis ad cadauer vnum multa conueniant, turpe esse fidelibus non aggregari ad vitæ authorem, à quo solo verè pascuntur.* Primùm homo arrogans, vt Patrum expositionem reiiciat, *suum iudicium* quasi regulam veritatis interponit: quod illi frequens ac solenne est. Deinde hæc ratiocinatio à minori ad maius non minus quadrat expositioni Patrum de passione Christi, quàm expositioni Caluinianæ de persona Christi. Imò quia vox *corpus* hoc loco propriè cadauer significat, quod ex Hieronymo & aliis Patribus acceptum notauit hoc loco Caluinus, ipsam Christi mortem ac passionem cadaueris nomine annotari probabilius Patres citati existimarunt. Aquilæ quoque hoc loco ad acutos & oculatos significandos accommodatè sumuntur, *Imò* (ait Caluinus) *aquilis nihil tribuit Christus, quàm quod apud nos coruis aut vulturibus congrueret, pro regionis, quam incolimus, natura.* Vbi dupliciter errat Caluinus. Nam coruos ac vultures non minus in Palæstina versari quam apud nos sola lex Mosaica docere Caluinum potuit, quæ hæc volatilia tanquam immunda vetat comedi; ridiculè hoc vetitura, si in illa regione non inuenirentur: vt non propterea coruos aut

Caluini arrogãtia.

Leuit. 11. 14.

aut vultures tacuerit, aquilas autem posuerit, quia in illa regione corui ac vultures non essent, aquilæ essent. Deinde valde probabile est, Christum hoc loco ad propriam aquilarum naturam respexisse, & ad illa verba Iob allusisse, vbi earum natura describitur. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem, & vbicunque cadauer fuerit, statim adest.* Ad hæc postrema verba Iob Christum allusisse valde probabile est, & docere voluisse, electos ac sanctos per acutissimos fidei suæ oculos, vel Christi passionem ac mortem longè prospicere, credere, contemplari, vt citati Patres exponunt, vel Christum ad Iudicium venientem (de quo Iudicio hoc loco disputatur) celerrimè cognoscere, & ad eum resumptis vndequaque corporibus suis admirabili promptitudine aduolare & congregari. Vtcunque est, vt in priori sua expositione insulsus & impius, ita in hac posteriori reprehensione stultus & temerarius Caluinus fuit. *Iob 39.*

30. *Tunc parebit signum filij hominis in cœlo.*

Hoc signum filij hominis, id est, Christi, quod eo ad Iudicium veniente in cœlo comparebit, ipsam esse venerandam Christi Crucem quæ suo fulgore mundum illuminabit, sole tum & luna cæterísque syderibus sua luce priuatis, summo & vnanimi consensu docent Patres, Origenes tract. 30. in Matth. Chrysost. homil. 77. in Matth. Hilarius, Hieronymus, Euthymius, Theophyl. in comment. in hunc locum, Hippol. in orat de consummatione mundi, Ephrem in lib. de pœnitentia, cap. 3. Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. cap. 12. Cyrillus Hierosol. in orat. ad Constantium, & Eusebius Emissenus in lib. allegoriarum. Quorum Patrum fidem & apertum huius loci sensum sequuta Ecclesia in officio publico fideliter canit: *Hoc signum Crucis erit in cœlo, quum Dominus ad iudicandum venerit.* Quam profectò ob causam toto hoc intermedio tempore Crucis signum meritò veneramur. Nam nisi signum Crucis communiter fidelibus in Ecclesiis & domi interea temporis proponeretur, illius aspectus in die Iudicij nō magis moueret quàm signum lanceæ, aut flagelli, aut spongiæ, aut alterius cuiuspiam rei quæ ad Christi passionem pertineret. Vnde hæretici tollentes hodie *Crux Christi fulgida in Iudicio extremo.*

passim ex hominum conspectu Crucis signum, & nusquam illud defigi permittentes, id imprimis agunt, vt eius aspectus in die Iudicij nihil prorsus eos moueat: nisi fortè ad blasphemiam aut confusionem. Caluinus igitur hoc loco de signo Crucis altum silentium tenens, hæc Christi verba, *De signo filij hominis quod parebit in cælo*, ad alium longè sensum detorquet. *Sequitur* (inquit) *signi illius explicatio, quòd filium hominis videbunt super nubes venientem, qui sub habitu serui contemptibilis tunc in terris agebat.* Atqui tanquam distincta hæc & diuersa Matthæus narrat. Primùm, *Tunc parebit signũ filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli.* Tria dicit
1. Matthæus, primum de signo filij hominis apparente in cœlo,
2. deinde de planctu infidelium, qui signum illud eo vsque con-
1. Cor. 1. tempserunt (Crux enim *Christi Iudæis scandalum, Gentibus*
3. *stultitia erat*) tertio quòd Christum videbunt venientem in nubibus. Distincta hæc sunt & diuersa, nec vnum alterius explicatio est. Aliud est signum filij hominis, aliud ipse filius hominis in persona propria; aliud signum præcedens, aliud res signata subsequens; aliud in cœlo apparere & fulgere, aliud in nubibus cœli venire cum virtute multa & maiestate. Ridicula igitur & insulsa Caluini euasio est, & literæ Euangelicæ repugnans. Communis tot Patrum intelligentia, cuius insano hæretico, nedum Caluino anteponenda est.

36. *De die autem illa & hora nemo scit nisi solus Pater.*

Verborum explicatio. QVum ad hunc locum qui pro Arianis facere videtur, quia Christum ea ignorare ponit quæ solus Pater nouit, vnde Marc. c. 13. addit, *neque Filius*, & olim apud Matthæum idem legerunt veteres, Origenes, Chrysostomus, Hilarius, & August. variè Patres respõdeant, Ambrosius quidem lib. 5. de fide cap. 8. & Hieronymus in hunc locum quod illa verba tum hîc tum apud Marcum ab Arianis addita fuerint, Græci autẽ Patres vt Athanas. in orat. in illud, *Omnia tradita sunt mihi à Patre*, Greg. Nazianz. li. 2. Theolog. & Cyril. Alex. Thesaurorum lib 9. cap. 4 Ambros. in cap. 17 Lucæ, idque adeo Concil. 6. Constant. Act. 4. quòd Christus quatenus homo ista ignorauerit, Aug. autem de Trinit. lib. 1 cap. 13. & enarrat. in Psal. 6. & D. Basil. lib. 2. contra Eunomiũ, & Hilarius ac Hieronymus in hunc locum non simpliciter Filium ignorasse exponant, sed ideo dici ignorare, *quia per modum ignorantis se gerebat*,

eo quòd alijs indicare non vellet: in hac, inquam, varia responsione Patrum probabilior hæc vltima est, quia Christus tum Apostolorum curiositatem hoc verbo corrigere, tum nostrã expectationem suspẽsam tenere voluit, vt semper illum diem timeremus. Communior tamen & magis recepta sententia est, quòd Christus vt homo & secundum facultatem humanæ naturæ istud ignorabat. Tametsi enim in Verbo omnia videbat, tamen non ex humanæ, sed ex diuinæ suæ naturæ vi ac facultate eam perspicientiam habebat. Christus autẽ hoc loco communem sibi cum Angelis huius rei ignorantiam tribuens, satis docet de seipso vt mortali creatura iuxta humanam naturam loqui, non de se vt Verbo ac filio Dei naturali. Verbum illud, *solus Pater*, quia agitur de eo quod secundum essentiam Deo conuenit (vt de scientia) non autem secundum originem, idcirco alias personas diuinas non excludit, vt docent Cyril & Athanas. locis citatis, & D. August. contra Maximinum lib. 3. cap. 13.

IN MATTHÆI CAP. XXV.

1. *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso.*

VT huius insignis parabolæ fœda per hæreticos corruptio clarius postea diluatur, veram eius & genuinam applicationem præmittemus. Christus est sponsus, qui vel in vltimi iudicij die tanqam sponsus in hunc mundum secundò veniet, vt Ecclesiam totam fidelium sibi olim desponsatam accipiat in vxorem, id est, in æternæ beatitudinis gaudiis eam sibi copulet; vel in hora mortis cuiusque ad iudicium particulare venit, vt de nuptiis aliquid statuat. Decem virgines omnes significant fideles (sicuti infideles in Scripturis vocantur adulteri, & dicuntur fornicari à Deo) & consequenter ipsas propriè dictas virgines: vt propterea nec incongruè in festo SS. Virginum hoc Euangelium legatur, nec Hieronymus pueriliter (vt garrit hoc loco Caluinus) sed prudenter ad virginitatis laudem hãc parabolam accommodauerit. Lampades ardentes fidem significant aliqua bona opera operantem, & sic lucentem coram hominibus, quatenus aliqua Dei mandata seruantur, & sine scandalo viuitur? Oleum in vasis significat excellentiora ope-

Parabola explicatio.

Bonorum operum studium.

opera charitatis in Deum,& misericordiæ in proximum,quæ per modum prouisionis in futurum Dei iudicium prudentes fideles magno studio præstant,vt misericordiam inueniant in die iudicij:*Charitas enim operit multitudinem peccatorum,& iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam:* & quia Onesiphorus Paulum refrigerauit, eum in carcere visitans,& liberaliter illi subministrans,orat pro illo Paulus:*Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in die illo.* Fatuæ virgines fideles sunt qui huiusmodi bona opera negligũt, sperantes se diu victuros,nec tam citò ad iudicium venturum Christum; aut certè existimantes non esse sibi necessariam huiusmodi prouisionem. Christo autem suum aduentũ differente, dormiunt & moriuntur interea omnes. Repentinus tamen tandem erit eius aduentus quasi media nocte, & nemine expectante. Eo autem veniente,operibus misericordiæ pleni lætanter Christo occurrent. Desidiosi fideles & bonis operibus vacui vehementer dolebunt, videntes lumen suum deficere,id est,bonorum operum curam sufficientem sese nõ suscepisse,& aliorum quidem meritis iuuari optabunt:sed illud nimis serum tunc erit,quia & ipsi iustissimi non habebunt nisi quæ ipsis sufficiant,& desidiosi illi seipsos condemnabunt,quòd melius sibi non prospexerint,vt iam de emendo oleo cogitare debeant. Reliquæ parabolæ partes ad rem parabolæ non pertinent, sed ipsi tantùm exemplo parabolæ cõplendæ subseruiunt, nisi quòd *clausa ianua* significat exclusos esse à vita æterna fatuos & desidiosos credentes. Hæc genuina,aperta, & simplex est huius parabolæ applicatio, conclusioni,quam Christus facit, maximè conformis, qua dicit: *Vigilate itaque,quia nescitis diem neque horam*, id est: Prudenter & tempestiuè prospicite vobis de oleo misericordiæ, & de operibus charitatis,vt parati sitis occurrere Christo,& stare ante tribunal eius, vbi omnes accipient secundum opera sua:quia hora aduentus eius siue per mortem cuiusque, siue in generali iudicio, incerta est.

1. Petr.4. Iac.2. 2.Tim.1.

At verò Caluinus hanc parabolam exponens seu expungens verius,de bonorum operum studio nihil dicit;sed vt lectoris animum aliò auertat,ad solam in fide perseuerantiam hortari hic Christum docet. *Eodem* (inquit) *tendit hæc exhortatio quo superior, propriè tamen addita est ista parabola vt fideles ad perseuerantiam confirmet.* Superiorem parabolam intelligit,in qua Christus dixit, Luc.12. (quem locum huic parabolæ præmittit Caluinus) *Sint lucernæ ardentes in manibus*

Corruptela Caluiniana de sola fide.

nibus vestris. Lucernas autem ardentes (ait Caluinus) *opponit Christus ignorantiæ tenebris: & huic sententiæ respondet parabola, quæ paulò pòst sequetur apud Matthæum de decem virginibus.* Hæc ille. Vult igitur hoc loco Caluinus per lucernas seu lampades ardentes fidei lumen intelligi; per oleũ verò quo fatuæ virgines carebant, perseuerantiam in fide. Quod ille quidem apertè non dicit, quum in tota huius parabolæ explicatione vafer hæreticus nec de fide nec de bonis operibus expresſè loquatur: sed referendo se ad priorẽ Christi sententiam de lucernis ardentibus, satis ostendit à suis se sic intelligi velle, quòd non nisi de perseuerantia in fide loquatur. Totam eius explicationem subiiciam, vt hæc eius fraudulenta tractatio magis appareat. Verbis superius allatis statim subiungit. *Nouerat Dominus quàm propensa sit ad mollitiem hominum natura: atque vt plurimum fieri non modò vt languescant longo temporis tractu, sed subito fastidio deficiant. Hunc morbum vt corrigeret, discipulos non probè munitos esse docuit, nisi tolerantia in longum tempus illis suppetat.* De mollitie malorum & de tolerantia bonorum loquitur, sed qua in re non exprimit. Sequitur. *Vbi cognitus fuerit hic parabolæ finis, non multum in minutis argutijs laborãdum erit, quæ nihil faciunt ad Christi mentem. Multum se torquent quidam in vasis, in lucernis, in oleo. Atqui simplex & genuina summa est, non sufficere alacre exigui temporis studium, nisi infatigabilis constantia simul accedat.* Rursum ad vnam constantiam omnia refert; sed in quo hæc constantia consistit, nihil dicit. Addamus reliqua. *Hoc autem aptissima similitudine explicat Christus. Paulò antè hortatus fuerat discipulos vt per obscura loca & caliginosa iter facturi lucernis instructi essent:* (scilicet in illis verbis, Luc. 12. *Sint lucernæ ardentes in manibus vestris,* quod de fide in animo, quæ tenebras ignorantiæ expellit; non de luce bonorum operum in manibus, quæ peccata expellunt; exponit ibi Caluinus:) *Sed quia nisi oleum suggeratur, paulatim arescit lucernæ ellychnium, & lumen suum amittit, iam dicit Christus assidua virtutis subministratione opus habere fideles, quæ lumen in eorum cordibus accensum foueat, alioqui fore vt in medio spatio deficiat eorum alacritas.* Hæc est tota Caluini de sensu huius parabolæ explicatio. Tolerantiam, constantiam, & alacritatem doceri à Christo affirmat, ne in medio spatio deficiamus. Sed qua in re, in fide an in bonis operibus? De neutro expresſè loquitur vafer hæreticus. Nunc tamen aliquid in fine adiecit, quod cum non nisi

de

de fide loqui necessariò conuincit. Ait prius quidem docuisse Christum, *opus fuisse contra ignorantiæ tenebras lucerna fidei:* hîc autem docere Christum, *opus esse assidua virtutis subministratione, vt lumen in cordibus accensum foueatur.* Quod est hoc lumen in cordibus accensum, nisi lumen fidei, quod omnes ignorantiæ tenebras dispellit? & quæ est hæc virtutis subministratio assidua ad fouendum hoc lumen, nisi diuinæ gratiæ perpetuum auxilium? An virtutis nomine hoc loco, pietatis & bonorum operum studium Caluinus intelligere potest? Atqui nec est in nobis vlla bonorum operum subministratio, sed exercitatio & executio; nec lumen fidei bonorum operum studio iuxta Caluinum accenditur, sed forti & firma persuasione beneuolentiæ Dei erga nos inflammatur. Virtutis in nos cuiuslibet subministratio alia non est quàm à Deo ipso, *qui dat omnibus affluenter, nec improperat.* Ergo iuxta Caluinum sensus parabolæ hic est, lampades ardentes esse fidem, oleum in lampadibus esse virtutem à Deo subministratam, qua fides accendatur: Christum autem hortari vt constantes atque alacres in fide simus ex virtutis & gratiæ diuinæ subministratione assidua.

Iacob. 1.

Corruptela Caluiniana refutatur.

Quis non videt totum parabolæ sensum penitus corrumpi, funditúsque subuerti? Dicũtur fatuæ virgines quæ oleum non acceperunt in vasis suis, vnde lampades reficerẽt; & hoc nomine clausa ianua excluduntur, quia veniente sponso oleo carentes lampadas ardentes non habebant. Quæratur à Caluino cuius culpa erat quòd oleum in vasis non habebant. Negare non potest fatuarum hanc culpam fuisse. An verò culpa nostra est, si virtutem gratiæ suæ Deus nobis perpetuò non subministrat? Nec culpa nostra hæc est, nec Dei: quia nec Deus eam tenetur perpetuò subministrare; nec nostra culpa esse potest eo carere, quod habere in potestate nostra non est. Culpa sanè nostra est, & grauissima culpa, *quòd Dei gratiam in vacuum accipimus*, quòd *gratiæ Dei desumus*, vel, vt Beza vertit, *quòd à gratia Dei deficimus.* Denique quòd ea non rectè vtamur, faciendo fructum gratiæ & spiritus Dei. Et hæc erat fatuarum virginum culpa, quòd fructus gratiæ Dei, bona charitatis opera, non habebant, quibus fidei lampadas semper reficerent. Tametsi enim per peccatum non amittitur fides, lumen tamẽ fidei per peccatum extinguitur, quia per ludem bonorum operum *lucet lux fidei coram hominibus, & glorificatur in illis Deus.* Nec excluduntur clausa ianua fatuæ virgines, quia lampadas non habebant, sed quia

2. Cor. 6. Hebr. 9.

Matth. 5.

extin

extinctas lampadas gerebant. Fidem habuerint, sed luce bonorum operum carebant. *Non ostendebant fidem suam ex operibus bonis*, vt Iacobus loquitur. Quare Christus illis dicit, *Nescio vos*, eodem videlicet verbo vsus quo alibi apud Lucam. *Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Deinde habere lampadas extinctas, non est defectus lampadis, sed defectus olei. Non est defectus fidei, sed defectus charitatis, vel operum charitatis & misericordiæ, per quæ lucet ac splendet egregiè fidei lampas. Nihil ergo hoc loco Christus de tolerantia aut constantia aut alacritate fidei (quã solam semper in Euangelio Caluinus commendari vult) sed de luce bonorum operum necessaria, & contra eorum defectum disputat: *Vigilare* iubet, id est, prudenter & tempestiuè sibi quemque prospicere de oleo charitatis & operum misericordiæ, ne Christo ad iudicium veniente, huiusmodi oleo carens, ideóque lampadem extinctam gerens, fidem aut nullo bono opere, aut etiam propriis misericordiæ ac charitatis operibus non lucentem adferens, à conuiuio nuptiali excludatur. De perseuerãtia aut constantia fidei nullus hîc sermo. Iacob. 2. Luc. 13.

Obiicit hoc loco Caluinus, circa verba illa, *Ite potius ad vendentes, & emite vobis, inferre ex illis Papistas, virtutibus nostris atque industria acquiri perseuerantiæ donum.* Móxque concludit, *non aliam esse comparandi rationem, quàm vt fide recipiamus quod nobis oblatum est.* Sed quod de Catholicis dicit, purum mendacium est. Nec de perseuerantiæ dono disputare hîc Christum docent Catholici (finxit hoc sibi Caluinus priori suo figmento conformiter) nec vsquam docent perseuerantiæ donum vllis meritis acquiri. Coronam vitæ æternæ bonorum operum mercedem esse iuxta scripturas Catholici docent: de perseuerantiæ dono idem non docent. Nec quum merita docent, suas virtutes suámque industriam prædicant, sed dona Dei & gratiæ eius, quæ virtutum omnium in iustis causa semper cooperans & principalis est. *Donum autem perseuerantiæ fide comparari, recipiendo videlicet per fidem quod nobis oblatum est*, vt hîc Caluinus affirmat, stultitiam & dementiam Plagianam superat. Donum quippe perseuerantiæ quocunque tandem actu nostro comparari, Pelagianum est. Si enim donum est, & quia donum est, merè gratuitum est. Datur igitur gratuitò, non comparatur fide. Deinde si recipiendo per fidem oblatum perseuerantiæ donum, illud à nobis comparatur, certè actu fidei nostræ illud donum comparatur. Recipere enim per fidem, actus fidei est,

est,& quidem actus simplicissimus,quũ nisi simplicem mentis assensum denotet. Quòd si demens & blasphemus Pelagius fuit,qui virtutum & bonorum operum exercitio perseuerantiam in bono promereri nos posse existimauit; quanto dementior Caluinus, qui vno simplici mentis assensu donum illud comparari posse affirmat? Cæterum perseuerantiæ donum nec actibus omnium virtutum, nec vllo actu fidei comparatur, sed purum atque gratuitum Dei donum est, vt latissimè docet Augustinus, quem omnes Catholici hac in parte sequuntur. Quod vel ex Concilij Tridentini doctrina intelligere potuit Caluinus,vbi dicitur, *Perseuerantia munus aliunde haberi non posse,nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere vt perseueranter stet,& eum qui cadit restituere.* Sed hæc est perpetua Caluini inscitia ac temeritas. Taxandi Catholicos libidine ac impetu dum præceps fertur,non intelligit neque quæ loquitur,neque de quibus affirmat. Hanc parabolam variè quidem exponunt Patres. Alij enim per oleum in vasis, intelligentiam gratiæ Dei in cordibus & humiliter de seipso sentire, vt Augustinus; alij verbum doctrinæ, vt Origenes; alij boni operis fructum in genere, vt Hilarius Can.25. alij opera charitatis & misericordiæ, vt Chrysostomus. Sed de subministratione gratiæ vt in fide constanter perseueretur, nemo hactenus exposuit. Soli hodie hæretici Euangelicas parabolas,quæ pietatis & bonorum operum studium docent,ad solius fidei cõmendationem impiè vertunt.

In libro de bono perseuerantia & de corrept. & grat. Sess. 6.cap.13.

Epist.120. cap.31. & 37. Serm.22. de verbu Domini. Tract. 32. in Matth. Homi.74. in Matth.

15. *Vni dedit quinque talenta,alij autem duo,alij verò vnum,vnicuique secundum propriam virtutem.*

CAtholicos hoc loco calumniatur cauillator Caluinus, & dementiæ planè Pelagianæ accusat, Catholicæ doctrinæ vel ignarus magister,vel conuitiator maledicus. Sic enim in hunc locum scribit. *Ridiculi sunt Papistæ dum hinc colligũt singulis conferri Dei dona secundùm meriti sui modum.* At hæc Catholicorum, quos ille Papistas vocat, doctrina nunquam fuit,Pelagianorum erat,qui primam gratiam secundùm merita nostra dari impiè sentiebant. Quę sit Catholicorum circa gratiam Dei iustificantem doctrina,Concilium Tridentinum expressit,in hæc verba.*Iustitiam in nobis recipimus vnusquisque suam secundùm mensuram,quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult,& secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Docet Deũ partiri singulis suam

Pelagiana dementia Catholicis falsò obiecta.

Sess. 6. cap.7.

gra

gratiam, & dona iustitiæ partim prout vult, & ex voluntatis suæ beneplacito, partim iuxta propriam cuiusque virtutem, vt hoc Euangelium docet, id est, iuxta cuiusque facultatem seu dispositionem & cooperationem. Quod hîc Christus dicit virtutem seu facultatem, τὴν δύναμιν, hoc Concilium exponit esse quandã in nobis dispositionem seu aptitudinem ad cooperandũ gratiæ diuinæ. Sed hæc virtus seu facultas seu dispositio seu aptitudo, secundũ quam sua gratiarum talenta Deus distribuit, tametsi sit capacitas quædã in vnoquoque, vt exponit D. Hilarius, differens ac diuersã, vnde vocatur hîc à Christo *virtus vnicuiq; propria*, tamen quia nõ est intelligenda sine præueniente & operante Dei gratia, Concil. Trident. sapienter adiecit dispositioni *cooperationem*. Ideóque rectissimè iuxta mentem D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 3. ad primũ arg. annotauit Dominicus Bannes, Concilium hoc loco non loqui de dispositione & cooperatione vt est à viribus naturæ, sed de illa dispositione & cooperatione de qua dicitur, *Deus est qui operatur velle & perficere*. In qua tamen Dei operatione falsum omnino est, hęc verba Cõcilij Tridentini, & cõsequẽter huius Euangelij, intelligenda esse de illa dispositione & consensu & operatione liberi arbitrij, quæ est effectus infallibilis voluntatis Dei efficaciter præparantis liberum arbitrium ad gratiam recipiendã: & quòd sic necessario est intelligẽda definitio Concilij, nisi velimus declinare ad reliquias Pelagianorum, & asserere quòd aliquis homo magis meretur gloriæ apud Deũ, cui non magis donatũ est à Deo. Totum hoc omnino falsum est, & tam huic Euãgelio quàm Cõcil. Trident. doctrinæ apertè repugnãs. Huic Euãgelio repugnat, quia qui vnum talentũ acceperat, nullũ fructũ protulit. Ergo aut ille secundũ propriam dispositionẽ non accepit, & falsa est Scriptura nostra dicens, *Vnicuiq; secundum propriam virtutem*; aut infallibilis Dei volũtas & efficax falli potest. Nam in isto qui vnum talentum acceperat, propria eius virtus seu dispositio liberi arbitrij per operantem in eo Dei gratiam nullum effectum produxit. Concilio Tridentino repugnat, quia de eadem dispositione loquens cap. 5. dicit, *Cum Diuina inspiratione hominem sic agere, vt illam abijcere possit*. Non est ergo semper infallibilis & efficax Dei voluntas, quæ hanc dispositionem facit. Nec ad vllas Pelagianorum reliquias hic sensus Concilij Tridentini pertinet: contra quos semper de merito gratiæ, non de merito gloriæ, Catholici disputabant. Magis autem gloriæ & præmij interdum mereri cui non

Can. 27. in Matth.

In. 2. 2. q. 24. art. 3.

Philip. 2.

Voluntatis præparatio efficax non est propria cuiusque virtus.

magis donatum à Deo est, quia videlicet magis & melius
Luc. 19. cooperatur eidem gratiæ, alia parabola de decem minis luculenter demonstrat, vbi decem serui acceperunt decem minas, singuli vnam, & tamen ex illis decem vnus superlucratus est decem, alius quinque, alius nihil. Ex istis decem nō magis donatum est vni quàm alteri, & tamen vnus decuplo magis cooperatus est quàm alter, & per consequens decuplo magis gloriæ promeritus. Et in nostro Euangelio duo tantum lucrati sunt quantum acceperūt, id est, iuxta mensuram gratiæ sibi datam; tertius nihil lucratus est, qui tamen adeo ita potuit sicut cæteri, vt quia non fecit quod potuit, tanquā piger, id est, propter propriam negligentiam, in tenebras exteriores
Propria cuiusque virtus quid significat. proiectus fuerit. Propria igitur cuiusque virtus hoc loco secundum quam Deus sua talenta distribuit, est illa cuiusque capacitas, de qua alibi Christus dixit, *Non omnes capiunt verbum hoc*, id est, non volunt capere, vt iuxta cōmunem Patrum
Matth. 19. sententiam ibi expositum est; est libera hominis voluntas diuinæ gratiæ liberè cooperans, vt vna semper & partialis causa omnis lucri de acceptis talentis, id est, omnis boni vsus gratiæ. Et hanc causam secundariam subiungere voluit Christus, quum de primaria prius dixisset, *Tradidit illis bona sua, dedit vni decem, vni quinque*, &c. vtraque causa boni operis diligenter tenenda est, vt tam veteres Pelagianos contra Dei gratiam, quàm nouos hodie hæreticos cōtra liberā hominis
2. 2. q. 24. art. 3. cooperationē caueamus. Rectissimè docet D. Thomas charitatem non dari secūdum capacitatem naturalium, sed secun-
3. p. q. 89. art. 2. dum voluntatem Spiritus sua dona distribuentis. Sed nec minus rectè alibi docet, quòd cum vltima dispositio ad gratiam sit liberi arbitrij, formæ autem quæ possunt recipere magis & minus, intenduntur & remittuntur secundū diuersam dispositionem subiecti, idcirco accidere, quòd secundū quod motus liberi arbitrij in pœnitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens cōsequatur maiorem vel minorem gratiam: móxque addit eandē esse rationem de virtutibus quæ ex gratia consequuntur; id est, vt iuxta maiorē vel minorem conatum liberi arbitrij à gratia adiuti, magis vel minus operemur secundum virtutem, seu magis vel minus lucremur ex
Cum æquali gratia non semper æqualiter operamur. talentis à Deo datis. Vnde patet illorū error qui fieri nō posse existimant, vt cum æquali gratia alius magis, alius minus operetur, eo quòd necesse sit aliquid tam intensè moueri quàm à sua causa mouetur. Verum quippe hoc est, quādo de tota & vnica causa motus agitur: sed in lucro talentorum, &

in

in bono vsu gratiæ, seu in effectu bonorum operum producendo quia Dei donum & gratia nec tota nec sola causa est, tametsi principalis, sed motus liberi arbitrij liberè cooperantis, seu propria cuiusque virtus aut dispositio alia causa huiusmodi effectus est; propterea non sequitur, quòd quum vna partialis causa intensior existat, sequatur semper effectus intensior; quia fieri potest vt altera causa remissius agat, & ideo minor sequatur effectus, vt S. Thom. loco posteriùs citato docet. Vide Molinam in Concord. gratiæ & liber. arbitrij, q.14. art.13. disp.37 Caluinus interim dum alios taxat, à sensu huius loci toto cælo aberrat, qui hæc verba hunc in modum exponit. *Deus prout quemque disposuit & naturalibus ornauit donis, ita etiã hoc vel illud iniungit, in rebus agendis exercet, prouehit ad varias functiones, materiam præclarè agendi suppeditat, occasionem etiam proponit.* Nam vel tota hæc battologia eius de officiis & operibus humanis loquitur, & sic de talentis hîc distributis toto cælo errat, quum haud dubiè sint talenta gratiæ Dei ad hominum salutem destinata (vt conclusio ostendit, quæ illa gratia otiosè abutentem in tenebras exteriores amandat) vel, si de talentis gratiæ loquitur, bonus Pelagianus est; qui iuxta naturalia dona, quibus vnumquemque Deus ornauit, talenta illa gratiæ distribui docet: siue gratias gratis datas, siue gratiam gratum facientem, gratiæ nomine intelligat: quãdo vtrunque genus supernaturale est & purum Dei donum; licet alterum altero excellentius, sicut in ipsis gratiis gratũ facientibus imparitas est, & gratiæ illæ gratis datæ, vt donum consilij, prudentiæ, fortitudinis, &c. rudibus, infirmis, simplicibus & naturalibus donis omnium minimè ornatis, sæpenumero à Deo conferuntur, vt in ipsis maximè Apostolis manifestum fuit: quos alibi Caluinus *ignaros & gregarios homines*, imò præ nimia doctrinæ Christi obliuione *truncos ac lapides* vocat.

Caluini absurda interpretatio.

In Ioan. cap. 20. ver.21. & in Harmon. ad Luc. cap. 24. ver.25

21. *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

HÆc Christi verba, bonorum operum seu boni vsus gratiæ Dei, manifestam retributionẽm luculenter docere ex se patet. Causa enim retributionis copiosæ & amplæ in fideli dispensatione paucorum ponit Christus. Bonorum operum cultores vocat quidem Christus *seruos bonos & fideles*, bonos, quia opera verè bona faciunt, fideles, quia fide

Bonorum operum retributio.

bona & fideliter acceptis à Deo talentis vsi sunt: sed super pauca tamen *fideles* fuisse affirmat, quia omnia quantacumque iustorum opera bona, omnis eorum patientia & tribulatio, pauca & minima sunt respectu multorũ, super quæ Deus illos constituit, momentaneum & leue est respectu gaudij æterni & copiosæ mercedis in eo quam percipiunt: iuxta illud Pauli. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam qua reuelabitur in nobis.* Christus tamen hanc fidelitatem super pauca causam esse affirmat constitutionis super multa. Ait enim: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Quomodo ad illa pauca sequuntur ista multa, & multæ retributionis parua operatio verè causa sit, explicat eleganter his verbis Augustinus. *Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Certè tantus debuit esse. Decies centena millia annorum in labore quid valent? habent finem. Quod tibi dabo, ait Dominus, non habet finem. Qualis misericordia Dei! Non dicit tibi: Decies centena millia annorum labora. Non dicit, Vel mille annos labora. Non dicit, Quingẽtos. Sed, Cùm viuis, labora paucis annis, Inde iam requies erit, & finem nõ habebit. Ecce quantum pretium damus: quodammodo vnam siliquam ad accipiendos thesauros æternos,* Hæc ille. Paruus igitur & pauci temporis labor pretiũ est æterni gaudij. Sufficit nobis contra hæreticos nostri temporis illud. *Quia fidelis fuisti,* significare causam sine qua nõ. Hinc enim sequetur bona opera ad salutẽ esse necessaria, sicut causa materialis necessaria est ad formã suscipiendam. Sed quia fidelis labor noster, vtcunque paruus ac pauci temporis. *pretium est quod damus*, vt hîc Augustinus loquitur, & quia aliæ Scripturæ *mercedis* nomine, hoc æternum gaudiũ dignantur, (*Merces vestra copiosa est in cælis: Voca operarios, & redde illis mercedem: Vnusquisq; accipiet secũdum laborem suum mercedem*) propterea causa meritoria quæ ad efficientem reducitur, in his Christi verbis intelligenda est, *Quia super pauca fuisti fidelis.* Merito quippe merces respondet, non semper quantitate pari, sed vel pro operis dignitate, vel pro retribuentis largitate aut etiam constituta lege, longè maior & excellentior. Quæ alibi latius tractata sunt.

Sed ad hanc retributionem bonis operibus respondentem quid hîc Caluinus dicit? *Ne fatigemur* (inquit) *bene agendo, pronuntiat Christus non irritum fore eorum laborem qui se fideliter in sua vocatione exercuerint.* Rursum: *Concipienda est bonis alacritas, quia se intelligunt minimè operam ludere.* Sic

ad

Rom. 8.

Enarrat. in Psalm. 93.

Matth. 5. & 20. 1. Cor. 3.

Caluini effugia.

ad proxima Christi verba de separatione ouium ab hœdis,& retributione manifesta iustorum: *Huc* (inquit) *tendit Christi sermo, vt sciant fideles piè & innoxiè viuendo, se operam non ludere, quia tandem apparebit discrimen.* Et paulò pòst. *Est non vulgaris exhortatio ad patientiam, dum certò persuasi sunt homines non frustra se tendere.* Et iterum *Necessariæ sunt nobis promissiones quæ ad rectè viuendi studium nos incitent atque erigant. Doceamur ergo quàm optabile sit coniungi filio Dei.* Hæc ille. Nullum ponit in Deo præceptum bene operandi ad quod obligemur, sed *exhortationem tantùm.* Nullam ponit in nobis necessitatem bonorum operum, aut rectè viuendi, sed tantùm docere Scripturam vult *optabilè esse filio Dei coniungi* per imitationem eius. Denique nullam ponit certam repositam mercedem aut coronam iustitiæ, sed tantùm, *quòd rectè viuendo irritum laborem non sumimus, operam non ludimus, nec frustra cōtendimus, quia tandem apparebit discrimen,* non bonorum & malorum, sed electorum & reproborum. Sic impostor ille Diuinas & Euangelicas Scripturas de necessaria executione ac certa mercede bonorum operum semper inuertit, suísque impiis glossematibus sophisticè subuertit.

34. *Venite benedicti Patris mei: possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.*

Magna & singularis est huius loci euidentia, quòd vita æterna intuitu bonorum operum à Deo confertur. Quum enim iam in possessionem mittendi sunt iusti, quum ipsam hæreditatem cælestem adeunt, vocat illos Iudex Christus ad capiendā possessionem, & ad hæreditatem adeundam, (*Possidete* enim hoc loco, κληρονομήσατε, significat, iure adoptionis in hæreditatem accipite) quia opera misericordiæ fecerunt. Et quidem magis vulgaria, quæque penè à quolibet præstari possunt, recenset, tum vt suam immensam benignitatem ostendat, tum vt non promerentes hanc mercedem magis inexcusabiles reddat, tum denique vt doceat, maiora virtutū opera certissimè esse remuneranda. In vniuersum autem, pro causa adeundæ hæreditatis, ponit opera iustorū bona. Pupugit vehemēter hic locus Caluinū, bonorum operum hostem iuratum. In omnem itaque se partem versat ac reuersat, vt in tam euidenti & clara luce tenebras lectori offundat, seque ipsum per tenebras eripiat. *Si hic* (inquit) *disputatio*

Vita æterna bonorū operum merces.

Primum Caluini effugium.

esset de salutis nostræ causa, non malè colligerent Papistæ nos bonis operibus vitam æternam mereri, sed quum nihil aliud propositum sit Christo quàm suos ad benè rectéque agendum hortari, perperam ex eius verbis elicitur quid valeant operum merita. Primùm non soli Papistæ id est, Catholici moderni, sed omnes in vniuersum Patres qui hunc locum tractarunt (vt ex eorum commentariis in hunc locum patet) ex bonis operibus nos vitam æternam promereri collegerũt, Augustinus maximè, qui disertè contra Caluinum ita scribit. *Quare causas vel tanta mercedis, vel tanti supplicij: Percipite regnum, & ite in ignem æternum. Quare illi perceperunt regnum? Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Quare isti ituri in ignẽ æternum? Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Hæc ille. Sic igitur cum Augustino contra Caluinum arguimus. Si Christus in his verbis, *Percipite regnum* &c. *Esuriui enim*, &c. non tractat de causa salutis nostræ, sed hortatur tantum ad bene agendum, ergo similiter in illis verbis, *Ite maledicti in ignem æternum. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare,* non tractat de causa damnationis impiorũ, sed deterret eos tantum à peccatis. Sed falsum ac impium istud: ergo & prius. Deinde particula vtrobique causalis, *Esuriui enim*, &c. manifestè ostendit de causa salutis & damnationis vtrobique agi.

Serm. 1. de Septuagesima.

Sed occurrit hîc Caluinus & dicit. *Quòd in causali particula insistunt, infirmum est. Scimus enim non causam semper sed consequentiam potius notari, quum vita æterna iustis promittitur.* Sed o quàm infirma imò insulsa hæc euasio est? Esto enim non semper causam sed consequentiam potius illa particula notari. Si non semper causam, ergo aliquando causam notat. Si aliquando causam notat, cur non hoc loco? Imò si in vna parte sermonis, ad maledictos quod attinet, causam necessariò notat; cur non in altera parte sermonis, ad benedictos quod attinet, causam quoque notabit? Cæterum hanc scientiam Caluini negamus, & falsam esse opinionem certò cognoscimus, quòd particula causalis, quando vita æterna iustis promittitur, aliquando consequentiam non semper causam significat. Probare hoc vel vnico exemplo debuit Caluinus. Sed facilius illi fuit fortiter asserere quod falsum est, quàm illud probare quod probari non potuit. Huius igitur responsi summa infirmitate perspecta, ad aliam confugit.

Secundum effugium.

Quamquam alia est clarior solutio. Neque enim bonis operibus mercedem promitti negamus, sed gratuitam, quia ex adoptione pendet. At hæc solutio nihil melior est. Primum enim hîc

Tertium effugium.

concedit quod alibi semper negat, ipsis operibus mercedem promitti, & consequenter conferri. Deinde, merces bonorum operum gratuita quidem est ex parte radicis, quia principiũ eorum gratia est ab authore gratiæ gratuito data, debita tamen nihilominus & vera merces est quatenus cum illa Dei gratia homo liberè cooperans, opera facit verè bona, laudabilia, Deo placentia, & ex Dei liberalitate iusta mercede digna. Quod totum ex eo quòd ipse Caluinus subiungit, manifestè probatur. Sic enim prosequitur. *Gloriatur Paulus sibi repositam esse coronam iustitiæ. Sed vnde illi fiducia, nisi quia Christi membrum erat, qui vnicus est hæres regni cælestis?* Atqui de hac fiducia nihil ibi Paulus, sed contrà, vnde fiduciam acceperit, clarissimis his verbis præmisit. *Bonum certamẽ certaui, fidem seruaui, cursum consummaui: reposita est mihi corona*, &c. Hæc erat causa fiduciæ in Paulo hoc in loco, tametsi verum quoque sit alibi eum gloriari quòd membrum sit Christi. Sequitur in Caluino. *Reddendam sibi à iusto Iudice prædicat coronam illam. Sed vnde illud præmium, nisi quia & gratis adoptatus est, & iustitia donatus qua sumus omnes vacui?* Rogat Caluinus vnde: nec videt Paulum ipsum disertissimè docuisse, vnde tacet, silet, dissimulat impostor nefarius totam illam bonorum operum suorum enumerationem à Paulo factam, vnde illud præmium sibi retribui, ídque à *iusto Iudice*, id est, per modum veræ iustitiæ, Paulus prædicat. Tacet illa verba, *Bonum certamen certaui, fidem seruaui, cursum consummaui:* & quærit vnde coronam iustitiæ expectauerit. Illa autem quæ Caluinus ponit, quia gratis adoptatus est, & iustitia donatus, id est, Dei gratia donatus, vnde operetur iustæ causæ quoque sunt redditæ coronæ, sed causæ remotiores, non proximæ. Causas proximas posuit illic Paulus, opera ipsa iustitiæ. Causas proximas ponit in hoc Euãgelio Christus, opera ipsa misericordiæ. Impostor Caluinus vrget remotiores causas, vt tollat proximas. Vnam veritatem premit, vt alteram destruat. Vtraque veritas tenenda est, vt tota veritas teneatur. Audiamus adhuc Caluinum. *Hæc igitur duo tenenda sunt, vocari fideles ad possessionem regni cælestis bonorum operum respectu, non quia illud promeriti sunt operum iustitia, vel quòd eius acquirendi sibi fuerint authores, sed quia Deus iustificat quos elegit.* Istud prius duorum quæ tenenda ponit, mera impostura & vafricies est: fatetur iam demũ vocari fideles ad possessionem regni bonorum operum respectu, sed non quia illud promeriti sunt, verùm quia Deus iustificat quos elegit.

2. Tim. 4.

Opera bona fiducia causa.

Caluini impostura.

Alias

Iustificatio gratuita & meritũ bene consistunt.

Atqui hæc duo optimè consistunt, si iuxta Scripturarum sensum Caluinus loquitur. Deus iustificat quos elegit, id est, Deus ex impiis facit iustos quos elegit, vt sic eos iustificet: Iustificati autem seu iusti facti, *ambulant in operibus bonis quæ Deus* per aliam gratiam suam *præparauit in illis*, per quæ promerētur vitam æternam. Prima, inquam, iustificatio impij, quam Deus facit, merè gratuita, nihil repugnat cum retributione iustorum verè iusta. Vocantur igitur fideles in possessionem regni cælestis, prius quidem à Deo iustificati gratis per Iesum Christum, sed intuitu præterea bonorum operum quæ iam iustificati operati sunt. Quod autem Caluinus ait eos non promereri *operum iustitiā*, puerilis cauillatio est, quasi quando merita operum prædicamus, *operum iustitiam*, quæ iustitiæ fidei à Paulo opponitur, prędicaremus. Nō ignorauit Caluinus merita operum à Catholicis doceri, quæ sunt opera iustitiæ fidei, id est, *illius iustitiæ quæ ex fide est*, *quæ ex Deo est*, quæ ex gratia est, non quæ sunt ex iustitia operum sine gratia & fide Christi, contra quæ Paulus disputat. Deinde quod addit Caluinus, *Vel quòd eius acquirendi sibi fuerint authores*, putidior adhuc & insulsior cauillatio est. Quādo Christus promittit hîc regnum cæleste intuitu bonorū operum, vel quando Catholici docent iuxta hæc Christi verba intuitu bonorum operum promereri iustos vitam æternam, non faciunt ipsos iustos acquirendi regni sibi ipsis authores, sed faciunt eos diuinæ gratiæ & huius tantæ mercedis cooperatores. Vnde D. Bernardus. *Ibi Deus benignè homini merita constituit, vbi per ipsum & cum ipso boni quippiam operari dignāter instituit. Hinc coadiutores Dei & cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse præsumimus.* Hæc ille. Quia cooperatores Spiritus Sancti ideo promeritores regni. Cooperatores, non authores. Per Christum & cum Christo bonum operamur, non ex nobis ipsis, vt authores vel vnici vel præcipui bonorum operum.

Quartum effugium. Audiamus nunc secundum quod teneri iubet Caluinus. *Deinde, quamuis duce Spiritu ad studium iustitiæ aspirent, quia tamen legi Dei nunquam satisfaciunt, nullam illis mercedem deberi, sed mercedem vocari quod gratis donatur.* Quot verba tot vel mendacia vel imposturæ. Christiani fideles ductu Spiritus Sancti non solum *ad studium iustitiæ aspirant* (quod solum vafer Caluinus ait) sed ipsam iustitiam exercent & operantur.[1] Duce Spiritu *facta carnis mortificant, ambulant secundum spiritum, non secundum carnem, ambulāt in nouitate* *Rom. 6. & 7.*

vitæ

vitæ, non dominatur illis peccatum, condelectantur legi Dei secundum interiorem hominem, faciunt quæ Deo placita sunt: sic 1. Ioan. 3.
ipsam iustitiam exercent. Deinde satisfaciunt legi Dei, quod negat Caluinus. *Dilectio proximi implet legem*, ait Apostolus. Rom. 13.
Aut ergo nemo diligit proximum, aut aliqui implent legem. Quòd si implent legem, satisfaciunt ei. Quòd autem concludit mercedem vocari quod gratis donatur, nihil aliud quàm diuinas Scripturas corrigit, adeóque falsi arguit. Paulus enim *coronam iustitiæ* hanc mercedem vocat, & *à iusto Iudice reddi* 2. Tim. 4.
ait. Sic ergo vita æterna merces est, vt iustè reddatur, non solùm gratis donetur. Gratia quidem est vita æterna, & gratis donatur, quatenus radix & principium totius iustitiæ nostræ Dei gratia est; sed ratione operum quæ ex hac radice pullulant, verè & propriè merces est, & iustè redditur vt corona iustitiæ, quatenus videlicet iustitia nostra per cooperationem liberi arbitrij verè nostra est. Vtrumque Scriptura docet, vt suprà accepimus, & alibi latius disputatum est. Frustra igitur & inaniter Caluinus contra hunc stimulum calcitrauit. Omnem quidem mouit lapidem vt euidentem veritatem eluderet: sed fortis est veritas, & vincit.

IN MATTHÆI CAP. XXVI.

11. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.*

GARRIT hoc loco quædam Caluinus contra sumptuosos Dei cultus & ceremoniarum in Ecclesiis Catholicis splendorem, & Iudæ proditoris animum ac vocem studiosè imitatus, in hæc verba concludit. *Huius loci summa est: Licet Dominus nos & nostra omnia sibi dicari iubeat, non tamen quo ad se alium quàm spiritualem cultum exigere, qui nullis impensis constat: sed potius velle in pauperes erogari, quæ stultè ad eum colendum impendit superstitio.* An non expressis verbis cum Iuda proditore auaro concludit, *Vt quid perditio hæc? Potuit venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus?* An non Iudæ causam agit, & quod ille de hoc vnguento, hoc Caluinus de toto externo Dei cultu pronunciat, in pauperes erogandum esse quod ad Deum colendum impendit religio? Prorsus in eadem sententia est, & eundem affectum eadem conclusione

Caluinus Iudæ suffragatur contra Christum.

patefecit. De re ipsa, totáque hac externa Christi veneratione, quam in posterum hoc loco prohiberi Caluinus vult, in eiusdem historiæ apud Diuum Ioannem repetitione, vbi paulo neruosius Caluinus disputat, plenius differemus; & putidas Caluini corruptelas, fauente Deo, illic aperiemus.

Ad Ioan. cap.12.

26. *Cœnantibus autem illis accepit Iesus panem.*

VT tota Christi actio & doctrina in mysterio Eucharistico quod hic Matthæus aliique Euangelistæ mira verborum breuitate, sed magna rerum ac mysteriorum copia describunt, dilucidè intelligatur, notandum ante omnia, Christum hac vltima nocte mortalis vitæ suæ triplicem Cœnam peregisse. Primam, qua stando paschalem agnum comedebat, iuxta legis præscriptum, de qua discipuli dixerunt, *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Secundam, communem & familiarē, in qua discubuit cum discipulis suis, quā variis interpositis sermonibus de proditore, vt hoc loco; de alia quadam contentione, vt apud Lucam, diu protraxit: & in qua poculum libatorium more gētis illius omnibus suis propinauit, de quo Lucas ita scribit. *Accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Ad quam etiam secundam cœnam pertinent verba Matthæi hoc capite, *Dico vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam nouum in regno Patris mei.* Hæc enim verba prioribus simillima Christum ante Cœnam Eucharisticam dixisse ex Luca manifestè patet, vt postea latius dicetur. In hac secunda cœna surrexit, & discipulorum suorum pedes lauit, vt est apud Ioannem, cap.13. *Et cœna facta*, sup. Paschali: & paulo pòst, *Surgit à cœna, & ponit vestimēta sua*, &c. id est, surgit à communi & familiari cœna, quam more omnium Iudæorum finita solemnitate Paschali, cum suis celebrabat. Nam post hanc ablutionem pedum iterum recumbit in cœna eadem, & turbatus spiritu, de proditore suo verba facit, vt prolixè narrat in seqq. Ioānes. Qui de tertia & Eucharistica Cœna nihil quidē scribit, eo quòd cæteri tres Euangelistæ ante illum eam plenè descripsissent. Addit tamen de Iuda, *Cùm accepisset buccellam, exiuit continuò.* Quod ad Cœnā Eucharisticam pertinere nemini dubium est, qui Iudam Dominici corporis participem fuisse agnoscit, quod clarè docet

Christus triplicem Cœnā peregit.

Luc.22.

Augu

Augustinus tract.26. in Ioan. & serm.11. de verb. Domini, & Chrysost.homil.de proditione Iudæ. Quum autem hunc de proditore sermonem Matth. & Marcus disertè ante cœnam Eucharisticam, Lucas verò post illam ponat, duos priores Euangelistas verum ordinem seruasse D. Ioannes postremò scribens quasi arbiter definiuit, narrans Iudam accepta buccella continuò exiuisse. Quod ergo Matthæus hîc dicit, *Cœnantibus illis*. & Marcus, *Manducantibus illis, accepit Iesus panem*, &c. intelligendum est peracta iam secunda cœna familiari ac communi: quod expressius posuit Lucas dicens, *Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens*, &c. id est, absoluta cœna communi. Quod in altera quoque huius Sacramenti parte factum fuisse dubitari non debet: tum quia diuelli vna pars ab altera non debuit, tum quia Lucas dicit, *Similiter & calicem*. Illud enim, *similiter*, non solùm ad benedictionem & distributionem calicis, sed & ad temporis rationem ac similitudinem necessariò referendum est. Hæc diligenter annotanda sunt; tum quia alij aliter exponunt, omnium Euangelistarum contextu non satis expenso; tum quia ad alia circa hoc mysterium intelligenda conducunt. Sic enim non solùm à cœna Paschali noua Christi cœna, à figura veritas distinguetur, verùm etiam à communi cœna, & communi pane ac vino, nouum & augustissimum mysteriũ seiungetur. Sic alia hæreticorum absurda refellentur, vt mox videbitur.

26. *Accepit Iesus panem, & benedixit.*

Notanda hîc duplex circunstantia in facto Christi, vt postea de verborum sensu certius constet. Prima est quòd cœnam Eucharisticam & non Paschalem auspicatus, de quo apud Lucã dixerat, *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patior*, vt illa verba Tertul.lib.4. aduersus Marcionem, & Chrysost.homil.83.in Matth. exponunt. *accepit panem*. Accipiendo quippe hoc elementum, docet se in re accepta aliquid operaturum, nõ in sola mente aut speculatione præsentium discipulorum. Sic Matth.15. multiplicaturus septem panes, *accepit eos in manus*. Sic Ioan.6. multiplicaturus quinque panes, similiter *accepit in manus*. Sic hoc loco panem & calicem in manus accipiens, ostendit se circa res ipsas aliquid operaturum, non solum distribuendo, frangendo, & dando discipulis, sed etiam benedicendo. Altera igitur circunstantia est, quòd pani & calici benedixit.

Cœna Eucharistica circunstantia duplex.

1. Acceptio panis in manus.

2. Circunstantia benedictio.

Quod

Quod diligentiſſimè ante omnia aduertendum eſt propter horum temporum hæreticos, qui verborum Chriſti horrendam corruptelam in huius circunſtantiæ corruptione potiſſimum fundant. *Benedixit*, apud Matthæum & Marcum ad verbum panis eſt, εὐλογήσας; ad verbũ calicis eſt, εὐχαριστήσας, ſicut & apud Lucam ad verbum panis. Neutrum verbum ad panem & calicem transferri patiuntur hæretici, ſed ex verbis tranſitiuis verba faciunt abſoluta ſeu intranſitiua. Matth. & Marc. ex Luca intelligendum eſſe ait hoc loco Caluinus, videlicet *quòd Deo gratias Chriſtus egerit accepto pane & calice: ridiculos verò eſſe Papiſtas, qui ſigno crucis benedictionem exprimunt, quaſi exorciſmo Chriſtus eſſet vſus.* Sed exorciſmo indigent iſti hæretici, vt principe tenebrarum expulſo, clariſſimam huius loci veritatem apertis oculis intueantur. Dicit Matthæus, *Accepit panem, benedixit, ac fregit, deditq́;*, &c. Sicut *accipere, frangere, dare*, ad panem refertur; ita *benedicere* ad eundem referri neceſſarium eſt. Quòd autem in elemento calicis, verbo *gratias agendi*, Matthæus, Marcus, & Lucas vtuntur, idem prorſus ſignificare, luculenter Paulus docet his verbis. *Calix cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Verbum benedicere εὐλογῶ tranſitiuè ſumitur, & ad calicem ipſum transfertur. Sic ipſe panis & calix benedicuntur. Vnde Cyprianus vocat *calicem benedictione ſacratum*, in ſerm. de cœna Domini. Iuſtinus martyr vocat *panẽ Eucharistizatum*, id eſt, ſuper quo gratiarum actio peracta ſit. Sic Irenæus, *Panis in quo gratiæ actæ ſunt*, lib. 4. c. 34. & plenius lib. 5. *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei.* Notanda igitur hæc circunſtantia diligenter, Chriſtum benedicendo panem & calicem aliquid in illis ipſis operari voluiſſe, ſicut Marc. 8. & Luc. 9. *benedicendo piſcibus*, multiplicauit illos. Fallunt imperitos hæretici in verbo *gratias agere*, quòd nõ niſi ad Deum referri poſſe vrgent. Sciendum enim eſt, hæc duo verba, *benedicere & gratias agere*, in ſcripturis Euangelicis promiſcuè, & vnum pro altero quaſi indifferenter accipi, quod non ſolum ex verbis huius myſterij iam citatis patet, ſed ex vna ſententia Pauli 1. Cor. 14. *Si* (*inquit*) *benedixeris ſpiritu, quomodo qui ſupplet locum idiotæ reſpondebit Amen ſuper tuam benedictionem?* Quum dicit benedixeris, vtitur verbo εὐλογήσῃς; cùm dicit benedictionem, vtitur verbo, εὐχαριστίαν. Quum tamen ita promiſcuè accipiantur, gratiarum actio potius pro benedictione creaturarũ accipitur, cui ſemper gratiarum actio adiungitur, quàm benedi-

Benedictio ipſius panis probatur.

1. Cor. 10.

Apolog. 2.

Benedicere & gratias agere pro eodem vſurpata.

nedictio pro gratiarum actione Deo facta. Quare Patres circa hoc mysterium benedictionem à Christo factam vehementer vrgent, gratiarum actionem non vrgent. Vide D. Ambros. de iis qui initiantur mysteriis cap. 9. Euseb. Emissenum homil. 5. de Paschate, Chrysost. homil. de proditione Iudæ, Cyprian. serm. de cœna Domini, Nyssenum in serm. catechetico cap. 37. & Iustinum Mart. Apolog. 2. Omnes isti benedictionem Christi circa ipsa elementa vt diuinè operatoriá vrgent & tractant. Recolenda hîc sunt quæ suprà Matth. 14. annotata sunt, & in Prompt. Catholico latius disputata Dom. 6. post Pentec. & in die Ascensionis Domini. Vide quoque Claud. de Sainctes in opere Eucharistico, Repetit. 7. cap. 4. Verba Iustini antiquissimi Doctoris clara sunt. *Per verbum precationis Eucharistizatam à Christo alimoniam illius esse carnem & sanguinem didicimus.*

Benedictionis vocabulum Patres vrgent.

Quod autem de signo crucis in symbolorum benedictione à Papistis vsurpato garrit hîc Caluinus, eodem conuitio doctissimos Patres ferit, qui sine crucis signo nihil in mysteriis istis ritè ac legitimè fieri ex communi Christianorum fide docent. Vide August. sermo. 181. de temp. & tract. 118. in Ioan. Chrysost. in demonstratione quòd Christus est Deus, & homil. 55. in Matth. & Iust. Mart. Apolog. 2 Postremò quòd secundum nos Christum exorcismo vsum fuisse ait, in ipsum Christum blasphema vox est. Verba enim ex Christi pectore & ore deprompta incantationis magicæ nemo accusare potest, quin eiusdem cum dæmonibus commercij Christum accuset. De qua hæreticorum hodie blasphemia vide Claud. de Sainctes in opere Euchar. Repet. 7. cap. 6.

Crucis signum in benedictione adhibitum.

26. *Hoc est corpus meum.*

TOta digladiatio circa sensum horum verborum inde nascitur, quòd relicta vera & naturali proprietate verborum Christi, ad figuratiuam aliquam recurritur. Duo igitur hîc docebimus. Primum, sensum verborum literalem necessariò tenendum esse; tum quis ille sensus literalis sit, explicabitur. Horum verborum literalem sensum tenendum esse, primùm probat id quod præcedit, *Accipite, & comedite.* Hæc enim sunt verba aliquid exterius exhibentis & largientis. Quid autem exterius exhibeat & quid largiatur, his verbis exponit, *Hoc est corpus meum.* Literalis igitur & proprius horum verborum sensus, qui rem externam & præsentem demon

Literalis verborum sensus retinendus. 1.

demonſtrat, tenendus eſt; vt ſciamus quid illud ſit quod exhibet & largitur. Alioqui nihil certi habebis quod accipias & comedas. Si nec accipiendi nec comedẽdi facta prius mentio fuiſſet, illa verba à Chriſto prolata, *Hoc eſt corpus meum*, ad figuratiuas aliquas locutiones excogitandas mouere nos potuiſſet. Nunc vt proprio modo loquendi præmittit, *Accipite, & comedite*; ſic proprio ſermone ſubiungit, *Hoc eſt corpus meum.*

2. Deinde contextus ſermonis Chriſti nullum tropum admittit. Alij ponunt tropum in verbo *corpus*: ſed hic tropus à Luca excluditur, *Quod pro vobis datur.* Non enim ſignum, aut ſymbolum, aut pignus, aut virtus, aut energia aliqua vel efficacia corporis Chriſti, ſed ipſum naturale corpus eius pro nobis datum eſt. Debet autem relatiuum ſuo antecedenti per omnia reſpondere, vt ſi hoc propriè ſumatur, illud impropriè intelligi nequeat. Alij ponunt tropum in copula *eſt*, id eſt, ſignificat. Sed hoc eodem redit. Si enim reſoluas copulam in ſuas partes, & dicas: Hoc eſt ſignificans corpus meum, ſignum ſtabit à parte prædicati, non copulæ. Sic iterum huic relatiuo, *Quod pro vobis datur*, antecedens erit ſignum corporis mei. Occurrunt hîc alij, & dicunt metonymiam eſſe figuram reciprocam, & rem ſignificantem poni pro ſignificato, non ſecus quàm rem ſignatam pro ſigno: vt ideo non iam corpus accipiatur pro ſigno corporis Chriſti, ſed panis qui illud ſignificat. Sed tunc hic ſenſus erit; Hic panis ſignum corporis mei, eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: vel certè ſic, Hic panis ſignum corporis mei, eſt ſigni corporis mei quod pro vobis tradetur. Quæ omnia vel nõ niſi in ſigno Chriſtum pro nobis datum, vel panem pro nobis datum impiiſſimè docent. Contextus igitur ſermonis Chriſti non niſi literalem ſenſum permittit.

Tropum contextus non admittit.

1.

2.

3.

Hic autem literalis ſenſus luculentiſſimè patet. *Hoc eſt corpus meum*, ex comparatione aliarum ſcripturarum, ſic debet intelligi. vt quemadmodum in alijs ſcripturis, ſic in iſta, tale debeat intelligi ſubiectum quale deſcribitur à ſuo prædicato. *Hoc nunc os ex oſſibus meis.* Hoc non innuit coſtam Adæ vnde mulier facta eſt, ſed ipſam mulierem exiſtentem. Quum plueret manna, dicentibus Iudæis, *Man hu?* Quid eſt hoc? reſpondit Moyſes: *Iſte eſt panis quem dedit vobis Dominus ad veſcendum.* Pronomen *iſte*, non aliud ſignificat quàm panem expreſſum, de quo quærebant. Moyſes aſpergens populum hyſſopo ſanguine imbuto, dixit: *Hic eſt ſanguis teſtamen*

Literalis ſenſus ex collatione locorum.

Gen. 2.

Exod. 15.

Exod 24.

menti quod mandat ad vos Deus. Non designat hyssopum vnde sanguis eiaculabatur, sed ipsum sanguinem. Vox Patris, *Hic est filius meus dilectus*, personam filij hominis dem onstrat, non vnde filius hominis factus est. Sic in re præsenti, *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc*, nihil aliud significare potest, quàm quod prædicatum enuntiat. *Matth.3.*

Erit hoc clarius si textus Hebraicus & Syriacus, quo Christus vsus est, expendatur. In Matthæo Hebræo sic legimus, זת שהוא גפי, *Hoc quod est corpus meũ.* In Matth. Syro sic legimus, הנו פגרי, quod verti potest: *Hæc substantia corporis mei est*, vel cum aliis punctis הני, *Ecce corpus meũ:* sicut in cruce matri dixit, *Ecce filius tuus.* Sed Marcus Syrus adhuc expressius loquit̃, hoc modo: הנא איתותי פגרי, *Hoc reuera est corpus meum.* Additur hîc in Mârco, qui Syris prædicabat, & cuius Euangelij authenticum adhuc hodie retinent, particula illa איתותי, *reuera*; quæ etiam addita est in Ioanne Syro cap. 1. ad illa verba, *Erat lux vera.* Græci porrò Euangelistæ Marcus & Lucas, & D. Matthæi interpres Græcus, articulis Græcis hanc emphaticam verborum Christi veritatem expresserunt. Nam apud omnes hos tres & etiam apud Paulum 1. Cor. 11. legitur: *τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου*, *Hoc est illud ipsum corpus meum.* Beza & alij hæretici in illis verbis, *Hic est agnus Dei qui tollit peccata mũdi:* &. *Hic est filius meus dilectus*, articulum *ὁ* adiunctum valde emphaticum esse docent, non solum ad distinctionẽ, sed etiam ad dignitatis commendationem. Idem hoc loco imprimis valere debet, quum articulus ille emphaticus nunquam omissus fuerit, sed tum à tribus Euangelistis, tum à Paulo adiectus. Docet igitur hic articulus de corpore suo Christum hîc loqui, non solum vt ab omni figura secernitur, sed etiam vt eius singularem præeminentiam notat. Docet non solum veritatem, sed etiam excellentiam; nempe illud ipsum esse corpus quod pro omnium hominum salute datur. Verba porrò hæc Euangelica ab omni symbolica locutione venditare volens Paulus, sic ea efferre vt dicat, *τοῦτο μου ἐστὶ τὸ σῶμα*, *Hoc meũ est corpus.* Quasi dicat, Hoc non est aliud quàm meum corpus. Quare in Pauli verbis si pronomen *hoc*, ad panis substantiã pertineret, pronomen quoque, *meum*, ad eandẽ referri deberet, & sic sensus esset: Hic meus panis est illud corpus meũ quod pro vobis tradetur. Debent igitur hęc verba ad literam intelligi vt sonant, tam significãter à Christo prolata, & ab Euãgelistis recitata. *Textus Hebraicus, Syriacus & Græcus expenduntur.*

Probatur porrò literalis eorum sensus expressa necessitas

ex

Literalis sensus, ex loci circunstantijs probatur. ex variis loci circunstantiis. Primùm à persona loquentis, tum quia Deus est, tum quia quod hîc se dare dicit, antea se daturum promisit Ioan.6. Secundò à tempore quo loquitur, videlicet instante morte, & volens omnibus figuris finem imponere. Tertiò à personis audientium, qui non de turbis
1. sed soli Apostoli erant, quibus Christus absque parabolis lo-
2. qui solebat. Quartò à ratione Sacramenti quod hîc institui-
3. tur; cuius verba sacramentalia propriè & perspicuè efferri
4. debent, non obscurè & figuratiuè.

Sed alia adhuc causa cur iuxta literam hæc verba intelligi debeant, hæc vna imprimis esse potest, quòd vbi primùm litera deseritur, & tropus quæritur, infinitæ & absurdissimæ opiniones gignuntur, & singulorum hæreticorum superbis ingeniis, quasi tortoribus & eculeis, Christi verba subiiciuntur.

Varia tortura verborum Christi. Quod ita hodie accidisse breuiter hoc loco commemorabimus. Primus Carolstadius ausus est dicere Christum dicendo, *Hoc est corpus meum*, digito suo ad pectus ostenso seipsum
1. demonstrasse discumbentem, vt illud, *Hoc est*, significet, *Hic*
Fol. 78. *sedet corpus meum* quod pro vobis tradetur. Refert Sleidanus
2. com. lib 5. & Musculus in locis com. cap. de cœna Domini. Eum sequutus Zvvinglius, verbum, *est*, exponit *significat*.
3. Tom.2.com. de vera & falsa relig. cap. de Eucharistia. Mox Oecolampadius, relictis in suo sensu verbis illis, *Hoc est*, ait *corpus* pro corporis figura accipiendum. Alij sic hæc verba
4. contorquent: *Accipite & comedite corpus meum. Quod pro vobis tradetur, est hoc.* Sic prima Christi verba in vltimum locum transponunt. Refert Lutherus in defensione verborum
5. cœnæ. Alij rursum in hunc modum inuertũt: Corpus meum quod pro vobis dabitur, in ordine rerum spiritualium est hoc. Refert Muscul. in locis com. in cap. de cœna Domini num.2.
6. Rursum idem Swinglius in his verbis, *Hoc est corpus meum*, affirmat nomine corporis passionem & mortem in corpore suscipiendã intelligi oportere. Sed alio rursum in loco, cor-
7. pus Christi vocari vult, memoriam & recordationem immo-
8. lati corporis eius. Denique alibi, non aliud esse quàm diuinam quandam & verè modestam panegyrin populi fidelis
Pag. 61. seq. vt Deo gratias agant. Hæc de illo Vvestphalus in Apologia
9. confess. de cœna Domini. Verùm alio adhuc loco idẽ Svvinglius, quod Paulus dicit, *Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est*, ait de corpore Christi quod est
Pag. 117. Ecclesia, intelligendum esse. Tom.2. ad Matth. Rutlingium.
10. Ioannes à Lasco, *Hoc est corpus meum*, exponit: Hæc forma

seu

seu actio Cœnæ est corpus meum seu participatio eius per fidem. Refert Vvestphalus loco citato. Post hos omnes Sacramentarios Caluinus non simplicem hîc figurã aut signum ponit, quod esse potest sine re signata, sed metonymiam statuit, hoc modo: *Hoc est corpus meum*, id est, sub symbolo panis continetur corpus Christi: sed ita continetur, vt quantum cælum distat à terra, tantum corpus Christi distet à pane vel à Cœna: contineri tamen, quia manducantes hunc panem, per fidem in cælum conscendimus, & inde ad nos deducimus, non ipsum Christi corpus, sed quandam eius vim viuificam, qua animæ nostræ pascuntur. Cuius singularem dementiam mox specialiter refutabimus. Interea Lutherani, qui veritatem corporis Christi cum pane subsistere volunt, multos absurdos sensus confingunt. Primùm ipsum *panem esse corpus Christi*, vbi res naturæ disparatæ de se inuicem prædicantur; 1. deinde *sub pane* esse corpus Christi, quod non nisi in figuram 2. resoluitur; mox *cum pane* esse corpus Christi, vbi vnionem 3. coguntur fingere quasi hypostaticam inter panem & corpus Christi; tandem *in pane* sic esse corpus Christi sicut in aliis 4. omnibus rebus est per omnipotentiam & diuinitatem suam, quæ Vbiquitariorum propria insania est. Ita relicto proprio & literali verborum Christi sensu, tam varias & repugnantes expositiones cæca hominum & temeraria ingenia pepererunt, idque vsque ad numerum 84. vt sigillatim recenset Claud. de Sainctes Repetit. 1. c. vltimo.

Caluini sententia propria mox refutãda. II.

Lutheranorum varia sententia.

28. *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

HÆc sacratissima verba diligenter expensa & bene intellecta, ad omnes veritatis Eucharisticæ hostes penitus fugandos atque fundendos sola sufficiunt. Dicit Christus de porrecto calice, id est, de vino in calice, nõ solùm, *Hic est sanguis meus*, sed addit, *noui testamenti*. Profitetur ergo hoc quod in calice bibimus, *esse noui testamenti sanguinem*: id est, esse illum sanguinem quo nouum testamentum conditur & dedicatur, idque propter remissionem peccatorum. At nouum testamentum, cuius proprius effectus est remissio peccatorum, & bonorum operum gratia, iuxta clarissima Hieremiæ verba cap. 31. non nisi in ipso Christi sanguine dedicatur & confirmatur, vt Paulus ad Hebr. cap. 10. perspicuè docet: quia *sine sanguine non fit remissio peccatorum.*

Hîc in omnem se torquet partem tortuosus ille serpens per ora hæreticorum. Primùm acriter vrgent, nõ de vino sed de calice dici, quòd sit nouum testamentũ in sanguine Christi: calix autem seu poculum non nisi metonymicos & figuratiuè hoc dici potest quatenus continet vinum: ergo nec vinum ipsum alio sensu quàm figuratiuo, sanguis noui testamenti vocabitur. Ait hoc loco Caluinus. *Non dicit Christus, Hoc est sanguis meus, sed, Hic est calix, ergo & calix conuertitur in sanguinem.* Nempe vrget verba Lucæ, qui sic habet: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.* Sed calicem hoc loco pro eo quod in calice erat, iuxta notissimũ tropum accipi, id quod Lucas adiunxit, manifestè conuincit: *Qui pro vobis fundetur.* Hæc adiuncta verba, quia veritatem sanguinis in calice præsentis luculenter docent, impius Beza audet dicere, *Vel quum in margine stetissent, in textum postea irrepsisse, vel manifestum esse solœcismum*, & legendum esse participium in ablatiuo casu, quod Lucas ponit in nominatiuo; nempe, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, & non, vt omnes codices habent, τὸ ἐκχυνόμενον. Nam in nominatiuo positum, conuenit cum calice; in ablatiuo positũ conuenit cũ sanguine. Sed D. Lucas posuit (vt omnes codices habent, quod ipse Beza fatetur) in nominatiuo, vt conueniret cum, *Hic calix*, τοῦτο τὸ ποτήριον, & sic intelligeremus in ipso calice esse sanguinem noui testamẽti, quod apertius Matthæus & Marcus dixerunt: *Hic est sanguis meus noui testamenti.* Scriptura ergo vtrumque dicit; *Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine*, apud Lucam; &, *Hic est sanguis meus noui testamenti*, apud Matth. & Marcum. Solum alterutrũ agnoscit Caluinus impudentissimè negans quod apud Matth. & Marcum est. Quorum etiam verba corrupit Beza vertendo apud vtrunque; *Hoc est sanguis meus noui illius testamenti*, &c. vt sanguis de poculo prædicetur, atque ita metonymia necessariò intelligatur. *Si legamus, Hic est sanguis meus* (ait Beza) *nullum erit huius propositionis subiectum præter ipsum sanguinem qui Christi esse dicatur.* Atqui homo impius aduertere debuit totam Ecclesiam Latinorum hactenus semper ita intellexisse, quia ex certa fide credebant non aliud huius propositionis esse subiectum, quàm id quod enuntiat prædicatum, videlicet *sanguinem Christi.* Sed probare conatur, vinũ esse subiectum in hac Christi propositione, quia Lucas dixit, *Hic calix est nouum testamentum*, &c. Calicis autem nomine id quod in calice erat, intelligendum esse, vinum videlicet,

Atqui

Caluinus textum Euangeliũ negat.

Beza Lucam solœcismi arguit.

Beza rursum textũ corrumpit.

Atqui vt textum Matth. & Marcum corrumperet ex verbis Lucæ, ipsa Lucæ verba solœcismi arguere impudentissimus hæreticus ausus est, vt iam diximus. Stante quippe grammatico & congruo sensu verborum Lucæ, vt in Græco habentur, vbi calix ipse effundi dicitur in remiss. peccatorum, necessariò calicis nomine, non vinum in calice, sed sanguis in calice intelligendus est, iuxta verba Matthæi & Marci.

Citat Beza Basilium legentem Lucæ verba in ablatiuo casu Regula 21. An non verò pulchrum hoc est, deserta textus Euangelici receptissima lectione, ad vnius scriptoris Ecclesiastici lectionem confugere? Quasi verò non multo facilius sit textum Basilij corruptum aut incorrectè editum fuisse, quàm Diui Lucæ textum solœcismo laborare? Neque enim illa verba tractat Basilius quasi in quarto casu legisset, sed ipsa Scripturæ verba simpliciter allegat: quæ vitio, vt apparet, typographi, aut alicuius scioli temeritate aliter leguntur quàm in textu sacro.

Premunt adhuc hæretici, quòd Lucas & Paulus non sic referant Christi verba, vt dicat de calice, *Hic est sanguis meus noui testamenti*, sicut Matthæus & Marcus dicunt; sed sic, *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.* Hìc enim quasi triumphans Caluinus ita scribit hoc loco. *Hinc colligere promptum est, quàm superstitiosi sint Papistæ & similes* (Lutheranos intelligit) *dum verba mordicus arripiunt. Quamuis enim crepent, hæc Spiritus Sancti expositio reijci non potest, quòd calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine. Atqui eadem est panis ratio. Vnde sequetur vocari corpus, quia testamentum est in corpore. Christus ergo sui sermonis idoneus interpres palàm ostendit non alia ratione se panem vocasse corpus suum, & calicem sanguinem suum, nisi quia nobiscum fœdus æternum pepigit, vt sacrificio semel oblato spiritualiter nunc epulemur, quia fœdus hoc non nisi spirituali corporis manducatione & sanguinis potione sancitur, vt firmum sit & efficax.* Hæc Caluinus. Cæterum antequam Caluini cauilla diluamus, duo hìc explicanda sunt: primùm quæ sit causa discriminis in verbis Lucæ ac Pauli à verbis Matthæi ac Marci. Deinde an ista spiritualis manducatio & potio sufficiant ad noui testamenti pactionẽ quam hìc in Cœna fieri Christus affirmat.

Cur Lucas ac Paulus aliter verba Cœnæ referunt quam Matth. & Marcus.

Ad prius quod attinet, attendendum est Euangelistas in hac historia Cœnæ Eucharisticæ tria nos docere, tametsi paucissimis verbis. Primùm quid Christus illic dedit in cibũ

ac potum, nempe *corpus & sanguinem suum*. Deinde in quem finem illa dedit, nempe ad sanciendum nouum fœdus ac testamentum. Tertiò quomodo hoc fœdus perficiatur, nempe
1. ea distribuendo in esum & potum. Horum trium primum Matthæus & Marcus luculenter expresserunt in verbis quæ
2. nunc tractamus. Secundum Lucas & Paulus exposuerunt, dicendo de calice, quòd esset *nouum testamentum in sanguine Christi*, id est, per sanguinem eius: vbi causam & instrumentum condendi tunc fœderis exprimunt. Planius & plenius causam fœderis exprimunt hæc verba, *Nouum testamentum in sanguine*, quàm *Sanguis noui testamenti*. Nam sanguis noui testamenti dici potest, qui quoquo modo ad nouum testamentum pertinet, siue per modum signi, siue per modum materiæ, siue etiam causæ. Sed *nouum testamentum in sanguine*, ostendit calicem porrectum non solum noui testamenti aliquo modo esse, sed esse ipsum nouũ testamentum, fœdus, ac pactum per sanguinẽ Christi; id est, in hunc finem illic in calice sisti, vt per eum nouum testamentum fœdus ineatur. Idem verò & in corpore Christi fieri non negamus, nisi quòd illud est corpus victimæ, quo solo præsente fœdera percuti non solent; sanguis verò effusus, aspersus, & cõmunicatus est tota materia fœderalis & percutiẽdi fœderis complementũ. Quæ causa est, cur ad sanguinem, non ad corpus,
3. noui testamẽti mentio ab Euangelistis fiat. Tertium verò de modo hoc fœdus ac nouum testamentũ ineundi ac perficiẽdi describunt Matthæus & Marcus, in illis verbis, *Bibite ex hoc omnes*, vbi etiam Marcus addit, *Et biberunt ex eo omnes*. Iam enim hac actione bibendi adimpletum fuit ex parte Apostolorum nouũ testamentũ cum Deo; sicuti aspersione sanguinis in populũ quam Moyses fecit, dicens, *Hic est sanguis testamenti quod pepigit vobiscum Deus*, completũ fuit ex parte populi fœdus eius cum Deo. Propterea in Matthæo quũ dixisset Christus, *Bibite ex hoc omnes*, subiunxit, vt causam bibendi. *Hic est enim sanguis meus noui testamenti*. id est, Ideo bibite, quia bibẽdo perficietis ex parte vestra nouum testamentum, & eritis populus Dei hac tessera fœderali accepta.

Ex hoc tertio modo elucescit secundum quod hoc loco explicandum diximus, nempe ad nouum testamentum ac fœdus, de quo hîc Christus loquitur inter nos & Deum perficiendum non sufficere spiritualem aliquã manducationẽ aut potionem corporis & sanguinis Christi, vt vult Caluinus, sed planè requiri externam, realem, & corporalem vtriusque sumptio

Corpus & sanguis Christi dantur ad nouum testamentũ sanciendũ.

Noui testamenti sanciendi modus.

Spiritualis manducatio aut potio no suf ficit ad nouum testamentũ sanciendũ.

sumptionem. Quod Christus in calice porrexit, erat *nouum testamentũ in sanguine eius*, quatenus bibebatur ab Apostolis sanguis ille, non quatenus in sanguinem illum credebant. Dixit illis Christus: *Bibite ex hoc, hic est enim sanguis noui testamenti.* Non dixit, Credite in hoc, hic est enim sanguis, &c. 1.
Deinde, vetus fœdus percutiebatur adsperso in populum sanguine, & omnia fœdera externis notis ac ritibus ob oculos positis percutiuntur. Sic hic externa sanguinis Christi exhibitione & intima per bibendum aspersione nouum fœdus conditum & sancitũ est. Nam illa verba, *Qui pro vobis effundetur*, in præsenti tempore legenda sunt, iuxta omnes Euangelistas in textu Græco, & sensus est, Qui pro vobis nunc distribuitur, & reali participatione singulis vestris intimè effunditur & adspergitur: vt videlicet veritas responderet figuræ. Quam quum Moyses administraret, *accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus.* 2. Heb. 9.
Rursum quum Christi verba de pane, *Accepit, fregit, ac dedit*, item de calice, *Accipiens gratias egit, ac dedit*, externam Christi actionem euidenter exponant, necessarium est, vt alia verba Christi hinc dependentia & ex illis consequentia, *Accipite, comedite, bibite*, externam quoque acceptionem ac potationem rei datæ exprimant. Sicut enim externè accepit & dedit, ita à suis externè accipi & bibi voluit. Est igitur necessaria corporis & sanguinis Christi externa acceptio, manducatio, bibitio ad fœdus & testamentum nouum in Christi corpore & sanguine sanciendum. 3.

Quibus ita explicatis, omnia Caluini cauilla facilè retunduntur. Clamat *stultè superstitiosos esse qui verba Christi mordicus arripiunt*. Alibi eos vocat *syllabarum aucupes*. Denique in syllabarum contextu *superstitiosè hærere* qui ordinem sacri textus obseruant. Quibus vocibus nihil non impudentius tantum, sed nec magis impium dici potuit. Eisdẽ quippe vocibus omnes armantur hæretici, vt diuinæ Scripturæ verbis conuicti, clamẽt *stultè superstitiosos esse fideles & syllabarũ aucupes, qui Scripturæ verba mordicus arripiũt.* Armatur Arius, vt si verbis illis, *Verbum caro factum est*, prematur respõdeat, *stultè superstitiosos esse, & syllabarũ aucupes, qui verba Euangelistæ mordicus arripiunt.* Armatur Pelagius, vt si quis vrgeat, *Gratia saluati estis per fidẽ, & hoc nõ ex vobis, Dei enim donũ est*, respõdeat impius, *stultè superstitiosos esse, & syllabarũ aucupes,* Scriptura contemptũ docet Caluinus Instit lib. 4. cap. 17. num 23. & lib. 1. cap. 3. num. 9. Ioan. 1. Ephes. 2.

qui verba Pauli mordicus arripiunt. Armatur Manichæus, vt si quis ei obijciat Apostoli verbum de filio Dei, *qui factus est* Rom. 1. *ex semine Dauid secundum carnem*, authore Caluino citò se expediat dicens, *stultè superstitiosos esse, & syllabarum aucupes, qui verbum Apostoli mordicus arripiunt.* Armantur denique omnes in vniuersum hæretici, vt quoties luculento & aperto Dei verbo premuntur, vrgentur, refutantur, hoc vnum cum Caluino perfricta fronte respondeant, *stultè superstitiosos esse, & syllabarum aucupes, qui Dei verbum mordicus arripiũt.* Hic est videlicet honor, hæc reuerentia quam diuinis Scripturis deferunt hæretici, quas solas omnem & vnicam esse veritatis normam obtendunt, vt quum ipsorum placitis illæ reluctantur, pro *stulta superstitione* habendum sit, si earum verba mordicus arripiantur. Manifestè indicant non magnopere eos curare quid velit Scriptura, modo clypeum illis suppeditet ad tuendam obstinationem. Hæc Caluini hoc loco audacia, impietas, impudentia. Nos verò verbis Christi mordicus adhærebimus, & adhærendum esse in Ecclesia Catholica didicimus, nec vlla Caluini insolentia ab hac sapientia & pietate piorum animos poterit auellere. Non stultè superstitiosus sed sapienter pius ac fidelis est, qui ita mordicus diuinæ Scripturæ verba arripit, vt nulla hæreticorum vel astutia vel nequitia ab illis se diuelli, idest, à luce ad tenebras (*Lucerna enim* Psal. 118. *pedibus meis verbum tuum*) à veritate ad mendaciũ (*qui enim* Ioan. 8. *ex propriis loquitur, mendacium loquitur*) à verbo vitæ ad hominum commenta (*verba enim vitæ æternæ Christus habet*; Ioan. 6. quid nisi commenta hominum hæreticorum glossæ sunt?) abduci se patiatur. Scilicet non debes Christi verba mordicus arripere? Et quare? vt Caluini verbis mordicus adhæreas. Hęc est execrabilis hoc loco huius hominis impietas.

Sed aliquid fortè graue & cõsideratione dignum est, quod à tanta impietate Caluinum liberet, & quod eũ mouere potuit, vt Christi verba mordicus arripienda non esse iudicaret. Audiamus quid dicat. *Quamuis* (inquit) *crepent, hæc Spiritus Sancti expositio reijci nõ potest quòd calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine.* Vide iterum maiorem aut certè non inferiorem hominis impudentiam. Vocat Spiritus Sanctus expositionem, quæ non Spiritus Sancti, sed ipsius Caluini est. Spiritus Sanctus apud Lucã & Paulum dicens, *Hic calix est nouum testamentum in sanguine meo*, non exponit quod apud Matthæum & Marcum Christus dixit, tenens in manu calicem, *Hic est sanguis noui testamenti.* Nec Paulus nec

Caluini extrema impudentia.

Lucas

Lucas aliorum Euangelistarum verba exponunt, quando hæc scripserunt, sed dictante Spiritu Sancto Christi verba plenius, & in alium finem expresserunt. Matthæus & Marcus simpliciter verba Christi ponunt, quibus, quid daret significabat, nempe corpus & sanguinem suum. Lucas & Paulus illa Christi verba ponunt, quibus significabat, in quem finem corpus & sanguinem dedit, nempe ad sanciendum nouum fœdus ac testamentum cum nouo populo, vt iam explicatum est, & vt ipse Caluinus agnoscit. Nec Lucas nec Paulus causam narrat, cur calix vocetur sanguis, sed cur vocetur ab aliis Euangelistis *sanguis noui testamenti*. Nempe quia in illo sanguine esset nouum testamentum; in illo, inquã, accepto & hausto. Nulla igitur in verbis Lucæ ac Pauli verborum Matthæi ac Marci expositio est quoad nuncupationem sanguinis, sed bene quædam ampliatio, qua quorsum Christus sanguinem suum dedit, Christum dixisse plenius commemorant, itémque quædam expositio cur Sanguis noui testamenti vocatus à Christo fuerit. Illam ergo expositionem non iam Spiritus Sancti sed nefarij Caluini penitus reiicimus, qua dicitur, *quòd calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine.* Nam ideò calix vocatur sanguis Christi, quia verè in calice est sanguis Christi. Ideò autem vocatur *calix nouum testamentum in sanguine*, quia in calice non solum ipse Christi sanguis est, sed etiam est per modum sanguinis fœderalis seu testamentarij, id est, in eum finem datus, vt sit sanguis fœderis noui testamẽti, acceptus & haustus, sicut sanguis, quo Moyses totum populum aspersit, fuit fœdus & testamentum Dei cum veteri populo. Non ergo hic posterior sermo prioris illius sermonis, ratione vocabuli *sanguinis*, vel causa vel expositio est, sed αἰτιολογία est, & ratio reddita in quem finem sanguis datur, quem prior sermo datum esse affirmat, & quare *noui testamenti sanguis* vocatus est. Ergo verbis Christi mordicus inhærẽdum est, tam iis quæ Matthæus & Marcus, quàm iis quæ Lucas & Paulus scripserunt. Vtrobique, *simplicibus Christi verbis habenda est fides*, quod nos *contendere non oportere* ait Caluinus. Et cur, obsecro? *Christus* (inquit) *ipse est idoneus sui sermonis interpres.* Optimè. *At ille, palàm ostendit, non alia ratione se panem vocasse corpus suum, & calicem sanguinem suum, nisi quia nobiscum fœdus æternum pepigit, vt sacrificio semel oblato spiritualiter nunc epulemur.* Atqui hæc interpretatio non Christi sed Caluini est. Obseruandum diligenter, hæreticos istos, & Caluinum maximè, *Hæreticorum impostura.*

Christi verba & Christi interpretationem vocare, quæ ipsorum verba & ipsorum interpretatio sunt, non Christi. Astuti serpentes Deum hoc dicere aiunt, quod ipsi dicunt, non Deus. Christus nec palàm nec omnino ostendit se *non alia ratione panem vocasse corpus suum, & calicem sanguinem, nisi quia nobiscum fœdus pepigit*, &c. Ostendit sanè Christus se ideo dedisse corpus & sanguinem suum, vt per illa nobiscum fœdus æternum pangeret. Ideo enim de calice expresse dixit (quod & de corpore quoque intelligi aliquo modo posse non negamus) *Hic est nouum testamentũ in meo sanguine*. Sed nec ostendit se panem vocasse corpus suum, quod Caluini mendacium est (non enim dixit, Hic panis est corpus meum, sed dixit, *Hoc est corpus meum*:) nec in specie panis ostendens corpus suum, & in calice demonstrans sanguinem suum, dixit, Hoc non alia ratione est corpus & sanguis meus, nisi quia hoc est nouum testamentum meum in illis; sed iuxta Matthæum & Marcum designauit, adesse & sisti illic corpus & sanguinem suum; iuxta Lucam & Paulum palàm ostendit, sanguinem sic adesse & sic sisti, vt in illo sit nouum testamentum, id est, vt per illum & illius sumptione nouum ineretur fœdus ac testamentum. Ideò enim adiecit, *Accipite, comedite, bibite*. Non adiecit, *Istis immolatis in cruce, spiritualiter epulemini*. Hoc Caluini *extraneum commentum est, cui claudendæ sunt aures Christianorum*. Christi, inquam, verba attendere debemus, qui sui sermonis idoneus interpres est, non Caluini commentum: quod ille statim absurdissimo paradoxo cõfirmat, quum ait: *Quia fœdus hoc non nisi spirituali corporis manducatione & sanguinis potione sancitur*. Sancitur quippe hoc fœdus, vt iam ostendimus, reali manducatione, de qua Christus dixit, *Accipite, & manducate*: item reali potione, de qua Christus dixit, *Accipite, & bibite ex hoc omnes. Hic est enim calix*, &c. vt suprà satis explicatum dedimus. Ita impius Caluinus *stultè superstitiosos vocans qui Christi verba mordicus arripiunt*, & iterum dicens, *Non esse cur simplicibus Christi verbis fidem habendam esse contendamus*, manifestè, perspicuè, clarissimè, à simplicibus Christi verbis, ad suam astutam & mendacem glossam Lectorem abducit; Christi verba peruertit, sensum corrumpit, & ad suum impium commentum orbi obtrudendum, Christi interpretationem ac nomen mutuatur. Christi denique interpretationem & sensum nõ in Christi verbis, *Accipite, comedite, bibite*, sed in sui cerebri figmento, *Spiritualiter epulamini*, ponit. Hæc eius impietas,

Caluini mendacia.

Caluini paradoxum absurdum.

audacia, impudentia maior & execrabilior est, quàm vt vllis penè verbis explicari queat, vnde & ad eam simpliciter patefaciendam paulò pluribus verbis vti necesse fuit.

EXPOSITIONIS CALVINIANÆ super hæc Christi verba, *Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum,* refutatio.

His nunc ita expositis & constitutis, totam hoc loco Scripturæ huius Euangelicæ deprauationem à Caluino excogitatam breuiter refutabimus. *Ne* (inquit) *sim nimium prolixus, tantùm breuiter perstringam, qualis sit & quid in se contineat Domini institutio. Deinde quis sit eius vsus, quatenus ex Euangelistis colligere licet. Atque hoc primum occurrit, Christum Cœnam instituere, quam inter se communicent discipuli. Vnde sequitur diabolicum esse inuentum, quòd se vnus homo à reliquo cœtu separans, priuatim Cœnam peragit. Quid enim minus consentaneum, quàm distribui inter omnes panem, & seorsim ab vno vorari? Quamuis ergo iactent Papistæ se in suis Missis Cœnæ Dominicæ habere substantiam, ex re ipsa tamen constat, quotquot celebrant priuatas Missas, totidem à Diabolo ad obruendam Christi Cœnam erecta esse trophæa.* Mendacium. Hæc ille impostor impius & blasphemus. Christus quippe nõ hîc Cœnam instituit, sed partim Sacramentum, partim etiam Sacrificium. *Cœnantibus Apostolis accepit* quidem *Iesus panem*, &c. nõ quia Cœnam tunc aliquam peragebat, sed quia finita Cœna Paschali, & immediatè post cœnam familiarem atque communem, nouum hoc mysterium aggressus est. Missa priuata frustra impugnata. Hoc ipsemet Caluinus hoc in loco fatetur. *Finita* (inquit) *Cœna sacrum panem & vinum gustarunt.* & D. Lucas apertè scribit quòd *calicem accepit postquã cœnauit*, quod idem de pane Christum fecisse mysterij plenitudo cõuincit, & ipse Caluinus agnoscit. *Quod de calice* (inquit) *peculiariter narrat Lucas, ego ad panem quoque extendo.* Non ergo in hoc mysterio cœnauit aut Cœnã instituit Christus; sed nouæ legis Sacramentum & noui testamenti Sacrificium docuit. De Sacramento ipse Caluinus fatetur. *Hoc sine controuersia statui debet, abolitis figuris legalibus, proditum hic fuisse nouum à Christo Sacramentum.* Sacrificium hîc à Christo etiam institui, illa verba verbis sacramentalibus adiecta, *Quod pro vobis datur*, &c. *Qui pro multis effundetur*, manifestè Sacramentum & Sacrificium à Christo institutum, non Cœna.

docent. Ostendunt enim hæc verba quòd per modum & sub conditione immolati corporis in vna specie, atque item sub conditione effusi sanguinis in altera specie, Christus in hoc Sacramento existat: nec magis obstet immolatio incruenta & mystica, quo minus sit immolatio vera, quàm obstat existentia sacramentalis & mystica quo minus eadem sit realis & vera. *Vnde non mentitur* (ait August. Epist.23.) *qui interrogatus responderit Christum in hoc sacramento immolari. Immolatur quippe in sacramento.* Hæc ille, & alibi: *Sacrificij illius in cruce sacramentum, quotidianum voluit esse sacrificium.* Nempe quod quotidie Ecclesia sacrificat. Vnde & D. Chrysost. *Hoc sacrificium est exemplar illius. Idipsum enim semper offerimus.* Huc, si opus foret, aduocari tota Antiquitas potest. Christum enim in Cœna sacrificasse vno ore docent. Hieronym. in quæstionibus Hebraicis super Genesin. Leo sermo.7. de Pass. Domini. Basilius in Psal. 109. August. præter loca citata frequentissimè; in Psal.33. conc. 1. & Psal. 109. in orat. contra Iudæos, cap. 9. de Ciuitate Dei libr. 17. cap. 5. 17. 20. & lib.6. cap.22, & lib. 18. cap.35. contra aduersar. Legis & Prophet. lib. 1. cap. 18. Epiphan. hær.55. Ambros. de Sacrament. lib.4. cap. 3. Chrysost. homil. de proditione Iudæ, & in Psal.95. Theoph. & Oecum. in epist. ad Hebræos cap.10. Irenæus lib.4. cap.32. Impiè igitur & profanè Caluinus; qui Sacramẽti & Sacrificij ratione neglecta, Cœnam hîc à Christo institui ait, vt contra priuatas Missas declamitet. Quatenus ergo sacrificium hîc peragitur, vnus homo ad tem tantam initiatus, *& à reliquo cœtu* nõ *seipsum separans*, vt cauillator Caluinus loquitur, sed per impositionem manuum ab Ecclesia Dei segregatus, priuatim peragit. Quatenus Sacramentum est, siue ab vno, siue à pluribus percipitur. Et est in Missa Catholica Dominicæ Cœnæ substantia, quia corpus & sanguis Domini, prout ipse instituit, in ea verè ac realiter accipiuntur; & illud quidem manducatur; hîc bibitur. Caluinus ad obruendam Christi Cœnam sua fictitia metonymia, & Christi corpore ac sanguine tam procul à Cœna quàm cœlum à terra est eliminatis, nec nisi pane & vino in Cœna sua relictis, nobilissimum diabolo erexit trophæum. Pergit Caluinus.

De Ciuit. Dei lib. 10. ca. 20.
Hom.17. in epist. ad Hebr.

Iisdem verbis docemur (Accipite, & comedite) *qualis in Cœna oblatio a Christo tradita fuerit. Iubet suos accipere. Ipse est igitur solus qui offert. Quod ergo Papistæ se in Cœna offerre fingunt, à contrario authore profectum est. Et certe mira est ista*

Mendacium.

anastro

anastrophe, vt mortalis homo, dum Christi corpus accipere iubetur, sibi eius offerendi partes arripiat: atque ita sacerdos à seipso creatus, Deo filium suum immolet. Non disputo in praesentia quàm multis sacrilegijs scateat fictitia eorum oblatio. Mihi probare sufficit adeò nihil habere Christi institutioni affine, vt directè potius repugnet. Hæc ille. Magnus impostor Caluinus turpiter ac nefariè incauto lectori imponit. Ait Christum in illis verbis, *Accipite, & comedite*, docere *qualis ab illo oblatio tradita fuerit.* Mentitur. Illa verba ad Christi oblationem nihil pertinent, sed ad vsum rei oblatæ. Christi oblatio in cœna Deo patri facta, *in benedictione, gratiarum actione*, & symbolorum consecratione, quum diceret, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, tota consistit. Alia verba, *Accipite, & comedite*, de rei benedictæ, consecratæ, oblatæ sumptione & vsu loquuntur. Hæc vna est Caluini impostura mendax. Sequitur alia. *Iubet* (inquit) *suos accipere: ergo ille solus offert*, móxque hoc enthymemate confisus declamat contra Papistas *quòd accipere iussi, offerendi sibi partes arripiant.* Sanè fungos ac stipites fore qui hæc sua legerent, arbitratus videtur. Quis enim non statim aduertit impudentis hominis crassum delirium? Quis non videt Christum Apostolis suis non hoc solum dixisse, *Accipite, & comedite*, sed postea adiecisse, *Hoc facite in meam commemorationem?* nec sacerdotes Christi ideo offerre quia iubentur *accipere*, sed ideo offerre quia iubentur *facere* quod Christus fecit? Tota ergò corruit stolida Caluini cauillatio. In verbo Christi, *Hoc facite*, non in verbo Christi, *Accipite, & comedite*, offerendi potestas fundatur, quã Apostoli à Christo, sacerdotes ab Apostolis acceperunt. Ad hæc verba, & super hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, nihil prorsus Caluinus in harmoniæ suæ commentario scribit. Hæc verba penitus intacta prætermittit, dissimulat, tacet: quæ eius altera nequitia & astutia est, vt circumueniat in errore. Christus igitur in vltima cœna solus quidem obtulit & immolauit corpus suum & sanguinem; sed iubens Apostolos facere quod ille fecerat, iussit offerre sicut ille obtulit; nec hoc institutioni Christi repugnat, sed ex ea necessariò consequitur. *Sacerdos itaque* (ait S. Dionysius Areopagita, D. Pauli discipulus) *hanc rem admirabilem ac stupendam facturus excusat se ad Christum primò decenter exclamans, Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem.* Postea verò τὰ θεῖα τελεῖ, diuina perficit & consecrat. Et iterum: ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, *consecrat diuinissima.* Facit igitur sa-

Oblatio Christi quibus in verbis constabat.

Christi verba, Hoc facite, silentio inuoluit Caluinum.

Ecclesiast. Hier. par. 3. cap. 3.

cer

cerdos quod Christus fecit; *non à seipso sacerdos creatus*, vt calumniatur iste Satan, sed sacerdotio in Ecclesia Dei per impositionem manuum presbyterij legitimè initiatus, ídque

In homil. de prodit. Iudæ. in persona non sua sed Christi. Vnde D. Chrysost. *Non homo est qui proposita in mensa Domini corpus Christi facit & sanguinem, sed ille qui crucifixus est. Sacerdotis ore verba proferuntur, sed eius virtute consecrantur & gratia.* Tota antiquitas huc aduocari posset. Sed contra vnius Caluini dementiam sufficiunt hi duo antiquissimi Patres.

Iam ad illa verba, *Hoc est corpus meum*, quæ & quanta cauilletur Caluinus, expendamus. *Quòd his verbis panem consecratum fuisse dicunt, vt fieret carnis Christi symbolum, non improbo, modò rectè hoc nomen ac dexterè sumatur. Panem ergo, qui alendo corpori destinatus erat, elegit ac sanctificat Christus*

Mendacium. *in alium vsum, vt spiritualis cibus esse incipiat. Atque hæc est conuersio cuius mentio fit apud vetustos Ecclesiæ scriptores.* Primùm quòd ait nos dicere *panem cõsecrari vt fiat carnis Christi symbolum*, mẽtitur ac fallit. Non enim vt fiat carnis Christi symbolum, sed vt fiat ipsa Christi caro, consecrari panem Catholici affirmant. Nos retinemus verba Christi, non verba Caluini. Christus non dixit, Hoc est symbolum corporis mei, sed dixit, *Hoc est corpus meum*, & vt omne symbolum, signum, figura excluderetur, adiecit, *Quod pro vobis datur.* Hoc symbolo corporis Christi aptari non potest. Deinde verum quidem est hunc panem à Christo sanctificari in alium

Conuersio qualis iuxta veterem Ecclesiam. vsum, *vt spiritualis cibus esse incipiat*: quia incipit esse ipsum corpus Christi, qui spiritualis cibus est, & illa est conuersio cuius mentio fit apud vetustos Ecclesiæ scriptores. Sic D. Am-

De ijs qui initiantur mysterijs cap. 9. brosius. *Probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; esse vim benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur.* Et post multa huiusmodi mutationum exempla è Scripturis prolata, concludit. *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, mutare in id quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare quàm mutare naturas.*

De Sacr. lib. 4. c. 4. Rursum alio in loco. *Vbi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Et paulò pòst: *Non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem dico tibi quòd iam est corpus Christi. Sermo enim Christi creaturam omnem mutare consueuit, & mutat, quando vult, instituta naturæ.* Et post multa prolata exempla, concludit. *Ergo didicisti quòd ex pane fiat corpus Christi, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis*

guis consecratione verbi caelestis. Et rursum cap. seq. *Antequam consecretur, panis est: vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Et ante verba Christi, calix est vini & aquae plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.* Sic alij Patres. Origenes vetustissimus. *Oblatos panes edimus corpus iam per precationem factos sanctum quoddam, & sanctificans.* Greg. Nysse. *Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari.* Eusebius Emissenus. *Quanta vis diuinae benedictionis vt in Christi substantiam terrena elementa commutentur!* Cyprianus. *Panis non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi Dei factus est caro.* Irenaeus. *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* Chrysostomus. *Hoc verbum (Hoc est corpus meum) res propositas in mensa Domini transmutat.* Et eius imitator Theophylactus scribit, *ineffabili operatione ista transformari*, μεταποιεῖσθαι. In Matth. cap. 26. & alibi, *transelementari*, μεταστοιχειοῦσθαι. Cyrillus Alexandrinus. *Condescendens Deus nostrae fragilitati influit oblatis elementis vim vitae, conuertens ea in veritatē propriae carnis & sanguinis.* Vtitur autem Damascenus in hac conuersione describenda verbo μεταλαμβάνεσθαι, *transferri.* Et Eusebius loco citato scribit, *creaturas panis & vini nutu potentiae in corporis Dominici transire naturam.* Et iterum. *Inuisibilis sacerdos* (Christus) *visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit.* Haec est ergo elemētorum panis & vini conuersio, transmutatio, & vt tandem significantius Ecclesia Latina loqui voluit, transsubstātiatio, *cuius* (vt Caluinus hîc dicit) *apud vetustos Ecclesiae scriptores fit mentio:* non qualem ille nobis mox in sequentibus verbis comminiscetur. Sic enim prosequitur.

[Cap. 5. — Contra Celsum lib. 8. — In sermon. catechet. — Homil. 5. de Pasch. — Sermo. de cœna Domini. — In homi. de prod. iudae. — In Marc. 14. — Epist. ad Calosyr. — De orthodoxa fide lib. 4. c. 14 — Homil. 5. de Pasch.]

Sed tenendum est interea non consecrari panem susurro & flatu, sed clara fidei doctrina. Et sanè magica incantatio est quum ad mortuum elementum dirigitur consecratio: quia panis non sibi, sed nobis symbolum corporis Christi efficitur. Attende hominis blasphemiam in totam Christi, tum actionem tum institutionem. Negat panem consecrari verbo Christi, quod homo impius *susurrum & flatum vocat.* Addit maiori impietate *magicam incantationem esse, quum ad panem vel vinum dirigitur consecratio.* Ergo magicam incantationem docuit nos Paulus quum ita scriberet: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?* Ergo magicam incantationem exercuit Christus, quum in multi-

[Blasphemia. — 1. Cor. 10. — Consecratio elementorum probatur.]

plica

Luc. 9. Marc. 6. & 8. plicatione panum & piscium, *ipsis benedixit*, ait Lucas & Marcus, & ad ipsas creaturas suam benedictionem direxit? Ergo & in hoc Sacramento quum *accipiens panem in manus benedixit*, vtique acceptum panem (ait enim Marcus, *Accepit panem, & benedixit, & fregit*) incātatione magica vsus est Christus? Ergo tot vetusti Patres incantationem magicam ab Ecclesia exerceri docuerunt, quando ad ipsa hæc elementa panem & vinum consecrationem dirigi manifestè testati sunt? Origenes, *panes per precationem fieri corpus*, scribens, quid nisi super ipsos panes consecrationem fieri docet? *Dei verbo sanctificari panem*, ait Nyssenus. *Mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei*, ait Irenæus. *Oblatis elementis vim vitæ influit Christus*, ait Cyrillus. Docent hæc testimonia ad ipsa elementa dirigi consecrationem. Quare Iustinus Martyr vocat *panem* εὐχαριστηθέντα, quasi dicas *eucharistizatum*, seu super quo Eucharistia aut gratiarum actio peracta sit. Cyprianus scripsit, *calicem benedictione sacratum*: Augustinus, *benedici & sanctificari id quod est in mensa Domini*. Et iterum alio in loco: *panem ex fructibus terræ acceptum prece mystica consecrari*. Sed hoc totum impio Caluino incantatio magica est. Christus, Paulus, Patres omnes citati vni Caluino magiam exercent, si ad elementa ipsa panis & vini aliquam consecrationem dirigunt. Sed vt rumpatur Caluinus cum suis, ad ipsa elementa panem & vinum verba consecrationis dirigi, ipsa consecrari, benedici, ideóque in aliam planè naturam conuerti & immutari, docuit nos diuina Scriptura, docuerunt vetustissimi Patres.

Marc. 14.

Locis suprà citatis.

Apol. 2.

Sermo. de cœna Domini.

Epist. 59. quæst. 5.

De Trini. lib. 3. c. 4.

Insulsa Caluini ratiuncula.

Addit tamen insulsam ratiunculam Caluinus, ne ita intelligi debeat. *Quia* (inquit) *panis non sibi, sed nobis symbolum corporis efficitur*. Sanè non sibi, sed nobis ipsum Christi corpus efficitur, vt Christus loquebatur, & post eum tot alij vetusti Ecclesiæ scriptores citati: non symbolum corporis, vt Caluinus ex suo cerebro mentitur. Quòd non ipsis elementis sed nobis mutatio fiat, quis ambigit? Sed quæ nobis mutantur, nónne verè mutantur? Quando panis efficitur corpus Christi, vel, vt Caluinus vult, symbolum corporis Christi, tametsi non sibi, sed nobis id efficiatur, nónne tamen verè efficitur? Aqua vinum facta in nuptiis, non ipsi aquæ, sed conuiuis præsentibus vinum facta est: sed an propterea verum vinum illa aqua facta non est? An in verum vinum illa aqua conuersa non est? Hominis stupiditatem quis non videt? Et tamen placent miseris Caluinistis huiusmodi argumenta. Videamus cætera.

In summa, nisi aliud est consecratio quàm solemne testimonium quo nobis terrestre & corruptibile signum Dominus in spiritualem vsum destinat: quod fieri non potest, nisi clarè ad fidem ædificandam resonent eius mandatum & promissio. Vnde rursum patet obscuro murmure & flatu apud Papistas impiè profanari mysterium. Quid sit elementorũ panis & vini consecratio, iam ex vetustis Ecclesiæ scriptoribus audiuimus. Caluini commentum tota vetustas ignorauit. Eam itaque, *vt profanam vocum nouitatem*, iuxta Apostoli præceptum deuitamus, imò & auersamur atque execramur, ἐκτρεπόμεθα; quo verbo Apostolus vsus est. *De solemni testimonio* nihil Euangelium loquitur, nec Paulus memorat, quando huius mysterij institutio narratur. *Nec terrestre signum in spiritualem vsum Dominus destinat*, vt Caluinus loquitur; sed terrestres naturas in spiritualem substantiam Dominus conuertit, vt tot Patres citati vno ore contestantur. Ad fidem ædificãdam nullum hîc sonat mandatum, nulla promissio; sed ad *carnem Christi comedendam*, & ad *mortem Domini commemorandam*, sonat hîc mandatum Christi, *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: Hoc facite in meam commemorationem.* Hîc duplex mandatũ est, sed fidei ædificandæ nullum; tametsi qui vtrumque hoc mandatũ præstat, fidem suam egregiè exercet atque ædificat. Sed hæc fidei ædificatio (vt & alij huius diuini Sacramenti fructus) ex manducatione corporis Dominici & mortis eius cõmemoratione consequitur, non est ipsa manducatio aut mortis Dominicæ commemoratio. Promissio hîc est amplissima, *Quod pro vobis datur, Qui pro vobis effunditur.* Sed hæc promissio ex se, & quatenus talis, non ad fidem ædificandam, sed ad salutem & remissionem peccatorũ, aliaq; gratiæ beneficia consequenda pertinet. Ita non apud Papistas verbo Euangelico inhærentes, sed apud impios Caluinistas sua nouella & extranea verba obtrudentes, *impiè profanatur mysterium.*

Caluinus. Commenta Caluiniana. 1.Tim.6.

Eiusdem impietatis est quod sequitur. *Quòd si consecrat panem Christus, dum nobis testatur corpus suum esse; non imaginanda est substantiæ mutatio, sed tenenda est solùm vsus nouitas.* Iam enim ex vi verborum Christi, & doctissimorum Patrum sensu atque consensu ostensum est, dum Christus panem consecrauit, eius substantiam immutasse, de vsus nouitate nihil dixisse. *Hoc est corpus meum.* Verbo substantiali vtitur Christus. Verbo noui vsus non vtitur. Verbũ igitur Christi tenendum est, non verbum Caluini. Vsus nouitas, quam suppo

Caluinus.

supponit Caluinus,est vera nouitas,quam nulla cognouit antiquitas. Non ergo tenenda vsus nouitas cum nouis huius seculi magistris:sed tenenda substãtia corporis Christi,quam Christus disertè affirmauit, & tota cognouit antiquitas. Sed nunc pressius disputabit Caluinus, & Achillem suum proferet,vt Christi verba ad metonymiæ tropum necessario contorqueat.

Caluini Achilles.

Mendacium.

Pronunciat Christus,panem esse corpus suum. De Sacramento habetur sermo, fateri verò necesse est Sacramentum visibili signo constare,cui res signata coniuncta est,quæ est eius veritas. Iam & hoc satis tritum esse debet,rei signatæ nomen ad signum transferri. Quare nemo in Scriptura mediocriter versatus negabit,quin sacramẽtalis locutio metonymicè sumenda sit. Omitto generales tropos qui passim occurrunt in Scriptura. Hoc tantùm dico,quoties externum signum dicitur id esse quod figurat, omnium consensu metonymiæ locum dari. Baptismus si vocetur lauacrũ regenerationis; si petra,vnde aqua patribus in deserto fluxit, vocetur Christus; si columba, vocetur Spiritus sanctus; nullus controuersiam mouebit quin signis tribuatur nomen rerum quas figurant. Qui fit ergo vt quod Sacramentis omnibus commune est,ad cœnam aptari non sustineant quos tenet reuerentia verborum Domini? Simplex & literalis sensus eos delectat. Cur ergo in omnibus Sacramentis non valebit eadem regula? Certè nisi petram substantialiter fuisse Christum concedant, putida est,qua nos grauant,calumnia. Si panem exponimus vocari corpus quia sit symbolum corporis, labefactari obtendunt totam Scripturæ doctrinam. Neque enim hanc loquendi regulam nuper fabricauimus, sed ex veterum authoritate ab Augustino traditam omnes amplexi sunt, signis impropriè rerum spiritualium nomina ascribi:atque ita debere exponi omnes Scripturę locos vbi de Sacramentis fit mentio. Quorsum ergo attinet dum axioma sumimus passim receptum, quasi in re noua & insolita magnos clamores mouere? Cæterum clament, vt libuerit, prefracti homines;hoc apud sanos & modestos valebit, in his Christi verbis sacramentalem esse loquendi formam. Vnde sequitur, panem, quia symbolum est corporis Christi, vocari corpus. Hæc hactenus Caluinus. De hac explicatione gloriatur frequenter veluti de muro aheneo & clypeo fortitudinis contra omnes suæ sententiæ aduersantes, aut proprietatem verborum Christi tenere volentes. Sed explicatio vana ac fallax est, à qua ipse Caluinus recedit.

Primùm à luculento mendacio orditur. Pronũciare Christum

ſtum ait *panem eſſe corpus ſuum.* Atqui non dicit Chriſtus, Hic panis eſt corpus meum: ſed dicit, *Hoc eſt corpus meum:* & ita dicit vt relatiuum *hoc* nec in Latino nec in Græco textu cum pane quadrare poſſit, cùm diuerſi generis pronomen ſit, nec niſi cum corpore conueniat. Sumit ergo ſibi Caluinus quod nemo illi Catholicus dabit, ideóque imprimis probare debuerat. *Caluini mendaciũ conuincitur.*

Iam *de Sacramento haberi ſermonem* nõ negamus; tametſi alij Caluiniſtæ in hac materia Euchariſtica omnem Sacramenti ſermonem propter vocabuli ambiguitatem penitus aboleri & prætermitti debere cenſeant: quod multis rationibus probare contendit Clebitius Caluiniſta in Victoria veritatis & ruina Papatus Saxonici. *Sacramentum quoque viſibili ſigno conſtare, cui res ſignata coniuncta eſt, quæ eſt eius veritas,* loquendo de Sacramentis nouæ legis, quale iſtud imprimis eſt, libenter etiam concedimus, quia Sacramenta noſtra non ſunt ſigna inania, ſed efficacia. Alioqui hanc Caluini regulam vt generaliter veram meritò alij Zvvingliani reijciunt, quum nec Agnus Paſchalis, qui Chriſtum repræſentabat, & liberationem filiorum Iſrael ex Ægypto, cum illis rebus ſignatis vllo modo coniuncta eſſet, quando res altera nec dum venerat, altera præterierat; nec ſerpens ille æneus qui Chriſtum figurabat, Chriſtum cõiunctum habebat; nec tam multa veteris populi ſacrificia ac Sacramẽta cum rebus quas ſignificabant, (quando *vmbra futurorum erant*) vllam cõiunctionem habebant. Regula igitur illa Caluini quam ait *fateri neceſſe eſſe,* non eſt generaliter vera. Sed in Sacramentis noui populi veram eſſe (vnde contra aliam Caluini hæreſim obiter obſeruamus manifeſtum eſſe Sacramentorum veteris ac nouæ legis diſcrimen) agnoſcimus.

Sed hæc ipſa regula Caluini, metonymiam & locutionem figuratiuam, quam ſtatuit Caluinus, vel maximè refutabit. Si enim Euchariſtia tale Sacramẽtum ac viſibile ſignum eſt, cui res ſignata coniuncta eſt, res autem ſignata iuxta Caluinum eſt *ipſum corpus Domini* (ait enim panem vocari corpus quia ſymbolum corporis eſt) conſequetur neceſſariò ipſum corpus Domini cum pane tanquam rem ſignatam cum ſuo ſigno adeſſe, quæ ſententia Lutheranorũ eſt, quam ipſe Caluinus reprobat, & in ſequentibus refutare conatur. Rurſum faceſſere debet, *efficacia, virtus, aut vita de corpore Chriſti in cælo nobis deriuata,* iuxta propriam Caluini ſententiam; & ipſiſſimum Chriſti corpus præſens in hoc Sacramento ſiſti *Caluini regula metonymiam Caluini potenter refutat.* 1. 2.

debet. Eſt enim *panis ſymbolũ corporis* (ait Caluinus) *& ſignum cum re ſignata coniungi debet.* Non eſt ſymbolũ aut ſignum efficaciæ corporis Chriſti, aut virtutis alicuius ex eo deriuandæ, ſed ipſius corporis. Iuxta Caluinum Chriſtus dicens, *Hoc eſt corpus meum,* hoc dixiſſe cenſendus eſt, *Hic panis eſt ſymbolum corporis mei :* & ſignum cum re ſignata debet eſſe coniunctum. Adeſt ergo ipſum Chriſti corpus cum pane: ipſum, inquam, veraciſſimum Chriſti corpus, quod pro nobis datum eſt. Sanè efficacia aliqua aut virtus corporis pro nobis data non eſt, ſed ipſummet Chriſti corpus.

3\. Deinde ſi res ſignata cum ſuo ſigno, corpus Chriſti cum pane, infallibiliter cõiunctum eſt, falſum id totum erit, quod tum alibi ſemper, tum hoc ipſo in loco in ſequentibus tanquam propriæ ſuæ ſententiæ punctum & cardinem lectori inculcat. *Sed hic* (inquit) *tria obſeruare operæprecium eſt. Ne perperam res ſpiritualis cum ſigno miſceatur: deinde ne quæratur in terra Chriſtus, vel ſub terrenis elementis: tertiò ne fingatur alia manducatio quàm quæ arcana Spiritus virtute Chriſti vitam nobis inſpirat, quod ipſum non niſi ſola fide conſequimur.* Tota, inquam, hæc triplex obſeruatio ex hac vna Caluini regula penitus concidit. Nam ſi in hoc Sacramento panis eſt ſignum corporis Chriſti, & ſignum debet eſſe cum re ſignata coniunctum, panis cum Chriſti corpore, quomodo fieri poteſt, quin res ſpiritualis (Chriſti corpus) cum ſigno, qui panis eſt, non miſceatur, id eſt, non cõiungatur arctiſſimè? Rurſum, quomodo fieri poteſt, quin quærendus ſit in terra Chriſtus, & ſub terreno panis elemento quærendus, poſtquam panis iſte in terra eſt, cui Chriſti corpus vt res ſignata ſuo ſigno coniuncta eſt? Tertiò, quomodo vitari poteſt vera corporis Chriſti manducatio, quando panis ille manducatur cui tanquam ſigno ſuo res ſignata Chriſti corpus cõiunctum eſt? Aut enim qui manducat hunc panem, Chriſti quoque corpus manducat cum ipſo pane coniunctum, vt rem ſignatam cum ſuo ſigno; aut falſum erit, rem ſignatam in hoc Sacramento cum ſuo ſigno, corpus Chriſti cum pane, iuxta regulam ſacramentalem eſſe coniunctũ. Hinc ergo ſequẽtur omnia quę contra Catholicam ſententiam accumulare ſolet Caluinus: Chriſti corpus ſub corruptibili panis elemento cõcludi: Chriſti corpus pluribus in locis ſimul eſſe ſicut hic panis eſt: Chriſti corpus duplex eſſe, vnum in cælo viſibile, alterum in terris inuiſibile, quod corporaliter adſit, ſicut panis adeſt. *Nam hoc fateri neceſſe eſt* (ait hìc Caluinus) *Sacramentum viſibili ſigno conſta*

Caluini Achilles ex ipſo Caluino refutatur.

conſta

constare, cui res signata coniuncta est, quæ est eius veritas.

Porro hanc cōiunctionem arctissimam atque certissimam magis confirmant exempla è Scripturis à Caluino prolata. Baptismus sic est *lauacrum regenerationis*, vt qui baptismum rite suscipiunt, rem signatam cum signo coniunctam, spiritum regenerationis cum ablutione externa recipiant. Petra vnde aqua Patribus in deserto fluxit, sic fuit signum Christi, vt ab illo signo non abesset Christus: *Bibentes enim Patres de illa petra* materiali, *biberunt de consequēte eos petra Christo*; id est, hauserunt auxilia gratiæ à filio Dei, qui eos comitabatur & adiuuabat in omnibus. Columba sic erat signum Spiritus Sancti cum re signata coniunctum, vt Ioannes videns columbam, *viderit Spiritum Sanctum descendentem super Christum.* Sic ergo, si hæc à Caluino prolata rei præsenti conformia & similia sunt, qui accipit hunc panem, accipit corpus Christi præsens: qui manducat hunc panem, manducat corpus Christi præsens: qui videt hunc panem, videt corpus Christi præsens: in signo quidem, sed non inani aut fallaci, verùm huiusmodi cui res signata coniuncta est. Sic ergo Caluini regula, & quæ ad illam confirmandam è Scripturis exempla protulit, ad ipsum maximè Caluinum refutandum, eiúsque propriam sententiam penitus subuertendam, imprimis faciunt.

Caluini exempla metonymiā Caluini refutāt.

Tit. 3.

1. Cor. 10.

Matth. 3.

Cæterum Caluinus (quod attendat qui eius imposturas tenere & cauere cupit) nunc hoc in loco, vt suā metonymiam & symbolicam locutionem probet, vrget Sacramenti rationem, & panem à Christo vocari corpus vult, quia symbolum corporis eius est, & signo sacramentali res signata coniungi debet, quæ sit eius veritas. Arqui idem Caluinus, quādo hæc Christi verba nō tractat, sed de re ipsa præsentiæ corporis Christi disputat, nullam prorsus agnoscit *signi & rei signatæ*, panis & corporis Christi, *veram coniunctionem*, sed habitualem quandam & analogicam tantùm, vt tam verè nobis exhibeatur corpus Christi, quàm verè exhibetur signum eius, & tunc offeratur quando signum offertur, panis videlicet in Cœna; ipsi tamen signo, ipsi pani, non propius adiungatur corpus Christi, quàm cælum terræ admouetur. Corpus enim Christi non iam cum pane vt rem signatam cum signo, sed in cælo tantùm esse; nec mediante pane, aut cum pane corpus Christi accipi, sed tantummodò mediante Spiritu Christi vt causa efficiente, & mediante fide nostra vt causa instrumentali, sine qua fide nulla rerū cum signis intercedit cōiunctio.

Impostura Caluiniana.

Caluini vera sententia. Ita ex vera Caluini ſententia, panis, ſiue id quod Chriſtus in Cœna porrexit, quódque hodie in Sacramento accipitur, nullum planè ſignum eſt corporis Chriſti, nec vllam habet cum eo coniunctionem niſi imaginariam: & quando iuxta Caluinum percipitur corpus Chriſti, non id cum pane percipitur, aut per panis mãducationem, ſed per ſolam fidem, quæ Chriſtum in cælo quærit; & per Spiritum Chriſti, qui non corpus ſuum ſed vim quandam corporis viuificam ad nos tradncit, idque æquè extra Sacramenti ſumptionem quàm in illa aut cum illa. Ita in ſenſu Caluini vero, panis in Cœna nihil niſi inane ſpectrum relinquitur; & verba Chriſti, *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum*, prorſus euacuantur. Et hunc totum ſuum ſenſum in fine explicationis ſuæ in hunc locum aperit, quem hîc propterea proponemus.

Poſt illa tria quæ obſeruari voluit poſita, & à nobis ſuperius commemorata, quòd *res ſpiritualis non debet cum ſigno*
1. *miſceri*, quòd *Chriſtus in terra quærendus non eſt*, quòd *alia*
2. *manducatio fingenda non eſt quàm quæ arcana virtute Spiritus*
3. *Chriſti vitam nobis inſpirat, quam ſola fide conſequimur.* Mox illa tria confirmat & explicat magis his verbis. Primùm hoc modo. *Primùm* (vt dixi) *maneat inter ſignum & rem ſignatam diſtinctio, niſi velimus omnia peruertere. Neque enim vlla reſtabit Sacramenti vtilitas, niſi nos pro ruditatis noſtræ captu à terreni elementi intuitu ad cæleſte myſterium deducat. Proinde quiſquis corpus Chriſti à pane non diſcernet, & ſanguinem à vino, nunquam intelliget quid velit Cœna, vel quorſum hiis ſymbolis vtuntur fideles.* Ad hoc primum quod attinet, diſcernere & diſtinguere iſta omnino oportet, ſiue panem ipſum ſymbolum corporis ponas (vt vult iam cum Lutheranis Caluinus) ſiue ſolas ſpecies panis ac vini pro ſigno ſacramentali agnoſcas, vt nos Catholici credimus, de quo mox plura dicemus. Non ſunt autem ita diſcernenda, vt etiam ſint ſeparanda. Manere debet diſcretio, non aboleri coniunctio, quia *fateri neceſſe eſt Sacramentum viſibili ſigno conſtare, cui res ſignata coniuncta eſt.* Quare ſi Sacramentum ſaluum eſſe volumus, ſic ſignum à re ſignata diſcernemus, vt ea tamen non ſeparemus ab inuicem, ſed coniuncta relinquamus. Videamus nunc an quæ in Caluino ſequuntur, hanc coniunctionem admittant. *Sequatur* (inquit) *deinde legitimus ille quærendi Chriſti modus: hoc eſt, ne in terra mentes noſtræ ſubſidant, ſed ſurſum conſcendant ad cæleſtem gloriam, in qua habitat.* Iam ergo iuxta Caluinum Sacramentum

Diſcernitur ſignum à re ſignata, non ſeparatur.

mentum relinquendum est, signum negligendũ est: Non in Sacramento, non in signo visibili, quod in terra video, sed in cælo, Christi corpus, rem signatam, quærere debeo. Vbi ergo illa quam statuisti *signi cum re signata coniunctio?* Prorsus euanuit. Nos verò Catholici in Sacramento Christum quærimus, tenemus, accipimus, manducamus, & signum visibile cum re signata possidemus, non panem cum corpore Christi, sed panis species cum corpore Christi. Atqui hanc cõiunctionem signi cum re signata, quam modò dixit *fateri necesse esse*, vide nunc vt in sequentibus magis dissoluat. *Neque enim*, inquit, *Christi corpus incorruptibilem vitam induit, vt naturam suam abijceret: vnde sequitur finitum esse. Iam verò supra cælos ascẽdit, ne qua nos in terris crassa imaginatio occupet.* Ecce, probare vult Christi corpus cum signo sacramentali, quod in terra est, coniungi non posse, quia corpus Christi in cælo est, finitum est, & certo in cælis loco comprehensum est. Ad rem quod attinet, scimus Christi corpus secundum naturalem existendi modum, in specie naturali ac visibili cum tota corporis sui dimensione, non nisi in cælo esse; supernaturali tamen & mystico modo existendi, iuxta totam substantiæ suæ rationem, quæ à qualitate ac quantitate non dependet, in Sacramento existere; de quo hîc latiùs disputandi locus non est. Id vnum hoc loco contra Caluinum vrgemus, si non nisi in cælo Christi corpus est, si in terra quærendus non est, quare lectores suos prius delusit, dicẽs, panem esse signum corporis, & Christi verbá hoc sonare, *Hic panis est signum corporis mei, signum autem sacramentale cum re signata coniunctum esse?* Addit adhuc Caluinus. *Et sanè si mysterium hoc caleste est, nihil magis praposterum quàm Christum in terram deducere qui nos sursum potius ad se vocat.* Ad rem respondemus hoc mysterium planè cæleste esse, propter rem in hoc mysterio contentam planè cælestem (est enim *panis verus qui de calo descendit, & dat vitam mundo*) propter fructum quoque huius mysterij planè cælestem ac diuinum: *Qui enim manducat hunc panem, viuet in aternum.* Denique propter cælestem & spiritualem rei in mysterio existentis modum: *Verba enim hac spiritus & vita sunt*, nec carnaliter, sed spiritualiter intelligenda. Ad Caluinum verò quod attinet, cur nunc ait *praposterum esse Christum in terram deducere*, qui antea dixit *panem* (vtique in terra existentem) *signum esse visibile corporis Christi, signum autem cum re signata coniunctum esse debere*, nisi quòd

Caluini contradictio ad oculum probatur.

Ioan. 6.

(vt dixi) impostor nequam lectori suo voluit illudere, & ad eum fallendum aliter loqui, aliter intelligere? Videamus quæ adhuc sequuntur. *Vltimum* (inquit) *quod notandum esse admonui, est manducationis genus. Neque enim somniandum est, naturalem fieri substantiæ eius transitum in animas nostras, sed comeditur à nobis eius caro, dum ex ea vitam percipimus. Tenenda enim analogia est, vel similitudo panis cum carne, qua docemur, non secus pasci animas carne ipsa Christi, quàm panis vigorem corporibus instillat. Spirituale ergo alimētum est Christi caro, quia nobis viuifica est. Ideo autē viuificat, quia vitam, quæ in ea residet, Spiritus Sanctus in nos diffundit.* Ponamus totum hoc Caluini commentum (cuius ne gutta quidem in Scripturis apparet, sed ex eius malè sano cerebro totum profectum est) verum esse. Vbi est illa *coniunctio rei signatæ cum signo visibili*, corporis Christi cum pane? Quid facit panis manducatio, iuxta Caluinum? vbi nunc aut quorsum Christi verba, *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum?* Quid symboli manducatio manducanti confert? Si signo res signata coniuncta est, an non qui signum accipit & manducat, rem quoque signatam accipit & manducat? minimè gentium, ait Caluinus. *Comeditur* (inquit) *Christi caro dum ex ea vitam percipimus, & spirituale alimentum est Christi caro, quia nobis viuifica est.* Sed quomodo ex Christi carne vitam percipimus, aut quomodo nobis Christi caro viuifica est? An quia in signo panis eam comedimus, quia res signata suo signo coniuncta est? Nihil minus iuxta Caluinum. *Ideò* (inquit) *viuificat caro Christi, quia vitam, quæ in ea residet, Spiritus Sanctus in nos diffundit* Et addit: *quamquam aliud est vesci Christi carne quàm in ipsum credere* (quod propter Cinglianos dixit, qui statuunt, manducare Christum nihil aliud esse quàm credere in Christum) *sciendum tamen est, non aliter Christo nos posse vesci quàm per fidem. quia manducatio ipsa fidei est effectus.* Summa ergo est, carnem Christi manducari quatenus viuificat; viuificare quatenus vitam in Christo residentem Spiritus Sanctus in nos diffundit; ac per hoc non aliter nos vesci Christo quàm per fidem. Sic tota causa, tota ratio, totus modus manducandi Christum est sola fides: quæ quidem exerceri potest non secus extra Sacramentum quàm cum illo Sacramenti igitur manducatio iuxta Caluinum nihil prorsus ad corporis Christi manducationem confert; nisi quod fortasse fidē ipsam Sacramenti conspectus & vsus magis excitat. Qui Sacramentū accipit, in illo aut per illud aut cum illo

Caluini sententia Christi verba & totā Sacramenti rationē penitus è medio tollit.

Caluinianæ sententiæ summa.

illo nihil nisi panem & externum symbolum accipit. Vbi ergo coniunctio illa signi cum re signata? Vbi est generalis illa regula & omnibus Sacramentis communis, quam antea premebat, locutionē sacramentalem metonymicè sumendam esse? Prorsus enanuit, prorsus verba & voces fuerunt, quibus interim Lectori fucum faceret, vt in verbis Christi, *Hoc est corpus meum,* sacramentalem esse loquendi formam, ideóque hunc habere sensum suaderet, Hic panis est symbolum corporis mei: quia propter coniunctionem signi cum re signata, alteram alterius appellationem accipit.

Nunc autē Christi sermo in illis verbis, *Hoc est corpus meū,* non est sermo aut locutio sacramentalis, rem signatam signi nomine exprimens; sed est sermo operatorius & forma verborum conficiens rem Sacramenti, simúlque signū sacramētale demonstrans. Neque dixit, *Hic panis est corpus meum*; sed accepto in manus pane, eúmque benedicens, dixit, *Hoc est corpus meum,* conficiens de pane corpus suum, & panem, quem in manus acceperat, illo verbo suo diuino, veraci, efficaci, conuertens atque immutās in corpus suū, vt ex tam multis & perspicuis veterum Patrū testimoniis, ex varia verborū Christi circumstantia, ex ratione noui testamenti ac fœderis in hoc Sacramento constituti, suprà efficaciter ostendimus. Est quoque hîc verum Sacramentum à Christo institutū, & adest visibile signum cum re signata coniunctum, nō ipse panis, qui in Christi corpus verbo Christi veraci & efficaci conuersus, panis esse definit, sed species externa panis cum vero corpore Christi. Hæ species panis & vini, signa visibilia in hoc Sacramento sunt, cum ipso corpore & sanguine Christi, tanquā re Sacramenti signata, verè & intimè coniūcta: neque hæ species, quàm diu integræ manent, à corpore & sanguine Christi diuelli possunt. Qui has species accipit, māducat, & bibit, corpus & sanguinem Christi accipit, manducat, & bibit. Hæ species veram & plenam analogiam sacramentalē habent, quam ex natura cuiusque Sacramēti Caluinus desiderat. Quū enim Sacramenti natura in significatione sit posita, species istæ & accidentia, quæ sub sensum cadūt, signorum officio aptissimè funguntur. Itaque & nutritionem, & rem vnam quæ conflet ex diuersis, ipsæ species panis & vini satis significant, sicuti res signata verè nutrit, & accipientes eā vnum corpus facit. Substantia cuiusque rei inuisibilis est, ideóque ad significandum inepta. Quare Christus substantiā panis à fide remouit, dicēs post acceptum panem, *Hoc est corpus meum,* accidētia retinuit,

Verborum Christi sensus verus.

Sacramētalis analogiā in Sacramento Eucharistia.

Num. 21. ad significandum idonea. Serpens æneus in figura serpentis, non in natura, seruauit analogiam, vt significaret Christum Saluatorem omnium qui credunt in eum. Act. 2. Linguæ igneæ in figura non in substantia linguarum, seruabant analogiam ad significandum Spiritum S. qui reipsa super Apostolos descẽdit. Act. 10. Animalia in linteo demissa in figura non in substantia satis significabant Petro quod illi dictum erat, *Macta, & manduca.* Sic species panis ac vini à Christo consecrati satis significant, & sacramentalem analogiam satis seruant, vt cũ Christi corpore & sanguine coniunctæ signũ sacramentale exhibeant. Hoc modo fatemur in hoc Sacramento diuinissimo signum esse visibile cum re signata coniunctũ, quæ eius sit veritas. Nec tamẽ Christi verba opprimimus, aut fallacia atque elusoria facimus, sed, vt sonant, religiosè ac piè retinemus: vt quod esse corpus suũ dixit, ipsissimũ corpus suũ esse credamus, nec symbolũ nec signũ, nec vim aut efficaciã aliquam viuificã è cœlo per Dei Spiritum diffusam. Adest Christi corpus cum specie panis, sicut res signata cum suo signo coniuncta.

Rei signata nomen ad signum in Christi verbis non transfertur.

Iam quod addit Caluinus *tritum esse vt rei signatæ nomen ad signũ trãsferatur*, verum sanè id est, sed in his Christi verbis nullum locum habet: in quibus, si vera Caluinus narrat, non ad signũ rei signatæ nomen, sed ad rẽ signatã signi nomẽ transfertur. Vult enim ad corpus Christi, rem signatam, corporis signum transferri, vt quum Christus dixerit, *Hoc est corpus meum*, intelligendus sit dixisse, Hoc est signum corporis mei. Sic res ipsa signata pro signo pronunciabitur, quod prorsus contra naturam metonymiæ est, vt mox ostendemus. Deinde tametsi petra Christum, columba Spiritum Sãctum, Baptismus lauacrum regenerationis significant, quum nullum horum res ipsa quam signant substantialiter sit, nihil tamen simile in Christi verbis attendi potest. Nunquam enim de illa petra dictum est, *Hæc est Christus*: nunquam de columba, *Hæc est Spiritus Sanctus*: nunquam de Baptismo, *Hic est lauacrum regenerationis*, &c. Non est, inquam, dictum cum huiusmodi circunstantiis & appẽdicibus quæ sensum verborum literalem probant, cum quibus hæc verba dicta sunt, *Hoc est corpus meum*, sicuti in superioribus etiam demonstrauimus. Nulla igitur est inter alias illas locutiones, *Petra erat Christus, Vidi Spiritum Sanctum descendentem sicut columbam, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, & inter hæc Christi verba, *Hoc est corpus meũ*, similitudo prorsus, nulla affinitas, nulla comparatio. Planè igitur Caluinus totũ Christi sermonem

labefa

labefactat, corrumpit, peruertit, quum quod Christus corpus suum esse veraciter dixit, ille non nisi symbolum corporis dixisse & dedisse affirmet.

Nec *hanc loquendi formulam nouellam*, & impiam, *ex veterum authoritate ab Augustino traditam* Caluinus accepit, dũ *signis impropriè rerum spiritualium nomina ascribi docet.* Scriptum hoc sanè reliquit Augustinus. *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, ita Sacramentum fidei fides est.* Sed hæc verba Caluini dementiæ non suffragantur. Augustinus dicit: *Sacramentum corporis Christi* (id est, species sacramentales) *vocari secundum quendam modum corpus Christi*, sed non dicit corpus Christi vocari aliquo modo Sacramentum corporis, siue signum aut symbolum corporis, sicuti Caluinus dicit. Longè aliud est dicere, Sacramenta seu *sacra signa accipiunt ipsarum rerum nomina quarum sunt signa*, (quod Augustinus dicit) & dicere, ipsas res accipere nomina signorum ipsorum, vt Caluinus dicit. Dicuntur quidem & elegantius dicuntur arma pro bello, toga pro pace, laurea pro triumpho, lingua pro eloquentia, fasces pro magistratu, sceptrum pro Rege, quia hæc omnia signa sunt & notæ earũ rerum quarum nomina accipiunt; sed nemo econtra dixerit bellum pro armis, pacem pro toga, triumphum pro laurea, eloquentiam pro lingua, magistratum pro fascibus, Regem pro sceptro. Metonymia quippe signi & signati non est reciproca, vt sicut signum collocatur pro signato, sic vicissim signatum vicem ac locum signi subeat. Quod ergo Augustinus dixit, ex natura metonymicæ locutionis dixit. Quod Caluinus finxit, contra naturam & rationem locutionis metonymicæ confictum est. Sic iuxta August. baptismus qui est sacramentum fidei, significat fidem in paruulo baptizato, qui signum fidei accipere potest, actum fidei exercere non potest; sed quòd fides significet baptismum, nec Augustinus nec vllus theologus dixerit. Vocabulum panis significat apud Paulum corpus Christi, siue quia speciem panis eo nomine exprimat, siue quia id dicat vnde corpus Christi confectum est, sicut Euãgelista dicit *gustasse architriclinum aquam vinum factum.* Sed vocabulum corporis Christi, nec apud Paulum nec in vlla Scriptura panem denotat, aut pro pane accipitur. Aquæ nomen tri-

Augustini sententia explanatur.

Epist. 23. ad Bonifacium.

Signa accipiunt nomina rerum, non res signorum.

Metonymia nõ est figura reciproca.

1. Cor. 10.

Ioan. 2.

buitur Spiritui Sancto, quia illius donationem ac virtutem
Ioan. 4. quo iam modo repræsentat. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei*, &c. sed Spiritus Sancti nomen econuerso non tribuitur aquæ. Ignis nomen tribuitur charitati, *Veni ignem mittere in terram*: sed nō vicissim charitatis nomen ipsi igni. *Luc. 7.* Denique in omnibus locutionibus figuratis, seu metaphoricis, seu metonymicis, quæ passim in Scripturis occurrunt, signi nomen tribuitur rei signatæ semper, rei signatæ nomen signo nunquam. Absurdissimè igitur Caluinus non solùm impiè & sine vllo vel in Scripturis vel in Patribus exemplo, metonymiam in Christi verbis confingit, qua res signata collocetur pro signo, corpus Christi pro pane significante. Deiectus est igitur totus Caluini Achilles & murus aheneus, in quo tantopere gloriatus est, nec Sacramenti ratio in hoc mysterio vllam in Christi verbis locutionem metonymicam aut probat aut patitur. Sua igitur malè stabilita sentētia, aliqua profert contra Catholicam sententiam & contra Lutheranos argumenta Illos enim sibi nō minus aduersos sensit quàm Catholicos. Quæ contra orthodoxā doctrinā profert (aliis prætermissis, vt se mutuò hæ sectæ cōficiā-)breuiter soluēda sunt.

Caluini argumenta contra sensum orthodoxum. *Papistæ* (inquit) *sua transsubstantiatione delusi, negant ostendi panem, quia tantùm maneat species sine subiecto.* Si Papistæ panis transsubstantiatione delusi sunt, certè & tota vetusta Christi Ecclesia delusa fuit, à qua hanc transsubstantiationem panis seu conuersionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi firmiter creditam ac receptam fuisse, tot illustrium eius ætatis luminum testimonia (quæ paulò antè produximus) indubitatum faciunt. Sed solenne Caluino est Papistarum nomine totam veterem Ecclesiam damnare, & veteris Ecclesię fidē Papistis, quasi modernis tantùm Catholicis, vitio vertere. Hic eius dolus malus, hæc impietas est.

1. Cor. 10. Sed (inquit) *eorum delirium refutat Paulus, affirmans, panem, quem frangimus, esse communicationem corporis Christi.* Huic obsoleto argumento iam millies responsum est, panem ab Apostolo appellari, non qui in natura & substantia panis sit (quomodo enim naturalis panis manducatio, corporis Christi possit esse communicatio, maximè apud Caluinum, qui, vt suprà accepimus, non ex panis manducatione, sed ex Spiritus Christi in cœlo residentis operatione, mediante fide nostra, communicationem corporis Christi in nobis fieri docet, imò nec corporis, sed efficaciæ cuiusdā vitalis ex corpore) sed quod ex pane factum erat, idque more

vsita

vsitatissimo Scripturarum; quando & Eua vocatur caro Adæ, *Genes. 2.*
quum suam illa tunc carnem non Adæ haberet, quia de illo
sumpta erat; sicut virga Moysis in serpentem versa virgæ no- *Exod. 7.*
men retinuit,& aqua in vinũ versa aqua vocatur apud Ioan- *Ioan. 2.*
nem:quo etiam modo cæci dicuntur à Christo videre,& clau- *Luc. 7.*
di ambulare,qui non iam sed olim cæci ac claudi fuerant. Sed *In antido-*
hanc responsionem & adhuc alias altissimè dissimulans Cal- *tu nostris*
uinus,argumentum semper premit,solutioni argumenti non *Apostoli-*
satisfacit. Latius hunc locum ad ipsum Apostoli textum tra- *cis.*
ctauimus.

Pergit Caluinus. *Deinde ab eorum figmento abhorret ipsa natura Sacramenti,cui non constabit sua integritas,nisi verum sit externum symbolum. Vnde enim discemus Christi carne pasci animas nostras, si verus panis non statuatur nobis ante oculos,sed inane spectrum?* Huic argumento à natura Sacramenti ducto, quod in proximè præcedentibus latè tractauit Caluinus,latè respondimus,& verum hîc adesse externum symbolum ostendimus,quia adsunt species panis ac vini ad significandum aptissimæ. Sed certè Caluinus ille est qui externum symbolum à re significata diuellit, & mutilum Sacramentum facit,dum in cœna sua nudum panem ponit, Christi autem corpus non nisi in cælo:ídque adeo vt nec mediante pane aut signo externo, sed sola mediante fide nostra, & spiritu Christi,nec ipsum Christi corpus (res in Sacramento signata) sed quædam ex eius corpore vis viuifica,in illa sua cœna profana & commentitia percipi fingatur. An iuxta Caluinum sacramento sua constat integritas (quod contra nos toties vibrat) qui tot modis Sacramentum lacerat;& signum quod fingit, à re signata tot modis diuellit? Quod autem hîc dicimus, paulo superius comprobatum reliquimus.

Iam quod tam anxiè rogat, *vnde discemus Christi carne pasci animas nostras, si verus panis non statuatur ante oculos*; primum ipse Caluinus negat penitus *ipsa carne Christi pasci animas nostras*, & solam ab ea in cælo semper residente, vim & efficaciam quandam spiritualem per Spiritum Christi veluti canalem in animas nostras diffundi comminiscitur. *Sub hæc* (inquit) *corruptibilia elementa, panem & vinum, Christũ* *Instit. lib.*
è cælo retrahere non est opus,quò ipsius participatione fruamur, *4. cap. 17.*
quando hoc beneficij per Spiritum suum ipse nobis largitur, vt *num. 12.*
vnum corpore & spiritu & anima secum fiamus. Vinculum ergo istius coniunctionis est spiritus Christi,cuius nexu copulamur, & quidam veluti canalis per quem Christus & est & habet

quod

quòd ad nos deriuatur. Hæc de ſpiritu Chriſti veluti canalî per quem ad nos Chriſtus deriuetur. Nunc nõ ipſam carnem Chriſti ad nos deriuari, nec ipſa carne paſci animas noſtras, his verbis docet. *Ingenuè confiteor mixturam carnis Chriſti cum anima noſtra, vel transfuſionem qualis ab ipſis docetur* (Lutheranos intelligit, qui ſub pane & cum pane veram carnis Chriſti præſentiam, & veram ex carne Chriſti animæ alimoniam ſtatuunt) *me repudiare: quia nobis ſufficit Chriſtum è carnis ſuæ ſubſtantia vitam in animas noſtras ſpirare, imò propriam in nos vitam diffundere, quamuis in nos nõ ingrediatur ipſa caro.* Hæc ille. Qua igitur fronte Catholicos vrget impoſtor, *vnde diſcant Chriſti carne paſci animas noſtras, ſi verus panis ante oculos non ſtatuitur*, quando ipſemet hunc verum & nudum panem ante oculos ſtatuens, ipſa tamen Chriſti carne paſci animas noſtras pernegat? Nos autem vera Chriſti carne realiter & ſubſtãtialiter præſente animas noſtras paſci, nóſque cum eo (beneficio Sacramenti huius) non fide tantùm ac Spiritu, ſed (vt Patres docuerunt) *corporaliter, naturaliter*, *ac re ipſa* cum Chriſto coniungi docemus ac credimus, non propter ſolam præſentiam ſpecierum panis & externi ſymboli, quaſi ab illa potiſſimùm veræ carnis Chriſti præſentia penderet, ſed alias multas ob cauſas. Primum pro-

1. pter Chriſti verba veracia, efficacia, operatoria, *Accipite, &*
2. *comedite: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Deinde ex analogia huius ſermonis cum aliis ſimilibus in Scriptura
3. locutionibus quas ſuprà annotauimus; tum ex officio obſignandi nouum teſtamentum & promiſſiones à Deo factas in ipſo, quod non niſi per ipſam Chriſti carnem & ſanguinem præſtari poteſt, vt & ſuprà oſtendimus, & apud Lucam magis
4. oſtendetur; porrò ex propria efficientia huius Sacramenti, quam Ioan. 6. cap. Chriſtus expoſuit, vt eo in loco docebimus; tandem ex ipſa pugnãtia, abſurditate, & indignitate qua tantum myſterium aduerſarij afficiunt, vbi à literali verborum ſenſu recedunt, quod & ſuprà accepimus. Ex his omnibus, non ex ſola Sacramẽti peculiari ratione, didicimus verã Chriſti carne in hoc Sacramento paſci animas noſtras.

Ibidem num. 32.

Poſtulat à Catholicis Caluinus quod ipſe negat.

Realis & corporalis Chriſti præſentia probatur.

Pergat Galuinus. *Ad hæc quid de altero ſymbolo dicent? Neque enim dicit Chriſtus, Hoc eſt ſanguis meus; ſed, Hic eſt calix. Ergo ſecundum eos non modò vinum, ſed materia ex qua conflatus erit calix, neceſſe erit tranſſubſtantiari in ſanguinem.* Ridiculum planè argumentum. Chriſtus in verbo calicis notiſſimo & vulgari tropo vſus eſt: ergo in verbo ſanguinis eodem

Mẽdaciũ: nam apud Matthæũ Chriſtus hoc dicit.

dem vſus fuiſſe cenſendus eſt. In vno non poteſt non tropus eſſe ipſis ruſticis notiſſimus: ergo in altero ſimilis tropus eſſe debet, vbi nulla vulgaris locutio apparet; imò vbi verba proximè coniuncta omnem tropum diſertiſſimè remouent: iſta videlicet, *Qui pro vobis effundetur*: item, *Noui teſtamenti*. Ex quibus verbis realem ſanguinis Chriſti exhibitionem, præſentiam, & ſumptionem, efficaciſſimè deduci ac probari in ſuperioribus comprobauimus: quod propterea hîc non repetimus. Supereſt vltimum Caluini argumentum.

Iam quod apud Matthæum habetur, Non bibam de hoc fructu vitis, clarè demonſtrat vinum fuiſſe quod porrexit. Atqui ex Luca manifeſtè patet (quod & ſuprà explicuimus) hæc verba non poſt diuina peracta myſteria in vltima cœna, ſed in ſecunda Chriſti cœna familiari, & ante tradita myſteria, pronunciata fuiſſe. Deinde (vt aliquid hîc addamus) Lucas tam de pane quàm de vino prælocutum fuiſſe Chriſtum hunc in modum tradit: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum*, quod de vltimo agno Paſchali neceſſariò eſt intelligendum. *Dico enim vobis, quia ex hoc* (id eſt, deinceps, ὅτι ἔτι) *non manducabo illud* (id eſt, iſtiuſmodi Paſcha) *donec impleatur in regno Dei*, id eſt, donec in reſurrectione iuſtorũ, nouus cibus, nouum Paſcha, nouum manna comedetur. Quod aliis verbis & paulò plenius Matthæus ſic effert, *Vſque in diem illum*, id eſt, vſque ad tempus reſurrectionis generalis, *cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei*, id eſt, quando ſpirituale vinum, cuius hoc materiale & naturale vinum ſignum eſt, vel, ſi cum Caluino poſt myſteria hæc verba Chriſtum dixiſſe ponamus, cuius hoc in calice vobis porrectum ſignum eſt (nam & ſanguis Chriſti in hoc Sacramento pignus eſt futuræ gloriæ) *bibam vobiſcum*, pariter mecũ conglorificatis, *nouum in regno Patris mei*, id eſt, ſpirituale & alterius generis in beatitudine æterna. Quia videlicet vt nunc in Sacramẽto me accipitis, comeditis, & bibitis, ad alimoniã, refectionem, & conſolationem animarum veſtrarum; ſic in regno Patris mei me toto & præſente fruemini in gloria, ad magnum incrementum & acceſſionem beatitudinis veſtræ. Proſequitur Lucas hunc in modum. *Et accepto calice*, non conſecrato (de quo poſtea diſertè loquitur, poſt panis conſecrationem, *Similiter & calicem*, &c.) ſed profano, quo in familiari cœna vtebatur, *gratias egit*, more Iudæorum & patrumfamiliàs, in hac maximè cœna poſt agnum Paſchalem comeſtum celebrari ſolita, & dixit: *Accipite, & diuidite inter vos,*

Verba, de genimine vitis, ad Euchariſtiam non pertinent.

Luc. 22.

vos,id eſt,ſinguli bibite,ſicut ego vobis præbibi. *Accepto enim calice*, non ſignificat in manus tantum accepto; ſed & hauſto ac propinato,more familiaris cœnæ Iudæorum: quam tam Caluinus quàm Beza hoc loco commemorant. *Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis*, id eſt,de communi vino,& in familiari vobiſcum cœna, *donec regnum Dei veniat*,id eſt,vſque ad reſurrectionem generalem,vbi nouo potu vos reficiam:quod paulo apertiùs Matthæus poſuit,vt ſuprà explicatum eſt; tametſi non ſeruato ordine,vt Lucas facit:qui ſtatim aggreditur aliam Chriſti & vltimam cœnam, in qua diuina myſteria tradebat. *Et accepto pane*, &c. Hæc res quum apud Lucam ita clara ſit,vt vel Chriſtum bis calicem conſecraſſe (quod eſt abſurdiſſimum) fateri oporteat, vel ad myſterium calicis conſecrati hæc verba non pertinere agnoſcere neceſſe ſit, manent tamen in ſua pertinacia Caluiniſtæ,& ordinem diſertiſſimè à Luca ſeruatum, rémque totam ab eo pleniùs enarratam aduertere nollunt.

Poſt hæc præclara argumenta concludit Caluinus: *Ergo modis omnibus refellitur Papiſtarum inſcitia.* Atqui an non potius Caluini tam inſcitia quàm impietas modis omnibus à nobis refutata ſit, iudicet quilibet æquus Lector, réſque loquatur ipſa.

27. *Bibite ex hoc omnes.*

Hic latum ſibi campum contra Eccleſiam Catholicam excurrendi aperiri exiſtimauit Caluinus. Hoc vt licentioſius præſtet,aliquod prius futuræ accuſationis fundamentum ac robur ponit. *Quia Chriſti* (inquit) *conſilium fuit fidem noſtram ſibi totam obſtringere, ne quid extra ipſum quaramus,duobus ſymbolis vitam noſtram in ſe incluſam eſſe teſtatus eſt. Indiget corpus hoc ad fouendam & ſuſtinendam vitam cibo & potu. Chriſtus vt ſe vnum nobis ad præſtandas omnes ſalutis partes in ſolidũ ſufficere doceat, ſibi vices potus ac cibi tribuit: in quo mira eius indulgentia relucet, quòd fidei noſtra conſulere volens, ad carnis noſtra ruditatem ita ſe demittat.* Dici ſolet: Cæcus de coloribus iudicare non poteſt: Multo minus cæcus hæreticus de Chriſti conſilio iudicium ferre. Quod fuerit Chriſti conſilium in duplici ſpecie corporis ac ſanguinis ſui exhibenda, non odio Eccleſiæ & ſuperbo ſui ipſius amore excæcatus Caluinus, ſed Catholica Chriſti Eccleſia eiúſque Præpoſiti ac Magiſtri & optimè intelligunt,

& docere nos debent. Caluinus totum Christi consilium in fide nostra Christo magis obstringẽda,& vt fidei nostræ consulatur,ponit. Atqui nec vlla Scriptura hoc docet, nec Ecclesia vnquam tradidit (sed cerebri Caluiniani spectrum est) nec etiam probabili ratione subsistit. Nam tametsi de fide nostra stabilienda Christus in hoc Sacramento ageret(quem vnicum omnium Sacramentorum finem esse stupidissimè Caluinus vult,quasi vnumquodque Sacramentum proprium suum finem,effectum, ac fructũ in Scripturis expressum non haberet) tamen eam æquè vna species stabiliret quàm vtraque. Quod ne à me temerè dictum Caluinista quispiam existimet,ex ipsis Christi verbis comprobabo. Dicit Christus de vna specie: *Panis quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita.* Tametsi enim hæc verba de ipso Sacramento Christum dixisse Caluinus neget (cuius contrarium eo loco abundè demonstrabimus) tamen fatetur ingenuè eodem in loco, *nihil hic dici quod non in cœna figuretur ac verè præstetur fidelibus: adeoq; sacram Cœnam quasi huius concionis sigillum esse.* Atqui in illis verbis, ipso interprete Caluino, fidem nostram sibi totam obstringit Christus,& fidei nostræ consulere voluit Christus. Sic enim ad hæc verba commentatur. *Quia vis illa arcana conferendæ vitæ, de qua loquutus est, dicens: Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum (vbi in verbo edendi ad fidem nos hortatur, quæ sola facit vt fruamur hoc pane in vitam) ad diuinam eius essentiam referri poterat, nunc descendit ad secundum gradum, ac vitam illam in sua carne positam esse docet, vt inde hauriatur. Mirificum sanè Dei consilium, quòd in ea carne, vbi sola priùs mortis materia erat, vitam nobis proposuerit. Atque ita infirmitati nostræ consulit, dum nos ad fruendam vitam non vocat super nubes, sed eam exerit in terra. Interea fidei nostræ humilitatem & obedientiam probat, dum vitam petituros in carne sua in speciem contemptibili subsidere iubet.* Et paulò pòst. *Dandi verbũ variè accipitur. Prior donatio (panis quem ego dabo) quotidie fit, quoties scilicet se nobis Christus offert. Secundo loco (quam ego dabo pro mundi vita) donationem illam vnicam notant quæ facta est in cruce. Nihil enim prodesse victimam illam semel esse immolatam, nisi nunc sacro epulo vesceremur.* Docet ergo his verbis Caluinus in vna specie panis (de qua vna Christus hìc loquitur) in sacro epulo cœnæ Dominicæ Christum se nobis quotidie offerre, *ad fidem in eo nos hortari*, qua sola illo fruimur; atque *ad fidei nostræ humilitatem & obedientiam probandam*, vt ex carne

Fidem æquè vna species confirmat quã vtraque.

Ioan. 6.

Ioan. 6. vers. 54.

Ad vers. 51.

carne sua vitam petamus, iubere. Sufficit ergo vna species ad fidem nostram fouendam ac sustinendam, si hoc consilium Christi erat dum hoc Sacramentum instituerет.

Totum sacramenti fructū vna species confert. Cæterum longè aliud Christi consilium fuisse, ipsa Christi verba luculenter docét, & Ecclesia Catholica tradidit. Nempe vt *vitam habeamus, ac maneamus in Christo*, quod toties in 6. cap. Ioan. Christus inculcauit. Rursum vt vniti Christo, *1. Cor. 10.* *sic viuamus propter illum sicut ille vixit propter Patrem*, quod eodem in loco docuit. Tum vt simus *vnus panis & vnum* *Luc. 22.* *corpus*, inter nos ipsos, *qui de vno pane participamus*, quód Paulus docuit. Demum vt *mortem Domini commemoremus*, quod Christus ipse proposuit. Tandem vt fructus mortis Dominicæ ad nos deriuetur, remissio peccatorum & dona gratiarum: quia, vt ipsemet Caluinus alibi scripsit, *comedere Christi* *Ioan. 6. vers. 63.* *carnem necesse est vt crucifixa prosit*. Atqui hæc omnia vna species vbertim præstat. De vna specie dixit Christus. *Qui* *Ioan. 6.* *manducat hunc panem, viuet in æternum*. Rursum. *Qui manducat me, viuet propter me.* Qui autem viuit propter Christum, vtique manet in Christo. Vt simus omnes vnum cor- *1. Cor. 10.* pus, de *vno pane participamus*. Ad vtramlibet speciem dixit *1. Cor. 11.* Christus. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Sacramēti celebratio & perceptio diuersa. Deinde aliud fuit Christi consilium in hoc Sacramento celebrando & publicè administrando, aliud in eodem à singulis percipiendo. Vbi eius celebrationem & perpetuam administrationem instituit Christus, vt in cœna vltima, vtramque speciem porrigit, & adhiberi iubet. Vbi autem fructum eius à singulis percipiendum describit, vt Ioan. cap. 6. in vna specie totum ponit non secus quàm in vtraque. Spiritualis quippe refectio quæ singulos concernit, tota & plena est, siue in carne Christi sub specie panis, siue in sanguine Christi sub specie vini. Spiritualis autem refectio in Sacramenti administratione significata, plenius in vtraque specie repræsentatur, quàm in vna: ideóque non nisi in vtroque elemento ab Ecclesia Christi Catholica semper fuit administrata. His ita positis, facilè quæ in Caluino sequuntur refutátur. Sunt enim rixæ pòtius quàm rationes. Sic enim prosequitur.

Quo magis detestabilis est sacrilega Papæ audacia, qui sacrum hoc vinculum rumpere non dubitauit. Hoc scelerati hæretici detestabile maledictum quum ex præcedentibus inferatur, quæ plena vanitatis ac dementiæ ostensa sunt, in fumos abeat necesse est. *Audimus* (inquit) *filium Dei vitæ plenitudinem, quā suis confert, duobus symbolis pariter testatum esse.*

esse. Quæ diuinitus coniuncta erant, quo iure diuellere homini mortali fas fuit? Respondeo: Audiuimus filium Dei vitæ plenitudinem, quam suis confert, in vno symbolo testatum esse: *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Qui manducat me, viuet propter me.* Quod ipsa veritas de vno symbolo pronuntiauit, quo iure ad duo restringere homini mortali fas erit? Deinde non Papa, sed tota Christi Ecclesia his multis seculis vnam speciem laicis porrexit. Cur eam quoque detestabilis & sacrilegæ audaciæ non condemnat Caluinus? Tandem si verè detestabilis & sacrilega audacia est, hoc sacrum vinculum rumpere, vt vno tantum symbolo vitæ plenitudo conferatur, quā in duobus Dei filius testatus est; quanto detestabilior & magis sacrilega Caluini audacia fuit, qui hoc sacrum vinculum ita penitus perrupit, vt Dei filium nec in duobus symbolis nec in vno, non dico vitæ plenitudinem, sed nec vllam vitæ particulam conferre patiatur? omnémque vitæ fructum tam procul à symbolis remoueat atque propellat, quàm procul cælum à terra distat? quúmque in terra hæc symbola conspiciantur ac sumantur, totam vitæ rationem in Christi carne in cælis posita, imò nec in illa, sed in quadā efficacia ab illa deriuata (iuxta proprium cerebri sui commentum) collocauit? & per hoc ipsa symbola penitus vitæ inania & vacua reliquerit? Hæc est verè detestabilis & sacrilega Caluini audacia. Et tamen audet homo sacrilegus suam imputam scabiem alij affricare, nec cuiuis alij, sed ipsimet Christi Vicario, & militantis in terris Ecclesiæ vniuersæ Capiti sub Christo supremo.

Ioan. 6.

Caluini audacia sacrilega.

Pergit adhuc Caluinus, in quo audiendus est. *Adde quòd consultò videtur Dominus præcipere omnibus vt ex calice bibant, quo sacrilegium hoc ab Ecclesia arceret. De pane simpliciter dixisse legimus, vt acciperēt. Cur bibere nominatim iubet omnes, & Marcus bibisse omnes disertè narrat, nisi vt sibi ab impia nouitate caueāt fideles? Nec tamen seuero hoc interdicto deterritus fuit Papa, quin fixam à Domino legem mutare ac violare auderet. Populum enim totum prohibuit ab vsu calicis.* Tota hæc rixa potius quàm ratio ex ipso postremo Caluini verbo refelli potest. *Populus prohibetur ab vsu calicis.* Populo enim dari calicē Christus non præcepit: nec populo, sed solis Apostolis, & futuris eorum successoribus, huius diuini mysterij administris, dixit, *Bibite ex eo omnes.* Nullū ergo hîc Christi interdictū violatur, nulla Domini lex immutatur. Quod omnibus nominatim præcepit vt biberēt, ab omnibus nomi-

Bibite ex hoc omnes, calicem populo potius aufert quàm tribuit.

natim adimpletum fuisse Marcus narrat: *Et biberunt ex eo omnes.* Si id obseruandum putat Caluinus, *quod de pane simpliciter dixit, Accipite, & manducate,* illud quoque obseruandum dicimus, quod nullus Euangelista adiecit: *Et acceperũt, ac manducauerunt:* sicuti de solo calice adiecit Marcus: *Et biberunt ex eo omnes.* Imò omnes accepisse ac manducasse non dicitur, nec omnes accipere ac manducare iubentur, ne vllo modo mãducationis præceptum ad illos solos præsentes aut eorũ successores, sed in vniuersum ad omnes fideles pertinere ostenderetur. Ad calicis mentionem ideò tum iubẽtur omnes bibere, tum omnes bibisse memoratur, vt intelligeretur præceptum bibendi necessariò ad illos solos præsentes atque eorum successores illis in officio pares, non autem ad vniuersum populum fidelem pertinere. Ita hæc obseruatio nihil Caluinum iuuat, sed æquè offendere potest ac iuuare.

Addit adhuc. *Atque vt se probaret non sine ratione facere, obtendit satis esse speciem vnam, quia per concomitantiam coniunctus sit sanguis cum carne.* Non hæc tantum ratio affertur, quæ tamen bona ac firma est, probátque totum Christum non secus in vna specie sumi quàm in vtraque; sed & aperta Christi verba proferuntur, iámque à nobis prolata fuerunt, quæ totum huius Sacramenti effectum ac fructum vnicæ speciei assignant. Ea sibi dissimulanda Caluinus putauit. Attamen vt hanc rationẽ conuellere conetur, videamus. *Quasi verò non eodem prætextu totum Sacramentum abolere liceat, quia æquè sui participes nos facere Christus possit absque externo adminiculo.* Ita sanè iuxta Caluini dementiam; qui nihil ampliùs in hoc Sacramento conferri dogmatizat quàm extra illud, & sine hoc Sacramento per solam fidem cuilibet conferri potest. Ait enim *manducationem carnis Christi non aliam esse quàm fidei manducationem, nec vllam aliam fingi posse.* Et rursum. *Fateor non manducari Christum nisi fide.* Atqui fidem extra Sacramentum officium suum facere quis dubitat? Quare alibi apertis verbis Caluinus dicit in 6. caput Ioannis, *Non de Cœna haberi concionem, sed de perpetua communicatione, quæ etiam extra Cœnæ vsum nobis constat.* Rursum hanc perpetuam communicationem carnis Christi ponit in perpetua & quotidiana Euangelij prædicatione, non secus quàm in Cœna. Sic enim alio in loco scribit. *Illis verbis, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, haud dubiè innuit Christus, suum nobis corpus adeo pro pane futurum ad spiritualem animæ vitam, quia in*

Instit. lib. 4. cap. 17. num. 5.

In Ioan. cap. 6. ver. 47.

In Ioan. cap. 6. ver. 53.

Instit. lib. 4. cap. 1. num. 5.

mortem

Participatio Christi iuxta Caluinũ æquè extra Cœnam Dom. quam in illa.

mortem pro salute nostra exponendum erat: nobis autem porrigi vt vescamur, quum fide nos facit eius participes. Semel itaque ipsum dedit quo panis fieret, quum in mundi redemptionem crucifigendum exposuit, quotidie dat, vbi participandum quatenus crucifixum est Euangelij verbo nobis offert: vbi eam exhibitionem sacro Cœnæ mysterio obsignat, vbi idipsum interius complet quod exterius designat. Triplicem ponit quotidianam & perpetuam corporis Christi crucifixi participationem: vnam in Euangelij verbo oblatam, alteram in Cœnæ mysterio obsignatam, tertiam interius completam, quæ exterius designata erat. Ita non secus extra Cœnam in Euangelij verbo quàm in Cœna carnis Christi participationem ponit. Idem quippe apud Caluinistas efficit Euangelij prædicatio, quod cuiuslibet Sacramenti exhibitio. Caluino subscribens Beza cum tota Synodo Rupellana rotundius dicit, *tametsi Cœna ad mysticam & spiritualem Christi communicationem specialiter instituta fuerit, nihilominus eundem Iesum Christum cum omnibus suis donis etiam in simplici verbo, & in baptismo nobis offerri, & à credentibus percipi.* Denique Caluinus tametsi multis verbis docere conetur participationem Christi in Cœna iuxta suum figmentum plus esse quàm spiritualem, eósque reprehendat qui nos *Spiritus modò participes* in ea faciunt, tamen post totam suam hypocriticam huius mysterij commendationem concludit hunc in modum. *Quapropter Scriptura vbi de nostra cum Christo participatione loquitur, vim eius vniuersam ad Spiritum refert. Pro multis tamen vnus locus sufficiet. Paulus ad Rom. 8. Christum non aliter in nobis quàm per Spiritum suum habitare disserit: quo tamen illam, de qua nunc sermo est, carnis & sanguinis communionem non tollit, sed ab vno Spiritu effici docet, vt totum Christum possideamus, & habeamus in nobis manentem.*

Theolog. Epist. 65. pag. 205.

Instit lib. 4. cap. 17. num. 7.

Lib. & ca. eodem num. 12.

Caluini resolutio.

Tota igitur Caluini resolutio est (quicquid interdũ, vt lectori fucum faciat, de hoc mysterio magnificè loquitur) solam in eo esse spiritualem Christi participationem, quam videlicet solus Spiritus efficit, quæ non secus extra mysterij vsum habetur per solã fidem (saluo quòd adest in Cœna figura quædam externa, eandem participationem, vt ipse confingit, obsignans) quàm in eius vsu per symbola accepta. Ergo (vt ad obiectionem Caluini redeamus) iuxta eius propriam dementiam, nec de vna nec de duabus speciebus admodũ laborandum erit, sed totum Sacramentũ sine magno incõmodo abolere licebit, *quia æquè sui participes nos Christus facere potest,*

Caluinus ex scripto refutatur.

imò de facto facit per Euangelij prædicationem, per solam fidem,& solo Spiritu suo, *absq; externo adminiculo* huius Sacramenti. Ita cõtra ipsum Caluinum pulchrè currit obiectio, quam contra Papam ingeniosè à sese inuentam existimauit.

At verò Papa & tota Ecclesia Catholica, tametsi in vna specie huius mysterij totum Christum per concomitantiam recipi verè doceat, non tamen absque vtraque specie perinde Christum accipi docere censenda est. Agnoscit enim in hoc sacrosancto mysterio singularem quandam, realem, naturalem, corporalem, (non spiritualem tantùm) Christi participationem, quæ extra hoc Sacramentum, nec per solam fidem, nec per Euangelicam prædicationem, nec per aliquam concomitantiam, nec denique per solam diuini Spiritus operationem datur. Agnoscit cum B. Cyrillo Alexandrino *non solùm nos recta fide sinceraq; charitate Christo spiritualiter coniungi, sed esse quoque in nobis aliam coniunctionis rationem secundum carnem cum Christo per mystica benedictionis virtutem, qua cùm in nobis fit, corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare.* Et iterum. *Corporaliter Dei filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur, spiritualiter autem vt Deus, sui Spiritus gratia, nostrum ad nouam vitam spiritum redintegrat.* Agnoscit quod scripsit B. Chrysostomus. *Vt non solùm per dilectionem, sed reipsa in Christi carnem conuertamur, per cibum id efficitur quem nobis largitus est.* Et alio in loco. *Christo non satis fuit vt homo fieret, &c. verùm & seipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & re ipsa nos suum efficit corpus.* Cauillatur ad hæc verba Caluinus. *Hoc tantùm vult Chrysostomus excludere, ne quis dum fidem nominari audit nudam imaginationem concipiat.* Atqui S. ille Pater non solùm nudam imaginationem & apprehensionem intellectualem, quæ sola fide fit, & quam Zvingliani solam ponebant, vt manducare nihil aliud esset quàm credere, hoc loco excludit; sed etiam solam communicationem spiritualem, quæ per fidem & charitatem realis esse potest, qualem statuit Caluinus (saltem ex parte fidei) similiter excludit; & illam realem communicationem ponit, quæ est plusquam spiritualis: qua videlicet vera Christi caro non absens per fidem accipiatur, vt præstigiatur Caluinus; sed reipsa præsens realiter nobis cõiungatur, à nobis realiter percepta. Vnde & in sequentibus eodem loco dicit: *Quis pastor oues pascit proprio cruore? Sed Christus nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi*

Participatio à Catholicis credita.

In Ioan. lib. 10. cap. 13.

Ibidem lib. 11. cap. 26.

Homil. 45. in Ioan.
Homi. 60. ad Popul. Ant.
Instit. lib. 4. cap. 17. num. 6.

ſibi coagmentat. Agnoſcit rurſum cum B. Hilario non ſpiritu modò, ſed & naturaliter nos Chriſto per hoc Sacramentum coniungi. *Si verè* (inquit) *Verbum caro factum eſt, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere exiſtimandus eſt?* Sic Cyrillus ſcripſit *non habitudine ſolum, quæ per charitatem ac fidem intelligitur, verùm etiam participatione naturali Chriſtum in nobis eſſe.* Agnoſcit poſtremò huius Sacramenti beneficio nos eſſe *os ex oſſibus Chriſti, & carnem de carne eius*, vt exponit Irenæus: nos eſſe *concorporeos Chriſto*, vt iterum Apoſtolus loquitur, vt exponit D. Cyrillus Alexandrinus: ac demum nos eſſe χριστοφόρους, vt alter Cyril. Hieroſolymitanus ſcriptum reliquit. Hanc SS. Patrum doctrinam ac fidem amplexus Papa, ſic ſub vna ſpecie totum Chriſtum *corporaliter, naturaliter, reipſa*, nobis coniungi docet, vt extra hoc diuiniſſimum Sacramentum eodem modo nos ſui participes Chriſtum facere non credat: ideóque vt hanc tantam, tam ſingularem, tam arctam, tam diuinam, tam fructuoſam coniunctionē retineat, totum Sacramentum nullo modo abolere velit, tametſi vna ſpecie populum contentum eſſe grauiſſimis ex cauſis iubeat.

De Trin. lib. 8. | In Ioan. lib. 10. cap. 13. | Ephes. 5. | Lib. 5. | Ephes. 3. | In Ioan. lib. 11. cap. 26. | Catech. 4.

His nunc ita explicatis, Caluini concluſio non modò in Papam nō quadrabit, ſed in ipſius Caluini caput tota recidet, qua ſic ſcribit. *Sed iſtis puerilibus cauillis nihil iuuatur eius impietas, quia nihil magis abſurdum eſt quàm vt traditis à Domino ſubſidijs ſponte careant, vel priuari ſuſtineant fideles: ideóque nihil minùs ferendum quàm impia hæc laceratio.* Contra ſeipſum claſſicum cecinit Caluinus. Nihil enim certè minus ferendum, ideóque Caluiniſtis nihil hodie peſtilentius, quàm impia hæc myſterij non iam laceratio aut mutilatio, qualem Papæ inaniter & puerilitet hactenus obiecit, ſed vniuerſa abolitio, profanatio, & extinctio, qualem Caluinus per ſuum commentitium canalem in orbem introduxit, vt ſatis in præcedentibus oſtenſum à nobis eſt. Nihil etiam magis abſurdum, imò turpe, ignominioſum, & lamentabile, quàm vt vnius Caluini technis præſtigiis, & malis artibus, tam innumeri Chriſtiani in Gallia, Anglia, Scotia, Germania, *traditis à Domino ſubſidijs ſponte careant, vel priuari ſe ſuſtineant.* Vnius Caluini & doctrinam peſtilentem abominari, & libros venenatos exurere, & memoriã ſempiterna obliuione ſepelire, aut certè diris deuouere meritò debent, qui vera & reali Chriſti carnis præſentia, alimonia, fructu (imaginaria è cælo participatione conficta) toto etiam

Caluiniſtis nihil hodie peſtilentius.

religionis cultu, tot animas Christianas spoliauit, & diuinissima corporis & sanguinis Christi mysteria ad nudam ac symbolicam obsignationem à seipso confictam, maiori, quàm dici potest, impietate traduxit.

39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.*

DVo nefanda & impia dogmata tam contra Christi honorem quàm contra Euangelicam veritatem euomuit hoc loco Caluinus, & studiosè tuetur: vnum de maledictionis diuinæ horrore pœnísque infernalibus à Christo hoc loco toleratis, alterum de voto Christi inconsiderato & abrupto. Prius nefarium dogma cum tetra blasphemia coniunctũ ad eadem Christi verba apud Lucam compendio examinabitur. Nam latè & accuratè illud refutatum dedimus in parte quadragesimali Promptuarij nostri Catholici recenter edita. De posteriori hìc aliqua dicemus. *Ego* (inquit hoc loco Caluinus) *abruptum hoc fuisse votũ fateor, tametsi precatio fuerit, non querimonia.* Móxque docens fidelium preces non semper æquabile temperamentum seruare, sed implicitas & perplexas secum aliquando confligere, de Christo quoque affirmat, sic hoc loco *metu perculsum, & anxietate constrictum fuisse, vt necesse illi foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare.* Addit demum, *quòd votum suum subitò elapsum castigat ac reuocat.* Tandem concludens dicit. *Non fuit igitur hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio.* Et paulò pòst. *In primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi, quia mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat.* Ponit ergo in Christo, desideria inconsiderata, vota abrupta, eadémque alternantia ac vacillantia, subitò erumpentia, quæ corrigi debeant. Denique orationes non meditatas, sed impetu doloris extortas, ac placidæ postremò moderationis vacuas. Sed hæc omnia Christi puritate indignissima, & quæ in solos peccatores peccato originali corruptos ac deprauatos cadunt, ex veræ Theologiæ ignorantia, & animi contumacia Caluinus negat, nolens videlicet in Christo agnoscere humanorum istorum affectuum, gaudij, timoris, &c. liberam susceptionem, quam disertè Patres docent. Quum enim liberè mortis horrorem ante oculos suos proponeret, liberè quoque & meditatè dixit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Nullum hìc votum inconsidera-

In feria 4. Hebdom. sancta.

Christi puritas & fortitudo defenditur.

siderатum, nullum abruptum, nullum subitò elapsum fuit: vota Christi & oratio meditata erant, cum placida moderatione coniuncta. Sed hæc vota erant naturalia, ex libera illa susceptione affectus naturalis, id quod naturale erat, spectantia. Voluntas quippe humana in Christo quum vna esset potentia seu facultas sicut in nobis, ratione tamen diuersorum obiectorum duplex erat, modò naturalis, modò deliberata. Naturalis voluntas dicitur quæ fertur in rem aliquam secundum seipsam consideratam. Deliberata verò quæ fertur in rem non solam, sed cum circunstantiis suis per intellectum propositam. Et vt præsenti materia maneamus, mors ipsa & passio considerari dupliciter potest. Vno modo in seipsa simpliciter cōsiderata, & sic habet rationem mali: est enim quoddam pœnæ malum, nec secundum se appetibile est. Vnde de ipsa morte aliisque rebus aduersis aptè dicit S. Aug. *Iubes nos, Domine, ea tolerare, non iubes amare. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat.* In hac consideratione voluntas humana auersatur mortem, & renuit eam. Alio modo considerari potest mors apposita circunstantia, nempe hanc mortem secundum diuinam voluntatem, eámque vel mundi esse redemptionem vt in Christo, vel ad Christi gloriam fideíque professionem vt in martyribus, vel vt materiã meriti ac ianuam melioris vitæ in iusto quolibet patienter eam sustinente: & hac ratione habet rationem boni, & voluntas ordinata eam acceptat. Illa dicitur voluntas naturalis, quia rem in sua natura considerat; hæc deliberata, quia per discursum considerat circunstantias adiectas. Christus igitur vt in affectu suo non tantùm sensitiuo (de facto tolerando pœnas) sed etiam rationali (eas præmeditando) pro nobis pateretur, & vt timorem ac tristitiam propter nos in seipso excitaret, vtebatur hac voluntate naturali; id est, liberè & præmeditatè proponebat animo res eas quæ timoris & tristitiæ causæ atque obiecta erant: & hac ratione *contristabatur, turbata est anima eius,* voces naturales emisit, *Si possibile est, transeat à me calix iste.* Vt autem Patri se per omnia conformaret, vtebatur voluntate deliberata. Verba igitur huius Euangelij, sunt hominis positi in hac agonia, qua seipsum turbare Christus voluit. Verbum quidem illud, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis,* verbum est hominis positi inter duas voluntates, quæ in contraria tendunt (naturali enim voluntate mortem auersabatur, deliberata eandem acceptabat) sed non *inter violentos tentationum fluctus positi,* vt ait Caluinus, *& alternis votis vacillantis.*

Confess. lib. 10. cap. 28.

Voluntas naturalis & deliberata.

Euangelij verba explicantur.

Nullam tentationem à seipso passus est Christus vt vacillaret ac dubitaret circa mortem & passionem suam, subire ne eam deberet an non. Sed adhuc inter duas illas voluntates hærebat hinc inde agitatus. Vox autem illa Christi, *Transeat à me calix iste*, vox est ex naturali voluntate procedens; non (vt absurdè & impiè Caluinus dicit) qua *Mediatoris officio defungi, quantum in se erat, renueret ac detrectaret.* Mediatoris quippe officium mortem dicit cum suis circun stantiis consideratam, mortem videlicet quæ esset redemptio mundi. Hanc autem ita consideratam, quia bonum erat, Christus, quantum in se erat, renuere non potuit. Sed est vox qua mortem & passionem acerbam in seipsis consideratam auersabatur. Voluntas autem Christi deliberata illa erat quam subiunxit hoc loco: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Vtrumque votum meditatum erat, & liberè susceptum: prius illud, vt in parte rationali pateretur, séque ipsum ipsa mortis præmeditatione turbaret: posterius, vt diuinæ voluntati humanam suã per omnia conformaret. Hæc nesciens distinguere Caluinus ea de Christo pronunciat, quæ in solis peccatoribus reperiuntur, & Christi puritate sunt indigna.

In Harmon. ad Matth. cap. 26. 39.

Vidit Caluinus hanc suam doctrinam non solùm veterum Patrum & omnium theologorum, sed & suæ ipsius doctrinæ aliis in locis traditæ penitus aduersari. *Quum nuper* (inquit) *dictum fuerit rectè compositos fuisse omnes Christi affectus* (sic enim ad Matth. cap. 6. dixerat, *Christus communem nobiscum habuit sensum, non autem appetitus incompositos.* & in hoc ipso Matth. 26. cap. ver 37. *Christum* ait *mansisse compositum ad veram temperantiæ regulam) quomodo nunc seipsum corrigit? Sic enim affectum suum subigit in obsequium Dei quasi modũ excesserit. Certè in primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi: quia Redemptoris officio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat.* Hæc sibi Caluinus obiicit, & obiectionem tanto fortius premit, quanto clarius & sceleratius affirmat Christi prius votum, *Transeat à me calix iste, placida moderatione caruisse*, idque adeò, *vt Redemptoris officio defungi, quantum in se est, renuerit ac detrectarit*: qua grauior accusatio vix à Pagano aut Iudæo aliquo Christo intentari potuerit. Quomodo enim tot illa Christi verba vera esse possunt, *Cibus meus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, Ego non veni vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, Ego sum pastor bonus. bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meã,*

Atrox in Christum Redemptorem calumnia.

Ioan. 4. 5. 7. 10.

denique, *Ego quæ ceram illo placita sunt facio semper*; si vel ad punctum temporis Redemptoris officio defungi, quantum in se erat, renuerit & detrectauerit? Ad hanc ergo tam grauem obiectionem, quæ certè Caluini expositionem necessariò consequitur, quid tandem respondet Caluinus? *Respondeo* (inquit) *in eo nihil fuisse vitij, quòd obiecto mortis terrore, simul oblata est caligo, vt aliis omnibus omissis ad votum illud prosiliret.* At hæc responsio à maximo vitio Christum non excusat. Vix enim in vllo grauius peccare potuit, quàm ex quocunque terrore aut ex quacunque obliuionis caligine, finem ipsum & scopum vniuersum aduentus sui in hunc mũdum, qui erat Redemptoris officio defungi, aliquando renuere & detrectare. Sed duo hîc affingit Christo Caluinus, Christi puritate indignissima, ideóque falsissima. Affingit illi *obiectum mortis terrorem.* Falsum hoc est. Non illi fuit quasi ex improuiso obiectus mortis terror, sed hunc mortis terrorem Christus in se ipsum liberè & voluntariè suscepit propter causas infrà apud Lucam dicendas. De quo etiã apud Ioannem iterum nobis dicendum erit, ad illa verba, *Infremuit spiritu. & turbauit semetipsum.* Affingit iterum *simul oblatam caliginem* seu obliuionem ex eodem repentino obiecto terrore inuectam; nam & antea dixit, *vehementia doloris præsentem cœlestis decreti memoriam illi abstulit, vt non reputaret in ipso momento se hac lege missum esse humani generis Redemptorem.* At hoc falsum necessariò esse debet, quum obiectus ille terror nulla veritate nitatur. Deinde quomodo hîc Caluinus ab obiecto mortis terrore & consequenti obliuione salutis nostræ, Christi votum (vt ille ait) *abruptum & inconsideratum* excusat, quando in his Christi verbis non de morte tẽporali, sed de metu & horrore maledictionis diuinæ Christum cogitasse & loquutũ fuisse acerrimè contendat, vt super Lucam ostendimus? Quis non videt nullo modo sibi cõstare Caluinum; sed dum Christi Saluatoris nostri verba quibus ipsum Deum Patrem compellat & precatur, *votũ abruptum & incõsideratũ, & placida moderatione vacuum* probare vult, iusto Dei iudicio vertigine & stupore percussum esse, vt sibi pugnantia loquatur? Hîc enim de obiecto mortis terrore loquitur, quo Christus perculsus penitúsq; oblitus interim officij & aduentus sui, mortem ipsam deprecatur. Postea non mortẽ, sed ea quę quauis morte horribiliora sunt, Christum in his verbis timuisse & deprecatum fuisse blasphemat Ita de re eadem pugnantia loquitur, sui ipsius parum compos.

Luc. 22. Ioan. 11.

Caluinus obliuionem Christo affingens vertigine percutitur, vt pugnantia loquatur.

Addit tamen adhuc Caluinus, vt abſurdiſſimam ſuam ſententiam magis probabilem reddat. *Neque hic* (inquit) *ſubtiliter diſputare neceſſe eſt, an illi obrepere potuerit ſalutis noſtræ obliuio: quia hoc vnum ſufficere nobis debet, quum in mortis deprecationem erumperet, de aliis non cogitaſſe quæ viam clauſiſſent.* Atqui hæc adhuc nulla euaſio eſt. Nam ſi de aliis non cogitauit, quæ huic mortis deprecationi viam clauſiſſent, cúmque ab hac *inconſiderata* (vt Caluinus vult) *oratione* reuocaſſent, profectò illa alia oblitus erat. Quid enim eſt aliud obliuiſci; quàm non meminiſſe, & ea non cogitaſſe quæ cogitari debuerant? At inter illa alia præcipuum erat, cogitare ſe Redemptoris officio defungi debere, & opus redemptionis noſtræ ſua morte peragere. De hoc non cogitauit (ait Caluinus) quum in mortis deprecationem erupit: ergo ſalutis noſtræ obrepſit illi obliuio. Atque ita *hoc vnum quod ſufficere nobis debere* Caluinus vult, ad Caluini blaſphemiam refutandam ſufficere poteſt.

Blaſphemia Caluini, quòd in luctu noſtra oblitus Chriſtus fuit.

Proſequitur adhuc Caluinus, quia vel apud quemlibet lectorem obiectioni propoſitæ ſatisfactum non eſſe facilè aduertit. *Si quis excipiat primum motum (quem frenari, antequam longius excurreret, oportuit) non fuiſſe temperatum vt decebat: Reſpondeo* (inquit) *non poſſe in hac natura noſtra corruptione perſpici affectuum feruorẽ cum temperie, qualis in Chriſto fuit; ſed hunc dandum eſſe honorem filio Dei, ne eum æſtimemus in nobis.* Atqui hæc reſponſio nulla eſt. More ſuo poſtquam pugnantia dixit, quæ ſimul eſſe vera impoſſibile eſt, ait rem à nobis intelligi non poſſe. Quod autem intelligi non poteſt, niſi de fide credendum proponatur, affirmari non debet. Caluinus verò ſuas contradictiones, quum intelligi nequeant, recipit tamen & credi vult. Sic in aliis dogmatibus, maximè quum Deum authorem peccati ſtatuit, lectores ludificat. Affectuum feruor cum temperie à nobis perſpici non poteſt, ait Caluinus. Ita ſanè, calidum cum frigido, album cum nigro, motus cum quiete, ſimul & ſemel in eodem conſiſtere à nobis intelligi non poſſunt, ideóque à nemine ſanæ mentis affirmantur. Ipſa ergo Caluini reſolutio ſuam abſurditatem prodit. Quid enim abſurdius quàm pugnantia docere, móxque ipſam repugnantiam, quia intelligi nequeat, credendam obtrudere? Hic eſt Caluini ludus. Sic quod ex ſuo cerebro commentus eſt, vt ſibi fallacem ex verbo Dei prætextũ conciliet, corrumpit ac lacerat ſcripturam, ac indignis eam ludibriis exponere non dubitat. Hi ſunt audaciæ hæreticæ

Caluini impudentia circa contradictiones quas facit.

Caluini ludus circa dictus Scripturæ.

fru

fructus, postquam semel extra Ecclesiasticæ doctrinæ metas vagari sibi permittit. Tenendum interea est, Christum Redemptorem nostrum, nec aliquod inconsideratum votum emisisse (sic enim sapiens non fuisset) nec correctione di- 1.
gnum aliquid dixisse (sic enim peccasset) nec preces nō me- 2.
ditatas Deo obtulisse (sic enim temerarius foret) nec vocem 3.
vi doloris extortam protulisse (sic enim appetitui suo domi- 4.
nari nequiuisset) nec postremò placida vnquam moderatio- 5.
ne caruisse (sic enim passionibus vitiosis, quæ rationem præueniunt, subditus fuisset:) ac propterea Caluinū, qui illa omnia de Christo Redemptore nostro pronunciauit, hominem impium, nec fide sed furca dignum, omnium piorum iudicio pronunciandum esse.

75. *Et egressus foras, fleuit amarè.*

HAnc Petri pœnitentiam insignem & veracem extenuat & suggillat Caluinus, ne ad veniam peccati obtinēdam aliquid contulisse videatur. *Verisimile* (inquit) *est, Petrum metu egressum esse, quia flere coram testibus non audebat: in quo se rursus adhuc prodidit eius infirmitas. Vnde colligimus, non satisfactione veniam fuisse promeritum, sed eam adeptum paterna Dei indulgentia.* Hæc ille. At quanto magis verisimile, imò verius est, Petrum non metu egressum esse, quasi flere coram testibus nō auderet, sed iusto dolore peccati perculsum, & iusto odio consortij malignorum commotum, egressum esse, vt liberius ac vberius fleret? Quis nescit solitudinem orationi & lacrymis esse opportunam? Nec audacia aut fortitudo, sed temeritas & quædā ambitionis species est, multis præsentibus & spectantibus, idque in loco profano (quale hoc erat) peccata sua deflere. Sed ipsemet Caluinus, vbi è venenato corde suo veneni aliquid effudisset, quasique stomachum leuasset, ad occultas Petri lacrymas totámque eius pœnitentiam collaudandam orationem conuertit. *Interim* (inquit) *occultæ Petri lacrymæ veram eius coram Deo & Angelis eius pœnitentiam testatæ sunt. Nam ab hominum oculis subductus Deum sibi & Angelos proponit: ideoq; ex intimo cordis affectu manant istæ lacrymæ.* Si ex intimo cordis affectu hæ lacrymæ manarunt, & veram eius pœnitentiam testatæ sunt, & ab hominum oculis subductus Petrus Deum sibi & Angelos proposuit; cur illi metum & timorem obiectat Caluinus? cur quòd ab hominū oculis se subduxit, culpat ac

Pœnitentia Petri defenditur.

ac reprehendit, quasi ideò factum quòd non auderet coram testibus flere? Debuit primùm stomachum leuare, & turgidum veneno pectus exonerare, vt pœnitentiæ virtuti atque efficaciæ detraheret. Hinc enim colligere voluit, Petrum *satisfactione hac sua veniam non esse promeritum, sed paterna Dei indulgentia.* Sanè nec Petrus nec alius quisquam quibuscunque lacrymis aut quacunque pœnitentia remissionem peccatorum, propriè loquendo, prometetur, vt illud meritum iustitia nitatur, ipsaque remissio pœnitentiæ quasi merces merito respondeat; sed paterna Dei indulgentia & ex mera Dei gratia quantumlibet pœnitentibus peccata remittuntur. Quia tamen hæc paterna Dei indulgentia & pura gratia nõ nisi pœnitentibus impenditur, & veniam peccatorum pœnitentibus promittit Dei indulgentia, ipsaque pœnitentia ad veniam consequendam necessaria dispositio est, propterea aliquo modo veniam promereri pœnitẽtia dicitur, quatenus venia pœnitentiam consequitur. Quare à meriti vocabulo largius accepto, in venia peccatorum pœnitentibus data, Patres non abhorrent. Et de hac Petri pœnitentia ac lacrymis quòd veniam promeruerint, ita disertè & copiosè cõtra Caluinum scribit S. Ambrosius. *Lauant lacrymæ delictum quod voce pudor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt, & verecundiæ lacrymæ sine offensione verecundiæ confitentur. Lacrymæ veniam non postulant sed merentur. Inueni cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Antè fiendum est, sic precandum. Bonæ lacrymæ quæ lauant culpam. Fleuit ergo amarissimè Petrus, fleuit, vt lacrymis suum posset lauare delictum. Et tu si veniam vis mereri dilue culpam lacrymis tuam: eodem momento, eodem tempore respicit te Christus.* Hæc D. Ambrosij verba contra Caluini venena iusti antidoti loco esse possunt.

Pœnitentia an veniam mereatur.

In Lucam lib. 10. cap. 96.

IN MATTHÆI CAP. XXVII.

3. *Videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit 30. argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum.*

ERRIPIT hic occasionem Caluinus veram in Ecclesia Dei pœnitentiæ formam ac rationem suggillandi, homo totius pietatis ac pœnitentiæ salutaris infen

infensus hostis. *Si rectè* (inquit) *de pœnitentia docerent Papistæ in suis scholis, in Iuda nihil desiderari posset, in quem tota eorum definitio competit. Hic enim cernitur & cordis contritio, & oris confessio, & operis satisfactio. Vnde colligimus illos tantùm corticem arripere, quia omittunt quod præcipuum erat, hominis ad Deum conuersionem, dum pudore & metu fractus peccator sibi renunciat, vt se addicat in obsequium iustitiæ.* Hæc ille. Cauillator ridiculus argumẽtum facit, cui in scholis Catholicis vel infimus tyrunculus vno verbo statim satisfaceret, negando minorem propositionem. Ait enim & subsumit ridiculè, in Iudæ pœnitentia cerni cordis cõtritionem, & cætera requisita, quæ in illa cerni nec probat, nec probare vnquam poterit. Sed hic est Caluini ludus in Scripturis deprauandis, & in dogmatibus Catholicis vellicandis. Ponit & affirmat apertè falsa, veluti de fide certa aut alioqui euidenter vera. Móxque ex apertè falsis, nec vel minimo verbo confirmatis, omnem quam vult falsitatem fortiter & copiosè concludit. In Iuda nulla fuit cordis vera contritio, nulla oris legitima confessio, nulla etiam satisfactio, qualis in scholis Catholicis docetur. De cordis contritione sic docere Caluinum S. Ambrosius potuit. *Habebat lacrymas Petrus, quas pio fundebat affectu; non habebat proditor fletus, quibus culpam ablueret, sed tormenta conscientiæ quibus sacrilegium fateretur.* Docet & verè docet non cordis contritionem, sed conscientiæ tormentum in Iuda fuisse. An nescit Caluinus lacrymas Esau, *in quibus pœnitentiam non inuenit*, à vera cordis contritione discernere? Non ex corde contrito & spiritu humiliato propter Deum offensum, sed ex animo iracundo & spiritu superbo propter primogenituram amissam, lacrymæ Esau processerũt, vt eo in loco latiùs dicetur. Sic à vera pœnitentia hanc Iudæ carnificinam discernere debuit. Quod & vox Græca diuersa eum docere potuit. Quòd enim pœnitentia ductus dicitur, non est Græcè μετανοηθεὶς, quo verbo veri pœnitẽntes cum resipiscentia coniuncta in Scripturis designari solent, sed μεταμεληθεὶς, quod simplicem animi mutationem notat, & quidem talem, iuxta Bezam, quæ peccati merces & iter ad desperationem. De quo quippe priùs ex auaritia gaudebat, de eo nunc ex conscientiæ cruciatu torquetur & dolet: nec propter Deum offensum aut amantissimo Domino iniuriam factam, sed propter facinoris sui turpitudinẽ, quæ vel inuito se ingerens eum quiescere non sinebat. Oris confessio vel satisfactio, qualis in scholis Catholicis docetur, mul

Iudæ pœnitentia Christianorum pœnitentiæ ridiculè cõparata.

Caluini ludus in Scripturis deprauandis.

In Lucam lib. 10. cap. 96.

Hebr. 12.

Annot. in Act. cap. 5. 31.

multo minus in Iuda videtur. Confeſſio quippe quæ pars pœnitentiæ eſt, non niſi legitimo Dei miniſtro & iuriſdictionē habenti, idque animo abſolutionis impetrandæ, iuxta ſcholas Catholicas, fieri debet: quorum nihil in Iuda locum habuit. Satisfactio ſimiliter non ſimplex eſt reſtitutio rei alienæ aut turpiter acquiſitæ, qualem hic ſolùm Iudas exercuit, & quæ ex natura rei debetur; ſed eſt prætereà aliqua certa pœna legitimè iniuncta, qua vel Deo & Eccleſiæ ſatisfiat, vel ipſi pœnitenti medicinæ in modum ſubueniatur. Iudas igitur nulla planè ex parte illam pœnitentiam egit, quæ in ſcholis Catholicis docetur.

Putida Caluini calumnia. Iam quod addit Caluinus, *emitti à Catholicis quod præcipuum erat, hominis ad Deum conuerſionem, dum pudore & metu fractus peccator in obſequium iuſtitiæ ſe addicit*, putida calumnia eſt, quam quælibet anicula Catholica mendacij arguet. Omnes enim, qui pœnitentiam Catholicam aggrediuntur, hoc omnium eſſe primum intelligūt, vt de peccatis præteritis odio concepto, & emendationis propoſito firmiter arrepto, per veram cordis contritionem ad Deum ſe conuertant, & ad melioris vitæ ſtudium ſeriò ſe accingant. Sed niſi mentiendo cauillari Caluinus non potuit: ideóque mentiri neceſſe illi fuit, qui quoquo pretio cauillari voluit.

46. *Circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?*

HOc in loco infernalem veréque Satanicam doctrinam ſuam de maledictionis & iræ diuinæ metu atque horrore, quem Chriſtum in animo concepiſſe blaſphemat Caluinus, confirmare nititur. *Quanquam* (inquit) *apparuit plus quàm humanus vigor in Chriſti clamore, certum tamen eſt vehementiâ doloris illi fuiſſe expreſſum. Et certè hic præcipuus fuit conflictus & omnibus alijs tormentis durior, quòd in ſuis anguſtijs adeò leuatus non eſt Patris auxilio vel fauore, vt ſe quodammodo alienū ſentiret. Neque enim corpus ſolùm in pretium noſtræ cum Deo reconciliationis obtulit, ſed in anima etiā pertulit debitas nobis pœnas: atque ita verè factus eſt vir dolorum, ſicut Eſaias loquitur. Et verò nimis inſulſi ſunt qui hac redemptionis parte poſthabita, tantùm in externo carnis ſupplicio inſiſtunt.* *Satanica Caluini doctrina de Chriſti pœnis infernalibus.* Quòd in hoc impio ſermone partem redemptionis noſtræ extra corporalem Chriſti mortem Caluinus ponit, & debitas nobis pœnas in anima quoque Chriſtum

pertu

percussisse affirmat, quàm ab eo impiè, sceleratè, & à diuinarum Scripturarum veritate abhorrenter dictum sit, in parte quadragesimali Promptuarij nostri Catholici accuratè ostendimus. Nunc vt de textus nostri propria intelligentia contra eius horrendas corruptelas disputemus, ea explicatione prætermissa, reliqua adhuc audiamus quæ eò propriè pertinent. *Nam* (inquit) *vt pro nobis satisfaceret Christus, reum ad Dei tribunal sisti oportuit. Nihil autem magis horribile quàm Deũ sentire iudicem, cuius ira mortes omnes superat. Ergo quum species tentationis Christo obiecta est, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti, ipse autem mirifica Spiritus virtute victor emersit. Nec verò fictè vel theatricè conqueritur se à Patre relictum. Nam interior animi mœstitia vi & ardore suo eum coëgit in clamorem erumpere. Nec tantùm ocularis fuit redemptio qua defunctus est; sed vt se vadem pro nobis obtulerat, verè Dei iudicium subire loco nostro voluit.* Vult Caluinus in his verbis, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Christum vera & vehementi tentatione correptũ fuisse, *quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus*, & quòd *interior animi eius mœstitia vi & ardore suo eum coëgit in hunc clamorem erumpere.* Hic est ergo ille *timor maledictionis & ira Dei*, quem in sua pestilenti institutione Christo attribuit. Hæc est illa *formidabilis abyssus qua sensit se à Deo derelictum & alienatum:* & de qua subiunxit ibi Caluinus, *Christum eò fuisse deiectum, vt coactus fuerit vrgente angustia exclamare, Deus, Deus meus*, &c. Expendamus nunc hoc totum, quid & quale fuerit.

In feria 4 hebdomada sancta.

Instit. lib. 2. cap. 16. num. 11.

1. Primùm in eo nefariè errat Caluinus, quòd tum hoc in loco, tum in sua institutione, ait Christum vi mœstitiæ & vrgente angustia coactum in hunc clamorem erupisse. Verba enim ista animo penitus sedato & composito pronunciauit, nec vllus vel mœstitiæ vel timoris motus in Christo rationẽ eius præuenit, sed hos affectus humanos veros & verè in se suscepit pertulitque, non vt nos inuoluntarios aut, vt hîc Caluinus dicit, *coactos*, sed penitus liberos, quando & quomodo & quoties voluit, vt aliis in locis contra Caluinum ostendimus, ideóque hoc loco non repetimus. Hæc igitur verba, *Deus, Deus meus*, &c. nec ex aliqua noua angustia eum cogente, nec ex propria angustia aut mœstitia tunc primùm inuenta vel extorta, sed olim de eo propheticè prædicta vsurpat. Tota enim hæc oratio seu exclamatio præmeditata & præcognita illi fuit, vt ipsa mors, passio, omnésque eius circunstan

Suprà cap. 26. 39.

Ad Lucam cap. 22. & Ioan. 12.

constantiæ fuere. Hic ergo primus Caluini fœdus error, quòd has voces vi doloris coactum emisisse Christum arbitratur.

Alter & multo grauior error est, quòd illa verba ex *tentatione illi obiecta, quòd à Deo desereretur, quòd exitio deuoueretur, quòd Deus illi irasceretur*, Christum protulisse affirmat. Id solum his verbis Christus dicere & ostendere voluit, humanam suam naturam sibi fuisse derelictam, absque consolatione diuinitus ei impertita: vt videlicet omnes intelligerent quantum in corpore veri doloris & pœnarum pro humano genere perferret. Non timet vllam vel minimam à Deo quo ad animæ statum derelictionem, sed negatam præsentibus corporis pœnis consolationem his verbis expressit: idque ideo, vt notum faceret quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed sæuientium manibus derelinqui; hoc est, *Saluatorem mundi fieri & omnium redemptorem non per miseriam, sed per misericordiam; nec amissione auxilij, sed definitione moriendi*, ait B. Leo. Certum est, multos martyres in mediis pœnis tanta diuinitus consolatione perfusos fuisse, vt illa consolatio omnem propemodum doloris sensum illis eripuerit. Noluit hac consolatione frui Christus. Voluit sicuti omnem contumeliam & ignominiam, ita omnem corporis dolorem & cruciatum perpeti, qui in id genus mortis cadere potuit. Vt autem hos dolores verè eum pro nobis pertulisse, & quanti Christo nostra salus constiterit, omnes in eum credituri intelligeremus, hanc dolorum suorum acerbitatem & negatam interiùs consolationem his verbis expressit.

Cur in cruce Christus exclamauit.

Serm. 17. de Pass.

Metus derelictionis diuinæ in Christum cadere non potuit.

Quomodo verò cuiquam credibile esse potest, diuinæ maledictionis aut desertionis vel minimam suspicionē in Christum (quum hæc diceret) cadere potuisse, quum non solùm antea sponte hostibus occurrerit, magna animi securitate eos allocutus fuerit, sua potestate prostrauerit, Petrum passionem eius impedire volentem acriter increpauerit, 12. legiones à Patre se impetrare posse confidenter dixerit, accusatoribus & persecutoribus suis venturum se in maiestate pronunciauerit, flentes mulieres consolatus vltiones futuras prædixerit (*quæ verba testantur*, ait ipse Caluinus, *quàm excelsa animi fortitudine præditus fuerit, quia sic loqui non poterat, nisi constanter & intrepidè ad mortem pergeret*) verùm etiam eodem ferè temporis momento, & pro crucifigentibus eum Patrem oraret, & latroni paradisum promitteret, & matrem discipulo commendaret, & statim post hæc verba, dicto, *Sitio*, quod etiam mysticè dicebat, & aceto potatus, sciens quia omnia iam

iam consummata essent, ideóque dicens, *Consummatum est*, Patri commendans spiritum suum, expirauerit? Nónne omnia in Christo quæ hæc eius verba, *Deus, Deus meus*, &c. præcesserunt, ac sequuta sunt, animi sedati, imò animi diuini & Filio Dei digni verba fuerunt? Pro crucifigentibus orare, misericordiæ sedatissimæ fuit. Latroni paradisum promittere, diuinæ potestatis fuit. Matris curam habere, animi cōpositi miniméque turbati fuit. Cætera subsequentia verba, *Sitio, Consummatum est, Pater, in manus tuas, &c.* quã vel minimã habet timoris, formidinis, aut perturbationis speciem? Ergo morti proximus *inconsideratum verbum protulit, & vox illi desperationis elapsa fuit?* Sic enim ait Caluinus, vt mox videbimus. Nunc id tantùm dicimus & vrgemus, nullum iræ diuinæ aut maledictionis metum Christum in his verbis concepisse. Quod nunc pressius contra nefandam Caluini impietatem, ipso Christo donante, ostendemus.

Si Christus in cruce dicens, *Quare me dereliquisti*, vllam Dei iram, maledictionē, iudicium vel ad momentum timuit; quomodo verum est quod in eius persona & de eius futurã passione Scriptura dicit? *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc letatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam nō relinques animã meam in inferno, nec dabis sanctũ tuum videre corruptionem* Omnia hæc de Christo, eiúsque passione, morte, resurrectione dici D. Petrus in Actis nos docuit. Si ergo Christus patiens Deum *semper* in conspectu suo habebat, qui illi à dextris esset ne commoueretur; quomodo Dei maledictionē timuit? Dico si *semper*, vt Scriptura dicit. An non aduersa fronte cum Scripturis pugnat Caluinus, Christúmque Redemptorem nostrum, in *quo Patri semper bene complacuit*, fœdissima & atroci iniuria conspurcat? Quomodo verum esse potest quod Christus dixit, ego *precepta Patris mei seruaui, & maneo in dilectione eius*, si (quod Caluinus dicit) iram & maledictionem Dei timuit, & vox illi desperationis elapsa est? Si præcepta Dei semper seruauit, certè iram Dei timere nō potuit, nisi etiã Deum quoque iniustum Caluinus fingat, vt Christum desperatione tentatum probet. Rursum si mansit semper Christus in dilectione Patris, quomodo eius maledictionem timere potuit? An fortè quem Deus diligit, ei etiam maledicere & irasci potest? Aut qui Deum diligit, eum sibi irascentem & auersum poterit vnquam sentire? Quæ magis pugnantia dici aut co-

Psal. 15.

Act. 2.

Scripturis aperte cōtradicit Caluinus.

Ioan 15.

gitari possunt? Et tamen aut hæc pugnantia dicere, aut cum Scripturis pugnantia docere Caluinum necesse est.

Caluini effugia inanissima. Caluinus vt tantæ rei indignitatem támque horrendam in Christum blasphemiam nonnihil attenuet, & aliquo modo probabilem reddat, hoc fuco vtitur. *Sciendum*, inquit, *est, talem fuisse tentationem ex doloris & metus sensu, quæ cum fide non pugnaret: quia se quasi derelictum à Deo sentiens, ne tantillum quidem deflexit à bonitatis eius fiducia.* Et hoc in loco, proposita sibi hac obiectione, *absurdum videri Christo elapsam esse desperationis vocem: Solutio* (inquit) *facilis est, quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in eius corde, qua Deum præsentem intuitus est, de cuius absentia conqueritur. Quare nihil obstat quo minus Dei alienationem mente conceperit Christus, prout sensus dubitabat, & simul fide retinuerit Deum sibi esse propitium.* *In Matth. cap. 27. ver. 45.* Hanc quoque euasionem probare vult ex ipsis illis verbis, ex quibus hunc diuinæ maledictionis metum probare conatur. *Quod satis clarè patet ex duobus querimoniæ membris. Nam antequam tentationem exprimat, præfatur se ad Deum confugere tanquam Deum suum* (dicens, Deus meus, Deus meus) *atque hoc clypeo fidei fortiter repellit illam, quæ se ex opposito ingerebat, derelictionis speciem. Denique in hoc diro cruciatu illæsa fuit eius fides, vt se relictum esse deplorans, propinquo tamen Dei auxilio confideret.* Hæc ille. Sed totus hic fucus totáque euasio quàm variè futilis sit, attendat lector. Primum verba illa, *Deus meus, Deus meus*, sicuti Caluinum docuerunt, fiduciam Christi (quam ille fidem impropriè vocat) stetisse semper illæsam, ita etiam docere debuerunt, nullam illic fuisse derelictionis diuinæ tentationem, nullam desperationis vocem. An non enim multo facilius est, Christíque puritati conuenientius, totam Christi orationem tam breuem, tam succinctam, sibi similem & conformem facere, sanctáque fiducia, quo ad Dei in eum bonitatem plenam, & derelictionem de qua loquitur, ad inflátam mortem referre, à qua Christus naturaliter hìc abhorrebat, sicut in horto, quàm ad iræ & maledictionis diuinæ metũ? Hæc enim duo optimè consistunt, vt manente fixa & immobili diuinæ bonitatis fiducia, siue Christus, siue aliquod membrũ eius temporalem mortem naturaliter refugiat, aut aliquod aliud malum pœnale. Sed manẽte bonitatis diuinæ fixa fiducia, vt eiusdem bonitatis metus & diffidentia in aliquo oriatur, etiàm quouis homine, nedum in Christo, non magis possibile est, quàm vt

manente feruido calore aliquis frigeat. Fixæ quippe fiduciæ (quam in Christo manere Caluinus ponit) non minus repugnat iræ & maledictionis diuinæ metus, quàm feruido calori quodlibet frigus. Maluit tamen Caluinus sensum in illis verbis penitus pugnantem statuere, quàm cum omnium fidelium consensu sensum verbis conformem agnoscere.

Deinde non satis est agnoscere in Christo firmam & fixam diuinæ bonitatis fiduciam, à qua, vt Caluinus nunc dicit, nec cancillum quidem deflexit, sed etiam talem quæ tentari aut commoueri non potuerit. Ait enim disertè de seipso Christus. *A dextris mihi Dominus est, ne commouear.* Non fuit ergo in eo genere ne tentatus quidem. *Nullam Dei alienationem mente concepit* Christus, vt hìc loquitur Caluinus. Talis quippe alienatio mente concipi sine motu mentis quomodo potuit? At ne commotus quidem fuit, vt Deum à se alienum aliquando cogitaret. Scripturæ igitur diuinæ manifestè repugnat impium Caluini commentum, sicuti cum seipso pugnare prius docuimus. *Metus diffidentiæ in Christū cadere non potuit.*

Imò ait Caluinus, *Spiritus Dei hæc duo simul cōciliat, Christum fuisse tentatum per omnia sicut nos, & tamen absq; peccato.* Atqui Scripturam deprauat, & textum corrūpit. Non enim dicit Paulus Christum tentatum per omnia, *sicut nos*, quasi etiam vitiosos affectus haberet & desideria praua sicut nos, sed Paulus dicit, *pro similitudine* siue iuxta similitudinem, videlicet *carnis peccati*, vt alibi dicit, *Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*, non autem iuxta similitudinem nostram, vel sicut nos. Quæ duo plurimum differūt. Christus enim habuit tentationes quæ similitudo carnis peccati proferre potest, sed non quas caro peccati (qualis nostra est) proferre solet. Ideò Paulus adiecit *absque peccato*, id est, absque illis tentationibus quæ ex peccato nascuntur. Metus iræ diuinæ & maledictionis Dei (qualem hìc ponit Caluinus) est tentatio propria carnis peccati, & hominis in peccatis nati, adeóque veri peccatoris. Non enim nisi peccatis irascitur Deus, nec iram Dei sic timet iustus. Metus mortis & aliorū pœnalium cadere potuit in similitudinem carnis peccati, quia sine peccato, naturali tantùm voluntate, illa refugiuntur. Sic hic locus adeò Caluinum non iuuat, vt eum perspicuè refutet. Ponit enim in Christo tentationes similitudinis carnis peccati, & negat in eo tentationes carnis peccati, quæ non sunt nisi ex peccato. *Instit. lib. 2 cap. 16. num. 12. Heb. 4. Rom. 8. Tentationes ex carne peccati in Christo non erant.*

Præterea si in illis verbis in Cruce prolatis, *Quare me de-*

reliquisti, Christus ne tantillum quidem à diuinæ bonitatis fiducia deflexit, Christi fiducia in Deum fixa & illæsa permansit, si *Deum præsentem intuebatur, & fide semper retinuerit Deum sibi esse propitium*, denique *fides Christi minimè fuit concussa, sed suo loco semper inuicta stetit* (quæ omnia Caluinus dicit) quomodo vera sunt illa alia portentosa eius verba, Christum *diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse, cum inferorum copijs æternæq; mortis horrore quasi consertis manibus luctatum fuisse, formidabilem illam abyssum ingressum esse, qua se à Deo derelictum & alienatum sentiret, idque perinde ac si in ipsius perniciem Deus conspirasset: denique sceleratorũ pœnas omnes quæ ab illis expetendæ erant, persoluisse, hoc vno excepto, quòd huiusmodi doloribus teneri non poterat?* Quorsum hæc tam tragica verba, si totus ille quem fingit diuinæ maledictionis metus & conceptio, sic momentanea imò sic nulla erat, vt fiduciam diuinæ bonitatis nunquam amiserit, vt reuera Deum sibi iratum non timuerit, vt eum semper præsentem, sibíque propitium, fixa & illæsa fide tenuerit? Quàm sunt hæc secum pugnantia, quàm absurda, quàm ridicula! Sed hæc est consueta & ordinaria Caluini partim impietas, partim impudentia. Vbi summam impietatem euomuit, eam summa impudentia rursum negat. Denique vbi in Christum Dei ore sacrilego dixit quæcunque scelerato animo collibitum fuit, nunc istis exceptionibus atrocem suam blasphemiã colorare & obscurare nititur. Quod re ipsa perinde est ac si quis vbi narrauisset aliquem esse mentitum, esse calumniatum fratres, infidelem, & blasphemiam euasisse (quibus vt per se malis semel admissis nulla moderatio affectuum medeatur vt non sint peccata) adiiceret; sed ita tamen vt ne tantillum quidem à Dei mandatis deflexerit; vt charitas nihilominus & fides, totáque veritas, fixa in eo atque illæsa permanserint: nisi quòd istud tanto sceleratius, & magis ridiculum est, quanto filius Dei homini peccatori præstat.

Instit. li. 2. cap. 16. num 10. & 11.

Caluini ludus.

Sed an ista consistere queant adhuc expendamus magis. Hic enim confictus in Christo animæ cruciatus tanti à Caluino eiúsque sectatoribus fit, vt eo prætereito, multũ ex mortis Christi fructu deperire, imò vt in eo, *Redemptionis nostræ pretium maius atq; excellentius esse*, affirmet Caluinus, quã in morte & sanguine Christi; vt Beza etiã scribat, *in eo positam esse nostræ pacis & cum Deo reconciliationis summam.* Expendamus igitur adhuc nonnihil doctrinæ huius Caluinianæ summam

Instit. li. 2. cap. 16. num 8. & 10. In Annotat. in Luc c. 22. ver. 44.

ſummam & extremã impietatem. *Chriſtus* (ait Caluinus) *cum æternæ mortis horrore cõflixit: diros cruciatus damnati & perditi hominis ſuſtinuit. Sceleratorum pœnas omnes perſoluit, excepto quòd æternæ non erãt. Mortem quæ ab irato Deo ſceleratis infligitur, perpeſſus eſt.* Examinemus paulùlum hæc ſingula. Pœnam infernalē Chriſtus non ſubȳt.
Horror æternæ mortis & pœna hominis damnati, includit eſſentialiter deſperationẽ ſalutis, ſicut beatitudinis præmium includit certitudinem ſalutis nunquam amittendæ. Si ergo damnati hominis cruciatus ſuſtinuit Chriſtus, profectò non ſolùm *deſperationis vocẽ emiſit*, nec ſola *ſpecies tentationis ei obiecta eſt, quaſi Deo auerſo iam eſſet exitio deuotus*, ſed ipſa deſperatione laborauit, & de ſalute ſua, quum in horto & in cruce illa verba diceret, deſperauit. Sanè ad illa apud Marcum verba, *Omnia tibi poſſibilia ſunt*, ait Caluinus, *Chriſtum, quia nihil erat ſpei, vt in rebus deploratis fieri ſolet in Dei virtutem ſe reieciſſe.* Si nihil erat ſpei in Chriſto, deſperauit igitur. Deinde ſi *ſceleratorũ pœnas omnes, excepto quòd æternæ non erant, in anima perſoluit*, ergo & ignem illum infernalem ſenſit de quo Chriſtus dixit, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius*; hoc vno dũtaxat excepto, quòd ille ignis Chriſto æternus non fuit. Hæc eſt enim propria pœna ſceleratorũ æterna. Rurſum ſi *mortem Chriſtus pertulit, quæ ab irato Deo ſceleratis infligitur*, ergo mortem ſecũdam, quæ propriè ſtipendiũ peccati eſt, propter quod propriè Deus iraſcitur, pertulit. At illa propria eſt damnatorum pœna. Omnino (ait Caluinus) talem pertulit, quia in *locum illorum tanquam ſponſor & vas inſtar rei ſubmiſſus eſt.* Quod & hoc loco ait: *Non tantum ocularis fuit redemptio, qua defunctus eſt Chriſtus, ſed vt ſe vadẽ pro nobis obtulerat, verè Dei iudicium ſubire loco noſtro voluit.* Hæc ille. At vnde hoc tandem, prophanum & inauditum in Eccleſia Dei verbum, accepit Caluinus? *Hoc* (inquit) *ſignificat Propheta in illis verbis: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, percuſſus eſt propter ſcelera noſtra, attritus propter infirmitates noſtras.* Atqui hoc totum de pœnis quas ſuſtinuit Chriſtus in corpore ſuo ſuper lignum, intellexit ſemper Eccleſia Dei. An non ſic Apoſtolica Scriptura apertè nos docuit? *Mortuus eſt* (ait Paulus) *propter delicta noſtra iuxta Scripturas.* An non docet hic locus Scripturas propheticas, quæ de Chriſti pœnis loquuntur, eas deſignare quas per mortem corpoream pertulit? Sanè ipſe Caluinus in hunc Pauli locum inter alias Scripturas quæ Chriſtum pro peccatis noſtris moriturum prædicunt, etiam hunc Eſaiæ

Margin notes: In Matth. cap. 27. — Matth. 25. — Inſtitut. lib. 2. cap. 16. nu. 10. — Eſai. 53. — 1. Cor. 15. 3. — Chriſti pœna omnes corporea. — In Com. ad 1. Cor 15. 3.

locum ponit: móxque addit, *mortem Chriſti fuiſſe ſacrificium pro expiandis peccatis noſtris, fuiſſe pœnam ſatisfactoriam per quam Deo reconciliaremur, fuiſſe unius damnationem ad impetrandam nobis abſolutionem.* Vt quid ergo impius Caluinus tam aduerſus Scripturas, quam aduerſus ſeipſum, nunc *morte corporea Chriſti nihil actum eſſe* affirmat, & Scripturam, quæ de morte Chriſti corporea, & cruciatibus circa illam corporeis apertè loquitur, ad animæ deſperantis vel de ſalute ſua dubitantis ac diffidentis, ad dānati hominis pœnas & æternæ mortis horrorem, impiè trahit? Nónne Scriptura illa prophetica, vt non niſi de pœnis corporeis ſermonem illic fieri intelligeremus, totā illam prophetiam his verbis concludit, *Et liuore eius ſanati ſumus?* Liuor autem iſte quis dubitat quin corporeus fuerit, quem tot flagella, alapæ, ſpinea corona, crucis baiulatio, ac demū pretioſi ſanguinis copioſa effuſio pepererunt? Deinde nónne D. Petrus quaſi hunc Eſaiæ locū exponens oſtendit percuſſionē illam de qua Propheta loquitur, ad corpus Chriſti pertinere? à *Peccata* (inquit) *noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* & paulò poſt *Cuius liuore ſanati eſtis.* Quod Eſaias dixit, *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra,* hoc totum explicauit Petrus in corpore Chriſti ſuper lignū præſtitum fuiſſe. Vnde & Caluinus ipſe in hunc locum Petri fatetur, *ex Eſaia, qui pluribus vtitur loquendi formis, huius doctrinæ ſummam Petrum ſumpſiſſe.* Et addit Caluinus, tota Eſaiæ ſententia enumerata, *idem exprimere voluiſſe Petrum hoc verbo, Super lignū. Nempe hac lege nos fuiſſe Deo reconciliatos, quia apud eius tribunal Chriſtus ſe vadem ac reum pro nobis cōſtituit, vt pœnam ſolueret cui obſtricti eramus.* Hæc ibi Caluinus, ſuam hoc loco impietatē ore proprio peſpicuè damnans. Si enim Chriſtus iuxta Eſaiæ ſententiam, quam Petrus expreſſit, conſtituit ſe vadem ac reum pro nobis apud tribunal Dei, *quatenus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum,* quæ eſt ſententia Petri, mendax & blaſphemus Caluinus eſt, qui in eiſdem Eſaiæ verbis ſignificari affirmat, *Chriſtum ſic ad tribunal Dei ſponſorem ac vadem, adeóque & inſtar rei ſubmiſſum eſſe in locū ſceleratorum, vt cum inferorum copiis æternæq; mortis horrore quaſi conſertis manibus confligens, damnati & perditi hominis pœnas omnes, excepto quòd æternæ eſſe non poterant, perſolueret:* idque non iam in corpore ſuper lignū ſed in anima adhuc orans in horto, *iram ac maledictionem diuinam timens,* & in

1. Pet 2.

Caluinus ex ipſo refutatur.

in ipso crucis ligno non tantùm in corpore, sed etiam in anima *formidabilem illam abyssum sentiret. derelictum & alienatum se à Deo esse, idque adeò quasi in eius perniciem Deus conspirasset.* Hæc teterrima verborum monstra, non solùm diuersa, sed plane cõtraria illis sunt quæ Esaiam Prophetam significare Caluinus voluit, si tamẽ Petro & Paulo plusquam Caluino credimus. Sed si ita singula examinemus, nullus refutandi finis erit. Reliqua vide in parte quadragesimali Promptuarij nostri Catholici, in feria quarta hebdomadæ sanctæ.

IN MATTHÆI CAP. XXVIII.

19. *Euntes ergo docete omnes gentes: docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.*

CVM hæc Christi verba Ecclesiæ magisterium & amplissimã docẽdi potestatẽ, cui propterea docenti cæteri obedire debeãt (vt quid enim docetur quod nemo audire, cui nemo obedire tenetur?) perspicuè doceant; spurius & rebellis Caluinus, pro eo quòd Matris Ecclesiæ authoritatẽ non secus necessariã quàm legitimã obseruare & lectori cõmendare debuerat, insurgit ipse contra Ecclesiam, & petulcis calcibus eam verberans, acerbam in illam criminationem instituit. *Hinc* (inquit) *discamus Apostolatum non esse inanem honoris titulum, sed operosum munus, ideòque nihil magis esse absurdum vel minus tolerabile quàm vt sibi laruati homines vsurpent hunc honorem, qui otiosè regnantes docendi munus à se reijciunt. A Papa Romano eiúsque cohorte superbè successio hæc iactatur, quasi communem cum Petro & eius collegis personam sustineant. Interim doctrinæ nihilo maior illis cura est quàm Lupercis vel Bacchi & Cereris sacerdotibus. Verùm qua fronte, obsecro, in eorum locum se subrogant, quos audiunt creatos fuisse Euangelij precones? Sed quamuis eos non pudeat impudentiam suam prodere, tamen apud omnes sani iudicij lectores hoc vno verbo validè prosternitur futilis eorum hierarchia, quòd nullus Apostolorum successor esse potest, nisi qui suam in Euangelij prædicatione operam Christo impendit: Denique quisquis doctoris partes non implet, perperam nomen Apostoli mentitur. Imo hoc noui testamenti sacerdotium est, spirituali verbi gladio homines in sacrificium Deo mactare. Vnde sequitur, degeneres esse & commentitios omnes sacrificos qui non sunt ad*

Ecclesiæ Catholicæ falsa criminatio.

docendi officium intenti. Huic Caluini declamationi alia respondebitur, sed magis sobria ac solida.

Contra Ministros Caluinianos. Docendi munus Apostolis & eorum successoribus à Christo commissum est cum plena potestate docendi *seruare omnia quaecunque mandauit* illis Christus. *Hinc discamus Apostolorum, Doctorum & Pastorum in Ecclesia munus non esse inanem honoris titulum*, sed authoritate plenum, & eximia potestate praeditum: *ideóque nihil magis esse absurdum vel minus*

Heb. 5. *tolerabile, quàm vt sibi laruati homines vsurpent hûc honorem,*

1. Tim. 1. qui non *vocati à Deo sicut Aaron*, nec per impositionem ma-

Act. 13. nuum presbyterij *ad hoc munus segregati, cucurrerunt, & nemo mittebat eos.* A Caluino eiúsque cohorte superbè & impiè hoc docendi in Ecclesia munus arrogatur, *quasi communem cum Petro & eius collegis personam sustineant. Interim sanae doctrinae nihilo maior illis cura est*, quàm Mahometanis aut Iudaeis, aut quibusuis veteribus haereticis, dum diuinas Scripturas aut nefariè deprauant aut pestilenter corrumpunt, aut sacrilegè mutilant & detruncant. *Verùm qua fronte, obsecro, in eorum locum se subrogant, quos audiunt fuisse Euangelij praecones*, aut ab ipso Christo designatos, aut per *impositionem manuum presbyterij* postea legitimè ordinatos? quos audiunt ac-

Matth. 26. cepisse à Christo potestatem *faciendi quod ipse fecit* in vltima coena, offerendi corpus & sanguinem eius in mortis ipsius perpetuam commemorationem? quos audiunt accepisse à

Ioan. 20. Christo potestatem *sic soluendi & ligandi peccata in terris, vt eadem soluantur aut ligentur in caelis? Sed quamuis eos non pudeat impudentiam suam prodere*, & maximè hoc loco Caluinum, *tamen apud omnes sani iudicij lectores hoc vno verbo validè prosternitur* futile eorum ministerium, *quòd nullus Apostolorum successor esse potest*, nullus in Ecclesia Dei verbi ministerio fungi debet, *nisi qui suam in Euangelij praedicatione* legitimam vocationem & χειροτονίαν ostendit; nisi qui vt id faciat quod Christus in Coena fecit, sacerdotalem ordinem susceperit; nisi qui potestatem remittendi & ligandi peccata similiter initiatus adeptus est. *Denique quisquis has omnes partes non implet, perperam vel Apostoli* vel Pastoris vel Ministri *nomen mentitur. Imò hoc noui Testamenti sacerdotium est, vbi*

Lib. 4. cap. 31. *noui Testamenti nouam oblationem Christus docuit* (ait antiquissimus Irenaeus) *quam Ecclesia ab Apostolis accipiens per vniuersum mundum offert Deo:* hoc noui Testamenti sacerdotium est, quod quum *veteribus sacerdotibus concessum esset corporis lepram non purgare, sed purgatam probare, nostris sacer-*

doti

doribus datum est, non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus: quæ verba Chrysostomi sunt. *Vnde sequitur, non degeneres modò & commentitios*, sed impios præterea ac profanos omnes esse sectæ Caluinicæ Ministros, qui nec ad docendi officium legitimè vnquam vocati & ordinati fuere, nec ea quæ docendi officio coniuncta & propriè sacerdotalia sunt, ad præconis Euangelici munus quicquam pertinere censent. Hæc nostra est Caluinianæ declamationi respondens, & eisdem vestigiis insistēs, ac demū in Scripturis & Patribus fundata declamatio. Quod autem de neglecto passim docendi officio garrit Caluinus, nec ille totum orbem terrarum, per quem Ecclesia Catholica & Romana diffunditur, percurrit, vt tantæ negligentiæ testis esse possit, nec si omnia oculis perlustrasset, tam mendaci hæretico, & accusanti matrem spurio vlla fides adhibenda esset. Res autem ipsa & populorum credētium fides, quæ absque doctoribus docentibus nulla esse potuit, (*fides enim ex auditu*) luculenti & improbi mendacij Caluinum conuincit. *Lib. 3. de sacerdotio.*

10. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.*

DIVINVM hoc & omnibus credētibus necessarium Sacramentum à Christo Redemptore his verbis institutum suo profano glossemate deprauat insigniter hoc loco Caluinus; & diuinæ Scripturæ aperta doctrina penitus neglecta, sua lectori commenta & figmēta propria obtrudit. *Baptizari* (inquit) *iubet Christus, qui nomen Euangelio dederint, seque professi fuerint discipulos: partim vt illis baptismus vitæ æternæ sit tessera coram Deo, partim apud homines externum fidei signum. Scimus enim Deum nobis testari adoptionis suæ gratiam hoc signo: quia nos inserit in corpus filij sui, vt nos in grege suo cēseat. Ideo & spirituale nostrum lauacrum, quo nos sibi reconciliat, & noua iustitia, illic repræsentantur. Sed quemadmodum gratiam suam Deus hoc sigillo nobis confirmat, ita quicunque se ad baptismum offerunt, vicissim quasi data syngrapha obstringunt suā fidem.* Tota hæc Caluini oratio nihil quàm prophana vocum nouitas est, quā nec diuina Scriptura tradit, nec Ecclesia maiorum docuit. Vult baptismum esse *tesseram vitæ æternæ.* Hanc tesseram nulla Scriptura nominat. Vult *adoptionis gratiam hoc signo Deū testari.* Hæc testificatio in Scripturis non legitur. Vult *spirituale* *Commenta Caluiniana circa Baptismū.*

nostrum lauacrum & nouam iustitiam in baptismo repræsentari. Hanc repræsentationē nusquam Scriptura loquitur. Vult denique Deum *hoc sigillo suam gratiam nobis* cōfirmare. Hoc sigillum gratiæ in Scripturis non apparet. Omnia hæc cerebri Caluiniani & scholæ Geneuensis placita ac figmenta propria sunt. Nos verò diuinis Scripturis inhærentes didicimus, dicimus, & credimus, baptizari omnes qui nomen Euangelio dederunt, vt remissionem peccatorum consequantur. Sic Petrus in primo credentium baptismo. *Baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum.* Sic Ananias Paulo *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu.* Rursum didicimus in diuinis Scripturis, & credimus, baptismum non signum aut tesseram aut testificationē aut sigillum gratiæ vel adoptionis nostræ esse sed verā causam, mediū, & instrumentum. *Mundauit Ecclesiam suā lauacro aquæ in verbo vitæ.* Est propositio causalis, siue quæ mūdationis causam & instrumētum designat, sicut qui diceret, Mundauit corpus suum lauacro aquæ in Iordane. Rursum, *Saluos nos fecit per lauacrū regenerationis & renouationis Spiritus S.* id est, per baptismum regenerantē & renouantē, iuxta perpetuam phrasim Hebraicam. *Virga directionis* id est, dirigēs; gladius occisionis, & *dies occisionis*, id est, gladius occidens, & dies occidens; *dies vltionis*, id est, vlciscens, & innumera alia. Dicit ergo Apostolus nos saluos fieri per baptismū regenerantem. Ipse ergo regenerat, sed vt causa media & instrumētalis per quā regeneramur. Dicente alibi Apostolo, *Arbitramur hominem iustificari per fidem*, rapiunt hoc libentissimè hæretici, vt fidē veram esse iustificationis nostræ causam, mediū, & instrumentū doceant. Cur igitur eidem Apostolo dicēti, *Saluos fecit per baptismum*, similiter nō credunt baptismū salutis nostræ causam quandā, medium, & instrumentum esse? Rursum ait Petrus: *Similis formæ baptismus saluos nos fecit.* Cur hîc effectū baptismi non agnoscunt, & salutis causam certo modo effectricem baptismum esse non aduertunt, sicut quum aliæ Scripturæ dicunt, *fides iustificat*, effectum fidei obuiis vlnis amplectuntur, & iustificationis causam certo modo effectricem fidem esse, auidissimis animis auscultant? An vt sanam doctrinam admittent, fidem iustificationis nostræ non nisi tesseram, signum, repræsentationem, sigillum esse? An huiusmodi doctrinam vt diuinis Scripturis contrariam non toto pectore execrabuntur? Cur igitur in diuinis Scripturis de baptismo nomō secus loquentibus, eadem sinceritate & promptitudine nō acquiescunt?

Baptismi verus vsus & efficacia vera.
Act. 2.
Act. 22.
Ephes. 5.
Tit. 2.
Ezech. 21.
Rom. 3.
1. Pet. 3.

Cur

Cur relicta propria, aperta, & sæpius repetita diuinæ Scripturæ doctrina, propria sua figmenta orbi obtrudunt? Planum est, Caluinum eiúsque cohortem non Scripturas ipsas venerari, attendere, aut humiliter auscultare, sed sui tantùm cerebri figméta, suæ scholæ placita, veluti idola quædam ab ipsismet fabricata venerari, complecti, & colere. Porrò sigillum hoc totum & tessera Caluiniana quàm ridiculũ & absurdum figmẽtũ sit, in epist. ad Ro. alia data occasione demõstrauim⁹. *In cap. 4. vers. 11.*

Sed non est hæc sola hoc loco Caluini dementia. Aliquid habet quod in Catholica Ecclesia hîc etiam arrodat. Id quale sit, paucis quoque expendemus. *Porrò* (inquit) *quum Apostolis disertè vnà cum prædicatione Euangelij mãdata sint istæ partes, sequitur non alios baptismi legitimos esse ministros, nisi qui ijdem simul doctrinam ministrant. Quòd ergo priuatis hominibus, imò fœminis permissa fuit baptizandi licentia, quia Christi institutioni minimè consentaneũ est, nihil aliud fuit quàm mera profanatio. Adde quum doctrinæ prior datur locus, doctrinæ virtute fieri vt signa nouam naturam induant, sicuti externa carnis lotio spirituale regenerationis pignus esse incipit praeeunte Euangelij doctrina. Atque hæc est genuina consecratio, in cuius locum magicos exorcismos Papatus nobis inuexit. Ideoq; apud Marcum dicitur, Qui crediderit & baptizatus fuerit, quibus verbis non modò à spe salutis excludit Christus hypocritas, qui fide vacui externo tantùm signo inflati sunt, sed sacro vinculo doctrinæ baptismum copulat, vt hoc nihil aliud sit quàm illius accessio.* Hæc ille. Totius Ecclesiæ consuetudinem, quapropter huius sacraméti summam in paruulis necessitatem, fœminæ & obstetrices periclitante de vita paruulo baptizare permittuntur, homo carpendi auidus carpit, & veluti meram sacramenti profanationem damnat. Cur id verò? *Quia* (inquit) *Christi institutioni minimè consentaneũ hoc est.* At quare institutioni Christi hoc repugnat? An Apostolis dictum est, vt illi soli aut eorum successores baptizarent? *Planè*, ait Caluinus. *Quum enim Apostolis vnà cum prædicatione Euangelij mandatæ sint hæ partes baptizandi, sequitur non alios esse legitimos baptismi ministros, nisi qui ijdem simul doctrinam ministrant.* At hæc consequentia quàm multis modis infirma sit, etiã quouis Caluinista iudice statim apparebit. Primùm enim ipsius Caluini doctrina est, vt paruulorum baptismum contra Anabaptistas tueatur, hoc Christi mandatũ, *Docete baptizantes*, ad solos adultos baptizandos pertinere, non ad paruulos. Sic enim alibi scribit: *Apostolos mittit Christus ad Euangelium*

Baptismus laicorũ in casu necessitat. defenditur.

vniuer

Instit. lib. 4. cap. 16. num. 28.

vniuersis orbis nationibus promulgandum, vt vndique in regnũ suum perditos homines doctrina salutis colligant. Quos autem illos aut quales? *Certum, nullam nisi de ijs qui doctrinæ recipiendæ pares sint, esse mentionem. Postea adiungit, tales, vbi instituti fuerint, esse baptizandos. An de infantibus toto illo sermone vna est syllaba?* Hæc ibi ille. Si ergo de infantibus baptizandis Christus hîc non loquitur, qui doctrinæ Euangelicæ recipiendæ pares non sunt; quomodo ex Euangelicæ huius prædicationis necessitate probat Caluinus, eos solos esse baptismi legitimos ministros, qui pariter cum baptismo doctrinam ministrant? Ecce paruulis baptizandis nõ est necessaria imò superuacanea prorsus est Euãgelicæ doctrinæ prædicatio. Non ergo illa cogit eum qui paruulum baptizat, verbi ministrum esse. Non, inquam, verbi minister hîc necessariò postulatur, vbi verbi ministerio opus non est. Quòd paruuli ab aliis quàm verbi ministris vrgente necessitate baptizãtur, contra Christi institutionem de Euangelica doctrina baptismo adiungenda nihil facit, quia in paruulorum baptismo hęc doctrina Euangelica non requiritur. Ibi est necessarius verbi minister legitimus, vbi verbi ministerium necessariò adhibendum. In paruulis baptizandis verbi ministeriũ necessarium non est. Nec ergo verbi minister. Denique *de paruulis hic nulla fit mẽtio aut syllaba,* ait Caluinus. Ergo hæc institutionis forma, *Docete baptizantes*, ad paruulos non pertinet. Si ad paruulos hæc forma non pertinet, quare in fœminis ex necessitate paruulos baptizantibus hæc forma desideratur? quare contra illas profertur? Prorsus haud secus paruulorum baptismum hæc Caluini cauillatio in vniuersum aboleret, veluti meram profanationem & institutioni Christi repugnantem (quod Anabaptistæ volunt) quam paruulorum in casu necessitatis à fœminis administratum baptismum ex ea abolere Caluinus conatur. Deinde si propter hæc Christi verba, *Docete omnes gentes, baptizãtes eos,* &c. & propter alia Christi verba, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. sacro doctrinæ vinculo baptismus copulatur,* idque adeò vt *doctrinæ virtute signa nouam naturam induant,* ipseque baptismus *pignus regenerationis nostræ esse incipiat praeunte Euangelio* (quæ omnia hîc Caluinus dicit) quomodo in vniuersum baptizantur paruuli, quorum hîc nulla fit mentio, de quibus Christus hîc non loquitur, sed de solis adultis, qui recipiendæ doctrinæ pares sunt, vt idem Caluinus affirmat? In illorum baptismo hoc doctrinæ vinculum locum non habet, quia ei recipiendæ

Caluinus ex seipso refutatur.

Paruulorũ baptismus iuxta Caluinum abolendus.

pares

pares non sunt. In illorum bapismo signa nullam nouam naturam induunt, quia doctrinæ virtus illic non adhibetur. Denique in illorũ baptismo nullum erit regenerationis pignus, quia nisi præeunte Euangelio (quod hic omittitur) tale pignus esse non incipit. Ita rursum non aduertit cæcus hæreticus quòd aduersus Ecclesiasticam consuetudinem dum oblatrat, Anabaptistarum causam fortiter agit.

Occurrit quidem hoc loco huic malo Caluinus, sed ita miserè ac stolidè, vt Anabaptistæ ferociam magis accendat. Summa responsionis hæc est; *In paruulis baptizandis non separari baptismum à fide vel doctrina, quia licet pueri infantes nondum per ætatem fide percipiant Dei gratiam, Deus tamen eorum parentes compellãs ipsos etiam complectitur, dicente Deo ad Abraham Ego ero Deus tuus:& semini tuo post te. Nego igitur temerè baptismum infantibus conferri, ad quem Dominus eos inuitat dum se illis promittit fore in Deũ.* Misera, inquam, ac stolida hęc Caluini defensio est, hoc maximè in loco. Nam vt demus Caluino paruulos ex illa Dei promissione ad Abraham facta pertinere ad fœdus, & esse salutis participes (quod esse absurdissimum mox docebitur) quomodo tamen absque fide & doctrina Euãgelica baptizari possunt, si fides & doctrina à baptismo separari nõ possunt? An quia pertinent ad fœdus Christianorum parentum infantes, idcirco in illis baptizandis institutio Christi violari potest? Aut enim ad huius sacramenti institutionem ipsa doctrina Euangelica pertinet, vt absque illa propter sacrum doctrinæ vinculum baptismus non subsistat, nec signa nouam naturam induant, nec esse pignus regenerationis baptismus possit nisi præeũte Euãgelio; aut ad eius institutionem doctrina non pertinet, nec alia quæ adiunxit Caluinus vera sunt. Si illa omnia vera sunt, ergo paruulorum baptismus in vniuersum (non solùm quem fœminæ in casu necessitatis ministrant) profanus & impius est, qui nec fidem habent, nec doctrinæ recipiendæ pares sunt, ideóque nec sacro illo vinculo gaudere, nec pignus regenerationis suæ præeunte Euangelio habere possunt: in quorum denique baptismo signa nouam naturam non induunt, sed aqua baptismi qua abluuntur, tota profana & vulgaris est. Manent, inquam, hæc omnia iuxta Caluini doctrinam absurda in paruulorum quocunque baptismo, tametsi verum esset illos iam ad Dei fœdus pertinere, quia eorum parentes ad Dei fœdus pertinent.

Gen. 17.

Paruulorũ baptismus miserè à Caluino defensus.

Nunc autem alia hæc est & singularis Caluini dementia, quòd

Christianorum parentū filij non baptizati ad fœdus Dei nō pertinent. quòd Christianorum parentum filij ad fœdus Dei pertinent, & de salute sua certi sunt etiam absque baptismo, propter illa Dei verba ad Abraham, *Ego ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te:* quam hoc loco pluribus refutare ad causam præsentem non facit. Breuiter tamen tam impiæ & profanæ sententiæ tam futile fundamentum (quo semper magna confidentia & veluti fortissimo principio nititur Caluinus) refutabo. Primùm verba illa ad Abraham dicta ad solius veteris populi fœdus pertinent: quod manifeste probatur ex pacto fœderis reciproco, quod ibidē Deus ab Abraham & semine eius exegit. *Gen. 17. Fundamentum Caluinianum refutatur. Gen. 17.* Quum enim dixisset Deus, *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus & seminis tui post te*, dixit iterum Deus ad Abraham: *Et tu ergò custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis, Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te. Circuncidetur ex vobis omne masculinum.* Pactum reciprocū est circuncisio. Ad solos ergo circuncisos hoc pactum pertinet. Confirmatur hoc ex promissione huic fœderi adiuncta. Quū enim dixisset Deus, *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*; subiunxit; *Daboq; tibi & semini tuo terrā peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroq; Deus eorū.* Ecce promissio fœderi adiuncta, iuxta quam Deus futurus erat seminis Abrahæ, tota temporalis erat, & quæ ad solos Iudæos pertinebat. Deinde vt demus in hac promissione terrena spiritualem significari, & Deum Abrahæ ac seminis eius post eum, salutis æternæ fœdus innuere, cuius signum esset circuncisio; an non necessariò sequitur Deum Christianorum parentum sic Deum illorum esse & seminis ipsorum, vt huius promissionis ac fœderis signum nunc sit baptismus, sicut Iudæis erat circuncisio? Id si ita est, non secus erit nunc necessarius baptismus quàm tunc erat circūcisio. Et quemadmodum de illa dictum est: *Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*; sic de baptismo necessariò dicendum: Paruulus, qui baptizatus non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quomodocunq; tandē illa verba intelligantur. Atqui Caluinus necessitatem baptismi in paruulis Christianorum parentum propter hanc promissionem Abrahæ factam negat; & propter hanc negatam necessitatem, baptismum fœminarum in casu necessitatis exagitat. *In Marc. cap. 16.* De quo apud Marcum plura dicemus. Interim hoc contra Caluinum tenemus, non obstante conficto fœdere in-

ter

ter Deum & paruulos non baptizatos, quia Deus parentum illorum est, baptismum tamen non secus nunc necessarium esse quàm fuit Iudæis circuncisio. Rursum non propter illa verba, *Deus tuus ero, & seminis tui post te*, omnes circuncisi vel de carnali semine Abrahæ ad hoc fœdus diuinũ pertinebant. *Non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Filij autem promissionis sunt soli credentes. *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Nec ergo Iudæorum nec Christianorum parentum filiis secundum carnem, Deus fœdere coniungitur, nisi iis qui fidem habent, aut saltem sacramentũ fidei, olim circuncisionem, nunc baptismum. Deinde si paruulis Christianorum parentum non est necessarius baptismus, quia pertinent ad fœdus cum parentibus initum, & ab hoc fœdere pendet eorum salus, ergo nec eisdem adultis necessaria erit ipsa fides, vel vlla doctrina Euangelica. Si enim ratio fœderis liberat paruulos à necessitate baptismi, cur non eadem ratio liberet adultos à necessitate fidei? Planè eodem modo dictum est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum*; quo dictum est, *Qui non crediderit, condemnabitur.*

Rom 9.

Gal. 3.

Ioan. 3.

Marc. 16.

Præterea vt ex ipsius verbis Caluinum refutemus, ad illa Christi verba, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, ita scribit Caluinus: *Quum Dominus Abrahæ semini pollicitus esset se fore in Deum, increduli omnes hac promissione abiecta se abdicabant ex genere Abrahæ. Negat igitur Christus reputandos esse filios Abrahæ qui oblatam sibi in verbo benedictionem abijciunt, quia Spiritu renasci oportet qui sunt filij promissionis, & nouas esse creaturas quicunque locum appetunt in regno Dei. Residet enim Dei electio in semine Abrahæ, sed libera, vt hæredes vitæ reputentur quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Hæc ille ibi. Seipsum egregiè refutauit. Promissio & electio Dei in semine Abrahæ non est absoluta, vt nasci paruulum ex parente fideli fœderísque participe, promissionis capacem reddat, *sed est in Deo libera, vt hæredes vitæ reputentur quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Eodem modo in paruulis est libera Dei electio, vt hæredes vitæ reputentur quos ille Spiritu suo sanctificauit, quos in aqua & Spiritu regenerauit, quos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti saluos fecit, qui denique in Christo baptizati Christum induerunt. An ab ista conditione omnibus filiis Dei necessaria paruuli excipiuntur? An in illis solis Dei electio libera non est? An conditionem fœderis à Deo præstitutam vllum humanũ ingenium

In cõment. in Ioan. 8. 39.

Caluinus ex seipso refutatur.

De pecca. mer. & remiss. lib. 1. cap. 23. laxare audebit? Sapienter & grauiter Augustinus. *Nulla ex nostro arbitrio prater baptismum Christi salus aterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina omnibus humanis praferenda ingenijs.* At hoc audet Caluinus superbo suo confisus ingenio.

Caluinus Apostolo cōtradicit. Sed homo impius & audax, vide quàm ex diametro contra Apostolum disputat. Caluinus ita disputat: Paruuli Christianorum parentum sunt semen Abrahæ: ergo sunt Christi & ad Christum pertinēt sine baptismo. Apostolus contrà disputat:
Gal. 3. 29. *Si vos Christi, ergo semen Abraha estis secundum promissionem haredes.* Vult prius esse Christi, & sic semen Abrahæ; nō prius semen Abrahæ, & ita Christi. Esse autem illos Christi, proba-
27. uit eodem loco ex baptismo Christi: *Quicunque baptizati estis, Christum induistis.* Sic ergo Apostolus disputat. In baptismo Christum induistis, Christum induti semen Abrahæ estis. Ita fœderis cum Deo principiū ac ianua est in baptismo Christum induere & Christi esse, non ex Christiano parente nasci. Hæc obiter cōtra impiū Caluini dogma, quo baptismi necessitatē tollit, & paruulorū salutem in maximū discrimē vocat.

Nunc vt ad rem præsentē redeamus, si propter hęc Christi verba, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. doctrina Euāgelica debet semper esse cum baptismo coniuncta, vicissim quoque baptismus semper debet esse cum doctrina coniunctus, vt videlicet docendum non sit nisi quum baptismus administratur. Imò magis baptismum doctrinæ quàm doctrinā baptismo Christi verba coniungunt, quum non sit dictum:
Marc. 1. Baptizate docentes, sed contrà, *Docete baptizantes.* Quum Scriptura dicit, *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & pradicās baptismum pœnitentia*, non docet eum in deserto semper baptizasse, aut nunquam in deserto fuisse nisi dum baptizaret; sed docet eum quum illic perpetuò versaretur, aliquando baptizasse. Sic hæc Christi verba, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. nihil aliud nos docent, quàm prius esse docendas gentes, & in fide instruendas; iámque satis instructas esse baptizandas. Nec docent doctrinam cum baptismo coniungi debere; sed eam in adultis necessariò præcedere, vt viam ac medium ac terminum ac finem reconciliationis primæ cum Deo, siue regenerationis infidelium: nec baptismo alligant doctrinam, vt extra baptizandi casum docere non sit opus. Tanquam diuersa diuersis & suis quæque temporibus facienda à Christo mādantur. Hunc literæ geminum & apertum sensum nemo nisi factiosus non videt.

Doctrina præcedit baptismū, non cum ea coniungitur.

Iam

Iam verò si non nisi cum doctrina Euangelica adiuncta rectè administratur baptismus, Caluinus ipse in Ecclesia Catholica paruulus baptizatus, quæ doctrinam Euangelicam non adiungit, quomodo baptizatus fuit? Si non rectè, rebaptizari debuit & ad Anabaptistas transire. Si rectè, falsò & ineptè hîc cauillatur de sacro doctrinæ vinculo.

Sed & rursum, si non nisi à legitimis Ecclesiæ ministris administrari baptismus potest, Caluinus ab Ecclesiæ Romanæ ministro baptizatus, aut Ecclesiã Romanam verã esse Christi Ecclesiam, & ex consequenti ab ea recedens suum nefarium schisma agnoscere, aut iterum se minimè baptizatum fuisse fateri debet. Ita vndique Caluini stolida & insulsa tergiuersatio retunditur. De hoc autem postremo vide quæ latiùs olim à nobis disputata sunt in Opere nostro de Principiis fidei doctrinalibus. *Lib. 4. Cap. 23.*

21. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*

LVculenta hæc est Christi Redemptoris promissio, fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Recessurus ex hoc mundo ad patrem, suísque Apostolis suas partes resignans, *mittens eos in mundum*, sicut ipse à Patre missus fuerat, mandans illis *vt docerent omnes gentes*, vt Euangeliũ omni creaturæ prædicarent, vt baptizarent credentes, vt sua illis tradita mandata aliis traderent, & præfatus omnem sibi in cælo & in terra potestatẽ datam, ne de tanto illis mandato munere vel illi vel eorũ futuri successores quicquam trepidarẽt; quasíque deinceps absente magistro cælesti, præsidio quoque cælesti destituti viderentur; ad certam ac firmam fiduciam eorũ animos erigit, dicens: *Ecce*, aduertite, & imis hoc cordibus reponite; *Ego* ipse qui hactenus vos docui semper, *vobiscum sum*, vobis docentibus, prædicantibus, mea sacramenta administrantibus adsum & adero semper, *omnibus diebus*, absque vllo temporis interuallo, absque vlla eclipsi vel defectu assistentiæ cælestis, *vsque ad consummationem sæculi*, non vsque ad centum, ducentos, trecentos annos, vt vera Euangelij mei prædicatio postea extinguatur aut obliteretur, sed tot annis ac seculis, quot seculum stabit ipsum. *Christus perpetuò cum Ecclesia. Ioan. 17.*

Frendit ad hæc Christi verba Caluinus, nec temperare sibi potuit, quin animi sui vlcus aperiret; & frustra contra stimulum calcitraret. *Non est* (inquit) *ferenda cleri Papalis improbitas, dum sacrilega sua tyrannidi hunc colorẽ inducunt. Negant*

Ecclesiæ firmitas defenditur.

errare Ecclesiam posse quæ à Christo regitur. Prorsus hoc negant, Christi verbis ac promissione tam luculenta & perspicua freti: nec *sacrilegæ tyrannidi suæ hunc colorem inducunt*, sed pro necessaria Christianorum obedientia, hanc certam & firmam causam adducunt, Pastoribus Ecclesiæ docentibus Euangelium obediendum esse, quia cum docentibus Pastoribus Christus ipse adest omnibus diebus, nec eos in doctrina errare sinet. Quæ igitur hæc improbitas est, Christi verba luculentissima, ac promissionem perspicuam pro Sanctæ Ecclesiæ firmitate proferre? Aut quam demum ob causam improbitatis eos arguit Caluinus qui ex his verbis negant Ecclesiam posse errare? An aliquid adferre Caluinus potest, cur improbitatis argui debeant? Videamus quid post tam acerbam criminationem in medium adfert, aut qua demum arte Christi tam clara verba eludere queat. *Quasi verò* (inquit) *Christus non secus ac gregarius quispiam miles alijs ducibus mercenariam operã locarit; ac non potius authoritatem sibi in solidum retinens, se doctrinæ suæ vindicem fore testatus sit, vt se eius ministri victores totius mundi fore confidant.* In hoc verborum fumo quid succi, quid ponderis aut rationis est? Inani vocum strepitu lectorem ludificat. Quid enim? An qui Ecclesiam errare posse negant, quia à Christo regitur, illi Christum *pro gregario milite habent, qui suam operam alijs ducibus locarit?* Quæ huius inanissimi garritus connexio, quæ consequentia? An non prorsus contraria sequitur consideratio? Christum videlicet veluti Ducem primarium aut Principem potius & Imperatorem militiæ nostræ, suas vices aliis sub se ducibus ac militibus demandasse? Idcirco enim Ecclesia non errat, quia à Christo regitur, quia Duce & Imperatore Christo Ecclesia militat. An igitur huic cauillo vllus hîc locus erat? Planè nullus, nisi quòd in re grauissima ludere lectorem voluit. Rursum qui Ecclesiam errare posse negant, quia à Christo regitur, an illi Christum sua authoritate spoliant, vt *ipse eam sibi solidè non retineat?* At quæ maior Christo authoritas tribui potest, quàm vt dicamus *Ecclesiam vniuersam à Christo regi*, ideóque illam errare non posse?

Verborum fumus.

Sed quid tandem post hæc inanissima cauilla Christo tribuendum censet Caluinus, dicenti, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi? Se* (inquit) *doctrinæ suæ vindicem fore testatus est, vt se eius ministri victores totius mundi fore confidant.* Quamuis Christus in his verbis se potius doctrinæ suæ custodẽ quàm vindicem pronun

nunciet,& adesse Ecclesiæ suæ, patrocinium,præsidium,assistentiam & auxilium gratiæ magis propriè notet, quàm vindicationem violentam aduersus Ecclesiæ suæ hostes; tamen quia penè in idē vtrumque recidit, & doctrinæ vindex etiam doctrinę custos ac conseruator dici potest,transeat illa pars, & quo sensu doctrinæ suæ vindicem Christus se fore in his verbis iuxta Caluinum testetur, videamus. *Vt se* (inquit) *eius ministri victores totius mundi fore confidant.* Rectè. At quomodo tandem *victores totius mundi erunt*, nisi quia ad obedientiam fidei totum mundum pertrahent? De quo genere Paulus Apostolus: *Accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei*,vel,vt Caluinus ac Beza verti volūt,*ad obedientiam fidei,in omnibus gentibus,pro nomine eius*: id est, ad gloriam nominis Christi. Hæc autem victoria mundi,quoad verbi Dei ministros,Pastores & Doctores,& hæc obedientia fidei populorum, quo tandem modo perpetua & firma erit, nisi quia nec Pastores docendo,nec populus obediendo à veritate cælestis doctrinæ aberrabūt, Christo duce ac magistro illis semper præsente, & Ecclesiam suam regente omnibus diebus vsque ad cōsummationem sæculi? An ergo in effectu aliud dicit Caluinus quàm clerus dicit Catholicus? Videlicet Ecclesiam errare non posse quæ à Christo regitur? Quòd si idem cum Catholico clero dicit,quare improbitatis non ferendæ homo improbus clerum Catholicum arguit? Quare negat ipse posse errare Ecclesiam,& alios hoc negantes redarguit? Quòd si idem Caluinus non dixit, sed nescio quid aliud dicere voluit; profectò tum verborum Christi sensum prorsus deseruit tum in suis verbis nō nisi fucum & fraudem lectori facere voluit quæ aliud in cortice,aliud in recessu habent; aliud loquuntur,& aliud sentiunt. Vtrumuis eligat Caluinus, vel improbitatis manifestæ vel fraudis affectatæ conuincitur. Manet interea firmum iuxta luculentissima Christi verba, *Ecclesiam errare non posse*, ideóque grauiter errare ac nefario scelere se obstringere omnes, Caluinum imprimis cum suis Caluinistis, qui & tot sæculis errasse Christi Ecclesiam contra Christum blasphemant,& ab ea veluti fœdis erroribus contaminata impiè recesserunt.

Rom. 1.

Antidotorum contra venena hæretica in Euangelium secundum Matthæum,

FINIS.

ANTIDOTA EVANGELICA IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

CAPVT I.

4. *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorum.*

NOVELLA & profana, Christíque Ecclesiæ hactenus incognita hæreticorum hodie sententia est, Sacramenta verbo prædicationis sic esse coniuncta, vt nec absque eo administrari debeant, & ab eo omnem suam vim atque efficaciam accipiant. Id quum nusquam vel Ecclesia tradat, vel Scriptura doceat, ex huius loci corruptela probare contendunt. Sic igitur in hæc verba Caluinus. *Hæc loquendi forma (prædicans baptismum pœnitentiæ) primùm in genere ostendit quisnam rectus Sacramentorum vsus: deinde quorsum sit institutus baptismus, & quid contineat. Sacramentum igitur non est muta ceremonia, quæ pompam nescio quam sine doctrina ostentet, sed habet verbum Dei annexũ, quod externam ipsam ceremoniam viuificat. Verbum intelligo non quod magicis susurris exorcista quispiam demurmuret, sed quod clara & diserta voce pronuntiatum ad fidem ædificandam valeat.* Hæc est nouella istorum hominum sententia. Verbi prædicationem externam adiungi Sacramento volunt, idque ita, vt illo verbo externa ceremonia viuificetur. Verbum autem quod Caluinus hic reijcit veluti *magicis susurris ab exorcista quopiam demurmuratum*, est ipsum Christi verbum baptismi ceremoniæ eo authore coniunctum, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Hæc verba externo aquæ elemento coniuncta, quæ qui baptizat inter baptizandum pronuntiat, ex Christi mandato dicentis, *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, vocat homo impius magicum susurrum

à mini

à ministro baptismi veluti exorcista demurmuratum. Ita authore Caluino magicos susurros præscripsit Christus;& suos Apostolos veluti exorcistas verba magica demurmurantes, ad baptizandum instruxit. Hæc est prophana hominis & minimè ferenda impietas. Nec enim aliis verbis ministri baptismi in Ecclesia Catholica vtuntur. Et hæc quidem verba Euangelica à Christo instituta externam aquæ ceremoniam viuificant: hæc veluti forma ad materiam aquæ accedunt, vt fiat aqua sacramentalis,& ad regenerationem spiritualem efficax. De hoc verbo Euangelico ait S. Augustinus: *Accedit verbum ad elementum,& fit Sacramentum. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua?* Quid autem sit illud verbum quo accedente ad elementum fit Sacramentum, alio in loco clarissimè explicat. *Deus* (inquit) *adest verbis Euangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest.* Et paulò post: *Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* Verba Euangelica dicit,quibus symbolum constat, quia hoc symbolum fidei profitentur baptizandi, *Credo in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.* Quæ ne ex coniectura dicta videantur, ipse seipsum explicabit Augustinus. In eodem opere ita scribit: *Si Euangelicis verbis, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum,quamuis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis quàm Catholica veritas doceat, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* Disertè expressit quid per verba Euangelica intelligat, non sanè prædicationem Euangelij ad ædificandam fidem audientium, vt Caluinus somniat, sed formam verborum à Christo præscriptam ad Sacramenti consecrationem & complementum. Et contra Caluini somnium de ædificanda fide per verbi prædicationem,vnde externa ceremonia viuificetur, plurimum valet quod proximis verbis subiungit eodem loco doctissimus Augustinus. *Nam* (inquit) *sub eisdem verbis, id est, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, non solùm Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales paruuli Ecclesiæ, quibus dicebat Apostolus, Non potui loqui vobis quasi spiritualibus,sed quasi carnalibus, si possent singuli diligenter interrogari, tot diuersitates opinionum fortassis quot homines numerarentur. Nunquid tamen integrũ Sacramẽtum non accipiunt? Aut nunquid ideò si profecerint,& opinionũ carnalium vanitatem emendauerint, denuò quod acceperant repe-*

Caluini in Christum blasphemia.

Verbum Sacramẽtale quid & quale.

Tract. 80. in Ioan.

De baptis. cõtra Donat. lib. 6. cap. 25.

Lib. 3. cap. 15.

tendum est? Accipit quisque secundum fidem suam, sed quantum capit, gubernante illam misericordia Dei, de qua Apostolus dixit, Si quid aliter sapitis, Deus vobis reuelabit. Hęc Augustinus, apertè docens Sacramenti integritatem & perfectionem non ab intelligentia & instructione audientium, sed ab ipsis verbis Euangelicis debitè retentis ac pronunciatis pendere; & verbum Euangelicum non ad fidem ædificādam, sed ad Sacramentum perficiēdum ex Christi institutione ac mandato proferri. Adeò verò verbum Euangelicum, quo cōsecratur baptismus, non est verbū prædicationis (vt acerrimè tuentur hæretici) sed forma illa verborum à Christo præscripta, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, vt (quemadmodum scribit Augustinus) *facilius fuerit inuenire hæreticos qui omnino non baptizarent, quàm qui non illis verbis baptizarent.* Vnde in eodem opere prope finem affirmat *eos omnes habere baptismum, qui vbicumque & à quibuscunque illud verbis Euāgelicis consecratum sine sua simulatione & cū aliqua fide accipiunt.* Hāc ob causam Ariani, qui æqualitatem trium personarum non credebant, suámque perfidiā in publico cantu Ecclesiæ exprimere non sunt veriti, cantantes, *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.* tamen formam hanc baptismi & verba hæc Euangelica, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, & quæ in diuino fit baptismate inuocationem permutare non sunt ausi, idque propter nimis apertam transgressionem*, ait Theodoretus. Eandem ob causam, quum iuxta decreta Concilij Nicæni Nouatiani ad Ecclesiam reuertentes per solam manus impositionem reciperentur, Cataphryges vel Pauliani similiter reuertentes baptizari præciperentur, huius discriminis causam reddens Innocentius Papa, Augustino cōtemporaneus, ita scribit: *Hoc in istis duabus hæresibus ita distinctum ratio manifesta declarat: quia Paulianistæ in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti minimè baptizabant, Nouatiani verò eisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant.* Sic Augustinus Paulianos iuxta Concilij Nicæni decretum baptizandos scribit, *quia regulam baptismi non tenuerunt.* Vnde & Didymus Alexandrinus vetustissimus scriptor ita scribit: *Non arbitror quemquam ita insanum atque vecordem futurum, vt perfectum baptisma putet id quod datur in nomine Patris & Filij sine assumptione Spiritus Sancti, aut rursum in nomine Patris & Spiritus Sancti Filij vocabulo prætermisso, aut certè in nomine Filij & Spiritus Sancti non præposito vocabulo Patris.* In eandem sententiam copiosè & grauiter disputat

De baptis. contra Donat. lib. 6. cap. 25.
Lib. 7. cap. 53.
Hæret. fabul. lib. 4.
Concil. Nic. can. 8. & 19.
Epist. 23. cap. 5.
Hær. 44.
Lib. 2. de Spiritu Sancto.

contra

contra Arianos Athanasius. Ambrosius quoque his verbis: *Catechumenus nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti remißionem non potest accipere peccatorum.* Denique Chrysost. exponens illa Apostoli verba. *Mundãs Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo vitæ. In quo* (inquit) *verbo? In nomine Patris & Filij & Spiritus Sãcti.* Hoc est ergo ex totius antiquitatis consensu verbum Euangelicum, quo consecratur baptismus, & quo externum elemẽtum viuificatur, non doctrina Euangelica, vt affirmat hoc loco Caluinus.

Serm. 3. contra Arianos. De iis qui initiantur mysteriis c. 4. Homi. 20. ad Ephes.

Quod autem affirmat, videamus quomodo ex hoc loco confirmet. *Non enim* (inquit) *simpliciter Ioannes baptizasse dicitur in pœnitentiam, ac si gratia Dei in signo visibili inclusa esset, sed prædicasse qualis esset baptismi vtilitas, vt ex verbo prædicato efficax esset signum. Hoc autem peculiare est baptismo, quòd symbolum pœnitentiæ dicitur in remissionem peccatorum. Iam quum eadem baptismi illius significatio, vis, & ratio fuerit quæ nostri, si figura à sua veritate æstimatur, falsum diuersos esse Ioannis & Christi Baptismos.* Aduertere operæpretium est quàm tenui ac futili argumento grauissimum & constantissimum Ecclesiæ Catholicæ dogma iste hæreticus conuellit. Maximi momenti dogma est, Sacramentorum nostrorum vim ac naturam cognoscere, & in quibus ea vis ac natura consistat, exploratum habere. Ex materia certi elementi, & verbo veluti forma, quo accedente ad elementum fit Sacramentum, tanquam ex duabus necessariis partibus compleri & perfici quodque Sacramentum, credidit hactenus Ecclesia Catholica, & in Concil. generalibus ita res dudum definita est, Concilio Florent. ac Trident. Contrà aiunt hæretici verbum prædicationis illud esse quod accedens elemento facit Sacramentum, vel (vt Caluinus hîc loquitur) *quod externam ceremoniam viuificat.* At rem tantam ex qua natura Sacramentorum dependet, in qua totius Ecclesiæ Catholicæ iudicium, praxim, ac fidem (vt ex tot antiquitatis testimoniis circa vnũ baptismum, de quo hic locus tractat, iam ostendimus) sibi aduersantem habent, quo tandem argumento probat Caluinus? *Quia* (inquit) *dicitur Ioannes prædicasse qualis esset baptismi vtilitas, vt ex verbo prædicato efficax esset signum.* At vbi hoc dicitur, aut quæ Scriptura hoc dicit? Dicit hoc loco Marcus, dixit & Lucas, quòd Ioannes *baptizans prædicauit baptismum pœnitentiæ,* sed eum prædicasse qualis esset baptismi vtilitas, idque in eum finem vt ex verbo prædicato signum esset efficax, nec Marcus, nec Lucas, nec vlla alia Scriptura di-

Grauißimum Ecclesiæ dogma futilißimo argumento conuellit Caluinus.

cit. Duo igitur mendacia Scripturæ Euangelicæ affinxit Caluinus. Ioannes *quidem baptizauit aqua, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum:* id est, quibus prius prædicauerat baptismum pœnitentiæ (est enim ordo inuersus, vt ipsi agnoscunt hæretici) & quos prius exhortatus fuerat ad pœnitentiam, (dicens, *Pœnitētiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum,* vnde & *confitentes actus suos ab* eo baptizabantur) simúlque ad suum baptismum, in signum pœnitentiæ & nouæ vitæ; idque *in remissionem peccatorum,* id est, vt nec per illum baptismum, nec per illam prædicationem, sed per Christum, quem Ioannes prædicabat, & per Christi baptismū ad quem ille suos præparabat, remissionem peccatorum consequerentur (*Ioannes enim*, ait in Actis Paulus, *baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum vt crederent*) illos baptizauit. Docuit ergo & prædicauit Ioannes, nec quæ esset baptismi sui vtilitas, sed in quem finem eos baptizabat, & ad cuius rei significationem; nec vt ex illa prædicatione aqua eius esset efficax ad remissionem peccatorum. Nec prædicatio nec baptismus Ioannis ipsam remissionem peccatorum contulit, sed vtrumque ad Christum præparauit, à quo acciperent remissionem peccatorum, ideóque digito illis Christum demonstrauit. *Hic est Agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi. Ego baptizo vos in aqua: hic est qui baptizat in Spiritu Sancto,* id est, in cuius baptismo Spiritus Sancti remissionem peccatorum largitur. Sicuti hîc de baptismo Ioannis Marcus ac Lucas, sic de ipsa Ioānis prædicatione loquitur Zacharias. *Præibis ante faciem Domini parare vias eius ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum.* Dedit scientiam salutis plebi prædicando in remissionem peccatorum, non quia prædicatio eius remissionem peccatorum conferebat, sed quia ad illam consequendam à Domino, cuius viam parabat, suos auditores informabat. Sic Ioannis prędicatio cum suo baptismo coniuncta, non ad aliquam baptismi sui efficaciam quoad remissionem peccatorum, sed ad populi instructionem faciebat; vt illa externa ablutione intelligerent se veteris vitæ pœnitentiam agere, & nouam resipiscentiam profiteri, ad remissionem peccatorum ab illo consequendam, qui baptizaret in Spiritu, ideóque verè peccata remitteret. Quod ergo subiungit Caluinus, *peculiare esse baptismo, quòd symbolum pœnitentiæ dicitur in remissionem peccatorum,* de baptismo Ioannis verum est sensu quo dictum est, de baptismo Christi verum

Duo mendacia Scripturæ affinxit Caluinus.

Ioannis baptismus quo sensu pœnitentiæ baptismū prædicabat

Act. 19.

Ioan. 1. Matth. 3.

Luc. 1.

rum non est. In Christi quippe baptismo præcedit pœnitentia præparans ac disponens, & sequitur baptismus efficiens & conferens remissionem peccatorum. Hunc ordinem primus Christianorum baptismus nos docuit; Petrus quippe prædicatione peracta, & animis audientium ad fidem & pœnitentiā compunctis, ipsisque interrogātibus. *Quid faciemus, viri fratres?* respondit Petrus, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* *Act. 2.*

Atqui, ait Caluinus, *idem est baptismus Ioannis ac noster.* Vnde verò hoc constat? *Nam* (inquit) *quum eadem sit baptismi Ioannis significatio, vis, & ratio qua nostri, falsum est diuersos esse Ioannis & Christi baptismos.* Ecce rem absurdissimam, & totius antiquitatis vnanimi consensu reprobatā, ex simplici suppositione probat. Supponit eandem esse significationem, vim, & rationem baptismi Ioannis & nostri: & inde concludit non esse diuersos. Sed quod pro comperto supponit Caluinus, hoc negat diuinitus inspirata Scriptura, hoc negat omnium veterum Patrum & concors sententia. Patrum concordē sententiā in Prōptuario nostro Catholico produximus. Agnoscit eam Caluinus, & contemnit. *Neminem* (inquit) *perturbet quòd alterum ab altero, baptismum Ioannis à Christo discernere veteres Patres contendunt, quorum non tanti nobis debet esse calculus, vt Scripturæ certitudinē quatefaciat.* Proferet igitur nobis aliquam Scripturam Caluinus, cuius certitudinem iste veterum Patrum consensus quatefaciat. Subiungit, *Nulla enim alia è verbo Dei differentia inuenitur, quàm quòd in eum qui venturus erat, Ioannes baptizat: Apostoli in eum qui iam se exhibuerat.* Hæc ille impostor mēdax. Impostor, quia prætextu Scripturæ aliud docentis Patrum vnanimem sententiam reijcit. Mendax, quia quod de Scriptura ipse affirmat, purum mendacium est. Ecce enim duas aut tres alias ex verbo Dei differentias proferimus. Primùm, quàm ipse Ioannes disertissimè posuit. *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, qui fortior me est,* &c *ipse baptizabit vos in Spiritu Sancto & igni.* Maxima hæc est differētia quòd baptismus Ioannis non fuit in Spiritu Sancto sicut Christi baptismus: quod adeo verum est vt baptizati à Ioanne *ne quidem an Spiritus Sancti esset audiuerint*, vt in Actis Apostolicis profitentur. Rursum; baptismus Christi, quem Apostoli ministrabant, fuit in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vt Christus illis præcepit. Baptismus Ioannis cum illa inuocatione & forma non fuit. Alioqui eius discipuli & ab eo baptizati Spi-

Caluini impudentia. *Dom. 3. Aduentus.* *Institut. lib. 4 c. 15. num. 7.* *Differētia tres inter baptismum Christi & Ioannis.* *1. Matth 3. Luc. 3. Ioan. 1.* *Act 19.* *2.*

ritum Sanctum ita penitus non ignorassent. Præterea, baptis-
3. mus Ioannis, ipsius Ioannis proprius erat, & ab eo nuncupa-
Matth. 21. tus, sic loquente ipso Christo: *Baptismus Ioannis vtrum de cœlo erat an non?* Apostolorum & Ecclesiæ Christianæ baptismus, nec Petri nec Pauli baptismus, sed Christi dicitur: quia per illos omnes non nisi vnus Christus baptizat. Sic alias tres ex verbo Dei differentias inuenimus, & nequiter mentitus Caluinus est, vt vnanimem veterum Patrum sententiam sub prætextu Scripturæ aliud docentis homo peruicax reijceret. Sed hæc est hæreticorum hodie impostura: Patrum consensum se reijcere aiunt, quia plus Scripturæ deferendum. Re autem examinata, non plus Scripturæ, sed plus suis propriis placitis ac phantasmatibus deferunt. Denique aut Scripturam non proferunt, aut suo fermento illam corrumpunt. Nec tunc quæstio est, an propter Patrum calculum Scripturæ certitudo quærefacienda sit, sed quæstio est an in sensu Scripturæ incerto propter nouellum cuiuslibet hæretici sensum, veterum Patrum vnanimis consensus reiiciendus sit. Postremò quæstio est vter melius Scripturas intellexerit, vnus Caluinus ac Beza, quàm vnus Augustinus tótque alij antiquissimæ Ecclesiæ celeberrimi ac doctissimi Patres. In qua quæstione si nouellis magistris deferimus, surgent & alij nouelli (sicuti post Lutherum surrexit Caluinus) qui idem postulabunt. Ita nouo cuiuslibet doctrinæ vento perpetuò circumferemur. Sed id ne fieret, *Pastores & doctores dedit Ecclesiæ suæ Christus, ad consummationem sanctorum,* id est, ad corroborationem fidelium; nec id ad breue tempus, sed *donec occurramus omnes in vnitatem fidei* (id est, donec impleantur tempora Gentium:) vt iam (ab his doctoribus & pastoribus instructi) *non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ per nequitiam & astutiam hominum ad circumuentionem erroris.*

Ex puro mendacio totã Antiquitatem reycit Caluinus.

15. *Pœnitemini, & credite Euangelio.*

In Harmō. ad Marc. 1 HAEC verba duplici cauillo conatur eludere Caluinus. *Quæri* (inquit) *potest quum ex Euangelio pendeat pœnitentia, cur eam Marcus ab Euangelij doctrina separet.* Primùm non Marcus, sed Christus hæc verba dixit. Deinde Christus pœnitentiam ab Euangelij doctrina non separat, vt fingit Caluinus; sed ad fidem Euangelio præbendam, seu ad credendum Euangelio, viam ac præparationem necessariã esse pœnitentiam

nitentiam docet. At si ita est, *quomodo ex Euangelio pendebit pœnitentia?* ait Caluinus: id est, quomodo erit meum paradoxum verum, quòd prius oportet credere Euangelio, & per illam fidem Deum sibi habere certò propitium, vt sic pœnitentiæ seriò studeatur? Sic enim alibi docet, vt alio in loco ostendimus. *Duplex* (inquit) *solutio est. Nam Deus interdum sic nos ad resipiscendum inuitat, vt tantùm dicat mutandã esse in melius vitam: postea conuersionem & vitæ nouitatem Spiritus sui donum esse ostendit: vt sciamus non tantùm nobis præcipi quod officij nostri est, sed obsequendi gratiam & virtutem simul offerri.* Hîc Caluinus ex parte falsum narrat, ex alia parte, qua verum dicit, suis placitis contradicit. Falsum est, Deum *interdum ad pœnitentiam sic inuitare, vt tantùm dicat in melius mutandam esse vitam.* Semper enim peccati præteriti odium, & propter offensum Deum tristitiam ac dolorem Scriptura à pœnitentibus flagitat. Quòd autem dicit & verum dicit, vitæ nouitatem Spiritus sanctus donum esse, Deumq; non solùm præcipere, sed etiam obedientiæ & exsequendi facultatem conferre, alterã Caluini hæresim funditus euertit, qua docet Dei mandata obseruari non posse, nec ad ea nos obligari, nec Spiritum Christi in adiutorium nobis dari, *vt ad iustitiam consequendam nos iuuet, nec vt per eum adiuuemur ad iustitiæ summam,* sed vt beneficia Christi in cordibus nostris obsignet, ipseque Christus tota nostra sanctificatio ac iustitia sit. Sed pergamus cum Caluino hoc in loco. *Si hoc modo accipimus* (inquit) *quòd Ioannes concionatus est* (de pœnitentia agenda in remissionem peccatorum) *sensus erit, Dominus vos ad se conuerti iubet. Quia verò id non potestis propria industria, Spiritum regenerationis promittit. Quare hanc gratiam fide amplecti vos oportet.* Omnia confundit & peruertit Caluinus. Ioannis Baptistæ prædicatio (de qua tamen hîc non agitur, sed de Christi) illa erat, vt pœnitentiam ante omnia agerent, non quidem propria industria & solis naturæ viribus, sed ex speciali diuinæ gratiæ adiutorio, quo nec veteris legis iusti, nec qui tunc erant fideles Iudæi carebant. Spiritus regenerationis, quæ vitæ nouitatem inducit, promittitur quidem pœnitentibus, vbi Deo reconciliati peccatorum remissionem consecuti fuerint: non quia fide illam apprehenderunt (somnium hoc Caluini est) sed quia credentibus & pœnitentibus, *dignaq; pœnitentiæ opera facientibus* (vt Paulus concionari solebat) ille Spiritus regenerationis per Christum confertur, pariter & vna cum ipsa remissione

In Prompt. Catho. par. Quadrag. in Sabbato hebdomada 2.

Instit. lib. 3. cap. 17. num 2. & cap. 1. num. 1. & seqq.

Pœnitẽtia ordo à Caluino inuersus.

Act. 26.

peccatorũ. Et hoc modo pœnitentia semper præcedit ipsam regenerationem & remissionem peccatorum quam Euangelium docet. Spiritus regenerationis fide apprehensus, vt Caluinus loquitur, id est, credere quòd pœnitenti ille Spiritus à Deo impertietur, non facit vt homo ritè pœniteat, nec quicquam in eo operatur in quo nondum est, & cui nondum collatus est, vt sic propriæ industriæ defectum ille suppleat, iuxta Caluini figmẽtum, sed specialis Dei gratia quæ hominem ad pœnitentiam excitat (est enim & illa donum Dei singulare) humanæ industriæ impotentiam supplet, facítque vt homo veram & legitimam pœnitentiam agat.

Sed hîc Caluinus memor se Spiritui regenerationis & nouitati vitæ plus tribuisse quàm aliàs solet, aut quàm solius fidei iustificantis doctrina permittit, seipsum tempestiuè corrigit & dicit: *Quanquam fides quam haberi Euangelio Christus postulat, minimè ad donũ renouationis restringi debet, sed præcipuè ad peccatorum remissionem spectat. Coniungit enim Ioannis pœnitentiam cum fide, quia se ideo Deus nobis reconciliat, vt tanquam Pater à nobis sanctitate & iustitia colatur.* Præoccupatione hac vtitur Caluinus, quia perpetua eius & suorum doctrina est, fidei iustificantis obiectum nihil aliud esse quàm gratuitam peccatorum remissionem in Euãgelio prædicatam à fide apprehensam. Nunc autem affirmat spiritum quoque regenerationis per fidem, quam Euangelio habemus, apprehendi, vt fide iustificemur. Respondet autem *non ad hoc donum renouationis restringi fidem, sed præcipuè ad remissionem peccatorum spectare.* Quæ responsio tametsi in forma recipiatur, satis adhuc eius altera sententia refutatur. Satis enim nobis est quòd ad hoc donũ renouationis fides spectat. Non volumus ad hoc donum fidem restringi. Planè volumus ad remissionem quoque peccatorum fidem ampliari. Sed volumus, & vult Scriptura, vt ad vtrumque fides spectet, iuxta illud Pauli: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis* (vbi peccatorum remissio innuitur) *& renouationis per Spiritum sanctum quem effudit in nos abundè.* Satis nobis est, Deum se nobis ideo reconciliare, vt postea colamus eũ in sanctitate & iustitia, quod hîc fatetur Caluinus. Sic enim nõ in sola remissiõne peccatorum, nec in sola fide eam apprehendente, salus & iustitia nostra consistit (quod Catholica damnat Ecclesia) sed præterea in Spiritu regenerationis & vitæ nouitate, quæ altera & potior est Christianæ iustitiæ pars. Sed hoc in prioris solutionis suæ gratiam ponere & cõcedere coactus est Caluinus.

Caluini doctrina ex seipso refutatur.

Tit. 3.

Poste

Posterior solutio est: *Credere Euangelio*, in his Christi verbis *tantundem valere atque gratuitam iustitiam amplecti. Sape enim in Scripturis specialem istam inter fidem & remissionem peccatorum relationem occurrere, sicut quum docet nos fide iustificari.* Hæc altera solutio per se absurdissima est, & eius cõfirmatio penitus insulsa. Absurdum & impium est, *Credite Euangelio*, hunc sensum habere, *Gratuitam iustitiam amplectimini:* quasi Euangelium eiúsque prædicatio nihil aliud credendum fidéque amplectendum contineret, quàm gratuitam iustitiam maximè in sensu Caluini, qui per gratuitam iustitiã non plus intelligit quàm gratuitam remissionem peccatorũ, quæ initialis & minima pars iustitiæ Christianæ est; sanè & priuatio veteris formæ inter principia rei generandæ minimum & maximè improprium principium est. *Credere Euangelio*, est omnia credere quæ Euangelium de Deo, de Christo, de tota fide ac salute humana docet. Solutionis confirmatio insulsa est. Hæc enim eius vis & consecutio est: *Occurrit sape in Scripturis inter fidem & remissionem peccatorum relatio*, id est, sæpe in Scripturis remissionem peccatorum credere docemur: ergo hoc in loco, *Credere Euangelio*, significare debet *credere gratuitam iustitiam*, quæ est (in sensu Caluini) remissio peccatorum. Insulsa & friuola hæc cõsecutio est: primùm, quia etsi sæpe ita se res habeat, quum etiam sæpe aliter se res habeat, & aliis in locis sæpissime fides alia quàm plurima obiecta respiciat, nulla est consecutio, vt hoc in loco ad illud vnũ obiectum fides restringatur. Deinde, Euangeliũ multo plura in se complectitur quàm gratuitam peccatorum remissionẽ. Non ergo sequitur: Credere gratuitam remissionem peccatorum sæpe scriptura docet: ergo quum dicitur, Credere Euangelio, idem & non aliud docere putanda est.

Euangelio credere quàm latè patet.

Sed quomodo hoc ipsum Caluinus probat, quòd fides sæpenumero in Scripturis ad peccatorũ remissionem refertur. *Sicuti* (inquit) *quum docet nos fide iustificari.* Egregia scilicet probatio, quę sola nouella sanctæ Scripturæ corruptela nititur. Nam fide iustificari in Catholica hactenus Ecclesia, nũquam illum sensum habuit, fide amplecti gratuitam iustitiã. Nouella hæc est & horum temporum corruptela pestilens. Fide iustificamur in sensu veterum Ecclesiæ patrum, maximéque S. Augustini (loquendo de ipsa in se fide) quia totius iustificationis nostræ coram Deo fides, qua in Deum & Christum eius credimus, fides (inquam) sana & orthodoxa, omnia credens quæ diuinitus ad credendum reuelata sunt, radix, princi

Fide iustificari quid.

principium,& fundamentum eſt:nec ſine illa iuſtificari quiſquam poteſt. Aut certè fide iuſtificamur (loquendo de perfectione eius) non qualibet, ſed (vt Paulus docuit) *fide per charitatem operante*. Ita vtraque Caluini ſolutio contra tam perſpicua Chriſti verba,quibus pœnitétiam fidei vt medium fini anteponit,varia impietate & abſurditate plena eſt.De pœnitentiæ doctrina à Caluino deprauata vide multo plura in Promptuarij noſtri Catholici parte Quadrageſimali.

Galat.5.

Sabbato hebdom.2.

IN MARCI CAP. III.

16. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus.*

OBSERVANT hoc loco Catholici (quod & nos olim fecimus) Chriſtum noui nominis impoſitionem, quod antea Simoni promiſerat, quum primò eum intueretur dicés: *Tu vocaberis Cephas*, eo demum tempore dediſſe,quo duodecim deſignauit Apoſtolos,vt eodem videlicet momento de capite futuro proſpiceret,quo de futuris paſtoribus proſpexit: quia formari tunc cœpit quaſique in vtero Chriſti parturiri noua Chriſti Eccleſia. Obſeruant quoque hoc nouum nomen illi ſingulariter,& ſoli à Chriſto impoſitum,aliquã in eo nouam & ſingularem præ cæteris prærogatiuam notare.ſicut in mutatis à Deo nominibus Abraham,Sarai & Iſraël,factum fuiſſe Scriptura demonſtrat,& diligenter explicat Chryſoſtomus. Indignè fert hoc totum Caluinus,& ait. *Ridiculi ſunt Papiſtæ, qui ex hoc nouo nomine colligunt fundatam in eo eſſe Eccleſiam,vt fuſius explicabitur cap.16. Matthæi.* Atqui eodem loco iam oſtendimus non minus ridiculè quàm impiè manifeſtæ veritati in Scripturis reuelatæ Caluinum reluctari:vanúmque ac ridiculum eſſe quod illic repetens hîc affirmat, *Chriſtum pro menſura gratiæ qua Simonem inſtruere volebat, peculiare illi nomen impoſuiſſe.* Sanè pro menſura gratiæ qua Chriſtus ſuos inſtruxit,cui reſpondet menſura operis ac mercedis, Paulo potius,*qui plus omnibus laborauit*, ſiue Eccleſiaſticam prædicationem, ſiue certamina & perſecutiones eius reſpicias,qui *vas electionis fuit vt portaret nomen Chriſti in Gentibus*,cui Chriſtus oſtendit *quàm multa pro nomine eius pati debuit*, qui denique *non ab homine neque per hominem*, ſed ab ipſo Chriſto de cælo vocatus *Euangelium ſuum accepit*, peculiare hoc nomen potius quàm Simoni Petro imponi debuit.Sanè pro maiori menſura gratiæ qua inſtructus erat Paulus, diſtinguit B. Ambro

Petri nouũ nomen Primatus indicium.

1.Cor.15.

2.Cor 11.

Act.9.

Galat.1.

Ambrosius *Paulum clauem scientiæ, Petrum clauem potentiæ accepisse.* Quod ad viuos autem spiritualis templi lapides attinet, quo in sensu Petrum à lapide nomē sumpsisse Caluinus vult, propter fidei videlicet feruorem, constantiam, ac virtutem, tametsi id in Petro verum esset, quod & nomen eius Simon, qui pinguedinē notat, satis importat; non tamen hoc vel ad nomen Petri propriè pertinet, vel alium sensum primatus eius excludit, sed vehementer corroborat: quādo qui aliis præficiendus erat, sicuti *plus alijs diligere* Christum, ita fidei omniúmque virtutum vigore aliis præcellere debuit. Fuit igitur viuus lapis quoad pietatem, vt esset lapis fortissimus quoad Ecclesiæ præfecturam.

Serm. 66.

Ioan. 21.

IN MARCI CAP. VI.

5. *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem illorum.*

HÆc apud D. Marcum verba Caluino veternum nonnihil excusserunt; & vt impiam ac nefariam sententiam suam de excæcatione reproborum actiua in Deo propemodum reuocaret, saltem vt veritati orthodoxæ consona diceret, vnde illa eius sententia necessariò refellitur, coëgerunt. Cùm enim in sua harmonia ad Matth. cap. 13. illa verba tractans, *Vobis datum est nosse mysteria, illis datum non est*; & rursum ad illa verba, *Et adimpletur in illis prophetia Esaiæ dicens: Auditu audietis, & non intelligetis* &c. scripsisset, *Christum ideo data opera obscurius locutum fuisse, vt ænigmaticus esset sermo, imò etiam sine ambagibus & figuris mentem suam explicantem hebetare auditorum suorum sensus, & stupore percutere, vt in plena luce cæcutiant*; rursum, *Deum non solùm verbum suum reprobis subducere, sed etiam obstructos tenere eorū oculos & aures ne audiāt & videant*, quæ omnia actiuam in Deo hominum excæcationem ponunt, & propriā excæcationis causam in Deo constituunt (quod iterum repetit Ioan. 12. & ad Rom. 11. vt illis in locis ostendemus) ad hæc tamē D. Marci verba quasi nonnihil euigilans, veram & orthodoxam doctrinam, quæ priorem illam iugulat, profiteri compellitur. Sic enim scribit: *Magis emphaticè Marcus loquitur, quòd nō potuerit vllam virtutem edere: Christo videlicet ciuium suorum impietate præclusam*

Actiuam in Deo excæcationē Caluinus ponit.

ſam fuiſſe viam, ne plures apud eos virtutes ederet. Guſtum aliquem iam illis præbuerat: vltrò ſeipſos obſtupefaciunt, ne quid percipiant. Ideò apertè Auguſtinus fidem aperto vaſis ori comparat: infidelitatem verò dicit operculo ſimilem eſſe quo vas obſtruitur, ne infuſum diuinitus liquorem admittat. Et ſanè ita ſe res habet. Nam Dominus vbi virtutem ſuam videt à nobis non recipi, tandem eam ſubducit. Optimè & orthodoxè iſta dicuntur, ideóque Auguſtinum in hac ſententia (quem vix iterum in tota harmonia ſua citauit) meritò ſibi ſuffragantem inuenit. Proſequitur adhuc magis. *Marcus negans Chriſtum potuiſſe inter eos virtutes facere, eorũ culpam amplificat, à quibus impedita fuit eius bonitas. Nam certè increduli, quãtum in ſe eſt, Dei manum ſua contumacia conſtringunt. Non quòd Deus quaſi inferior vincatur, ſed quia illi non permittunt virtutem ſuam exequi.* Hæc Caluinus præcedentem ſuam impiam ſententiam ipſemet refutãs, alterius huius loci perſpicuitate conuictus. Et optimè quidem dicit Deum à nobis quaſi inferiorem non vinci, quando eius manum noſtra contumacia conſtringimus, id eſt, quãdo eius bonitatem & gratiam præuenientem & ſufficienter excitãtem repellimus, ſed cauſam huius rei non ſatis explicat. Cauſa quippe hæc eſt, ideo in huiuſmodi caſu Deum ab hominis praua voluntate quaſi inferiorem non vinci, quia ipſa praua voluntas nõ vincit in hoc caſu, ſed deficit. Quicunque vincitur, à vincente vincitur. Praua voluntas Dei gratiæ reſiſtendo nihil vincit, ſed ſuam impotentiam & defectum oſtendit. Non benefacere, deficere eſt; non conſentire vocanti, Dei voluntatis defectus eſt. Deum non poſſe peccare, non arguit in Deo aliquã impotentiam, ſed ſummam perfectionem. Quare ita? Quia ipſum poſſe peccare, defectus eſt, & impotentia. Eodem modo, poſſe reſiſtere gratiæ Dei, poſſe impedire bonitatẽ eius, nulla eſt prauæ voluntatis victoria aut potentia, ſed ſumma miſeria & impotentia. Ac per hoc Dei gratia à praua voluntate non vincitur. Vnde D. Auguſtinus: *Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm eius Euangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſeipſos fraudãt magno & ſummo bono, malisq́; pœnalibus implicant, experturi in ſupplicijs poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper inuicta eſt. Vinceretur autem, ſi non inueniret quid de contemptoribus faceret.* Hæc ille: vbi & noſtram explicationem aſtruit, & aliam cauſam docet, cur qui Dei gratiæ reſiſtunt, Dei tamen voluntatem non vincunt.

Eadem ab ipſo Caluino refutatur.

Dei voluntas ab humana non vincitur.

De Spir. & lit. cap. 31.

Deinde

Deinde Dei gratia sicut hæc Christi miracula, non procedunt ab absoluta aliqua Dei voluntate & infallibili, quoad effectum ipsius gratiæ, quasi videlicet quomodocunque dispositos Deus sanare vellet, & apud quoscunque & quomodolibet dispositos Christus sua miracula præstare; sed procedunt à volūtate Dei antecedente, qua paratus est Deus sanare,& paratus fuit Christus miracula facere, vbi à parte voluntatis humanæ impedimentum non erat. Quare Christus in patria sua inueniens hoc impedimentum, id est, *propter incredulitatem suorum, nullas virtutes fecit.* Eandem ob causam vbi virtutes fecit, fidei & credulitati ipsorum tribuit, quibus sua beneficia præstitit. Quod illud toties repetitum, *Fides tua te saluum fecit,* luculenter demonstrat. Deus ergo ab hominum incredulitate non vincitur, quia stante incredulitate Deus virtutes facere non intendit. Similiter Dei gratia à praua hominis voluntate consensum negante non vincitur, quia stante illa prauitate Deus per suam gratiam hominem conuertere non intendit, sed punire. *Gratia Dei non procedit ex absoluta Dei voluntate.*

Dices gratiam idcirco dari, vt ex praua voluntate bonam faciat. Verum sanè id est, nam & miracula ideo fiunt, vt homines credant. Sed vtrumque fit ex vna incommutabili Dei voluntate, qua obedientes conuertit, in incredulos animaduertit. Quod eodem loco annotauit August. *Scriptum* (inquit) *est, Semel locutus est Deus, hoc est, immutabiliter. Duo hæc audiui: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opera sua.* Voluntas igitur Dei incommutabilis & absoluta est, non quem vocat simpliciter conuertere, sed quem vocat iuxta opera sua iudicare. Rursum vtrunque fit cum ipsius voluntatis humanæ libera cooperatione. Quæ propter suam libertatem, etiam semetipsam conuertere, & seipsam ex mala bonam facere dicitur. Ait enim disertè August. *In potestate hominis est mutare voluntatem in melius, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur*, nempe nisi à Dei gratia præueniente accipiatur. Atqui (dicet aliquis) idem August. docet Dei *gratiam à nullo duro corde respui, quia ideo data est vt cordis duritia primitus auferatur.* Verum quoque hoc est, quia durum cor ab excitante & præueniente gratia infallibiliter mouetur,& hoc sensu penitus non respuitur: duritia tamen tota cordis, vt à Deo motū seipsum quoque moueat, actum conuersionis eliciendo, nō semper aufertur; quia mouente cor durum Dei gratia, homo seipsum liberè mouet vel non mouet ad eliciendum actum Dei gratiæ cōformem, *Retract. lib. 1. cap 22. De prædest sanct. cap. 8.*

X

quatenus cum effectu nō agit gratia, nisi agamus & nos cum gratia, vt aliis multis in locis apertissimè Aug. docet. Quare etsi ideo data sit gratia, vt duritia cordis auferatur, quia tamen hic effectus diuinæ gratiæ operationi cōsequens quidem est, non autem proximus & immediatus vt prior ille iam dictus, idcirco infallibiliter & perpetuò non sequitur, sicuti prior effectus de quo August. dixit, *à nullo duro corde respuitur.* Consequentis enim effectus intentio proximi effectus certitudinem necessariò præsupponit. Deus enim, intendens peccatorem conuertere si ipse velit conuerti, tangit cor eius certissimè vt conuertatur si velit. Tangit, mouet, & afficit; pulsat, excitat, & præuenit: & hunc diuinæ gratiæ tactum, motum, affectum non sentire nullū cor durum potest. Hunc pulsum, hanc excitationem, hanc præuentionē omne cor durum accipit, nullum respuit. Quibus enim visis à Deo tangamur, in nostra potestate non est. Actum autem diuinæ gratiæ tangenti, mouenti, & excitanti conformē elicere, pulsanti ostium aperire, vocanti gratiæ consentire, liberæ voluntatis est, quæ motum gratiæ modò sequitur, modò non sequitur; modò accipit, modò reiicit; modò ei consensum præbet, modò negat. Quam ob causam hortatur Scriptura, ne *in vanum gratiam Dei accipiamus, ne quis desit gratiæ Dei, ne quum vocem Dei audiuerimus, velimus obdurare corda nostra:* & multa alibi his consimilia. Augustinus quoque disertissimè scribit. *Vocationi autem Dei consentire vel ab eâ dissentire, propriæ voluntatis est.* Docet hæc tota explicatio causam excæcationis, aut incredulitatis, aut cuiusuis peccati, non in Deo (vt apud Matth. cap. 13. Caluinus posuit) sed in propria cuiusque praua & libera voluntate ponendam esse.

De corrept. & grat. ca. 2. Conc. 27. in Psal. 118. Enar. in Psal. 77. Serm. 11. de verb. Apostoli. De nat. & gratia cap. 32.

August. de lib. arb. lib. 3. c. 25. & de Spir. & lit. c. 33.

2. Cor 6. Heb. 3. & 12.

De Spir. & lit. cap. 33.

IN MARCI CAP. VII.

33. *Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi, Ephpeta: quod est, adaperire.*

QVOD Christus in sanando hoc surdo & muto, qui haud dubiè incredulum genus humanum significabat, qui nec ex auditu fidem concipere, & corde credere, nec in Dei laudem linguam laxare & ore confiteri poterat (quorum illud *ad iustitiam*, hoc *ad salutem*

im pri

imprimis necessarium esse Apostolus docuit)tot præter morem suum ceremoniis, signis, ac symbolis vtitur, non quasi ad eum sanandū necessariis mediis (qui solo nutu ac voluntate sanare eum poterat) sed ad aliquid per ea significandum, illis vsum fuisse Christum agnoscit nobiscum hoc loco Caluinus. *Liberè* (inquit) *vsus fuit signis externis, prout hominum ferebat vtilitas, sicut nunc linguæ sputum aspergens, notare voluit loquendi facultatem à se vno transfundi, digitum in auriculas mittens, docuit proprium esse suum munus surdas aures quasi perforare. Quòd suspexit in cælum atque ingemuit, signum fuit vehementis affectus.* Ita hæc omnia ad significationem quandam adhibita fuisse rectè adnotat. Iam verò quum in baptismi sacramēto, quo initiatur Deo quilibet Christianus, ex surdo ac muto fidem fideique confessionem Dei beneficio accipiens, verè adaperitur omnis baptizatus, vt tam audire ac credere, quàm quod credit ore & opere confiteri valeat, Ecclesia Christi Catholica iam à multis seculis (vt patet ex S. Ambrosio) has ipsas Christi ceremonias ac signa ad tanti beneficij maiorem expressionem, siue in adultis siue in paruulis baptizandis adhibere voluit. Displicet caluitio Caluiniano hæc Ecclesiastica in baptismo ceremonia, & pro sua in Ecclesiam Christi authoritate magistrali, sic illam obiurgat. *Inter alias nugas quibus baptismum inquinarunt stulti homines, hic quoque histrionicus lusus agitur. Quo exemplo monemur, nullum esse licentiæ modum, vbi homines in Dei mysterijs pro suo arbitrio lasciuiunt.* Cui respondeo: Inter alias Ecclesiasticas ceremonias *quibus visibilibus signis* (ait S. Dionysius Areopagita D. Pauli discipulus) *diuinissimi Principes nostri, Apostoli & Apostolici viri, Sacramēta texerunt, & sub humanis imaginibus res diuinas tradiderūt, & in materiali figura spiritualem maiestatem repræsentarunt:* hanc quoque ceremoniam ad Christi Saluatoris in re nō absimili imitationē vsurpatam histrio Caluinus irridet. Quo exemplo monemur, nullū esse licentiæ modum, vbi arrogantes hæretici in Dei mysteriis pro suo arbitrio irridendis improbè & petulanter lasciuiunt.

Rom 10.

De Sacr. lib. 1. ca. 1.

Ceremonia baptismales futiliter reprehensa.

Ecclef. Hierar. cap. 1.

IN MARCI CAP. X.

21. *Et intuitus eum Iesus, dilexit eum.*

CALVINVS hîc alio longè oculo intuitus Catholicos, quàm hunc adolescentem diuitem Dominus intuebatur, calumniatur & rixatur in eos. Nam

Dominus eum intuitus vtcumque superbum & hypocritam (sicuti Caluinus vult) certè auarum adhuc, & diuitiarum amore captum, dilexit tamen, veluti discendi ac proficiendi cupidum, sicuti apud Matthæum explicatum à nobis est: Caluinus verò ad Catholicos & Doctores Scholasticos oculos suos coniiciens, quos nouit ea quæ docent ac disputant, non definiendi animo, sed discendi ac proficiendi studió docere ac disputare, suum in eos odij ac maleuolentiæ venenum expuit.

Opera quæ de congruo merentur.

Quòd hinc (inquit) *colligunt Papistæ opera moraliter bona (quæ non fiunt Spiritus instinctu, sed regenerationem præcedunt) de congruo mereri, nimis puerile commentum est.* Cui eius venenatæ calumniæ hoc breue antidotum apponimus. Quòd ait Papistas meritum cōgrui asserere in operibus moraliter bonis, impostorem agit: quum hæc paucorum admodū Scholasticorum, vt Scoti & qui eum sequuntur, sententia fuerit, cui multo & plures & probatiores Scholastici semper restiterunt, non autem vel Catholicorum & theologorum vlla constans & cōmunis sententia, vel Ecclesiæ Catholicæ, quam Papistarum nomine à lectore suo intelligi vult, maximéque à Sede Apostolica approbatum dogma. Meritum bonorum operum quæ diuini Spiritus instinctu & gratia à regeneratis exercentur, docet Ecclesia Catholica, & definiuit Concilium Tridentinum: merita operū quæ moraliter tantùm bona essent, nunquam docuit. Meritum ex congruo quo ad opera purè moraliter bona, paucissimi docuerūt, & est illa sententia à grauissimis theologis refutata, quum neque dispositio esse queat ad primam gratiam. Aliud quoddam meritum de congruo in operibus ex Dei auxilio speciali profectis, quæ ipsam tamen iustificationē præcedunt, vt in actibus pœnitentiæ, fidei, charitatis, spei, veniæ, quos peccatores nondum regenerati vel reconciliati exercent, aliqui Scholastici posuerunt, quatenus ad ipsam iustificationem verè ista disponunt, & illorū rationem Deus frequenter habet. Modus tamen iste loquendi grauioribus theologis displicet, & hodie reiicitur à plerisque. Imponit igitur lectori Caluinus quum ait Papistas in operibus moraliter bonis meritum de congruo asserere.

Deinde quòd ex hoc loco istud meritū ab illis colligi ait, puto eum insigniter more suo mentiri. Nam inter varia huiusmodi Scholasticorum argumenta à variis diligenter collecta, istud argumentum nusquam inuenire potui. Neque ad rem facere potuit. Opera enim huius adolescentis diuitis, qui Dei mandata ab adolescentia sua se seruasse profitebatur, & quem

quem ſic profitentem Ieſus intuitus dilexit (qui certè in re tanta mentientem non dilexiſſet amanter intuitus, ſed aut vultu ſaltem triſtiori mendacium caſtigaſſet, aut vultum ab eo auertiſſet) non erant purè moraliter bona, ſed in fide vnius Dei facta, & ad Dei cultum vitámque æternam conſequendam ſuſcepta. Huius enim adipiſcendæ modum à Chriſto petebat, & ad hunc finem ſeruaſſe ſe mandata profeſſus, adhuc rogabat: *Quid adhuc mihi deeſt?* Non erant igitur eius opera purè moraliter bona ex ſolo rationis dictamine profecta, veluti ab ethnico & ad finem tantum naturalem deſtinata. Quare ex hoc loco hoc meritum de congruo nulla probabili apparentia colligi potuit. Sed ſolet Caluinus, vt Catholicam & orthodoxam fidem ludibrio exponat, inſulſa illi & ſtupida argumenta affingere, homo conſcientiæ cauteriatæ, & qui poſuit mendacium ſpem ſuam. *Matt. 19.* *Caluini nequitia.*

Videamus tamen quã firmo argumẽto hanc collectionem euertit Caluinus, qui tam inſulſas collectiones aliis affinxit. *Nam (inquit) ſi ex amore Dei infertur meritum, ranas & pulices dicemus mereri: quia Deus ſine exceptione creaturas omnes amore proſequitur.* Quaſi verò idem eſſet amoris gradus quo Deus quaſlibet creaturas amat, & quo opera moraliter bona in peccatoribus & incredulis proſequitur, quum ethnicorum opera moraliter bona variis beneficiis & præmiis Deus remuneret, quod in Romanorũ ciuili iuſtitia & æquitate Deum cumulatè præſtitiſſe Auguſtinus ſapiẽter annotauit. Quæ ſanè amoris in Deo differẽtia longè maxima, collectionis vtriuſq; diſcrimen longè maximũ oſtendit, eius videlicet quã Catholicis Caluinus affingit de merito operũ moraliter bonorum, quia talia opera Deus amat, & eius quam veluti ſimilẽ Caluinus adiunxit, mereri quoque ranas & culices, quia Deus illas amat. Amat Deus quaſlibet creaturas ad hoc vt ſint, & in eſſe ſuo cõſeruentur. Amat in hominibus necdũ regeneratis opera quædã moraliter bona, ciuilia & honeſta, nõ ſolùm ad hoc vt homines ſint ac viuãt, ſed etiã vt amplioribus Dei donis ac beneficiis humanæ naturæ cõſentaneis potiantur & gaudeãt. Qui ſanè Dei amor vt in huiuſmodi beneficiis egregiè relucet, ita an ad maiorem Dei gratiã hominẽ diſponere poſſent, quibuſdam diſputandi & examinandi materiam dedit. Quod autem Caluinus in ſequẽtibus de diuini amoris gradibus diſputat, id omne à Catholicis magiſtris accepit, qui & hos gradus multo luculentius ac neruoſius explicarũt. Adeò nihil hoc totum contra Catholicos, quos nuper ſuggillauit, facit. *De Ciuit. Dei lib. 5. cap. 15.*

39. *Videns Centurio quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.*

EXPONENS hæc verba Caluinus, ait non insolitum tantum vigorem qui ad mortem vsque integer perstiterat, sed potius constantem in Dei nomine inuocando perseuerantiam à Centurione laudatam fuisse. Vtcunque hic posterior sensus minus probabilis videatur, quum hic Centurio homo gentilis & incredulus de perseuerantia in Dei nomine inuocando parum sollicitus fuisse videatur, & altera expositio prior omnium ferè interpretum communis sit, & literæ conformior; quando ille clamor ab Euangelista notatus non de inuocatione, sed de ipsa exspiratione Christi loquatur (ait enim Marcus, *Emissa voce magna expirauit: videns autem Centurio quòd sic clamans expirasset*, id est, tam firmis lateribus & tanto corporis vigore quasi adhuc integer animam posuisset) tamen huiusmodi est, vt à Caluino tanquam verior delectus, contra aliam Caluini blasphemiam circa Christi Passionem imprimis faciat. Si enim constantem in Dei nomine inuocando perseuerantiam Christus tenuit, quod haud dubiè est verissimum, quomodo in verbis Christi paulo præcedétibus, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* vox desperationis Christo elapsa est, & horrore correptus quasi Deo aduerso iam esset exitio deuotus illa verba protulit, quæ omnia & tetriora Caluinum Christo affingere ad illa verba super Matthæum declarauimus? Hæc ipsa Caluini confessio ad alteram illam blasphemiam eius refutandam sola sufficit. Illa quoque alia hominis impij verba, quibus ait, illa Marci verba tractans, *Pater, omnia tibi possibilia sunt*, Christo in horto oranti *nihil spei fuisse, vt in rebus deploratis fieri solet*, ex eadem hac eius confessione luculenter refutantur. Si enim constans in Christo erat in Dei nomine inuocando perseuerantia, profectò semper erat in Christo spes firma (neque enim Dei nomen inuocat, qui non sperat) falsúmque & blasphemum est, *nihil spei Christo fuisse, sicut in deploratis rebus fieri solet*, quum in horto Patrem inuocaret. Ita ad Caluini blasphemias refutandas ipse nobis Caluinus sufficit: quia aliqua interdum vera etiam mendacissimus loquitur, & suorum alioqui mendaciorum magistri mendaces parum sunt memores.

Caluini blasphemia ex seipso refutata.
Ad Matt. cap. 27. ver. 47.

IN

16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Repetit hoc loco Caluinus perniciosam illam doctrinam suam quam ad Matth. cap. 28. tradiderat, quod & illo loco annotauimus, contra baptismi à Christo instituti fructum ac necessitatem. *Tenendum* (inquit) *est, non ita necessariò requiri ad salutem baptismum, vt perire necesse sit quicunque eum adepti non fuerint. Neque enim hic fidei adiungitur tanquam dimidia salutis causa, sed vt testimonium. Fateor quidem hominibus necessitatem imponi ne signum gratiæ Dei negligant, sed quamuis pro eorum infirmitate talibus adiumentis vtatur Deus, obstrictam esse eius gratiam nego. Hoc modo non simpliciter necessarium esse dicemus, sed tantùm obedientiæ nostræ respectu.* Hæc ille. Si quæ contra necessitatem baptismi scribit, apertè in adultis tantùm locum habere significasset, quos aliquando in Christum credentes, & baptismum toto corde expetentes, necessitas aliqua ex hac vita sustulit, nihil præter sanam & orthodoxam veritatem dixisset. Tales quippe sola fide & voto baptismi saluari possunt, *vbi mysterium baptismi* (ait Augustinus) *non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* In his igitur & in hoc casu verum est, non ita necessariò requiri ad salutem baptismum, vt perire necesse sit, quicunque eũ adepti non fuerint. In his & in hoc casu Dei gratia suis Sacramentis non astringitur. Denique in his & in hoc casu non est simpliciter necessarius baptismus, sed tantùm obedientiæ nostræ respectu: qui sanè obedientiæ respectus facit vt adultus sine baptismi voto ac desiderio etiam articulo necessitatis exclusi, saluus fieri nequeat. Cæterùm Caluinus vt hoc tacet, ac silentio inuoluit; ita ea quæ scribit, generaliter intelligi vult, vt non solùm adultus articulo necessitatis exclusus etiã absque expresso voto baptismi (potest enim nõ contemnere baptismum, quod solum Caluinus exigit, sine expresso eius desiderio aut voto) sed etiam vt paruulus quisque Christiano parente ortus, qui votum baptismi concipere nequit, absque baptismi Sacramento saluari queat. Hos enim in ipso vtero sanctificari, & propter illam solam promissionem Dei Abrahæ factam, *Ero Deus tuus & semini tuo*, (quasi Christus pro salute paruulorum nihil egerit, nullum remedium instituerit) saluari vult. *Non ideo* (inquit) *baptizantur infantes fidelium, vt filij Dei tũc primùm fiant, sed antequã nati sunt, adhuc*

De necessitate baptismi.

De bapt. con. Donat. lib. 4. cap. 22.

Caluini sententia de baptismo.

Institut. lib. 4. c. 15. num. 20. & 22.

in vtero matris filij Dei censendi sunt: dicēte Deo Abrahæ, Deus ero tibi, & semini tuo post te. In hoc verbo continetur eorum salus. Proinde si in omittendo signo nec socordia est, nec cōtemptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo sumus. Hæc ibi Caluinus apertè, quæ in suo hîc commentario tectius & parcius dicenda sibi existimauit. Cæterum pestilentis huius doctrinæ Caluinianæ (quæ cum veteribus Pelagianis ex alio capite paruulorum baptismum superuacaneum facit) fundamentum in illa promissione Abrahæ facta positum suprà ad Matthæi caput 28. refutatum reliquimus. Sanè si in illo verbo Abrahæ

Institut. lib. 4. c. 15. num. 10. dicto *continetur paruulorum salus*, vt Caluinus affirmat; profectò pro paruulis Christus mortuus nō est, aut frustra mortuus est. Dicemus igitur contra Caluinum quod contra Pelagianos dixit August. *Id agit ista disputatio, contra cuius nouitatem antiqua veritate nitendum est, vt infantes omnino superfluè baptizari videantur. Sed apertè hoc non dicitur, ne tam firmata salubriter Ecclesiæ consuetudo violatores suos ferre non possit.* Hæc ille. Dicemus rursum cum eodem Augustino, quia communem hîc cum Pelagio causam Caluinus habet, imò deteriorem Caluinus quàm Pelagius. Ille enim sine peccato originali paruulos fidelium parentum nasci putabat ex bono nuptiarum quas Christus sanctificauit, vbi aliquid saltē Christo tribuit ad salutem paruulorum. Caluinus sine peccato originali tales nasci vult quasi in vtero sanctificatos propter verbum Dei Abrahæ olim dictum; & in paruulorum salute nullas partes Christo tribuit. Rursum ille saltem ideo baptizari paruulos voluit, vt regno Dei potirentur, & de bono in melius transirent, quia vidit eos sine baptismo à regno cœlorum excludi propter illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, vita tamen quadam beata eos frui posse iudicabat. Caluinus non nisi ad signum & testimonium salutis iam in vtero adeptæ eos baptizari permittit, & Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, contra totius Ecclesiæ sensum & consensum, ad baptismi sacramētum nihil pertinere affirmat, vt eo in loco videbimus. Deteriorem igitur hîc Caluinus causam habet quàm Pelagius, vt rectissimè quæ contra Pelagium scripsit Augustinus contra Caluinum multo fortius valere debeant. Ait igitur: *Quisquis dixerit quòd in Christo viuificantur paruuli qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, profectò hic & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: vbi propterea cum baptizandis*

De pecc. mer. & remiss. lib. 3. cap. 12.

Caluini hæresis Pelagiana deterior.

Ioan. 3.

Epist. 28.

zandis

zandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo viuificari non posse. Hæc ille. Rursum alibi: *Quis audeat dicere non esse Christum infantum Saluatorem nec redemptorem? Vnde autem saluos fecit, si nulla est originalis ægritudo peccati,* aut si iam in vtero matrum sanctificati sunt, vt Caluinus vult? *Nulla igitur ex nostro arbitrio præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina humanis omnibus ingeniis præferẽda.* Hæc ille. Et adhuc semel, *Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur nisi cùm venerit ad baptismum. Quomodo non caruit Israël populo Aegyptiorum, donec venisset ad mare rubrum, sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi quum ad fontem baptismi peruenerit.* Denique eum qui credit absque baptismo peccatorum remissionem à paruulis obtineri posse, Catholicum esse negat. In eandem sententiam scribũt alij Patres omnes; nec quicquam est maiori consensu receptum, quàm ad salutem necessarium esse baptismum, vt profana hæc Caluini nouitas meritò ab omnibus explodi debeat. Baptismum verò esse salutis causam effectricem per modum instrumenti, non signum tantùm ac testimonium, ideóque & ad eam necessarium, latius contra Caluinum suprà disputauimus. Alias horum verborum Marci corruptelas hæreticas, tam à Caluino quàm ab aliis hæreticis traditas, vide in Promptuario nostro Catholico reuulsas & repurgatas.

De pecc. mer. & remiss. lib. 1. c. 23.

Tract. 13. in Ioan.

De Orig. anima, lib. 3. c. 9.

Ad Matt. cap. 28.

19. *Assumptus est in cœlum, & sedit à dextris Dei.*

In festo Ascens. Domini.

HAnc Euangelij literam nouo quodam & portentoso suo fermento Caluinus corrumpit. *Perinde* (inquit) *hoc est ac si vocetur Dei vicarius, qui eius personam sustinet. Quare locum aliquem imaginari non conuenit, quum metaphoricè dextera secundam à Deo potestatem significet.* Ad dexteram quidem Dei sedere, ratione situs ex parte Dei, non nisi metaphoricè dici, sanum, orthodoxum, ac receptum ab omnibus theologis est. Cæterum in Christi sessione nullum locum imaginari, nihil est aliud quàm Christi corpus in cœlo negare, & articulum de Ascensione Domini è symbolo eradere. Et sanè portenti instar est, Caluinum Christo in cœlis locum negare, qui localem illam Christi in cœlis præsentiam cum tota reliqua secta Sacramentaria contra præsentiam veram ac realem corporis Christi in venerabili Eucharistia (quam à nobis lo-

Aug. de Symb. lib. 1 c. 4. & lib. 2. cap. 7.

Caluinus sibi cõtrarius.

calem poni stultissimè cauillantur) toties tam constanter, tam fortiter obijcere & allegare solent. *Carnem* (inquit alibi Caluinus) *carnem esse oportet, spiritum spiritum: vnumquodque qua à Deo lege & conditione creatum est. Ea verò est carnis conditio, vt vno certóque loco, vt sua dimensione, sua forma constet. Ea conditione carnem induit Christus, cui, teste Augustino, incorruptionem quidē & gloriam dedit, naturam & veritatem non abstulit.* Si vno certóque loco caro consistit, & carnis naturam à sua carne glorificata Christus non abstulit; quomodo à Christi corpore in cœlo sedente, locum omnem tollit Caluinus? *Locum* (inquit) *aliquem imaginari nō conuenit.* Rursum contra Vbiquitarios disputans Caluinus ita scribit. *Alii corpus Christi infinitum esse confingunt, nec vllo spatio contineri, sed implere cœlum & terram instar diuinæ eius essentiæ: quod figmentum absurdius est quàm vt refutatione egeat.* Si absurdum est nulla refutatione dignū, Christi corpus in cœlo nullo spatio contineri; absurdum quoque simile erit, omnem illi locum negare, quod hîc Caluinus facit. *Locum* (inquit) *aliquem imaginari non conuenit.* Adhuc semel Caluinus ad illa verba Pauli, *Qui ascendit super omnes cœlos vt impleret omnia* ita scribit: *Quum dicitur Christus in cœlo esse, non sic accipere debemus quasi resideat inter sphæras vt stellas numeret, sed illic cœlum significat locum sphæris omnibus superiorem, qui post resurrectionem filio Dei est destinatus: non quod propriè locus sit extra mundum, sed quia de regno Dei loqui nisi more nostro non possumus.* Si ergo cœlum quo Christus assumptus est, significat locum filio Dei destinatum, quare locū aliquem Christo in cœlis negat? Nec eum à contradictione liberat, quod propriè locum in cœlo esse negat, à nobis autem locum vocari, quia more nostro de regno Dei loquimur. Ob hoc ipsum enim necesse est, corpori Christi in cœlo aliquem locū imaginari, quia aliter loqui non possumus. Postremò quomodo Caluinus, Beza, & alij Sacramentarij, ex illis Petri verbis, *Quem oportet cœlum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium*, concludunt *Christi corpus cœlo contineri* (sicuti & loco ad Ephes. citato loquitur Caluinus) nec posse à cœli loco abesse, si nunc corpori Christi *aliquem locum in cœlo imaginari* fas non erit? Quis non videt manifestam esse tum contradictionem, tum etiam præsentis loci corruptelam? Cæterùm Christus in cœlo est secundùm corpus suum naturale & glorificatum, non quidem in loco qui continentia indigeat corporis cœlestis, quum extra & supra omnes cœlos conti-

nentes

Institut. lib. 4. c. 17 num. 24.

In 1. Cor. 11. ver. 24.

In Comment. ad Ephes. 4. 10.

Act. 3. 21.

nentes sit, nec etiam in loco generationis & corruptionis, sicuti nostra corpora locantur & continentur, sed est in certo loco iuxta naturalis sui corporis dimensionem, sicuti & beatorum corpora in cælo erunt extra mundialem hanc machinam simul cum capite Christo, qui membra sua præcessit *vt pararet eis locum*; *& in domo Patris sui multas esse mansiones*, multa loca, affirmauit. Quare corpori Christi in cælos assumpto locum aliquem imaginari adeò conuenit; vt qui illi locum neget, tum variis Scripturis contradicat, tum verum & naturale Christi corpus tollat, tum denique Vbiquitariæ & Eutychianæ hæresi necessariò suffragetur. Sed hoc stupore & vertigine iusto Dei iudicio feriuntur, qui in diuinis Scripturis licenter versari, & omnia pro libito ac libidine propria effutire volunt. Ioan. 14.

* * *

Antidotorum super Euangelium D. Marci,

FINIS.

ANTIDOTA EVANGELICA IN EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

CAPVT I.

6. Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.

Tria fidei documenta. VALET hic locus plurimum contra pestilentes horum temporum hæreses. Primùm enim docet, obseruari posse omnia mandata Dei; quod à nemine vnquam præstitum fuisse perpetuò vrgent horum temporum hæretici, Caluinus maximè. Hîc enim duo sunt, qui (si verum Scriptura dicit) *in omnibus Dei mandatis ambulabant*, id est, ea omnia seruabãt: eo sanè sensu quo seruari omnia à viatoribus possunt ac debent, & quo ea seruãda esse Catholica docet Ecclesia. Secundò docet hic locus, ex mandatorum obseruatione hominem iustum fieri seu iustificari coram Deo. *Iustitia operum.* Quum enim Euangelista dixisset illos fuisse *iustos coram Deo*, id est, vera iustitia quæ apud Deum talis habeatur, causam & modum vnde fuerint iusti, subiungit: *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela*. Tertiò docet hic locus, iustitiam bonorum operum coram Deo talem esse, & sic in omnium mandatorum obseruatione consistere, vt à grauioribus tantũ peccatis immunis sit; non quòd tam exacta obseruatio necessariò requiratur quæ cum nullis leuioribus peccatis consistat. Ideo enim adiecit Euangelista, *Sine querela:* id est, vt S. Augustinus iuxta alias Scripturas sapienter exponit, sine crimine aut lethali peccato. *Tract. 41. in Ioan.* *Multi* (inquit) *iusti dicti sunt sine querela, quod intelligitur sine crimine. Nulla enim querela iusta est de his in rebus humanis qui nõ habent crimen. Crimen est peccatum graue, accusatione & damnatione dignissimum.*

ſimum. Vnde & alibi diſtinguit: *Aliud eſt eſſe ſine peccato, quod ſoli Chriſto competit; aliud ſine querela, quod de multis iuſtis in hac vita dici potuit.* Sic hunc ipſum locum idem ſapientiſſimus Doctor alibi exponit, vbi & ſimilem Apoſtoli de ſeipſo confeſſionem introducit. *Conuerſatus ſecundùm iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſine querela.* Sed & ipſe in eadem epiſtola Apoſtolus ad ſimilem iuſtitiam alios hortatur. *Vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei ſine reprehenſione.* Rurſum in alia epiſtola quum de ſeipſo dixiſſet, *Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & iuſtè, & ſine querela vobis, qui credidiſtis, fuimus,* ſimilem iuſtitiã aliis precatur, dicens: *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Eandem illis precatur iuſtitiam ac ſanctitatem, quam de Zacharia & Eliſabetha teſtatur Euangelium.

In lib. de perfect. iuſtitia. *De pecca. mer. & remiſſ. lib. 2. cap. 13.* *Philip. 3.* *Philip. 2.* *1. Theſſ. 2.* *1. Theſſ. 5.*

Contra hunc locum mirè recalcitrant hæretici. Aliqui volunt iſtos fide iuſtos fuiſſe, quia gratis Deo propter mediatorem placuerunt: quæ autem de mandatorum obſeruatione ſubiunxit Euangeliſta, ad iuſtitiam coram Deo nõ pertinere. Sed hos homines in alienum ſenſum Lucæ verba torquere ipſe Caluinus affirmat. Is verò vt Catholicos alia via refellat, reſpondet hanc iuſtitiam Zachariæ & vxoris eius *à iuſtitia fidei fluere & illi ſubordinari, ideoq; alterã alteri à nobis opponi non debere.* Sed hæc reſponſio nulla eſt. Non enim iuſtitiam operum iuſtitiæ fidei ex hoc loco nos Catholici opponimus, ſed alteram cum altera coniungimus, vt iuſtitia noſtra coram Deo non ex ſola fide, ſed etiam ex mandatorum obſeruatione conſiſtat. Hanc iſto loco fateri & agnoſcere videtur ſanè prima facie Caluinus. Ait enim *veram eſſe hanc definitionem, Iuſtos eſſe qui vitam ſuam formant ad legis precepta.* Poſtea quoque oſtendit *non propterea Chriſti gratiam eſſe ſuperuacaneam, tametſi plena legis obſeruatio vitam conferat, quia ad hanc legis obſeruationem accedit gratuita reconciliatio per Chriſtum, & quotidiana venia qua illis peccata ignoſcit.* Hoc certè totum orthodoxè diceretur, ſi in illa gratuita reconciliatione renouationem internam quæ ab altera nunquam ſeiungitur, cõplecteretur, & de peccatis ac defectibus iuſtorum minutioribus, quibus quotidiana venia præſtatur, loqueretur. Sed vafer hæreticus nihil horum intelligit. Ait enim. *Iuſti ergo & irreprehenſibiles cenſentur, quoniam tota eorum vita teſtatur eos iuſtitiæ addictos eſſe, regnare in illis Dei timorem, dum quoddam eſt ſanctitatis exemplar. Sed cùm à per-*

Hæreticorũ pugna.

fectione longè distet pium eorum studium, non potest sine venia placere Deo. Quare iustitia, quæ in illis laudatur, à gratuita Dei indulgentia pendet, quæ fit vt quod reliquum est in ipsis iniustitiæ non imputet. Attende impostoris verba. Vult in ipsis iustis aliquam adhuc iniustitiam manere. Hæc iniustitia est ipsa legis transgressio apud Caluinum, quia videlicet ex eius sententia quodlibet vel minimum peccatum est vera legis transgressio, & legem nemo potest seruare. Rursum dicit eos

Iustus in sensu Caluini quis. Rom. . vers.19. censeri iustos *quia iustitiæ addicti erant, & Dei timor in illis regnabat.* Iustus quippe iuxta Caluinum est, qui studium bene agendi cum aliquo Dei timore non deposuit, tametsi hoc eius studium boni desiderij effectum non sortiatur, id est, qui nondum in profundo positus contemnit: vt ad Rom. cap.7. aliísque variis in locis apertè eum docere docebimus. Quare & quum hic dicit, *pium iustorum studium longè à perfectione distare*, perfectionis vocabulo ipsam iusti operis executionē intelligit. Sed maluit hic hypocritam agere propter præsentis loci euidentiam, quàm impiam suam sententiam loco alieno proferre.

Beza Caluini hypocrisin detexit. Sed Theodorus Beza magistri sui mentem (quem doctissimum interpretem semper vocat) optimè tenens, omni deposita larua, alias hoc loco Scripturas opponit, quæ iustitiam

Rom.4. operum damnare videntur, vt illud: *Abraham si ex operibus*

1.cor.4. *iustificatus est, gloriam apud homines habet, non apud Deum.* Item illud: *Nullius mihi conscius sum, sed non in hoc iustifica-*

Galat.2. *tus sum.* Rursum illud: *Si ex lege iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Quæ omnia suis locis exposuimus, & contra iustitiam operum in fide nihil facere ostendimus. Opponit &

Psal.143. illud: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Cui loco breuiter responderi potest: Si nemo coram Deo iustificabitur, ergo nec per suam nec per alienam iustitiam ipsi imputatam, nec per opera, nec per fidem aliquis iustificabitur, ac per hoc non operum tantùm, sed & fidei iustitiam, ipsámque imputatiuam, hic locus excludet. Si autem fidei iustitia his verbis non excluditur, profectò nec operum fidei iustitia excludetur: quum eadem sit ratio radicis & fructuum, Scriptura quoque non secus bonis operibus quàm fidei iustitiam tribuat. Cæterùm quod dicit Propheta Dauid, nec fidei nec operum iustitiam veram excludit. Illud tantùm docet, in Dei iudicio, qui omni prorsus peccato caret, neminem mortaliū qui peccatores omnes sunt vel fuerunt, pro iusto haberi posse, si iuxta iudicium & mensuram iustitiæ diuinæ in examen

vocen

vocentur. *Aperta sententia est* (ait Augustinus) *de superiori versu illustrius declarata. Non intres* (inquit) *in iudiciũ cum seruo tuo; hoc est enim: Noli me iudicare secundum te, qui es sine peccato. Et quod ait, Non iustificabitur, ad illam iustitiam retulit, quæ in hac vita non est.* Hæc ille. Eodem modo explicat lib. 2. cap. 19. de pecc. mer. & remiss. & de nat. & grat. c. 60. Vide quoque Bernardum serm. 5. de verbis Esaiæ; qui & ipsos Angelos hoc versu Prophetam complecti scribit. Illi enim iusti sunt, sed ex Deo, non coram Deo; & Dei munere, non in Dei comparatione; qui sic iustus est vt ipsa simul iustitia sit, nec vllum admixtum peccatum habeat. Comparationem igitur statuimus non in sensu Pelagiano, quasi omni prorsus peccato homo careat, & solùm secundùm minus à Dei iustitia differat, sed ita imperfectam, vt etiam in scientia Dei & verè imperfecta sit. *In lib. de perfect. iustit.* *Vide Hieronymũ in Hieremia cap. 31.*

28. *Aue gratia plena, Dominus tecum, &c.*

VErba hæc & verborum in Ecclesia Catholica vsum corrumpunt & exagitant hæretici. Negant vocabulũ Lucæ κεχαριτωμένη significare, *Gratia plena,* sed, vt Caluinus vult, *gratiam consecuta*; vt Beza vertit, *gratis dilecta*; vt Erasmus peruertit, *gratiosa seu pulchra*; vt Castalio transtulit, *accepta.* Cæterum verbum χαριτόω, vnde hoc participium passiuum deriuatur, significat propriè, *gratia replere*, vt Chrysostomus Græcus docet in comment. ad Ephes. cap. 1. homil. 1. vbi Paulus eodem verbo vsus dicit, quòd *Deus nos in Christo* ἐχαρίτωσε, gratia repleuit, seu variis gratiæ donis sibi gratos effecit, quæ ibi multa cõmemorat Chrysostomus. Eodem quoque in loco verba Christianorum, quibus diabolo renunciant & cælestia laudant, vocat Chrysostomus ῥήματα κεχαριτωμένα, *verba gratia plena.* Vocatur autem ab Angelo gratia plena, tum propter futuram filij Dei conceptionem & partum, vt exponit Ambros. lib. 1. cap. 2. in Lucam, Hierony. in epist. ad Principiam tom. 1. Athanasius in Euangel. de sanctiss. Deipara, & August. homil. 44. ex hom. 50. tum etiam quia iam ante hanc Angeli vocem (quæ non erat operatoria, sed partim indicatiua, partim, vt iam dictum est, prænunciatiua) & post ipsum partum semper erat omnibus virtutibus plena, nullius peccati rea. Sic plenam gratia fuisse docet August. serm. 9. de temp. & de sancta virginit. cap. 4. & D. Bernardus homilia 3. super Missus est. Idque omnino tum ita fieri oportuisse, quia ad finem *B. Virgo cur gratia plena.*

finem excellentissimum ordinata; tum sic fuisse, quia principio gratiæ maximè erat propinqua; scitè probat S. Thom. 3. par. q. 27. artic. 4. & 5. Cætera circa hunc locum, & de huius salutationis Angelicæ recitatione quotidiana, contra hæreticorum cauilla vide in Prompt. Cathol. in festo Annunciationis beatissimæ virginis.

Insulsum Caluini argument. contra inuocat. B. Virg. Cauillationes tamen Caluini ad hunc locum positæ breuiter diluendæ sunt. Contra inuocationem huius beatissimæ virginis, sic disputat: *Cùm tota Mariæ excellentia sit mera Dei liberalitas, plus quàm præposterè faciunt qui ab ea petendum docent, quod aliundè nobiscum habet.* Argumenti absurditas ex simili apparebit. Tota diuitum in hoc mundo abundantia & copia mera est Dei liberalitas: ergo plus quàm præposterè faciunt qui à diuitibus subsidia temporalia petunt, quæ illi aliunde nobiscum habent: id est, quæ illi à Deo accipiunt haud secus quàm nos. Contra huius salutationis Angelicæ *Aliud.* vsum & recitationem quotidianam ita disputat. *Nimis crassa inscitia Papistæ salutationem hanc quasi magico exorcismo in preculam verterunt.* Responde, salutationem Angelicam esse ex natura sua orationem laudatoriam, vt docet Athanas. in oratione in Euang. de sanctiss. Deipara, & hac ex parte gratiarum esse actionem, sicut tam multi Psalmi sunt; esse quoque per modum insinuationis precationem, sicut illa verba Ioan. 11. *Ecce Domine, quem amas, infirmatur*, vt docet August. *Aliud.* tract. 49. in Ioan. Addit Caluinus. *Atque eò prorupit vesania, vt concionatoribus fas non sit Spiritus gratiam pro suggestu petere nisi per suum Aue Maria.* Videte stupidum Caluini argumentum. Concionatores solent hoc facere, ergo non est fas illis aliter facere. Nec aliqua lex cogit eos hoc facere, sed pia consuetudo; nec illa consuetudo alios modos aut alias precationes excludit, quibus Spiritus sancti gratia petitur, sed inter alias hæc vna est, eáque tanto illo tempore aptior quanto & breuior, & propter beatissimæ virginis excellentiam, cuius intercessio expetitur, efficacior est. Disputat adhuc Cal-*Alia tria.* uinus & dicit. *Atqui præterquam quòd sola gratulatio hic habetur, temere sibi alienum officium vsurpant, quod Deus non nisi Angelo iniunxit. Bis autem stulta æmulatio quòd non nisi ab-*
1. *sentem salutant.* Ad singula tria responde. Ad primum: si esset sola gratulatio, piè tamen hoc solo nomine vsurpari. Piè enim illa dicimus aut repetimus, quibus de Sanctis atque amicis Dei erga ipsos beneficia gratulamur. Quanquã ista gratulatio beneficium Dei spectat non soli B. virgini, sed toti huma

humano generi collatum. Ideo enim adiicitur, *Et benedictus fructus ventris tui.* Deinde non est sola gratulatio, sed est pro maximo beneficio incarnationis Dominicæ gratiarum actio, paritérque precatio, vt iam dictum est. Ad 2. resp. alienum officium hîc non vsurpari; primùm, quia etsi soli Angelo hoc 2.
Deus iniunxit, tamen ne eadem verba ab aliis repeterentur non prohibuit: secundò, quia quod Deus Angelo iniunxit, hoc nemo nunc facit, id est, nemo futurum virgini partum annunciat; sed vt illud procœmium Angelicum perpetuò verum est, sic perpetuò à piis affirmari potest. Tertiò, quia etsi 3.
solis Angelis iniunctum videtur vt Christo recenter nato cantarent, *Gloria in excelsis Deo,* &c. tamen eadem verba à piis rectè vsurpari nec ipse Caluinus negauerit. Postremum quod dicit, infidelitatis Caluinianæ argumentum est, qui Sanctos in cælo regnantes pro mortuis habet, & mortuos vocare solet. Si enim apud Deū Sanctos viuere Caluinus credit, facilè intelligeret illos nobis non esse semper absentes, sed quando piè inuocantur, præsentissimos, sicut Paulus *corpore absens, spiritu præsens erat* in excommunicando Corinthio 1.Cor.5.
fornicario, & Elizeus *spiritu præsens erat* quum seruus eius 4.Reg.5.
Giezi munera acciperet à Naaman Syro: nisi fortè dicant hæretici ad puniendos malos Sanctorum spiritus adesse, & ad iuuandos pios adesse non posse.

34. *Quomodo fiet mihi istud? quoniam virum non cognosco.*

Beatissimam Virginem virginitatis votum ante Angeli salutationem iam dudum vouisse hæc verba cōfirmant: quod his verbis ostendit S. Augustinus. *Virginitatem Mariæ Deo dedicatam indicant verba quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco: quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se antè vouisset.* Hæc ille. Idem docet Greg. Nyss. in serm. de Natiuit. Domini. Nempe prorsus ineptè & impertinenter hanc difficultatem proposuisset, si ad futurum respexisset; id est, quòd virum nunquam esset cognitura: maximè dicente Angelo, *Ecce concipies in vtero,* & non dicente, Ecce concepisti in vtero. Idem alij Patres ex hoc loco colligunt. Recalcitrat tamen Caluinus & ait. *Quòd ex eius verbis suspicati sunt quidam perpetuæ virginitatis conceptum habuisse votum, nimis infirmum est, imò prorsus absurdum. Perfidè enim passa fuisset se*

[Margin: Votum B. Virgin. — Lib. de S. virginit. cap. 4. — Caluinus contra Patres.]

marito collocari, sanctúmque coniugij fœdus non sine Dei ludibrio spreuisset. Nec ipsi Papistæ permittunt vxori continentiam vouere suo arbitrio. Deinde puerile commentum est, monachismum fingere inter Iudæos. Hæc ille. Sed ad hoc totum argumentum variè olim responderunt Patres, quos omnes contemnit Caluinus vt homines absurdos & pueriles. Nullum inter Iudæos fingunt Patres monachismum, nec B. Virgo ex more Iudæorum cõtinentiam vouit, sed ex singulari sua pietate ac puritate hoc fecit, nesciens se Dei matrem futuram, sed ex puro Dei amore pura eius sponsa fieri desiderans. Totum hoc pulchre docet S. August. *Quia* (inquit) *virginitatis votum Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa iam vouerat. Poterat quidem & iuberi virgo permanere, in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet, sed exemplo sanctis futura virginibus virginitatem Deo dicauit, quum adhuc quid esset conceptura nesciret.* Desponsata igitur B. Virgo, & tamen continentiam vouens, nec ipsi coniugio nec viro suo iniuriam fecit, vt colligit Caluinus. Non viro, quia illo planè conscio & consentiente hoc fecit, qui illam non nisi ad virginitatis custodiam accepit. Non ipsi coniugio, quia ad essentiam cõiugij non copula carnalis (vt putare videtur Caluinus) sed obligatio mutua pertinet. Ideóque coniuges esse non desinunt qui ex mutuo consensu à copula carnali siue ad tempus (vt Paulus hortatur) siue in perpetuum abstinent: de quo lege August. lib. 1. cap. 11. de nupt. & concupisc. Deinde si fœdus coniugij violauit B. Virgo vouens continentiam, vt Caluinus ait, debuit secundum eum etiam post filij Dei partum viro copulari. Atqui hoc ipse Caluinus non admittit, qui eius perpetuam virginitatem asserit. Videre ergo debuit, quòd sicuti conscio & consentiente viro perpetua virgo fuit de facto, sic eodem conscio & consentiente hanc perpetuam virginitatem vouit, sicuti eius ad Angelum verba manifestè conuincunt. Quid ergo ad hæc verba Caluinus? *Soluendum* (inquit) *est obiectum illud quòd virgo in futurũ tempus respiciat, ideoq; significet nullam sibi fore cohabitationem cum viro. Hæc verò coniectura & probabilis est & simplex, quòd rei magnitudo vel potius maiestas virginem perculerit, vt sensus omnes admiratione ligatos haberet ac constrictos. Quum audit nasciturũ esse Dei filium, aliquid non vulgare concipit. atque hæc ratio est cur coitum virilem excludat. Hinc attonita exclamat, Quomodo erit istud?* Hæc

1. Cor. 7.

Caluinus ex seipso refutatur

Caluini

Caluini(vt vocat)coniectura aliquid probabile sonaret,si tantummodò dixisset, *Quomodo mihi fiet istud?* Hæc enim admirantis vox est, & ad magnitudinem futuri partus referri potest;quem quia diuinum fore audiebat,meritò interrogare potuit quomodo illa creatura simplex & vulgaris Dei filium & in domo Iacob regnaturũ parere posset. Nunc autem non hoc tantùm dicit,*Quomodo mihi fiet istud?* neque ibi terminatur interrogatio,sed in causa admirationis quam subnectit. Addit enim suæ admirationis causam,*Quoniam virũ non cognosco.* Nõ dicit,Quia pauperi & vulgari viro despõsata sum, quasi quæ tam nobilẽ partũ generare se posse admiretur; sed dicit,Quia viro non sum copulanda, nec viri coitũ expertura. Quomodo igitur cõcipiam & pariam? Et ad hanc quæstionem respondet Angelus,ostendens quòd loco virilis seminis *superueniet in eam & illabetur Spiritus S.* & loco virilis amplexus *obumbrabit* & complexabitur *illam virtus altissimi:* vt sit propterea de sua virginitate secura; cui soli metuebat purissima virgo,audita partus mentione,& conseruandæ virginitatis studio hanc quæstionem proposuit, quasi quæ nec propter filij Dei partum futurũ, virginitatis suæ propositum violare libenter voluerit. Assensum itaque suum cohibuit ac suspendit,donec de eius conseruatione aliquid certum haberet. Quam quidem virginitatẽ suam vbi ex Angelo integram sibi mansuram intellexisset, quia viri officium Spiritus S. & virtus altissimi suppleret, ipsoque Elizabethæ sterilis & vetulæ exemplo proposito, etiam virginem parere posse intelligeret, confestim absque vlla alia difficultate assensum suum præbuit, dicens : *Fiat mihi secũdum verbum tuum.* Non ergo magnitudo partus aut ipsius magnitudinis admiratio *ratio est,cur coitum virilem excludat,* vt Caluinus comminiscitur, ne sanctæ virginitatis propositum in purissima virgine fateretur; sed partus ipse futurus,quem sine coitu virili fieri posse necdũ intellexerat, ratio fuit cur coitum virilem à se remoueat,dicens,*Quoniam virũ non cognosco,*id est, *virum non sum cognitura*, vt Beza hoc loco vertit. Nuptura igitur erat sine proposito consummandi matrimonij. Sic efficaciter & necessariò probat hic locus votum virginitatis à B. Virgine conceptum firmiterque decretum fuisse,antequã eam Angelus salutaret; & conuincuntur impij hæretici,qui huiusmodi votum à nemine emitti posse aut debere dogmatizant.

Caluini coniectura ex textu refellitur.

Purissimæ virg. de conseruanda sua virginit. anxietas.

Beza Caluinum hoc loco se sequi profitetur quem & *optimum suum parentem, & præstantissimum theologum* vocat, &

Alia Bezæ corruptela reijcitur.

hunc esse sensum ait: *Quandoquidem in eo quod polliceris, nullus locus est vulgari & consuetæ matrimonij coniunctioni, age, qua tandem ratione fiet quod narras?* Fingit ergo Beza B. virginem de noua partus ratione inquirere, eo quod in tam excellenti partu, vulgari & consuetæ matrimonij coniunctioni locus non sit. Atqui nec hic sensus Caluini cõmento parũ conformis, verbis B. Virginis quadrare potest. Non enim quærit nouam partus rationem, sed omnem à se futurũ partum excludit. Non dicit, quomodo sine viri copula pariam? quæ est consueta matrimonij coniunctio: sed dicit, quomodo concipiam in vtero, & pariam filium? quia viri copulam non sum expertura. Notandum quod dicit virgo, *Quomodo fiet istud?* id est, res ipsa quam narras, partus quẽ mihi annuncias. Non dicit, Quomodo fiet tale, talis partus, aut tantæ prolis conceptus? Dicit τῦτο non τοιῦτο. Simpliciter de partu interrogat; sicut causa interrogationis subiuncta demonstrat, *Quia virũ non sum cognitura:* id est, quia ab omni partu sum aliena. Nam B. virginẽ de aliquo alio partus genere quàm de virili & consueto adhuc cogitasse, inanis planè & futilis coniectura est. Deinde si de nouo partus genere præter virilem & cõsuetum interrogaret, non fuisset opus addere, *Quia virum non cognosco.* Nihil enim hoc ad rem faceret. Siue enim virum cognitura fuerat, siue nõ, nouus ille partus præter viri cõmercium, locum habere potuisset. Ita planè B. Virginis quæstionem, dum verum eius & germanum sensum peruertunt hæretici, futilem & absurdã & impertinentem sensum habere conuincunt. Quam etiã quæstionis absurditatem innuere vult Caluinus, dum ait virginem ita perculsam & attonitam fuisse, *vt sensus suos omnes admiratione ligatos & constrictos haberet.* Vult ergo illam quasi vix sui compotem sine sensu & iudicio quæstionẽ proposuisse. Hæc est Caluini impietas, quam sese libenter imitari profitetur Beza. Talem enim certè quæstionis sensum excogitarũt, qui nihil ad rem præsentem faciens, miniméque cohærens, verè sine sensu prolata videatur. Cæterùm beatiss. virgo absque vlla sensuum constrictione, prudenter & sensatè interrogauit, cui propterea Angelus grauiter & diuinè respondit, non ita responsurus, si illam sine sensu & iudicio aliquid interrogare perspexisset.

B. Virgin. quæstionẽ quàm indignè tractant hæretici.

48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Humilitas B. Virginis qua.

ACriter hoc loco contendunt hæretici, humilitatem non pro virtute animi & submissione in B. Virgine, sed pro

pro vili & abiecta conditione in paupere & ignobili puella accipi. *Humilitas hic* (ait Caluinus) *non submissionem vel modestiam vel animi habitum significat, vt stultè putarunt indocti & barbari homines, sed tantundem valet ac vilis abiectáque conditio, quatenus excellentiæ opponitur, quod ex Græca voce liquet.* Caluino applaudens Beza, eandem cantilenam canit: *Significat ταπείνωσις humilitatem, id est, vilem & abiectam conditionem, qualis est nimirum vilium seruulorum. Itaque inepti sunt qui modestiam cæteráſque Mariæ virtutes hoc loco prædicant, quasi ταπείνωσις illud sit quod Græci ταπεινοφροσύνην vocant: quasi denique Maria vlla sua merita, ac non potius infinitam Dei misericordiam collaudet.* Móxque Theophylacti in hunc locum verba ab Eraſmo notata repetit, quibus ait virginem non propter ſuam virtutem beatam ſe dicendam eſſe, profiteri, ſed quia fecit illi magna Deus: addens *Romæ hunc commentarium impreſſum fuiſſe, vt præpoſteri Mariæ cultores intelligant ſanis hominibus nunquam placuiſſe has præpoſteras Mariæ laudes.* Eraſmo ſubſcribit Cornelius Ianſenius, & Didacus Stella: qui verbum ταπείνωσιν pro virtute humilitatis apud Græcos nunquam accipi affirmant.

Sed errauit ille errans-mus Eraſmus, alióſque in errorem abduxit. Nam in hoc ipſo cantico vbi dicit virgo, *Exaltauit humiles*, ὕψωσε τοὺς ταπεινούς, eodem verbo vtitur: & opponuntur humiles *ſuperbis mente cordis ſui*, & pauperes ſpiritu ſignificat, vt ipſemet Beza annotauit. Quum Chriſtus in Euangelio dicit Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*, vox Græca eſt, ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Quum idem dicit, *Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur*, vox Græca eſt, ὅστις ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, Matth. 23. & ὁ ταπεινῶν Luc. 14. & 18. Rurſum quum Chriſtus dicit, Qui nō ſe humiliauerit ſicut vnus ex paruulis iſtis, vox Græca eſt, ταπεινώσῃ, Matth. 18. Lucas quoque Act. 8. citans Eſaiæ verba de Chriſto, *In humilitate iudicium eius ſublatum eſt, & non aperuit os ſuum*, vtitur verbo ταπεινώσει. Iacobi cap. 4. & 1. Petr. 5. Superbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam, eſt verbum τοῖς ταπεινοῖς. Item Iacobi eodem cap. *Humiliamini in conſpectu Domini*, vox Græca eſt, ταπεινώθητε. Sed & apud Paulum, quem humilitatis virtutem non niſi vocabulo τῆς ταπεινοφροσύνης exprimere Ianſenius affirmat, huius apud Lucam dictionis ταπείνωσις coniugatum pro virtute humilitatis accipitur. Rom. 12. *Non altum ſapientes, ſed humilibus conſentientes*, τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. 2. Cor. 7. *Qui conſolatur humiles, conſolatus eſt & nos*: ὁ παρακαλῶν τοὺς ταπεινούς.

Probatur humilitas B. Virginis quòd vera virtus eſſet.

In Com. Concord. Euang.

Iam ad Philip. 2. de Christo, *Humiliauit semetipsum factus obediens*, &c. ἐταπείνωσεν ἑαυτόν. Temeritatem igitur & ignorantiam Erasmi alij interpretes temere sequuti fuerunt. Nec barbari aut indocti sunt (vt Caluinus garrit) qui virtutem humilitatis hoc loco exponunt, quasi vox Græca id non permittat, sed certè inconsiderati sunt qui virtutem humilitatis hîc accipi posse negant; quum tamen multis in locis in Græco Matthæo, Luca, Paulo, Iacobo, Petro, illa vox aut eius coniugatum eandem virtutem significa . Loquitur igitur B. Virgo non vt paupercula, aut contemptibilis aliqua puella, sicuti Lutherus primus nugatus est in Postilla huius Euangelij, aliósque nugari fecit; sed vt pia & humilis virgo, Deo gratias agens, quòd quum tam parua in oculis suis esset, ad tantam dignitatem Deus illam exaltauit. Sic Lia vxor Iacob mulier diues & locuples, quũ prole à Deo donata esset, gratias Deo

Gen. 29. egit dicens: *Vidit Dominus humilitatem meam.* Prius enim à viro suo contempta videbatur Sic ipse Dauid Rex. *Vide hu-*

Psal. 44. *militatem meam & laborem meum.* Et iterum. *Respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam.* Sunt quippe labor & necessitates cum humilitatis virtute in piorum animis coniunctæ. Hanc B. Virginis humilitatem

Matth 23. quæ se omni honore indig. â reputabat, respexit Deus: *exaltans humilem*, vt in Euangelio promittit Christus, & in hoc ipso cantico B Virgo repetit. Qua in re non suam virtutem, sed Dei erga se beneficia prædicat. Non quò humilis fuerit, gloriatur; sed quòd humilem & demissum animum suum Deus respexerit, gratias agit, *exultans in Deo salutari suo.* Et sic verum est quod Theophylactus dicit, quòd non propter suam virtutem beatam se dicendam esse virgo prædixit, sed quia fecit illi magna Deus. Magna quippe fuit & valde magna huius humilis virginis tanta exaltatio. Quare humilitatem pro vera animi virtute in hac beatiss. virgine hoc loco

Patres contra Caluinum. exponunt Patres. Imprimis Origenes homil 8. in Lucam: August. serm. 2. de assumpt. B. virginis: Beda in hunc locum: Bernardus homil. 1. super, Missus est, & homil. 1. de laudibus virg. Rupertus lib. 1. in Cant. Denique omnes illi Patres, qui Mariam Euæ, obedientem inobedienti, humilem superbæ opponunt, vt Irenæus lib. 5. Tertull. in lib. de carne Christi. Augustinus serm. 18. de Sanctis. Hieron. epist. 22. ad Eustoch.

Qui humilitatem pro vili & abiecta conditione accipiunt, planè extra rem philosophantur. Nulla enim Scriptura docet, Deum talem conditionẽ quatenus talem respicere, sed animi abiecti

abiecti virtutem. *Beati pauperes spiritu. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & trementem sermones meos? Reuelasti ea paruulis.* Tametsi plerique Apostoli piscatores erant, non tamen pauperes & abiectæ conditionis fuerunt. Matthæus diues & pecuniosus, Philippus & Bartholomæus nobiles viri fuerunt. Nec paupertatem nec diuitias in bonorum suorum distributione Deus respicit, sed *humilibus dat gratiam, superbis resistit.* *Matth. 5. Esai. 61. Matth. 11. Iac. 4.*

74. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

QVum hic locus ad necessitatem bonorum operum, quæ omnibus in Christum credentibus incumbit, perspicuè demonstrandam plurimum valeat, dupliciter illum hæretici corrumpunt atque deprauant. Primùm illud, *sine timore*, exponunt de certitudine gratiæ, quam fingunt; & animi tranquillitate ac securitate, quam iam in Christo recõciliati concipiunt: vt timor anxietatem & ægritudinem animi seu dubitationem de salute, & de propitio erga nos Deo hoc loco significet, quia cum hac dubitatione, & sine certa fiducia salutis, Deo libere & hilariter seruire non possumus. Deinde, *seruire Deo in sanctitate & iustitia*, ad animi gratitudinem referunt, quæ deceat filios Dei; non ad necessariam obedientiam, qua ad vitam æternam peruenitur. Sic Caluinus & Beza hunc locum peruertunt, totúmque Scripturæ sensum inuertunt. Caluini verba sunt. *Quod dicit, vt sine timore seruiamus, significat non posse nisi tranquillis animis ritè Deum coli. Quum igitur Deus homines sibi in Christo reconciliet, quum eiusdẽ præsidio ipsos tueatur, vt securi sint ab omni metu, quum eorum salutem in eius manuum & custodiam deposuerit, meritò Zacharias nos eius gratia prædicat à metu liberari.* Sic & Beza: *Significat hoc loco timor futuri mali ægritudinem, quæ pugnat ex diametro cum fiducia illa filiorum Dei, qui fide iustificati pacem habent. Seruire omnibus diebus Deo in sanctitate & iustitia,* exponit Caluinus hoc modo: *Quum sibi in perpetuum homines Deus adoptet, non debet caduca vel exigui temporis eorum esse gratitudo.* Et paulò antè: *Sicut efficiens* (inquit) *causa salutis nostræ gratuita Dei bonitas fuit ita finalis est, vt homines piè sanctéque viuendo nomen eius glorificent.* Callida hæc & impia est textus Euangelici corruptio, ad statuendam

Operum bonorum necessitas defenditur

In Harmonia.

In Annot. in hunc locum.

hæreticorum fiduciam, & ad tollendam obedientiæ mandatorum necessitatem. De quo timore loquatur Zacharias, ex verbis eius adiunctis aduertendum est. *Vt seruiamus* (inquit) *sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati.* Hæc verba & horum tractationem penitus omisit Caluinus, vt facilius fucum lectori faceret. Nec illa etiam tractauit Beza. Isti autem inimici, è quorum manu ac potestate liberati, seruimus Deo absque timore, sunt ipse Satanas eiúsque copiæ, vt in superiori versiculo, *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos*, Caluinus ipse exposuit. Seruire igitur sine timore, hoc loco nihil aliud significare potest, quàm non timere amplius diabolum aut copias eius, & non timere pœnam quam ille reprobis infert, non timere insidias quas ille struit. Cum illo enim perpetua nobis pugna est. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarũ harum.* Ille est *aduersarius cum quo consentiendum est, dum adhuc in via sumus, ne trahat nos ad Iudicem:* qui *semper circuit sicut leo rugiens, quærens quem deuoret.* Hunc timere amplius non debemus, sed contemnere, eíque resistere: iuxta illud Iacobi, *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Christus enim *dedit se nobis*, natus est nobis, passus est pro nobis, vicit diabolum tentantem, vicit moriendo, vt *per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis* (id est, timentes semper quid de anima fieret post mortem) *per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Ab hoc timore mortis, & ab hac seruitute diaboli liberauit suos Christus, vt ab hoc timore seruili, & ab hac seruitute diaboli & peccati, liberati, ita demum *seruirent Deo in iustitia & sanctitate*, &c. Hoc paucioribus verbis dixit Paulus. *Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.* Non agitur hîc de pace aut tranquillitate, sed de puritate & libertate conscientiæ. Christus dedit se nobis vt primum omnem timorem seruilem, seu spiritum seruitutis in timore, qui status erat filiorum veteris testamenti, excuteremus, nec diabolum, nec mortem, nec peccati iugum aut duram consuetudinem timentes; deinde vetustate omni sublata, & de manu inimicorum illorum liberati, ita demum spiritum adoptionis filiorum Dei acciperemus, *seruientes iustitiæ*, vt Paulus loquitur; siue *seruientes Deo in iustitia & sanctitate*, vt hîc Zacharias loquitur. Porro hoc ipsum seruire Deo in iustitia & sanctitate, non est (vt Caluinus fraudulenter scribit) *causa finalis salutis nostræ*, sed est causa finalis redemptio

Ars Caluini.

Seruire Deo sine timore quid.

Ephes. 6.

Matth. 5.

1. Pet. 5.

Iac. 4.

Heb. 2.

Rom. 6.

Conscientiæ puritatem in securitatem vertit Caluinus.

demptionis per Christum factæ, & vna causa efficiens salutis nostræ, quatenus vitam æternam significat. Christus enim *dedit se nobis*, vt hîc Zacharias loquitur, vel, vt Paulus plenius scribit, *Dedit semetipsum pro nobis vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Hic est finis proximus passionis Christi, vt liberaret ab iniquitate & à manu inimicorum nostrorum, & sic mundaret sibi populum acceptabilem, &c. id est, sua gratia nouum spiritum conferret, nouam charitatem diffunderet in cordibus nostris, quo spiritu gratiæ accepto & qua charitate in corde diffusa, seruiremus Deo in sanctitate & iustitia. Christi passionis hæc finalis causa fuit, non autem salutis nostræ. Salutis quippe nostræ, siue vt saluemur, Deoque in æternum fruamur, primaria quidem efficiens causa est gratuita Dei bonitas, meritoria Christi passio, instrumentalis causa, quæ ad efficientem reducitur, est ipsa iustitia & sanctitas qua seruimus Deo omnibus diebus nostris. Per hanc enim Dei seruitutem, siue per obedientiam mandatorum Dei, in qua & secundum quam seruimus Deo, quasi per viam necessariam & à Deo præscriptam, peruenimus ad vitam æternam, iuxta clarissima Christi verba: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Seruimus igitur Deo non solùm per modum gratitudinis, ne simus filij ingrati; nec tantùm per modum liberalitatis, quasi cultu spontaneo Deum colentes; nec denique ob illum tantum finem vt Deus glorificetur, quæ omnia hîc Caluinus ponit vt aliquid pro pietate dicere videatur; sed præterea per modum necessariæ obedientiæ: necessariæ dico, tum quia sine ea ad vitam æternam non ingrediemur, tum quia hic finis est & proprius effectus passionis Dominicæ, siue causa præcipua cur dedit se nobis Christus, vt hîc Zacharias loquitur, & Paulus expressius docuit. Tenemus iā quàm impiè & fraudulenter totum hunc textus Euangelici sensum Caluinus deprauauit. Notandum quoque verbum seruire hoc loco, apud Lucam esse λατρεύειν; quo vocabulo cultus latriæ Deo proprius notatur. Vt hinc intelligamus vitæ sanctitatem atque iustitiam proprium esse Dei cultum, quem Deo debemus præcipuè & necessariò: ideóque bonis operibus, non sola fide, Deum propriè atque imprimis coli.

Tit. 2.

Matth. 19.

77. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remißionem peccatorum.*

HVnc ſibi locum valde propitium & opportunũ exiſtimauit Caluinus, ex quo imputatiuam ſuam iuſtitiam fabricaret. *Præcipuum* (inquit) *Euangelij caput nunc attingit Zacharias, dum ſcientiam ſalutis in remiſſione peccatorum poſitam eſſe docet. Nam quum naſcamur omnes filij iræ, ſequitur natura damnatos eſſe ac perditos. Hæc porro damnationis cauſa, quòd iniuſtitiæ rei ſumus. Quare non aliud effugiendæ mortis remedium eſt, niſi vt nos ſibi Deus reconciliet, peccata nobis non imputando.* Hæc hactenus omnia vera ſunt, ſi per illam non imputationem peccatorum, veram & non imputatitiam remiſſionem ſignificat, vt verè tollatur peccatum ab illis qui Deo reconciliantur, *facti noua creatura in Christo*, vt Scriptura nos docent. Nunc autem venenum aſpergit ſuum. *Atque hãc vnicam coram Deo iuſtitiam reſtare, ex Zachariæ verbis colligere promptum eſt.* Hoc eſt eius peſtiferum venenum: Salus noſtra per Chriſtũ eſt in remiſſione peccatorum: ergo illa eſt vnica iuſtitia noſtra coram Deo. Tam inſulſa conſequentia vide quot impietates doceat: *Spe ſalui facti ſumus:* Ergo vnica iuſtitia noſtra coram Deo ſpes eſt. *Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt:* Ergo vnica iuſtitia noſtra coram Deo in bonis operibus reſtat. Rurſum: *Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris:* Ergo vnica ſalus & iuſtitia noſtra coram Deo eſt, credere hunc articulũ de reſurrectione Chriſti. Iam verò alia Scriptura dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit:* Ergo nunc fides cum baptiſmo eſt vnica iuſtitia noſtra coram Deo. Et quàm multæ Scripturæ proferri poſſunt, quæ variis partialibus cauſis ſalutem noſtram tribuunt, quæ non propterea vnicæ cauſæ ſunt, ſolæ, & integræ, ſed ex aliqua parte ſalutem conferunt! Perpetuum hoc hæreticis eſt, vt ex vna veritate aliam deſtruant, & ex parte totum inferant. Sed hanc conſequentiam ex verbis Zachariæ colligere ſe poſſe Caluinus ait. Audiamus quomodo, & qua ratione? *Vnde enim ſalus, niſi ex iuſtitia?* Trãſeat hæc propoſitio, quia reuera nulla ſalus eſt ſine iuſtitia; & vnde ſaluamur, inde quoque iuſtificamur. Sequitur. *Quòd ſi filiis Dei aliam cognoſcere ſalutẽ quàm ex remiſſione peccatorũ fas nõ eſt, ſequitur non alibi quærendam eſſe iuſtitiam.* Iam hæc propoſitio minor falſa eſt. Falſum, inquam, eſt non aliam eſſe cognoſcendam

ſalutem

Epheſ 2. & Gal. 5.

Remißio peccatorũ non eſt vnica & tota iuſtitia noſtra coram Deo.

Rom. 8.

1. Ioan. 3.

Rom. 10.

Mar. 16.

Hæreticorum perpetuus dolus malus.

salutem quàm ex remissione peccatorum, & probare ac concludere Caluinus hoc debuit, quod nunc pro medio & argumento ponit. Dicit quidem Zacharias *scientiam salutis* esse ex remissione peccatorum: sed non dicit ex sola illa esse, vel non aliam esse salutem quàm ex remissione peccatorum. Vafrè igitur & fallaciter Caluinus pro argumento ponit, & pro vero & certo subsumit, quod ille sibi probandum & concludendum accepit. Deinde si ex sola remissione peccatorum est salus, vt hîc vult Caluinus, ergo nec ex fide est salus. Fides enim non est ipsa remissio peccatorum, sed via ad illam, sicuti spes, pœnitentia, charitas est. Ita rursum suis placitis repugnat Caluinus, & nescit quid affirmat. *Caluinus ex suo placito refutatur.*

Iam verò ex ipsis verbis Zachariç planè contrariũ apparet. Apparet, inquam, nõ in sola remissione peccatorũ esse salutẽ ac iustitiam nostram per Christum, sed etiam in nouo lumine gratiæ, quo perfusi in nouitate vitæ ambulemus. Addit enim: *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viã pacis.* *Vita nouitas vna salutis causa.* Christus stella matutina & oriens (substantiuum enim est apud Lucam, ἀνατολὴ, non adiectiuum) visitauit nos ex alto, descendit de cælo homo factus, vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, seu omnes homines in peccati & ignorantiæ tenebris antea sedente; id est, noua luce gratiæ perfunderet, vt ea luce dirigerentur affectus humani, non iam amplius ad iniquitatem & opera tenebrarum, in quibus nullus ordo, nulla pax est, *sed in viam pacis*: id est, in illam sanctam totius vitæ conuersationem quç pacem adfert, cum Deo, cum proximo, cum sua cuiusque conscientia. De qua alia Scriptura dicit, *Non est pax impijs*: &, *Viam pacis non cognouerunt.* Quis nunc nisi proteruè impius ex verbis Zachariæ colligere potest in sola remissione peccatorum salutem ac iustitiam nostram consistere? Quis nisi proteruè impius negare poterit venisse de cælo Christum, non solùm vt nos Deo reconciliaret remittendo peccata per viscera misericordiæ suæ, sed præterea per eadem viscera misericordiæ (vnde ait Zacharias, *In quibus visitauit nos, &c.*) visitasse nos nouo lumine gratiæ, vt ambularemus in præceptis eius, in viam pacis? Proteruè igitur & impiè Caluinus ea infert quæ apud illum statim sequuntur. *Ita iustitia quam superbi homines ex operũ meritis conflant ac fabricant, nihil aliud est quàm iustitiæ imputatio, dum nos gratis à reatu Deus absoluit.* Proteruè & impiè & cõtra aperta Zachariæ verba infert iustitiã *Esai.48. Psal.13.*

nihil

nihil aliud esse quàm iustitię imputationem. Quum enim *salus sit ex iustitia* (vt Caluinus iam arguebat) hanc autem salutem Zacharias descripserit *in illuminatione* per Christum facta, vt *dirigerentur pedes nostri in viam pacis*, id est, vt ambularemus in via iustitiæ, & *abnegantes* (vt Paulus explicat) *omnem impietatem, & secularia desideria, iustè, piè, ac sobriè in hoc seculo viuamus*; manifestum est ex verbis Zachariæ, salutem & iustitiam nostram non esse vllam iustitiæ imputationem per solam gratuitam à reatu absolutionem, sed esse inhærentem nobis ex Christi gratia bonorum operum iustitiam, præcedente veterum peccatorum gratuita remissione, veterísque hominis morte ac sepultura, vt Paulus alibi describit.

Tit. 1. *Rom. 6.*

Quòd verò garrit de superbis hominibus qui ex operum meritis iustitiam conflant ac fabricant, nihil aliud est quàm malè sani cerebri spectrum à turbato phantasmate suo conflatum ac fabricatú. Nisi enim veteres Pelagianos designet, somnium suum narrat. Operum merita Scriptura perspicuè docet, vt suis in locis perspicuè demonstrauimus. Sed eadem merita nec sine fide nec sine speciali Christi gratia ponuntur. Ex quibus radicibus profecta veram iustitiam constituunt; non qua ex impiis Deo reconciliemur, sed qua iam Deo reconciliati magis iustificemur, vitamq; æternã adipiscamur. Sed nihil absque calumnia & morsu candidum Caluini pectus proferre potest. Adddit adhuc aliqua quæ dissimulanda non sunt.

Operum merita.

Ad hæc notandum est, Zachariam non de extraneis, sed de populo Dei habere sermonem. Vnde sequitur non modò iustitiæ principium ex peccatorum remissione pendere, sed imputatiuè (vt ita loquar) iustos coram Deo in finem vsque esse fideles: quia aliter coram eius tribunali consistere nequeunt, nisi quotidie ad gratuitam reconciliationem se conferant. Hæc ille. Primùm omnino falsum est Zachariam de populo Dei, qui propriè ac verè talis est, habere sermonem quum dicit, *Ad dandã scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum*; quum planum ac manifestum sit de illis eum loqui de quibus statim subiungit, eiusdem diuinæ misericordiæ effectũ prosequens, *Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent*: quos planè extraneos adhuc fuisse, nec ad populum Dei pertinere posse, nec ipse Caluinus negauerit. Esse autem eiusdem misericordiæ erga eosdem prosecutionem, vt dixi, verba Zachariæ perspicuè docent. Dicit Ioannem filium suum *praiturum*

Caluini paralogismus refutatur.

ante

ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiã salutis plebi eius in remissionem peccatorũ eorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus (supple visceribus misericordiæ, id est, in qua eadem misericordia) *visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis sedent.* Tota igitur hæc misericordia Dei, quam Zacharias hîc prædicat, tam quoad remissionem peccatorũ quàm quoad illuminationem gratiæ Christi erga illos homines fuit *qui in tenebris sedebant*, &c. id est, qui Messiam ignorabant, quem Ioannes prædicauit, & qui in grauibus peccatis erant. Nam & Iudæi ipsi ad quos Ioannes prædicauit, propter incredulitatem qua laborabant, & propter peccata enormia quibus abundabant, erant *populus sedens in tenebris & in vmbra mortis*, tametsi quoad externum fœdus & circuncisionis pactum, populus Dei erãt denominatiuè tantùm, vnde & hîc dicitur, *plebi eius.* Erant, inquam, populus Dei secundum carnem tantum, quatenus ex semine Abrahæ secundum carnem; sed quia *nec fidem Abrahæ sectabantur, nec opera Abrahæ faciebant*, nõ erant verè & propriè populus Dei. Non enim qui ex carne sunt, *sed qui ex fide sunt* (ait Apostolus) *ij sunt filij Abrahæ*; & tanquam populus Dei, *benedicentur cum fideli Abraham.* Increduli autem Iudæi, ad salutem quod attinet, prorsus extranei erant, & sedentes in tenebris atque vmbra mortis, non secus quàm Gentes quæ ignorabant Deum. Quare in causa salutis & iustificationis coram Deo pares eos facit Paulus Gentibus quæ ignorabant Deum. Zacharias igitur non agit de populo Dei verè & propriè dicto, de quo populo hîc disputat Caluinus. Agit enim Caluinus de Christianis iam in Christo regeneratis & iustificatis, qui non ampliùs in tenebris sedent, sed in luce gratiæ ambulant; nec in vmbra mortis, sed in vita iustitiæ. Ad hos Zachariæ hîc verba non pertinent. Hic primus est Caluini error aut certè dolus malus, quo in errorẽ alios adducit. Totum igitur quod ex hoc principio deducit, penitus concidere necesse est: videlicet imputatiuè esse homines iustos coram Deo per remissionem peccatorum perpetuam.

Rom. 4. Ioan. 8. Galat. 3. Rom. 2. & 3.

Deinde est quidem ita vt non solum principium iustitiæ ex remissione peccatorum pendeat, sed & progressus eius, sed nõ in sensu & iudicio Caluini principium iustitiæ ex remissione huiusmodi peccatorum est, quæ inimicitias inter Deum & nos ponebant, quæ talia sunt, vt *qui illa agunt, regnum Dei possidere nequeant*, qualia commemorat Paulus multa, suntq; lethifera omnia & grauia. Ex quorum perpetua remissione si

Remißio peccatorũ quomodo perpetua iustitia pars. Galat. 5.

nostra

nostra constat iustitia, vt hîc Caluinus docet, volens propterea vt ad gratuitam reconciliationem oculos semper coniiciamus, nec nisi imputatiuè (id est, propter iustitiam Christi nobis imputatam) iusti simus, profectò Christiani hominis iustitiam ponit Caluinus cum perpetuis sceleribus & flagitiis coniunctam, quæ perpetuò nobis à Christo remittantur, & sua nobis imputata iustitia obtegantur. Quam quidem esse reuera impiorum horum hominum altè animis infixam sententiam, multis in locis Beza prodidit in suis ad Paulum annotationibus (quod suo loco ostendemus) apertè tamen & rotundè dicere adhuc reformidant, ne vt prorsus Epicurei & insani homines à piis omnibus explodantur. Progressus autem iustitiæ Christianæ est quidem cum remissione peccatorum perpetua coniunctus, propter quam quotidie dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, sed illorum peccatorum quibus iustorum vita non caret, & cum quibus vera iustitia consistit, de quibus sanctus Ioannes dixit: *Si dixerimus* (1. Ioan. 2.) *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in* (Iac. 4.) *nobis non est.* Et D. Iacobus: *In multis offendimus omnes.* Absit autem vt hi sancti Apostoli aut mentiti fuerint, aut illa grauia peccata semper habuerint, quæ *qui agunt*, *regnum Dei non possidebunt*, vt ex illorum perpetua remissione, & ex gratuita semper reconciliatione, iusti coram Deo essent. Nec denique propter hæc leuia aut quotidiana peccata imputatiuè iustos esse opus est. Christus ad illa delenda & propter illam imperfectionem iustorum, orationem quotidianam docuit, imputatiuam iustitiam non docuit. Quæ sanè imputatiua iustitia adeò nusquam in Scripturis legitur, adeò noua & barbara vox est, vt ipsemet Caluinus hoc loco, hac voce cum correctione quasiq; petita venia vtatur. Ait enim *Imputatiuè (vt ita loquar) iustos.* Sanè si Scriptura ita loqueretur, audacter ita loqui Caluinus potuit, nec interiecta parenthesi, locutionem hanc suam à lectore deprecari opus habuit. Sed ipsa prophanæ vocis nouitas quasi suo se sorex iudicio seipsam prodidit. De hac quotidiana remissione peccatorum, quæ iustis est necessaria, nec iustitiæ Christianæ contraria, alio in loco latè contra hæreticos disputauimus.

Imputatiua iustitia vox noua & barbara.

De iustificatione lib. .. c. 8. & .2.

IN

14. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis.*

INcarnationis Dominicæ quasi finem & scopum hic cantus Angelicus tribus verbis exprimit. Primum est *Dei gloria*, ad quam omnia diriguntur. Secundum est, *pax in terra*, non temporalis, sed spiritualis & fœlicissima, inter homines videlicet & Deum: facta reconciliatione humani generis cum Deo, & illa animorum pace constituta, quam Christus ex mundo abiturus suis dedit, dicens: *Pacem meam do vobis*, &c. Tertium exponit, quibus hæc pax per Christum conferenda sit. Nempe nõ omnibus hominibus, nec credentibus tantùm, sed *hominibus bonæ voluntatis*, rectis & simplicibus, quales isti pastores erãt. Bona autem voluntas sola ponitur, vnde quis rectus & bonus dicatur, quia voluntas cæteras potentias mouet ad operandum, & principium actiuum ac proximum totius boni operis est bona voluntas.

Incarnationis Dominicæ finis.

Ioan. 16.

Displicet hæc Euangelica doctrina hæreticis nostri temporis, ideóque hanc lectionem nostram ab Erasmo admoniti vitiosam & corruptam esse clamitant. In Græco quippe, non in genitiuo, sed in nominatiuo legitur illa vox quam noster interpres vertit, bonæ voluntatis: *εὐδοκία*. Sed & ipsam vocem Græcam negant prorsus authore Erasmo significare in Scripturis bonam voluntatem in homine, sed vel ipsum Dei beneplacitum erga homines, vel certè mutuam quandam inter homines amicitiam, idque rarissimè. Sed non omnia vidit Erasmus, quem hoc in loco infœliciter iterum sequutus est Cornelius Iansenius; disertè affirmans hanc vocem nunquam tribui hominibus respectu Dei. Nam ad Philip. cap. 1. vbi legimus, *Quidam propter bonam voluntatem Christum prædicãt* (quæ haud dubiè bona voluntas fuit respectu Dei, & propter honorem Dei) Græcè est *διὰ εὐδοκίαν*; & ad Rom. 10. vbi Paulus dicit, *Voluntas quidem cordis mei, & obsecratio pro illis fit ad Deum*, vbi de sua bona voluntate puráque erga Iudæos charitate, non amicitia humana, loquitur, Græcè est *ἡ εὐδοκία τῆς καρδίας ἐμῆς*. Falluntur ergo qui Erasmum sequuti vocem Græcam hoc loco non bonam in homine voluntatem, sed Dei tantùm erga homines beneplacitum, significare volunt. Exclamat quidem hoc loco Caluinus & dicit. *Vnde factum*

Bonæ voluntatis hoc loco quæ.

ctum sit vt obreperet genitiuus casus nescio. Certè lectio vulgata quæ habet, Hominibus bonæ voluntatis, non modò tanquam adulterina repudiari debet, sed etiam quia totum sensum corrumpit. Sed contra Caluinum Beza ipse sic scribit. *Ad me quod attinet, quãuis in omnibus exemplaribus Græcis* legerim εὐδοκία in nominatiuo, & ita sim interpretatus, *tamen Origenis, Chrysostomi, veteris interpretis authoritatem, ipsam denique rationem sequutus, non recusem legere* εὐδοκίας *in genitiuo, & totam hanc orationem in duo membra partiri; hoc modo: Gloria in cælis altissimis Deo, & in terra pax in hominibus dilectis vel complacitis.* Hæc ille, exponens verbum εὐδοκίας de bona voluntate & beneplacito Dei ergà homines; non de bona voluntate in ipsis hominibus. Cæterùm Græci illi Patres à Beza citati, Origenes homil. 13. in Lucam, & Chrysostomus homil. 36. in Matth. in serm. de ascensione Domini, & homil. de natiuitate Domini, quibus adde eũdem Origenem hom. 1. in Matth. & contra Celsum lib. 1. & eundem Chrysost. homil. 2. in Matth. operis imperfecti, & homil. 35. de natiuit. Christi, D. quoque Hieronymum in cap. 2. Esaiæ, & August. ad Simplic. lib. 1. q. 2. non solùm in genitiuo legunt sicut noster textus habet, sed præterea de bona voluntate in hominibus exponunt, docentes pacem quam Christus attulit, non nisi in bonæ voluntatis hominibus residere, quia ista bona voluntas in credentibus effectus est pacis quam Christus attulit. Sanè in genitiuo casu omnes veteres Latini Patres conformiter hæc verba legunt, quoties hunc locum tractant, vt ipsemet fatetur Beza. Non igitur lectio vulgata, sed impius Caluinus aliíque nouatores totum huius loci sensum corruperunt.

Caluinum Beza corrigit.

37. *Non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte.*

DOcet hic locus ad Dei cultum ieiunia pertinere non secus atque obsecrationes, quum de vtroque dicatur Anna vidua *Deo seruiisse*, id est, Deum coluisse. Vtitur enim Lucas verbo λατρεύουσα, vnde latria, quæ cultum supremum & Deo proprium significat. Non tulit huius loci doctrinam Caluinus, ideóque eius puritatem suo fermento contaminare voluit. *Superest (inquit) scrupulus, quòd videtur Lucas partem diuini cultus in ieiunijs statuere. Sed notandum est, ex operibus, quæ ad Dei cultum spectant, alia simpliciter requiri,*

Ieiunium ad Dei cultum pertinet.

&

& per se esse necessaria, alia verò quæ accedunt, referri in hunc finem, vt prioribus illis subseruiant. Precationes ad Dei cultum propriè faciunt, ieiunium verò inferius subsidium est. Sit hæc distinctio vera: ex ea tamen disertè sequitur, *partem diuini cultus in ieiunijs poni*, quia subsidium quoddam est precationum, quæ simpliciter ad Dei cultum requiruntur. Vtrumque autem hoc genus, affirmat Caluinus, *ex operibus illis esse quæ ad Dei cultum spectant.* Non ergo scrupulum, quem ponit Caluinus, exemit, sed magis confirmauit. Nunc autem ieiunium opus est Deo gratum ex se, & ad Dei cultum ex se pertinet, non solùm subsidium est precationum. Imò ait Caluinus: *Ieiunium non aliter Deo probatur, nisi quatenus precandi studium & ardorem adiuuat.* Id si ita est, huius Annæ viduæ ieiunia Deo probata non erant. Ait enim de illis Caluinus eodem hòc in loco: *Non dubium est quin ieiunia sua retulerit sancta mulier ad lugendam, quæ tunc erat, Ecclesiæ calamitatem.* Si ad hunc finem sua ieiunia retulit hæc sancta mulier, aut Deo hoc nomine probata non erant, aut falsum est quod prius Caluinus dixit, *Deo non probari ieiunia, nisi quatenus precandi studium & ardorem adiuuant.* Ita ad refutandum Caluinum, ipsemet Caluinus & vnus sufficit. Hic videlicet est spiritus vertiginis quem patiuntur ipsi Archihæretici, vt infra paucas lineas pugnantia doceant. Magistri mendaces meminisse nunquam possunt, mendacem oportere esse memorem. Nam & alibi idem Caluinus, vbi hæc verba Lucæ eodem modo deprauat, tres tamen ieiunij fines, ob quos Deo probantur, disertè assignat, vnam *ad macerandam ac subigendam carnem ne lasciuiat*, secundam *vt ad preces ac sanctas meditationes melius simus comparati*, (quam hìc vnicam & solam affirmat, cætera excludens) tertiam vt *testimonium sit nostræ coram Deo humiliationis, dum volumus reatum nostrum coram ipso confiteri.* Qui vltimus ieiunij finis non minus propriè ac simpliciter ad Dei cultum pertinet, quàm precatio. Sicut enim ieiunium testimonium est nostræ humiliationis coram Deo, sic & precatio: & sicut ieiunio confitemur reatum nostrum, sic & precatione. Vtraque à Deo veniam petimus, vtraque nos coram Deo humiliamus, vtraque reatum nostrum confitemur: idque eo magis ieiunio quàm precatione, quatenus ieiunium magis pœnale est, & non vocalis sed realis oratio, non voce sed facto Deum deprecans. Si ergo precatio ad cultum Dei pertinet, non secus ieiunium pertinebit.

Caluinus ex seipso refutatur.

Institut. lib. 4. c. 12. num. 15.

At enim si nullum Dei cultum in ieiunio reponat Calui-
[*Ieiunium Caluinianũ victus moderatus*] nus,eo minus mirum videri debet,quia tale ieiunium definit,
quod nomine ieiunij à Deo probari non potest: quum neque
ad macerandam carnem, neque ad precandi studium atque
ardorem quicquam conferat. Ieiunij quippe qualitatem &
[*Vbi supra num. 10.*] quantitatem seu parsimoniam describens, *Qualitas* (inquit)
in eo sita est vt absint omnes lautitiæ, ac plebeijs vilioribúsque
cibis contenti palatum delicatis non irritemus. Quantitatis ra-
tio in hoc est, vt parcius ac leuius solito vescamur, tantùm ad
necessitatem, non etiam ad voluptatem. Hæc ille. Ieiunium
[*Ieiunij Caluiniani varia absurditas.*] ergo Caluinianum est, à deliciis tantùm abstinere, nec ad
voluptatem, sed ad necessitatem vesci. Sic Caluiniani semper
delicatè victitant, & ad voluptatem vescuntur, nisi quando
ieiunant. Quod quia perrarò faciunt, gula apud eos in nullo
1. peccato ponitur, nisi fortè *delicatis cibis palatum irritare, &*
2. *ad voluptatem vesci*, ad gulæ vitium pertinere negabunt.
Moderatio victus à bonis viris perpetuò tenenda (qua vide-
licet ad necessitatem non ad voluptatem vescuntur) ieiunium
3. Caluinianum est. Denique hoc modo rustici & inferioris
conditionis homines, qui plebeiis ac vilioribus cibis vescun-
4. tur, perpetuò ieiunant. Omnes etiam qui in lautiore fortuna
5. necessariis contenti sunt, Caluino ieiunant. Quasi verò vi-
6. liores & plebeij cibi non secus ventrem repleant ac stoma-
7. chum grauent, quàm cibi delicati: aut quasi qui ad necessi-
tatem vescitur, carnem suam macerare dicendus sit. Sanè
moderatus victus omnium Medicorum iudicio prolifica-
tioni magis idoneus est quàm delicatus. Vnde & rusticos ac
mediocris fortunæ homines prolibus abundare cernimus,
8. quibus Magnates sæpenumero carent. Denique non carnem
macerat sed optimè nutrit, qui ad necessitatem tantùm ve-
scitur: nec alij magis succulenti aut robusti sunt, quàm qui
perpetua victus moderatione vsi ad necessitatem tantum ve-
9. scuntur. Medicorum præceptum est, ad corporis robur ac
vires seruandas, cibis magis parabilibus vesci, & ad necessita-
tem tantùm, quasíque adhuc esurientem à mensa surgere.
Nihil ergo, vt dixi, mirum, si Caluini iudicio ad Dei cultum
ieiunia non pertinent. Sanè quippe ad corporis cultum illa
pertinent, non ad Dei. Philosophica illa sunt ieiunia, non
Christiana. Ad corporis bonum statum & εὐεξίαν illa spectant,
non ad castigationem. Non illa carnem macerant, sed im-
pinguant; nec castigant, sed roborant. Christianorum autem
ieiunia, quæ corpus etiam necessariis ad tempus priuant, quæ
cum

cum fame & siti, cum abstinentia non lautiorum modò ciborum, sed & omnis cibi coniuncta sunt, illa carnem macerant & castigant, illa ad precandi studium plurimum conferunt, illa hominem coram Deo humiliant, iuxta illud Dauidis, *Humiliaui in ieiunio animam meam*; illa denique ad cultum Dei pertinent. *Psal. 34.*

52. *Proficiebat sapientia & ætate.*

QVia Lucas ponit profectum sapientiæ in Christo, sicut profectum ætatis, nomine sapientiæ hoc loco necessariò videtur intelligi debere, non vna & eadem semper sapientia, quæ per effectus magis ac magis se demonstraret, sicut non vna & eadem ætas in Christo semper erat, nec experimentalis quædã cognitio, in qua proficeret sine vlla nouæ scientiæ secundum habitum acquisitione aut incremẽto, (verum enim fuit in ætate incrementum) sed ipsemet habitus scientiæ acquisitæ in Christo suscipiens incremẽta simul cum corporis ætate & statura. Nam sicuti fiebat accessio Christi corpori in quantitate, secundũ quam corpus maius ac maius erat; sic etiam fiebat accessio in sapientia acquisita, per quam ipsemet sapientiæ habitus ad plura extendebatur. Sic explicat D. Ambros. lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento cap 7. & D. Thom. 3. p. q 12. art. 2. & q. 15. art. 3. & 8. Beda & Euthymius in hunc locum: & Epiphanius in Anchorato: qui *figmentum in Christo futurum fuisse* ait, si ab ipsa pueritia sapientiam & scientiam acquisitam, quam reuera haberet, dissimularet. Vide Medinam in 3. p. q. 12. art. 2. Quod autem Lucas de gratia dicit, intelligendum est, illam in Christo eandem & inuariabilẽ semper fuisse, nec in ea aliter profecisse quàm quòd eam magis ac magis per actus excellentiores demonstraret & explicaret: vt docet D. Thom. 3. p. q. 7. art. 12. Quam etiam ob causam, gratiam posuit Lucas vltimo loco & post ætatem, volens insinuare non iuxta ætatem in ea profecisse, sed in externa tantùm demonstratione *apud Deum & homines*: faciẽs videlicet opera Deo & hominibus magis ac magis grata. Erasmi explicationem de augmento donorum Spiritus S. in Christo absurdam & temerariam sequitur Caluinus: quam refutat Medina loco citato Nec pudet Caluinum ignorantiam positiuam ponere in Christo, quæ accedente cum ætate sapientia informaretur, quia etiam mortem subiit peccati pœnam. Atqui mors nec plenitudini gratiæ, nec ple-

Sapientia profectus in Christo qualis.

nitudini sciẽtiæ quæ in Christo fuit, opponitur, sicut ignorantia. Vide Medinam 3. p. q. 15. art. 3 Sed vtinam sola rerum theologicarum ignorantia laborasset Caluinus, ac non pleraque studio & cauteriata conscientia deprauasset!

IN LVCÆ CAP. III.

11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, &c.*

QVVM Ioannes Baptista iis quos ad pœnitentiam agendam suis concionibus iam adduxerat (dicebant enim. *Quid ergo faciemus?*) hoc pœnitentiæ genus quasi generale iniunxerit (turbæ enim erant & tota promiscua auditorum concio quibus hoc iniunxit) vt opera charitatis erga proximũ facerẽt, ex suis videlicet superfluis tam quoad victum quàm quoad vestitum indigentibus largiendo; bonus Caluinus hos esse vult *dignos pœnitentiæ fructus*, qui etiã à Christianis reapsis exigi debeãt, nec aliquid à nobis excellentius aut perfectius in hoc genere postulari oportere. *Friuolum* (inquit) *cauillũ est, hic rudibus tantùm elementa tradi, quæ longè infra Christianã perfectionem subsidãt. Ioannis munus fuit plebem Domino perfectam aptare. Nec dubium est quin fideliter in hoc totũ incubuerit.* Atqui argumentum quo suã confirmat sententiam, etiam ipsius Caluini iudicio friuolum cauillum esse ostendetur. Quod enim primo capite de Ioanne dictum erat, *Parare Domino plebem perfectam*, ipse Caluinus exponit iuxta vim verbi Græci quo Lucas vsus est, non ad perfectionem, sed ad præparationem & instructionem populi à Ioanne faciendam ea verba pertinere. Sic enim ad eum locum scribit. Participiũ *κατεσκευασμένον* (quo Lucas hìc vtitur) non *tam perfectionem sonat Græcis quàm formam & concinnitatem qua res ad vsum suum aptantur. Quæ significatio præsenti loco non malè quadrabit, quòd scilicet mittendus sit Ioannes ad plebem Christo aptandam vel formandam, quæ aliàs rudis & impolita nunquam se docilem præbuisset.* Hæc ibi Caluinus, suum hoc loco friuolum cauillum digito demonstrans. Fatetur enim iam Caluinus munus Ioannis fuisse, vt rudem illum populum & impolitum aptaret & formaret, vt se Christo docilem præberet, *eiúsque audiendæ doctrinæ* (vt suprà eodem loco dixerat) *redderet intentum.* Argumentum igitur Caluini ab istis verbis desumptum, quòd *parare Domino plebem perfectam*, Ioannis officium fuit, adeò nõ probat Ioannem pœnitentiæ formam perfe-

Pœnitentiæ fructus.

Caluinus ex seipso refutatur.

perfectam tradidisse, aut rudibus elementa non tradidisse, vt omnino probet atque demonstret, Ioannem in tota prędicationis suę forma rudibus tantùm elementa tradidisse, rudem & impolitum populum aptasse atque formasse ad Christum recipiendum, eiúsque perfectiorem doctrinam capessendam. Sic sententiam orthodoxam adeò nō probauit Caluinus friuolum esse cauillum, vt suo friuolo argumento eandem sententiam pulchre confirmauerit. Hic est ille tantus magister, in cuius verba tot hodie populi & prouinciæ iurare debeant. Sanè Beza propter verbi Græci proprietatem vertit hoc loco: *Vt paret Domino populum instructum.* Caluinus vt commodius falleret, antiquam versionem retinuit.

IN LVCÆ CAP. IIII.

16. *Intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere.*

ARRIPIT hîc occasionem Caluinus (vt nullam prætermittere solet) Catholicam toto orbe Ecclesiam taxandi. Quum enim ex hoc loco appareat in singulis Sabbatis, quibus dies Dominica successit, Scripturas legi in Synagogis & exponi solitas fuisse, hanc adnotationem apponit Caluinus, non vt diuinam Scripturam (quod profitetur) exponat, sed vt suo stomacho maleuolentię pleno indulgeat. *Iam si temporum fiat comparatio, facilè vel ex præsenti loco constabit, fœdiores hodie & magis deformes esse Papalis hierarchiæ corruptelas, quàm apud Iudæos sub Anna & Caipha fuerunt. Nam Scripturæ lectio quæ tunc vigebat, non modo sub Papa obsoleuit, sed ferro & igni à templis arcetur: nisi quòd lingua incognita, quod visum est, in ludibrium cantillant.* Hæc ille. Primum peregregiè mentitur dum amplificatione rhetorica vsus, Scripturarum lectionem ex Ecclesiis Catholicis *ferro & igni arceri* declamitat. Tametsi enim in templis Catholicorum ante hoc schisma exortum, dormientibus Pastoribus, rarior alicubi fuerit verbi prædicatio, illam tamen interdictam aliquando fuisse ne fieret, nullus hæreticus docere potest, multò minus eam ferro & igni prohibitā & abactam fuisse. Deinde rarior illa prædicatio verbi in diebus Dominicis, non omnium templorum fuit, nec in omnibus prouinciis, sed quorundam, & in quibusdam: quæ sanè nunc

Prædicatio verbi rarior supra modū taxata.

omnes huius negligentiæ pœnam satis acerbam luerũt: grassantibus & præualentibus hac maximè de causa tot hodie sectis & hæresibus; quæ legitimis eiectis Pastoribus, lupis rapacibus omnia impleuerunt. Deinde quid tandem, obsecro, in hanc Pastorum negligẽtiam successit? Primùm diuini verbi ab hominibus indoctis, audacibus, spurcis ac libidinosis, nulla vel authoritate, vel pietate, vel solida eruditione præditis, fœda deprauatio, & venenata tractatio. Satius autem esset nullo pane vesci quàm venenato; maxime iam aliquo modo saturis, & bene pastis: quum hoc præsens exitium adferat, illo tantisper carere natura possit. Quum iam alta Ecclesiæ pax esset, omniúmque Christianorum vox vna, & labium vnum, vna mens, vnum cor credentium omnium, fides simplex ab Apostolo laudata, tam accuratæ & frequẽtes verbi Dei explicationes adeò necessariæ non erant; quum suo quasi succo acceptæ à maioribus fidei, cui indubitanter adhærebant, fideles victitarent; & ipsa totius vitæ simplicitas atque integritas adhortationibus ac stimulis adeò frequentibus minus indigeret. Demus tamen, quod omnino negari non debet, magnam fuisse Pastorum negligentiam: quid nũc noui isti magistri attulerunt? *Singulis* (inquiunt) *Dominicis diebus Scriptura legitur non lingua incognita* (hoc enim Caluinum offendit, quum illa lectio non ad populi doctrinam sed ad inuocationem, quam totius populi nomine Pastor facit, pertineat) *sed vulgari & quam omnes intelligant.* Verba quidem omnes fortasse intelligunt: sensum autem quotusquisque tandem ex rudi populo intelliget? Imò absurdissimos sensus sibi plerique confingunt, eósque contra suos Ministros audacter tuentur. Atqui accedit explicatio & verbi prædicatio. Illa sanè initio feruebat, tametsi (vt dixi) venenata & impia. At nunc ille feruor in nostra Anglia & alibi (vt audio) vehementer deferbuit, eiúsque loco homiliæ quædam ex codice leguntur. Denique si tot seculis hic nouus seu Caluinismus seu Lutheranismus templa occuparet, quot à Catholicis occupata fuerunt (quod nunquam futurum apertæ in Scripturis promissiones certum nobis faciunt) quis dubitat in altissimum somnum præsentem concionandi ac docendi feruorem nõ secus desiturum? Non est ergo quòd Caluinus de suis tam feruidis initiis glorietur, aut aliquem in opere tam longo somnum, tot, inquam, seculorum, Ecclesiæ Dei obrepsisse declamitet.

Pastorum negligentia quid successerit.

IN

35. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.*

AB omnibus ferè theologis hæc ſententia contra vſuras, quæ vltra ſortem ex mutuo capiuntur, applicatur: vt in ea conſilium ſit ac præceptum. Conſilium quoad mutuum dandum, præceptum verò quoad nihil vltra ſortem ex mutuo ſperādum. Nihil, inquam, quaſi debitum ratione mutui: gratuitam tamē beneficentiam poſſe ſperari: ſed tanquam gratuitam, non tanquam debitam, ne & ibi aliqua ſit vſura mentalis. Quibuſdam tamen viſum eſt, vt poſt Eraſmum Cornelio Ianſenio, vſuras hoc loco à Chriſto directè non interdici, vtpote quæ in veteri lege prohibitæ fuerant. Caluinus vltrà progreſſus ait. *Hæc ſententia perperam reſtricta fuit ad vſuras.* Rationem adfert, quia hîc *Chriſtus tantùm hortatur ad gratuita officia, quia mercenaria nihil gratiæ coram Deo habent.* Et hoc ex ſuperiore Chriſti ſermone liquere ait. *Poſtquam enim expoſuit Chriſtus quid impij facere ſolent, nempe quòd mutuum dant ſimilibus ſuis, vt paria deinde ab illis recipiant, ſubijcit quanto plus à ſuis requirat, nempe vt gratis dent mutuò.* Eandem rationem ſequitur Ianſenius, exponēs illud *nihil*, nullam ſimilem vicem, aut beneficium aliquod: non quòd hoc peccatum ſit, ſed quòd plus à nobis exigit Chriſtus beneficentiæ quam quæ ab ethnicis præſtabatur. Cæterùm ſi hæc ſola ratio ſpectetur, ſequetur quoque Chriſtum hoc loco voluiſſe, vt ne quidem ſortem ipſam ſe recepturum ſperet qui mutuum dat. Ethnicos enim mutuum dantes ipſa ſorte contentos fuiſſe Chriſtus antea dixerat. *Peccatores peccatoribus mutuum dant, vt recipiant æqualia.* Et ſic ſenſus erit, vt Ethnicorum beneficentiam ſuperemus. *Nihil inde ſperantes*, id eſt, ne quidem ſortem ipſam ſperantes, aut quaſi reddendam expectantes, tametſi ſi reddatur accepturi: alioqui donatio eſſet, non mutuum. Nō eſt igitur opus à communi theologorum ſententia recedere, quaſique cornicum oculos configere. Senſus igitur eſt: Poſtquam docuit Chriſtus Ethnicos amicis ſuis benefacere & mutuum date ſola ſorte contentos, ſubiungit, *Veruntamen diligite inimicos veſtros, benefacite & mutuum date* (etiam inimicis veſtris) *nihil*, id eſt, nullum lucrum, aut aliquid vltra ſortem, *inde*, id eſt, ratione mutui, *ſperantes*, id eſt, vel ipſo ſolo animo intendentes tanquam debitum: *& erit merces veſtra multa.*

Vſura ſub præcepto prohibita.

Sic mutuum dare etiam ipsis inimicis,consilium est & materia mercedis multæ. *Nihil inde sperantes*,præceptum est quod hic repetitur,& Ethnicorum exemplo confirmatur. Sed amplectitur perlibenter Caluinus, quicquid ad veterum Theologorum reprehensionem facere potuit.

IN LVCÆ CAP. VII.

47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Dilectio quomodo remiss. peccatorũ causa.

1. Sententia.

VARIA est huius loci interpretatio. Aliqui considerantes dilectionem Dei quatenus primæ iustificationis causa est, neque illam præcedens vt dispositio, neque consequens vt perfectio, sed formalis; quia infusio diuinæ gratiæ qua peccator formaliter iustificatur,est ipsa ex parte charitatis infusio; horum verborum sensum valde perplexum reddunt. Secundum illos enim hic est sensus: Dilectio ponitur causa remissionis peccatorum, quia quoad remissionem culpæ,est causa perficiens (perfectè enim tollitur inimicitia vbi noua ponitur amicitia) & quoad remissionem pœnæ, est causa meritoria. Charitas enim hoc sensu (aiunt illi) operit multitudinem peccatorum.Sed quum hæc dilectio sit habitus à Deo infusus, Christus autem de illa dilectione loquutus sit quam hæc mulier exercuit, id est, de actuali; tota hæc speculatio à sensu literæ prorsus aliena videtur.

2. Sententia.

Alij sic exponunt:*Remittuntur ei peccata multa:quoniam*, id est,idcirco dilexit multum,vt quadret parabolæ à Christo propositæ.Sic Didacus Stella, de Græco aduerbio ὅτι non rectè disputans.

3. Sententia.

Rursum alij sic:*Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit*,id est,quod hinc cõstat quia dilexit multum, vt dilectio multa signum & nota sit, non causa remissionis peccatorum. Omnes hi sensus ideo inuenti sunt, quia quum remissio peccatorum sit gratuita,durum videtur causam eius ponere in dilectione præcedente.

Dilectionis ex gratia actus ad remiss. peccat. disponit.

Sed remissioni peccatorum gratuitæ nihil repugnat, aliquos actus præcedentes ponere, qui ad eam necessariò aut saltem ordinatiè disponant,& causæ sint disponentes,non autẽ meritoriæ.Sicut ergo fides, spes veniæ,odium peccati,tota pœnitentia,sic & ipsa dilectio Dei, nondum vt habitus infusi, sed vt actus boni ex speciali Dei gratia profecti, disponunt hominem ad remissionem peccatorum, vt iuxta manifestas Scripturas docet Cõcil.Trid.sess. 6.cap.6. Talis fuit Magdalenæ hoc loco dilectio: non qualis

est in iustificatis, sed qualis est in pœnitentibus. Quod aliarum interpretationum, quæ sanè hæreticis fauent, authores imprimis aduertere debebant. Pœnitentis personam hîc agit Magdalena, & eius dilectionem laudat Christus, sicut cætera pœnitentiæ eius opera, quæ omnia ex magna dilectione profecta sunt, vt peccatricis pœnitentis opera, non vt iustificationis adeptæ fructus. Sic Patres omnes, qui hoc Euangelium tractant, exponunt: Gregorius homilia 33. in Euangelia, Ambros. libro 6. in Lucam, Augustinus homilia 23. ex homiliis 50. Bernardus in serm. de 4. modis orandi, vbi ait. *Rigans lacrymis pedes Christi, &c. ostendit quòd omnino iam proposuerat in corde suo à peccato deinceps abstinere*: & multo copiosius in serm. in festo B. Mariæ Magdalenæ. *Patrum consensus.*

Sed contra hos omnes Patres impudenter hoc loco Caluinus. *Mirum* (inquit) *est plerosque interpretes tam crassè hallucinatos esse, quasi hæc mulier veniam lacrymis, vnctione, & osculis pedum promerita sit.* Cauillator putidus pro eo quod interpretes dicunt, consecuta est, ait eos dicere, *promerita est.* Nemo vel veterum interpretum vel recentium, verbo *promerendi* vsus est; aut, si vsus est, aliter intellexit, quàm consecutionem de facto. Sed probare Caluinus vult, nec meritum, nec causam vllam subsecutæ remissionis fuisse, quæ hîc Magdalena præstitit. *Nam* (inquit) *argumentum quo vtitur Christus, non à causa sed ab effectu sumptum est, quia & prius ordine est beneficium accipere, quàm habere gratiam, & causa mutui amoris hic notatur gratuita remissio.* At contrà Patres exposuerunt, argumentum Christi ab effectu non à causa sumptum esse: quia prius ordine est pœnitentiam agere, quàm remissionis beneficium à Deo accipere, & causa acceptæ remissionis hîc notatur multa dilectio, causa, inquam, non meritoria, sed ad eam disponens. Est quidem prius ordine beneficium accipere quàm *habere gratiam*, id est, gratias agere: sed illa quæ fecit hęc mulier, non erant de accepto beneficio gratiarum actio, aut mutui amoris, quem gratuita remissio excitauit, declaratio; sed ideò fiebant, vt remitterentur peccata. *Quare fecit illa omnia* (ait Augustinus) *nisi vt sibi dimitterentur peccata? Et tu quoque plurimum dilige* (ait Ambros.) *vt & tibi remittantur peccata. Incendit plenè peccati rubiginem* (ait Gregorius) *quia ardet validè per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.* Sed & D. Bernardus. *Sine vllo interuallo* (inquit) *coniunguntur & lacrymæ peccatoris,* *Caluini corruptela* *Vbi suprà.*

& misericordia saluatoris. Quare ineptè & absurdè Caluinus, quicquid hîc Magdalena fecit, adeptæ iam iustitiæ signa fuisse, & ad testandam suam gratitudinem exhibita affirmat.

Multò quoque ineptius & impudentius post eum Beza. *Qui hoc loco* (inquit) *abutuntur ad euertendam gratuitam ex sola fide iustificationem, non modò summam impudentiam, sed etiam infantiam suam patefaciunt.* Quî sic, bone Beza? *Negat enim* (inquit) *Christus hanc esse peccatricem, sicut iste Pharizæus temerè iudicarat.* Si hoc negat Christus, ergo mentitus est Lucas, qui de ea dicit, *Mulier peccatrix attulit alabastrũ vnguenti.* Nam Lucam eam sic nominasse, quia talis tunc erat, non quia talis olim fuerat, contra Erasmum ipse Caluinus docet. *Erasmo placuit* (ait Caluinus) *tempus verbi plusquam præteritum, nequis putaret eam tunc adhuc fuisse peccatricem. Sed à genuino sensu discessit. Voluit enim notare Lucas qualis esset mulieris conditio, & quid de ea omnes sentirent.* Hæc contra Erasmum Caluinus: qui, tametsi postea idem dicat quod hîc Beza, pariter tamen cum illo errauit. Primùm, quia Lucas eam designat qualis tunc erat. Deinde, quia Simon non ideo à Christo redarguitur, quòd malè iudicasset illam esse peccatricem, sed quòd peccatricis pœnitentiam non aduerteret: nam hanc ob causam singulos nobilissimæ pœnitentiæ actus sigillatim ei commemorat: & per parabolam ostendit, ideo illam tot dilectionis signa ostendisse, quia plurimum se debere sciebat. Sic Augustinus loco citato: *Quare dilexit multum, nisi quia debebat multa?* Eandem quoque ob causam non contentus Christus remissionem peccatorum illi conferre, dicens, *Remittuntur tibi peccata tua*, siue in præsenti siue in præterito illud verbum exponas, quod certè in præsenti intelligebant qui illud audiebant; (statim enim dicebant, *Quis est hic qui peccata dimittit?*) adiecit præterea, *Quia dilexit multum:* vt intelligeret Pharisæus hanc mulierem ex humili agnitione debitorum suorum, multáque propterea dilectione, peccatorum remissionem consecutam fuisse.

Beza deprauatio.

IN LVCÆ CAP. VIII.

50. *Noli timere, tantùm crede, & salua erit.*

Sola fides nõ statuitur.

ABVTVNTVR hoc loco hæretici, vt solam fidem à Christo exigi doceant ad salutem consequendam. *Excluduntur his verbis* (ait Flaccus Illyricus contra

Iudocum Tiletanum in Apologia cap.6.pag.157.) *omnes alia huius Archisynagoga cogitationes ac sollicitudines, & iubetur in sua precatione fidem constantem habere, quia fides sola suppliciter à Deo misericordiam implorans, omnia bona ab eo impetrat.* Respondet huic hæretico D.Tiletanus, ex ipsis hæretici verbis constare præter fidem, supplicem quoque & constantem orationem necessariam fuisse: ex quo statim conficitur, non solam fidem iustificare. Rectè hoc quidem, sed paulò pleniùs mox. *Docemur hoc loco* (ait Caluinus) *non posse nos modum credendo excedere: quia nunquam centesimam diuina bonitatis partem fides nostra quantumuis ampla capiet.* Hæc ille, vt doceat homines quantumcunque impios ex sola fide & apprehensione misericordiæ diuinæ, absque vlla aut pœnitentia aut bonorum operum necessitate tum remissionem peccatorum tum vitam æternam consequi posse. Sed vtrique hæretico & aliis omnibus hoc loco pro sola saluante fide abutentibus, breuiter & efficaciter responderi potest: Si hic locus solam fidem iustificantem ac saluantem probaret, sequeretur non solùm quòd ex sua sola fide vnusquisque saluaretur, sed etiam quòd ex mea fide de alterius salute alter quoque saluaretur. Hìc enim ex fide patris filia mortua resuscitatur & salua facta est. Si ergo ex sola fide patris saluata est filia, & hoc exemplo sola fides ad omnia à Deo impetranda valere debet; sequetur quòd sola fides non credenti tantùm, sed & omnibus pro quibus credere velit, salutem impetret. Atqui nec ipsi hæretici hoc dicere audebunt. Nihil ergo hic locus pro fide iustificante facit. Deinde non docet hic locus ex sola fide hoc beneficium impetratum fuisse: sed quum prius hic Archisynagoga & humilitatem multam ostendisset (*procidit enim ad pedes Iesu*) & oratione ardenti visus fuisset (nam *deprecabatur eum multum*, ait Marc.cap.5.) nunc autem audita morte filiæ dubitare cœpisset, hortatur eum Christus ad solam fidem, quia illa sola labefactari cœpit; non quia propter illam solam beneficium, quod petiit, collaturus esset, sed quia sine firma fide collaturus non esset. T.110.b.

IN LVCÆ CAP. IX.

7. *Eo quòd diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis, &c.*

PRopter has populi Iudaici varias dubitationes de Christo, & quia Matth.14. Herodes existimabat Christum esse Ioannem Baptistam à mortuis resurgen-

ſurgentem, & quia Matth.16. alij Chriſtum eſſe Hieremiam aut alium Prophetã exiſtimarũt,& denique quia Ioan.1.Phariſæi interrogant Ioannem Baptiſtam an eſſet Elias,Caluinus in comment. Harmoniæ ſuæ ad cap.14.& 16. Matth. & in hunc locum,& in comment. ſuper Ioan.cap.1. & cap.9 conſtanter docet Iudæos & ipſos maximè Phariſæos credidiſſe tranſmigrationem animarum in corpora, quam olim Pythagoras docuit. Ex quo Phariſæorum errore præſuppoſito,contra errores Synagogæ, & conſequenter Papatus, variam diſputandi occaſionem arripit. Sed totam hanc de Iudæis opinionem falſam planè & vanam eſſe ſolidis argumentis Franciſcus probat Toletus in comment. in Ioan. cap.1 Quorum præcipuum ferè iſtud eſt:Phariſæi pro certo credebant reſurrectionem mortuorum,vt apparet Act.23.clamante Paulo ſe, *vt Phariſaum de reſurrectione mortuorum iudicari.* Atqui reſurrectio mortuorum,quę ſingulos cum ſingulis animabus in corporibus propriis reſurgere ponit, tranſmigrationi animarum ex diametro contraria eſt. Deinde nec hic locus nec alij citati illam Iudæos opinionem habuiſſe docent, ſed planè contrarium.Nam hîc alij putabant aut Ioannem Baptiſtã aut aliquem Prophetam à mortuis reſurrexiſſe,qui Chriſtus eſſet; alij Heliam apparuiſſe,quem non adhuc eſſe mortuum ex Scripturis ſuis ſciebant. Reſurrexiſſe aliquem opinabantur cum corpore proprio, non defuncti cuiuſquam animam in Chriſtum migraſſe. Sic Chriſtum aut Ioan. Baptiſtam Heliam eſſe potuiſſe opinabantur, non quòd anima Heliæ in Chriſtum migraſſet, ſed quòd hic Chriſtus ipſemet Helias eſſet. Sanè nec hunc errorem Chriſtus illis vnquam improperauit,nec Clemens Rom.Conſt.Apoſt.lib.6.cap.6. vel Epiphan. hær.16. vbi Iudæorum errores enumerantur, de hoc errore vllum verbum faciunt. Ioſephi verba de bello Iud. lib.2.cap.7. vbi ſcripſit Phariſæos exiſtimare bonorum animas in corpora trãſmigrare,magis declarat Antiq.lib.18.c.2. eorum ſententiam fuiſſe,quòd bonorũ animæ facilè ad corpora redirent, id eſt, ex mortuis reſurgerent, vt hîc de illis Lucas refert. Tametſi verò Iudæi hodie hoc errore laborant, non ſequitur vllo modo etiam Chriſti tempore eodem errore eos laboraſſe. Recentiores quippe Iudæi non bonorum tantùm, ſed & impiorum animas tranſmigrare exiſtimant, multiſque aliis erroribus laborant, à quibus Iudæi Chriſto veniente immunes erant. Eſt igitur vanum & fabuloſum, Iudæos, Chriſto veniente, errore hoc Pythagorico laboraſſe.

Iudai non crediderũt animarum tranſmigrationẽ.

54. *Domi*

54. *Domine, vis dicamus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?*

ARripit hîc occasionem Caluinus eorum pietatem taxandi, qui sanctorum Patrum exempla imitari student. *Hic* (inquit) *videmus quò nos impellat stulta sanctorum Patrum imitatio.* Quare verò istud? *Obtendunt* (inquit) *Iacobus & Ioannes Heliæ exemplum, sed non attendunt quantum ab Helia differant. Non bene examinant zeli sui intemperiem: ad Dei vocationem non respiciunt.* Hæc ille. Sed primum apertè mentitur, quum ait Apostolos obtendere Heliæ exemplum. Nullam Heliæ mentionem faciunt: ergo eius exemplum non obtendunt. Illud quippe obtendimus quod ad facti nostri vel rationem vel excusationē disertè proferimus. Deinde etsi coniicere liceat ad exemplum Heliæ eos hoc petiisse, tamen neque ex coniectura fas est Apostolos condemnare, neque hæc coniectura firma est. Helias quippe ad suam tutelam, suóque voto in regios milites, qui ad eum capiendū venerant, ignem de cælo impetrauit. Apostoli neque suā sed magistri sui causam agūt, neque ad suum votum, sed ad Christi beneplacitum ignem de cælo petunt. *Vis* (inquiunt) *vt dicamus vt ignis descendat de cælo?* Rem totam voluntati Christi relinquunt. Hoc discrimen Caluinus eludere conatur. *Quanquam* (inquit) *dubium est, puténtne sibi in manu esse potentiam, an sibi à Christo dari petant; mihi tamen hoc magis probabile est, quòd stulta fiducia elati, modò annuat Christus, ad exequendam vindictam se armatos esse non dubitent.* Hæc ille. Contra aperta Apostolorum verba in dubium vocat, an ignem è cælo deuocandi potentiam sibi in manu esse putent (sicuti in manu Heliæ erat, hanc illi potentiam Deo concedente) an sibi à Christo dari petant: & illud prius magis probabile existimat, quum disertissimis verbis hanc à Christo potentiam petierint. Dixerunt enim, *Vis vt dicamus*, id est, placétne tibi vt nos iubeamus. Si enim tibi placet, & tu fieri id vis, nos illud exequemur. Helias autē, cuius exemplum Apostolos hîc obtendere Caluinus mentitur, quum milites regios occidere vellet, non dixit, Domine, vis vt dicam vt ignis descendat de cælo; sed dixit, *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo.* Helias ergo simpliciter, quatenus homo Dei est, hoc iubet. Apostoli si Christus velit, non aliter, iubere parati sunt. Non dicunt, Si nos Apostoli sumus, descendat ignis. Sed si tu vis vt dicamus, quòd ignis descendat,

SS. Patrū imitatio defenditur.

Apostoli contra procacitatem Caluini defenduntur.

2. Reg. 1.

para

parati sumus hoc dicere. Planum igitur & perspicuum est, quòd à Christo hanc sibi potestatem dari petunt, non eam sibi in manu sua esse putant.

Deinde non ideo Christus Apostolos reprehendit, quòd quasi Heliæ imitatores esse vellent, & Patrum suorum exempla præposterè sequi; sed quòd non aduerterent se huiusmodi Patrum non esse filios, nec ad illum spiritũ pertinere quem illi acceperunt, seueritatis scilicet, quæ in timore suos contineret (quæ fuit veteris populi disciplina) sed ad spiritum mansuetudinis & misericordiæ, quæ per amorem alliceret, qui Euangelicus spiritus est. Sic enim illorum temeritatem corrigit: *Nescitis cuius spiritus estis*, id est, nescitis quem spiritum habere debeatis, videlicet Euangelicum, non legalem; mansuetudinis, non seueritatis; denique ad ædificationem, non ad destructionem. Nam & ego magister vester *non veni animas perdere, sed saluare.* Hic est germanus huius loci sensus. Nulla igitur est ista consequentia: Apostoli & noui testamenti ministri non debent veteris testamenti Patres in eo quòd illius testamenti statum concernit, imitari, quia diuersus est vtriusque testamenti spiritus, diuersa ratio: ergo filij noui testamenti, Christiani fideles, non debent imitari pia exempla sanctorũ Patrum eiusdem testamenti. Hæc est Caluini consequentia vana & improba. Nos, quum sanctorum Patrum exempla sequimur eiusdem testamenti & status Patres sequimur, qui eundem Spiritum acceperunt quem nos; ideóque quum eos imitamur, dici nobis non potest: *Nescitis cuius spiritus estis.* Ac per hoc factum istud Apostolorum nihil prorsus contra fideles Christianos facit, qui sanctorum Patrum exempla piè ac studiosè imitantur. Adiungit alium locum ex Ioan. 4. cap. de Samaritanis, qui suorum Patrum prætextu idololatriam suam fucabant. Sed quum ad eum locum ventum fuerit, ei respondebitur.

Patrũ imitationem Christus non reprehendit.

Consequentia Caluiniana absurditas.

IN LVCÆ CAP. X.

15. *Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.*

Ecclesiasticæ authoritatis commendatio.

INsignis est in his verbis authoritatis Ecclesiasticæ cõmendatio: ex quibus ista sequuntur. Primùm, per Ecclesiæ Præpositos Christum loqui, ideóque illis non

non ſecus ac Chriſto obediendum. Deinde, Eccleſiæ vocem infallibiliter eſſe veram, quia Chriſti vox talis eſt. Tertiò, Eccleſiæ vocem ſine exceptione aut conditione eſſe audiendam. Sic enim audiri Chriſtus debet. Quartò, Eccleſiæ vocem eſſe medium neceſſarium & efficax, cooperante cum ea Spiritu ſancto ad fidem ingenerandam. Tale enim medium Chriſti vox erat quum Iudæis prædicaret. Denique quicquid in ratione docendi ac ea quæ ad ſalutem pertinent præcipiendi Chriſtus Iudæis fuit, idem Chriſtianis Eccleſia: & quamcunque apud eos fidem & authoritatem Chriſtus habere debuit, eandem nunc apud Chriſtianos habet vox, doctrina, & præcepta Eccleſiæ.

Caluinus agnoſcit hoc loco docere Chriſtum, *præſtantiſſimum hunc eſſe Dei cultum, & optimi odoris ſacrificium, audire ipſum ore hominum loquentem; & nos eius verbo nõ ſecus ſubijcere, quod per homines adfertur, quàm ſi deſcenderet ipſe de cælo.* Addit tamen conditionem, *ſi Eccleſia fideliter ſuum munus exequitur*; & ait: *Sicuti magnificè extollitur Paſtorum dignitas, qui ſincerè & fideliter munus ſuum exercent; ita ridiculus eſt Papa cum ſuis, dum hoc prætextu tyrannidem ſuam fouet.* Sed non videt cæcus hæreticus hanc exceptionem in illum & in quoſcunque Paſtores retorqueri. Ridiculi ſunt miniſtri prædicantes cum ſuis, dum prætextu externi miniſterij hîc à Chriſto magnificè commendati ſuas hæreſes mundo obtrudunt. Exceptione enim hac ſemel admiſſa, *ſi fideliter Eccleſia docet*, non veræ tantùm Eccleſiæ Præpoſiti, ſed quarumlibet ſectarum miniſtri, omni prorſus authoritate & fide, quam Chriſtus hîc illis dat, ſpoliabuntur. Certum quidem eſt, Eccleſiæ obediendum eſſe, quatenus fideliter docet: ſed an fideliter doceat, non eſt noſtrum in dubium vocare. Certum eſt, Iudæos debuiſſe Chriſto obedire quatenus teſtimonium perhibebat veritati: ſed an illud faceret, non erat Iudæorum in dubium vocare ſed ſimpliciter credere. Quare ſicut Chriſto Iudæi, ſic nos Eccleſiæ ſimpliciter credere debemus; nõ quidem ſiue vera doceat ſiue non, ſed ſiue id nobis conſtet ſiue non. Dubitandum non eſt, quin ſicut Pater mittens Chriſtũ, & iubens eum audiri, ſic Chriſtus mittens Eccleſiam, & iubens illam audiri, ſua ſapientia diſpoſuerit vt ſine vllo periculo erroris tam Eccleſia à nobis quàm Chriſtus à Iudæis audiretur.

Caluini euaſiones contra ipſum militant.

Eccleſiæ ſimpliciter ab omnibus credendum.

Audiamus tamen Caluini cauillum in contrarium. *Certum eſt* (inquit) *non ita loqui Chriſtum vt ius ſibi à Patre datum homini*

hominibus resignet, sed tantùm vt à contemptu vindicet suum Euangelium. In his paucis verbis mentitur & fallit impostor.

Caluini mendacium. Purum mendacium est, quod dicit Christum ius sibi à Patre datum hominibus non resignasse. Illa enim resignatio quo ad docendi munus, de quo hîc agitur, conceptis verbis apud

Ioan.17. Ioan. legitur. Ait ibi Christus. *Ego te clarificaui super terram. Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Manifestaui nomen tuum hominibus.* Paulò pòst. *Ego dedi eis sermonem tuum. Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego eos misi in mundum.* Dicit

Christus docendi munus in Ecclesiam resignauit. apertè se munere suo iam defunctum, idem in Apostolos resignasse. Sed & hoc loco duos gradus ponit Christus doctrinæ ad homines allatæ. Primum quòd Pater illum misit & docuit, cui obedire oportuit. Secundum quòd ille mittit Apostolos, quibus est obediendum. Quare quum dixisset, *Qui vos spernit, me spernit*; adiecit, *Qui spernit me, spernit eum qui*

Ioan. 3. *misit me.* Sicut ergo Christus in Euangelio dicit, *Omne iudicium dedit Pater filio*; sic Chrysostomus dicit, *Hoc autem totum video datum sacerdotibus.* Atque hoc quidem Caluini mendacium est.

Caluini impostura. Fallit impostor, quum dicit, Christum *ita loqui vt à contemptu vindicet suum Euangelium.* Id enim non nisi consequenter facit Christus hoc loco. Sed ita loquitur Christus immediatè & proximè, vt à contemptu vindicet Euangelij ministros & prædicatores. Non enim dicit, *Qui Euangelium audit, me audit*; sed Ecclesiæ ministros alloquens dicit, *Qui*

Rom.10. *vos audit, me audit.* Obediendũ immediatè personis loquentibus est, quia *fides est ex auditu.* Doctrinæ Euangelicæ creditur mediatè voce Ecclesiæ. In hoc fallũt & fallũtur hæretici.

Melanchthonis error. Sed inuertit penitus alius hæreticus hæc verba hoc modo: *Qui vos audit, me audit*: id est, verbum meum non vestrum loquimini. Intelligit autem verbum scriptum. Sed hoc commentum verba ipsa euertunt. Neque enim adhuc scriptum erat verbum istud, quod nunc Scripturam vocamus; neque Scripturam audimus quatenus Scripturam, sed legimus; neque prædicatio Apostolica alia est, quàm vox audita. Hanc vocem Christus esse suam dicit, qua per Apostolos loquitur. Sic Ecclesiæ vocem, Dei vocem esse dicimus, quia Deus per Ecclesiam loquitur; & quia Ecclesia non suum, sed Dei verbũ infallibiliter accipit, tenet, docet. Præterea manifestè dixit Christus hæc verba in eum finem, vt Apostolorũ authoritatẽ declararet & commendaret: ideóque statim adiunxit: *Qui vos*

sper

ſpernit,me ſpernit. Debent ergo illa verba, *Qui vos audit, me audit*, ſimilem ſenſum habere;neque ſic intelligi, quaſi præſcriberent Apoſtolis, quibus verbis in docendo vti deberent, ſcripto videlicet vel ſcribēdo potius Chriſti verbo, vt iſte nugator intelligit(hoc enim & alibi eos perſpicuè docuit,& hîc nihil minus tractat)ſed ſic intelligi,vt euidenter demōſtrent, quantam verbis Apoſtolicis, & conſequenter aliis Eccleſiarum magiſtris ipſorum ſucceſſoribus (alioqui enim ſtultus iſte cauillator nihil de his verbis ſolicitus eſſet) authoritatē deferre atque tribuere debeamus. Et dicit Chriſtus, ſic illos eſſe audiendos,& cum tanta authoritate, ac ſi Chriſtum ipſum loquentem audiremus. Vt autem huius cauillationis vanitas adhuc magis perſpicua fiat,pone Regem aliquem,qui Prætorem conſtituens,ei dicat;Qui tuam ſententiam audit, meam audit;& qui tuam ſpernit, meā ſpernit. Si hic rebellis aliquis aut pertinax litigator audiat contra ſe Prætoris ſententiā ferri, quæ tamen non ſit ipſa lex ſcripta regalis, ſed legis ipſius expoſitio prætoria, quæro an litigatoris eſſet bona exceptio dicentis: Tua interpretatio & ſententia me obligare non poteſt,ſed Regis tantum imperium. Quod enim tibi Rex dixit, Qui tuam ſententiam audit,meam audit, ideò dixit, quia tu non debes niſi verba Regis & leges regias & imperiū Regis loqui. Quare,niſi Rex me condemnet,adhuc mea cauſa bona eſt. At vt nemo eſt hodie hæreticus alicuius cerebri, qui non apertè videat hanc cauillationem friuolam eſſe, & meram improbi hominis euaſionem, vt Prætoris authoritatem declinet;ſic planè in ipſis hæreticis reſpectu Chriſti & Eccleſiæ eius ſe res habet.

27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua,& ex omnibus viribus tuis,&c.*

PRopter huius præcepti verum ſenſum non intellectum hæretici hodie omnes tam hoc præceptum quàm totam legem ad obſeruandum eſſe impoſſibilem docuerunt. Quorum veſtigijs inſiſtens hoc loco Caluinus, ita ſcribit. *Certum eſt in lege præſcribi hominibus quomodo vitam formare debeāt, vt ſalutem coram Deo ſibi comparent. Quòd autem lex nihil aliud quàm damnare poteſt,non ſit doctrinæ vitio,ſed quia impoſſibile nobis eſt præſtare quod iubet. Ergo quāquam ex lege nemo iuſtificatur,continet tamen lex ipſa ſummam iuſtitiam:quia non falsò ſalutem promittit ſuis cultoribus,ſi quis plenè obſeruet quicquid mandat.* Hæc ille. Docet impoſtor in lege ſummam

Lex Dei an præcipiat quod præſtari non poteſt.

iustitiam describi,& legem suis cultoribus salutē promittere, sed sub conditione nobis impossibili. Hoc est dicere, falsò & ridiculè. Quis eum legislatorem suis subditis falsam & ridiculam legem dare negabit, qui magno proposito præmio illud iubeat, quod à nemine subditorum impleri posse optimè nouit? vt si sic pauperi & infirmo dicat: Si regnum mihi proximum subiugaueris, mei regni te hęredem constituā. Alienum quidem regnum subiugare summa fortitudo ac virtus foret: sed nunquid tamen domini sui regnum falsò & ridiculè illi promittitur, qui hoc nullo modo præstare potest? Putant hæretici se satis legi tribuere, quòd summam iustitiā doceat, & salutem suis cultoribus promittat. Sed non vident se legislatorē & ridiculum & mendacem facere, quando à nemine docent legē impleri posse. Absurdū hoc eludere conatur Caluinus. *Hæc* (inquit) *docendi ratio nobis absurda videri non debet, quòd Deus primò iustitiam operum requirat, deinde gratuitam offerat sine operibus.* Sed quare & quam ob causam absurda videri non debet? Attendamus rationem quam adfert. *Quia* (inquit) *necesse est homines iusta suæ damnationis conuinci, vt ad Dei misericordiam confugiant. Ideò apud Paulum,* Rom. 10. 5. *vtriusque iustitiæ comparatio ponitur, vt sciamus nos ideò gratis iustificari à Deo, quia propria iustitia destituimur.* Hæc ille. Fallit improbè lectorem, &, vt ego sanè arbitror, ex composito. Lex est pædagogus ad Christum, quia conuincit homines non suæ damnationis, quasi nemo mortalium legem impleret, vt vult Caluinus; sed suæ infirmitatis, quia sine gratia Dei per Christum nemo illam implere potest, vt iuxta Scripturas perpetuò docet Augustinus. Paulus autem ad Rom. 10. 5. *iustitiam quæ ex lege est*, opponit *iustitiæ quæ ex fide est*, quia illa quæ ex lege est, docet tantùm quid facere debemus; sed illa quæ ex fide est, habet gratiam Christi in corde, quæ facit nos facere quod lex iubet: & sic docet nos propria quidem iustitia destitui, vt gratis iustificemur (vt hic Caluinus ait) respectu primæ iustificationis qua ex impio aliquis fit iustus, aut qua impius Deo reconciliatur, (de qua iustitia lex non loquitur) sed non docet nos illic Paulus propria iustitia destitui respectu illius salutis quam lex suis cultoribus promittit, nempe vitæ æternæ; nisi quatenus propria illa iustitia intelligitur, quæ propriis viribus ex sola legis doctrina comparatur, qualem Iudæi in Christum non credentes habere volebant, vt in fine præcedentis capitis Paulus docuit. Nā verba Pauli in loco à Caluino notato planè & perspicuè docēt quòd

Lex quomodo pædagogus ad Christum.

iuſtitia ex fide facit ſeruare legem Dei. *Quæ ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit*, id eſt, de iuſtitia ex fide ſic Script. dicit: *Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cælum?* &c. id eſt, ne putes legem tibi credenti & conuerſo ad Deum eſſe difficilem, aut vires tuas ſuperantem. *Propè eſt verbum in ore tuo & in corde tuo*, id eſt, res tota facilis eſt tibi iam conuerſo & credenti, & diligenti Deum. Moyſes enim (à quo hæc verba Paulus deſumpſit) quum primum dixiſſet, *Circuncidit Dominus Deus tuus cor tuum, vt diligas Dominum Deum tuum* (quod ad credentes & conuerſos loquitur) paulò pôſt ſubiungit: *Mādatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te, neque procul poſitum, neque in cælo ſitum*, &c. *ſed iuxta te eſt valde ſermo in ore tuo & corde tuo, vt facias illud.* Hæc ibi. Quare illa verba tractans Aug. ait. *Conuerſus quiſque, ſicut ibi præcipit, ad Dominū Deum ſuum, ex toto corde ſuo, mandatum Dei non habebit graue*, Sic ipſe locus à Caluino notatus luculenter probat quod Caluinus negat, nempe legem Dei non eſſe impoſſibilem: videlicet credenti & cōuerſo. Manet ergo abſurditas illa maxima iuxta doctrinam Caluini, *Deum operum iuſtitiam primò quærere, & poſtea gratuitam offerre ſine operibus.*

Iuſtitia ex fide facit ſeruare legem.

Deut. 30.

Lib. de nat. & grat. c. 69.

Sed tota Caluini & aliorum hæreticorum contra tam apertam veritatem lucta eſt huius præcepti legalis praua intelligentia. Diligere enim Deum perpetuò actualiter, & ſic ex toto corde vt nihil præter Deum diligatur, & ille tantum diligatur quantum diligibilis eſt, nemo in hac vita poteſt, & hoc ſenſu Auguſt. in lib. de perfect. iuſtitiæ, & poſt eum Bernard. ſerm. 50. in Cant. docent hoc præceptum in hac vita non impleri, nec ſub præuaricationis pœna obligare, ſed per modum doctrinæ, quò contendere debeamus, ordinare. Verùm diligere Deum habitualiter, & per opera dilectionis externa, in omni ſua operatione retinendo habitualem Dei dilectionem, & ſic toto corde, vt præcipuè Deus diligatur, homo in hac vita poteſt & debet. Et ſic intelligendum eſſe hoc præceptum, illa alia Scripturæ verba manifeſtiſſimè docent: *Onus meum leue eſt, Mandata eius grauia non ſunt*, & alia huiuſmodi.

Dilectio Dei ex toto corde quomodo intelligenda.

Matth. 11. 1. Ioan. 2.

29. *Hoc fac, & viues.*

QVum horum verborum manifeſtus & perſpicuus hic ſenſus ſit, Hæc dilectio Dei & proximi illa opera ſunt quæ facere debes vt vita æterna viuas, vt ſic quæſtioni legiſperiti ſatisfaceret Chriſtus, qua quærebat etſi animo tētandi,

Opera bona vitæ æternæ cauſa.

quid faciendo, id eſt, per quæ tandem opera, *vitam æternã poſſideret*; totum hunc ſenſum prorſus inuertit Caluinus, & vult *cõſilium Chriſti fuiſſe calumniam diluere, qua ſciebat apud rudes & indoctos ſe grauari, quaſi legem, quatenus perpetua eſt iuſtitiæ regula, euerteret.* Sed totum hoc merum figmentũ eſt. Conſilium Chriſti fuit, non rudium & indoctorum calũniam diluere, de qua nihil in textu apparet, & à Caluino fingitur vt aliò lectoris animũ auertat; ſed iſtius legiſperiti quæſtioni ſatisfacere qua tentare & experiri volebat, an legis Moſaicæ mandata Chriſtus approbaret, de quo apud ipſos Scribas & doctos Iudæos ſciebat ſe in ſuſpicionem & calumniã trahi. Hoc falſo poſito fundamẽto, ait hoc loco Caluinus: *Non ideo nos gratis iuſtificat Deus, quia lex non oſtendit perfectam iuſtitiam, ſed quia in eius obſeruatione deficimus omnes: ideóque nos ab ea vitam conſequi negat Chriſtus, quia infirma eſt in carne noſtra.* Hæc ille. Non ſolum fabulam narrat à contextu Euãgelico alieniſſimam, ſed etiam, ſi rectè attendatur, Chriſti verbis manifeſtè contradicit. Fabula eſt, & à contextu præſenti alieniſſima, cuius nec minimum in textu apparet veſtigium, nos gratis iuſtificari à Deo, quia in lege deficimus omnes, & non quia lex non oſtendit perfectam iuſtitiam: Nos autem à lege, id eſt, à legis obſeruatione vitam non cõſequi, aut Chriſtum hoc negare, diſertiſſimis Chriſti verbis ex diametro contrarium eſt. Dicit enim Chriſtus: *Hoc fac, & viues:* id eſt, faciendo mandata legis viues. Ait Caluinus Chriſtum dicere: *Faciendo legem non viues.* Sic eius interpretatio textum deſtruit, & Chriſti verba penitus inuertit.

Mendacium, & aperta verborum Chriſti contradictio.

Iam verò ſi hæc verba, *Hoc fac, & viues,* non continent expreſſum Chriſti mandatum de faciendo quod lex iubet & diſertam affirmationem quòd eam faciendo vitam conſequemur, tunc etiam illa alia Chriſti verba ad eundem legiſperitum, *Vade, & fac tu ſimiliter*, non erit aliquod Chriſti mandatum de faciendo quod fecit ille Samaritanus, ſed erit tãtùm regula iuſtitiæ ad imitandum quod nemo imitari poteſt. Vnde ſequetur non niſi fabulam à Chriſto recitatam fuiſſe, & nõ ſolùm talem aliquem Samaritanum non fuiſſe, ſed nec eſſe potuiſſe. Nam ſi vnus Samaritanus ſic facere potuit, cur non & alius quilibet idem poſſit facere? Ergo ſi, *Vade, & fac tu ſimiliter*, præceptum eſt eius quod fieri poteſt ac debet; illa quoque verba, *Hoc fac, & viues*, præceptum ſimiliter continebant eius quod fieri poteſt ac debet, cum adiuncta promiſſione vitæ æternæ.

Taxat

Taxat postea Caluinus, sub nomine defensorum liberi arbitrij, doctiss. Patres Augustinum, Ambrosium, & alios, qui affirmant sub typo huius vulnerati Samaritani curantis eum, describi statum hominis post lapsum, & restaurationem per Christum. Nec vllam causam reprehēsionis adfert, nisi quòd dicat *maiorem Scripturæ habendam reuerentiam quàm vt germanus eius sensus hac licentia transfiguretur.* Sed habetur à Patribus maxima Scripturæ reuerentia; quia & germanus ac literalis sensus de habendo pro proximo qui nostra ope indiget, eóque opere diligendo, diligentissimè retinetur, & mysticus quoque sensus in eo latens enucleatur. Sed vnus Caluinus licentia hæretica ipsam diuinæ Scripturæ literam tum aliis innumeris in locis, tum hîc maximè penitus transfigurauit, corrupit, inuertit, Christíque verbis disertissimis clara & impudenti voce contradixit, vt iam ostensum est. *Patres à Caluino sine causa data accusati.*

IN LVCÆ CAP. XI.

41. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

CHRISTVS in his verbis, nec ironicè loquitur, vt quidam putant, quasi opinionem Pharisæorum irridens, qua dicuntur existimasse per solas eleemosynas omnia peccata purgari, vel saltem rapinas condonari quando ex illis eleemosynæ fiunt (neque enim vel tanti eleemosynarij isti Pharisæi erant, vel tam stulta eorum sententia vsquam legitur) nec solet Christus ironicè docere, marimè quum dicit, *Et ecce*; nec etiam docet per solas eleemosynas (vel cætera pietatis opera negligendo, vel in peccatis perseuerando) omnia peccatoribus condonari, quā quorūdam suo tempore opinionē refutat sæpe August. in lib. de fide & operibus per totum, in Enchir. ca. 75. & de ciuit. Dei lib. 21. cap. nec denique (vt Caluinus hîc somniat) *eos rite ac legitimè vesci pane suo qui eleemosynas erogant, quique ex sua abūdantia pauperum inopiæ subueniunt* (hæc enim expositio eorū verborum, *Ecce omnia munda sunt vobis*, nullū sensum adfert, nec causam aliquam reddit, quod tamē imprimis expēdendū erat, quū Christus non simpliciter eleemosynas erogare iubeat, sed hanc etiam promissionem subnectat, *Ecce omnia munda sunt vobis*, nō panis tantùm ait aut cibi vsus:) sed docet eleemosynam esse proprium remedium cōtra morbos Pharisæorum, rapinam & iniquitatē, quos hîc nominatim taxat. 1. 2. 3. 4. *Eleemosyna quomodo in Pharisæis mundabat omnia.*

Huiusmodi quippe peccata, quorum propria purgatio est debita restitutio, per eleemosynam aptissimè purgantur; non quia ea sola totam purgationem adfert, & plenam remissionem consequitur; sed quia hæc noua liberalitatis & charitatis affectio animum rapinis deditum ab illo vitio expurgat; quo vitio sublato, ad cætera omnia penitus emundanda aditus & via facta est. Eleemosyna igitur auaros per omnia mundat, quatenus emundationis principium quoddam est, & pro veteribus delictis satisfactio debita. Hic sensus à D. Basilio traditus est in Regulis breuioribus ad q. 271. Et similis hîc locus est ei quod dixit Regi rapaci Daniel. *Peccata tua* (quæ
Dan. 4. maximè erant rapinæ) *eleemosynis redime.* Verba autem illa (*quod superest*) nec significat quod ex rapinis vestris reliquũ est, quasi dixisset Lucas τὸ λοιπὸν, nec pro copia præsenti accipitur, vt Caluinus vult, quasi dixisset Lucas τὸ περιττὸν; sed significat simpliciter iuxta verbum τὰ ἐνόντα, quo Luc. vtitur, *ea quæ vobis adsunt*, vt ipse Beza vertit, id est, ea quæ iam habetis, siue iustè possidetis, date in eleemosynam, id est, iuxta facultates vestras, subaudiendo κατὰ. Sic Theophylactus exponit: τὰ ὑπάρχοντα ὑμῖν Sic & textus Syriacus vertit, *id quod est.* Nempe ex eo quod iustè & rectè vestrum est, facite eleemosynas.

Proteruè Caluinus hoc loco Catholicos taxat dicẽs. *Quòd hinc inferunt Papistæ eleemosynas esse satisfactiones quibus mũdamur à peccatis, stultius est, quàm vt longa refutatione opus habeat. Neque enim Christus hic disserit, quo pretio nos peccatorum remissionem acquirere oporteat, sed eos purè vesci pane suo qui partem erogant pauperibus.* Sed hunc superbum hæreticum textus ipse refutat. vt iam ostensum est, & S. Basilius loco citato exemplum simile adfert in Zachæo publicano, qui pro veterum peccatorum satisfactione professus est: *Si quem*
Luc. 19. *fraudauero, reddo quadruplum.* Christus hoc loco nõ quidem agit de pretio quo acquirẽda est remissio peccatorum, neque Catholici satisfactiones ponunt tanquã pretia acquirendæ remissionis, sed vel tanquam media placandi Deum, vt ad remissionẽ consequendam homo sit dispositus, vel tanquã pœnæ peccatis iam remissis debitæ exolutiones. Iuxta priorẽ sensum docet hîc Christus eleemosynas, non quidem pretium, sed modũ esse mundandi rapaces & auaros: quia hoc modo & pro pristinis peccatis satisfaciunt, sicut Zachæus, & ad Dei misericordiam Christique sanguinis beneficium obtinẽdum (quo plena fit cordis emundatio) eo magis disponuntur.

Satisfactiones quo sensu ponuntur à Catholicis.

IN LVCÆ CAP. XII.

14. *Quis me constituit Iudicē aut diuisorem inter vos?*

QVVM Christus in causa iustitiæ, & quæ ad fouendam concordiam inter fratres faciebat, rogatus operam suam interponere, id facere recuset, quæritur an Episcopi & Pastores, qui Christi locum tenent, subditorum suorum litibus circa temporalia bona dirimendis hoc exemplo penitus abstinere debeant? Anabaptistæ hodie hoc Christi exemplum ita rapuerunt, vt penitus Christianis interdictum putarent aut hæreditates partiri, aut forensibus negotiis se interponere, aut aliquod denique ciuile munus obire. Caluinus verò in hunc locum contra Papam & consequenter omnes Episcopos debacchatur, quorum hîc ait *latrocinium damnari, quòd quum Ecclesiæ Pastores se esse obtendunt, terrenam ac profanam iurisdictionem inuadere ausi sint.* Alij adhuc interpretes Catholici docent ex hoc loco non debere Episcopos negotiis ac litibus secularibus audiendis ac dirimendis vacare (tametsi Augustinus Episcopus id studiosè fecerit, vt tam ipsemet de seipso commemorat de opere monachorum cap. 29. quàm in eius vita Possidonius) videlicet quia hodie fora secularia sunt Christianorū fora & tribunalia. Sed aliqua adhibita distinctione, & error omnis facilè vitabitur, & ipsa veritas tenebitur. Vacare audiendis & dirimendis subditorum litibus Episcopus aut Pastor nō solùm licitè potest, sed ex officio pastorali debet, quando nec propter lucrum temporale, sed propter spem vitæ æternæ id facit (vt Augus. se fecisse scribit) nec reliqua officia pastoralia propterea intermittit, & ad lites inter subditos grauiores rescindēdas id officium præstat, ipsique subditi non ex auaritia, sed ex necessitate aut honestate Pastoris arbitrium expetunt. Christus hîc recusauit diuidere, tum quia nisi ab vna parte rogatus, arbiter adhuc delectus non erat, tum quia ex auaritia hoc ab eo petebatur, vt sequens disputatio demonstrat, tum quia prædicationem verbi hæc hominis postulatio interpellauit. Sic Paulus de negotiis secularibus Christianorū cognoscere noluit, quia, ait August. loco citato, *Apostolatus eius discursus aliter se habebat.* Errant absurdissimè Anabaptistæ, quia Christi verba non ad omnes Christianos, sed ad solos Pastores pertinere possunt. Errat malitiosè Caluinus, quia nec iurisdictionem tēporalem, nec possessiones temporales, in quolibet Episcopo hic locus prohibet, sed de sola cognitio

Anabaptistarum error circa iudicia secularia.

Iudicia secularia Pastores qualiter eis exercere deceat

Caluini insulsa criminatio.

ne & iudicio circa alienas causas & bona aliena Christus loquitur. Errant & alij, qui propter fora & tribunalia Christianorum, licere negant Episcopis aut Pastoribus secularia tractare iudicia, sicut August. fecit, & sicut propter honorē sacerdotij à iudice forensi ad Episcopos in causa ciuili appellare pij Imperatores permiserūt. Theodosius Canis. 11.q.1.c. Quicunque, &c. volumus, & Carolus M. vt est apud Bertrandum in libello de Iurisdictione Ecclesiastica. Nam & illorum omniū tempore fora & tribunalia penes Christianos erant. Sed in tota hac causa modus ille tenendus est quem diximus.

48. *Qui non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

DExterè sunt hæc verba intelligenda, ne ignorantiæ eorum quæ ad salutem pertinent, fauere ac patrocinari hic locus videatur. Si enim qui fecit digna plagis, id est, grauia crimina perpetrauit, paucis tamen vapulabit, quia non cognouit voluntatem Dei, satius & optabilius videtur esse, voluntatem Dei penitus ignorare, & in hac ignorantia persistere, quàm ei cognoscendæ operam dare. Sed non loquitur Christus de ignorantia affectata, qualis eorum est qui dicūt, *Recede à nobis, scientiam viarū tuarum nolumus*, nec de ipsius ignorantiæ leuiori pœna disputat (non enim dicit, Qui non cognouit voluntatem Domini, ideò vapulabit paucis,) sed de illorum peccatorum pœna agit, quæ cum ignorantia voluntatis Dei coniunguntur, non ex ea proficiscuntur. Ait enim, *Et fecit digna plagis.* Est igitur sententia comparatiuè intelligenda: videlicet ex duobus, quorum alter cognouit voluntatem Domini, alter non cognouit, id est, tam amplam & claram scientiam non habuit, cæteris paribus ille propter peccata grauius, iste leuius punietur: non quia iste non etiam grauiter, sed quia ille grauius plectetur. Ignorantiæ igitur voluntatis Dei hic locus non patrocinatur, quia nec de ignorantia affectata sit sermo, nec ipsa ignorantia simpliciter excusatur, aut à pœna liberatur, sed ignorantis peccata in comparatione minus, per se verò plurimum puniēda docentur. Qui autem propterea ignorantiam fouendam iudicat, perinde facit ac ille qui febri laborans curari nolit, ne fortè postea recidiuans grauius ægrotet. Hic Caluinus SS. Patrum ignorantiam quam supponit, & quam à nobis obtendi fingit, taxare voluit. *Hinc apparet* (inquit) *quàm putida sit & friuola eorum tergiuersatio, qui claram Euangelij doctrinam hodie respuentes, tali*

Ignorantia quomodo pœnam minuat.

Iob 21.

Caluini insulsa criminatio.

tali peruicacia Patrum inscitiam obtendunt: quasi verò ad repellendum Dei iudicium sufficiat ignorantia clypeus. Nempe Catholici nouis hodie dogmatibus & hæresibus (quæ claram Euangelij doctrinam vocat Caluinus) subscribere recusant, verbi gratia, soli fidei iustificanti, imputatiuæ iustitiæ, & certitudini gratiæ, eo quòd apud Patres hanc doctrinam non inueniunt. Hanc recusationem iustissimam, peruicaciam vocat Caluinus, & Patrum in his ignorantiam frustra obtendi ait: additque postea, *vtcumque illorum ignorantia parcat Deus, nunc tamen sponte peccantibus*, id est, Euangelicam veritatem à Caluino & sodalibus eius mundo inuectam repellentibus, *eandem veniam sperari non posse.* Sed nos ignorantiam Patrum non obtendimus, quasi aliquid circa fidem ignorarent. Istas nouas hæreses ab illis penitus ignoratas agnoscimus, & hoc solo nomine illas damnamus: quia veritatem Euangelicam ignorare tam diu Ecclesia Christi non potuit. Aut, si tam diu ignorauit, vnde certi esse poterimus, quòd nunc eam Ecclesia teneat? Cur non posteri nostri nos etiam veritatem ignorasse affirmare poterunt? vt sic nulla ætate, nullo seculo, Pastores ac Doctores habuerit Ecclesia, quorum antiquam doctrinam tenere liceat, ne circumferamur omni vento nouæ doctrinæ.

IN LVCÆ CAP. XIII.

Doctrinæ compendium.

SVNT in hoc capite quædam doctrinæ capita an-
notatione digna. Primum humani ingenij errorē 1.
perstringit, quo iudicant temere homines, grauia
in mundo passos grauius deliquisse. Hic error in
toto libro Beati Iob accuratè refutatur: & duobus exemplis
propositis à Christo euidenter refellitur. Alterum caput est 2.
de pœnitentiæ agendæ necessitate, quam ex aliorum castigatione
discere oportet, vt iuxta illud Cypriani in serm. de
lapsis, *tormenta paucorum exempla sint omnium.* Tertium est 3.
de cauendo diuinæ gratiæ abusu, exemplo arboris infrugi-
feræ, quia Dei patientia nimiū læsa vertitur in furorē. Quar- 4.
tum est de diaboli potestate in corpora humana simúlque
malitia, exemplo mulieris inclinatæ totis 18. annis. Quintum 5.
est de hypocrisi & superstitione cauenda, ne prætextu seruādi
sabbati opera charitatis erga proximum intermittantur.

Quæ tria posteriora loca in Prompt. Morali aliquoties tra-
6. ctata sunt. Sextum est de necessitate bonorum operum vt salui simus, dicente Christo, *Discedite à me omnes operarij iniquitatis*, id est, iniquis operibus addicti. Aliud est enim operari iniquitatem (quod nisi actum significat) aliud esse operarium, quod habitum quasique professionem notat. Secundum & postremum caput contra hæreticos modernos notanda sunt, circa quæ Caluinus in suis ad hæc loca commentariis prorsus silere maluit, quàm vel suis dogmatibus contraria aliquo modo explicare, vel contra tam apertam veritatem frustra reluctari. Vnum hîc est quod in exemplum trahi
7. non debet. Christus Herodem principem vulpem vocat, non ex contemptu magistratus, sed ex authoritate Spiritus, quam nemo imitari debet. Demonstrat quippe propriam sibi potentiam, quòd opus legationis suo toto inuito mundo perficiet vsque ad constitutum à Patre tempus. Hoc proprium Christo fuit.

IN LVCÆ CAP. XIIII.

14. *Retribuetur enim tibi in retributione iustorum.*

Bonorum operũ merces.

VALET hic locus euidenter pro retributione bonorum operum apud Deũ. Opponit enim Christus retributionem humanam, qui mutuam compensationem in suis conuiuiis venantur, retributioni quæ à Deo futura est in resurrectione iustorum. At illa alia veri nominis retributio est; ergo & ista. Hæretici hunc locum tractantes, imprimis Caluinus, nihil aliud à Christo hîc doceri volunt, nisi in conuiuiis illis humanis non exerceri charitatem, nec ad probandam charitatem illa sufficere. At Christus docet inuitationem pauperum non solùm esse opus charitatis Christianæ, sed etiam opus cui à Deo retribuetur in resurrectione iustorum, id est, in illa generali omnium iustorum glorificatione. Sic hæretici bona pietatis opera nihil nisi fructus quosdam fidei & charitatis, signáque & notas filij Dei esse volunt: aliquid apud Deum valere, vel ad salutem conferre, contra euidentissimas Scripturas nolunt.

23. *Compelle eos intrare.*

Hæretici ad officiũ cogendi.

TAmetsi ad literam de ipsorum prædicatorum verbi Dei ingenti studio, feruore, & adhortatione hæc verba intelligi debeant; non est tamen improbanda S. Augustini expositio

positio (vt eam hoc loco Caluinus ipse non improbare se dicit) quam adhibet contra Donatistas epist. 48. vt probet *piorum principum edictis ad veri Dei cultum & fidei vnitatem licitè cogi præfractos & rebelles* hæreticos. Hæreticorum tamen nuncupationem non exprimit hoc loco Caluinus, quia ipsemet talis erat. Solùm præfractos & rebelles nominat. Et rationem subiungit ex Augustino desumptam, *quia etsi voluntaria est fides* (meliùs dixisset, libera) *videmus tamen ijs medijs vtiliter domari eorum peruicaciam, qui non nisi coacti parent.* Plura hac de re in Prompt. nostro Catholico diximus. *Domin. 5. post Epiph. ser. 3.*

33. *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

OPeræpretium est, insignem huius loci corruptelam ac deprauationem Caluinianã obseruare, vt verus ac germanus literæ sensus puriùs retineatur. Clàrum & perspicuum est, Christi verba sic vt sonant intelligi debere, & veram eorum quæ possidemus abdicationem faciendam omnibus diuenditis & in eleemosynam datis, vel in communem vsum concessis, vt Christi discipuli simus, id est, Euangelicæ perfectionis statum arripiamus. Sic Apostoli ipsi fecerunt, relinquentes omnia. Sic primi Christiani, Iudæi maximè cõuersi, ex singulari fidei feruore etiam ipsa consilia Euangelica veluti præcepta amplectentes, omnia sua vendebant, & ad Apostolorum pedes deponebant. Vide Aug. de doct. Christ. lib. 3. cap. 6. Postea illa perfectio ad paucos redacta est, qui à vita solitaria monachi dicti sunt, de quo vide August. in libello de moribus Eccles. Cathol. tom. 1. Nunc totum hunc sensum deprauat Caluinus. *Præposterè* (inquit) *faciet si quis literam præcisè vrgeat, quasi nemo sit Christi discipulus, nisi qui in mare proiecerit quicquid possidet, adeoq; diuortium fecerit cum vxore, & liberis valedixerit. Talibus figmentis ad monachatum inducti sunt stulti homines, vt ad Christum accedere volentes, ab humanitate deficerent. Atqui nemo verius renunciat omnibus quæ possidet, quàm qui singulis momentis relinquere paratus, totum se quasi liber & solutus Domino impendit, & omnibus obstaculis superior vocationem suam prosequitur.* Hæc ille. Impostor improbus dum statum monasticum reprehendere vult, alia fingit quæ nemo monachus facit. Nemo futurus monachus in mare proiicit quicquid possidet. Nemo cum inuita coniuge diuortium facit. Nemo sic liberis valedicit,

Euangelica perfectio proprietatis abdicatio.

Act. 4.

Caluini criminationes insulsæ.

vt eis prius,quantum in ſe eſt,non proſpiciat. Nec coniugatus nec liberorum pater ad monachiſmi profeſſionem aliter admittitur. Sic ſolet Caluinus ſententiam Catholicam quam refellere vult, qualis eſt in propriis terminis nunquam aut petrató profeſſe;ſed mutato controuerſiæ & quæſtionis ſtatu,non ſententiam Catholicam, ſed ſuum figmentum refutate. Mentitur ergo Caluinus affirmans homines ab humanitate deficere vt ad Chriſtum accedant. Quod poſtremò dicit,ita falſum & impium eſt, vt Apoſtolos & omnes primos Chriſtianos ſtultitiæ & impietatis conuincat, qui de facto omnia ſua reliquerunt vt Chriſtum verius ſequerentur. Alius ille modus quem Caluinus ponit, bonus quidem eſt renunciandi modus,& omnibus Chriſtianis neceſſarius,qui ſic debent *vti hoc mundo quaſi non vtantur*; ſed quòd verior & melior modus non ſit, ſolum Apoſtolorum exemplum ſufficienter demonſtrauit.

Caluini nequitia ſingularis.

1. Cor. 7.

IN LVCÆ CAP. XV.

10. *Gaudium erit in cælo,& coram Angelis Dei.*

Sancti in cælo noſtra cognoſcūt.

SOLENT hæretici Sanctos in cælo mortuos vocare, & eorum quæ hîc aguntur penitus ignatos aſſerere,vt ſic eorum inuocationem planè ridiculam eſſe oſtendant. Sed quum de Sanctis dicat infrà Chriſtus, *quòd erunt æquales Angelis Dei.* Luc.20. hîc autem conuerſionem pœnitentium adeò Angelis notam affirmet, vt de ea in cælis gaudeant, manifeſtè ſequitur, beatis quoque in cælo regnantibus eandem eſſe notam. Nulla autem ratio eſt, cur iuſtorum preces & vota non cognoſcant, qui peccatorum pœnitentiā cognoſcere,& de ea lætari poſſunt. Nec æquales Angelis ſancti eſſent,niſi in eodem ſaltem ſcientiæ genere paritas & ſimilitudo foret.

24. *In ſe reuerſus dixit, &c. Surgam, & ibo ad Patrem meum.*

Pænitētia doctrina à Caluino corrupta.

HÆretici hodie,vt ſolius fidei iuſtificantis dogma ſtabiliant, ne ipſam quidem pœnitentiam ad remiſſionem peccatorum neceſſariam eſſe volunt. Docent quippe pœnitentiam ex fide iuſtificante naſci,& neminem pœnitere poſſe niſi qui iam ſit filius Dei, & per fidem ſpecialem Deum

ſibi propitium credat. Sic latè & accuratè Caluinus Inſtit.lib. 3.cap.3.num.1. Hanc hæreſim hæc ſola parabola de filio prodigo luculenter conuincit. Hîc enim in exemplo maximæ miſericordiæ Dei quod à Chriſto proponitur,ea non confertur,niſi reuerſo prius peccatori in ſe per odium peccati, & ſpem veniæ concipienti,quod vtrumque illis verbis expreſſit, *Quanti mercenarij*, &c. *Ego autem fame pereo.* Nec niſi cum emendationis propoſito & inuocatione Dei, quod expreſſit quum diceret,*Surgam,& ibo ad Patrem meum*, quod eſt relinquere peccatum,& ire ad Deum, *& dicam,Pater peccaui*, &c. Tunc demum accurrit Pater, & audita confeſſione peccati,iubet *reddi ſtolam primam*.Rurſum quum idem Caluinus pœnitentiam ponit in ſolo quotidiano profectu iuſtorum, eodem lib. & cap. num.8. vt ſic pœnitentiæ neceſſitatem & vſum,qualem ſeruat Eccleſia, explodat, verba Chriſti in hoc cap.illam euidenter refutant vbi dicit: *Quam ſuper 99. iuſtis qui non indigent pœnitentia.* Hîc enim neceſſariò fatendum eſt, aliquam eſſe pœnitentiam peccatoribus neceſſariā, qua iuſti non indigent. Deinde quotidiano profectu omnes iuſti indigent. Vide ampliorem hac de re contra Caluinum diſputationem in Promptuario noſtro Catholico. *In parte Quadrag. in Sabbat. hebdom.2.*

IN LVCÆ CAP. XVI.

9. *Vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

QVVM duo hic locus doceat, eleemoſynis retribui vitam æternam,& Sanctos pro nobis intercedere, vt ſancti Patres docent in Promptuar. Cath. in Dom.8 poſt Pentec.à nobis citati,vtrumque conuellit Caluinus. Prius,quia Chriſtus humano more loquitur, *noſtram videlicet humanitatem opportuni refugij nobis inſtar fore, ſicut aduerſo caſu perculſus ab illis ſuſtentari ſolet quibus in proſpera fortuna benefecit.* Poſterius,quia *hoc modo periret omnis eleemoſyna quæ indignis impenditur. Illi enim pro nobis intercedere non poſſunt.* Sed vtraque cauillatio inſulſa eſt. Prior, quia Chriſtus non ſolùm humano more loquitur de aliquo refugio opportuno humanitati noſtræ reddendo,ſed diuino præterea more ac modo loquitur, promittens beneficentiæ noſtræ non quodlibet refugium, ſed ipſam vitam æter

Eleemoſynarum retributio æterna.

Caluini cauillatio duplex reijcitur.

æternam. Docet illos quibus benefecimus, *recipere nos in æterna tabernacula*, id est, Christum propter illos, non solùm ratione operis ipsius, sed etiam ipsis intercedentibus, reddere vitam æternam, vt clarè docet August. de ciuitate Dei lib. 21. cap. 27. Sanè S. Ambros. non solùm eos quibus benefecimus, sed & alios Sanctos pro eleemosynariis intercedere affirmat. Sic enim hunc locum exponit. *Ideo ait, Facite vobis amicos de mammona, vt largiendo pauperibus, Angelorum cæterorumq́; Sanctorum gratiam comparemus.* Vnde posterior Caluini cauillatio diluitur. Nam & quum indignis præstatur eleemosyna, non solùm ratione operis fit retributio, sed iuxta Ambrosium Sanctorum gratia cōparatur, videlicet vt pro nobis intercedant. Quanquam Christus præcipuè pios pauperes intelligit quando eleemosynis tantam mercedem repromittit, vt causa ab illo subiuncta manifestum facit. *Quicquid enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25. Manet ergo firma Catholica doctrina, Caluini cauillationibus nequicquam impugnata.

Lib. 7. in Lucam.

IN LVCÆ CAP. XVII.

10. *Quum feceritis omnia quæcunque præcepi vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus.*

Meritum ex condigno defenditur.

INSVLTANT hoc loco hæretici contra meritum operum, maximè de condigno. *Praua arrogantia* (ait Caluinus) *damnantur hic omnes qui se apud Deum quicquam mereri fingunt.* Postea definit, *ex legis pacto mercedem operibus statui non pro dignitate.* Móxque concludit, *detestabile esse Sophistarum commentum, qui meritum de condigno fabricare ausi sunt.* Vbi duo notanda sunt. Primùm, meritum de condigno ab hæreticis penitus explodi. Secundò, ideò explodi, quia ex sola Dei promissione pendet ratio meriti, non ex aliqua operum dignitate. Quod ex hoc loco probare volunt, quia qui omnia fecit præcepta, adhuc seruus inutilis est: ergo ratione operis ipsius, quantumuis ex gratia Spiritus sancti proficiscatur, nullum potest esse meritum. Qui enim meretur præmium à Domino suo, inutilis seruus non est. Adde quòd Christus seruum inducit, cui omnia imperata facienti nullam gratiam dominus habet.

Opus

Opus ergo hominis iusti non meretur gratiam, sed merces indebita (vt hîc ait Caluinus) ex solo Dei beneplacito promittitur. Hoc autem consequenter docet Caluinus, negans hominem diuinæ gratiæ liberè cooperari; sed quicquid boni ab homine fit, ex sola Dei efficaci gratia promanare. Institut.lib.2.cap.3. Sed hic locus hanc hæresim nihil iuuat. Totus Christi scopus hoc loco est, auferre iactantiam bonorum operum. Seruum quidem introducit, cui dominus gratiam non habet: sed in applicatione exempli suæ intentioni, non ita infert: Sic & vobis, quum feceritis omnia, Deus nullam habebit gratiam. Non sic infert Christus, sicuti eum inferre Caluinus vult, voluntque alij qui meritum de condigno negant. Sed Christus ita infert: *Sic vos, quum feceritis omnia*, &c. *dicite, quia serui inutiles sumus*, id est: Nolite vos ipsos iactare quasi seruos bonos & fideles. Iactationem prohibet: rem non negat, quam alibi apertè asseruit, dicens: *Euge serue bone & fidelis*, &c. Causam quoque subiungit cur veraciter hoc dicere possumus: *Quod debuimus facere, fecimus*. Hoc quippe respectu serui Domino nostro inutiles sumus, quia absque mercede proposita seruire Deo oportuit: non tamen simpliciter serui inutiles, qualis ille fuit qui in tenebras exteriores proiicitur, præceptum Domini non faciens. De ipsa igitur bonorum operũ dignitate vel vilitate in se nihil hîc Christus determinat, sed de ipsorum conditione respectu naturalis obligationis nostræ, & respectu Domini Dei, cui seruimus, Christus disputat; vt vanam iactantiam tollat. Sumus quippe natura serui Dei, & sic omnia faciendo nihil meremur singularis gratiæ: sed sumus *adoptione filij Dei, templa Spiritus sancti, diuinæ naturæ consortes, membra Christi*, de quibus hîc Christus nihil agit, & quorum respectu est in operibus iustorum dignitas quædam, ex cuius consideratione, & non ex solo beneplacito Dei aut promissione facta, iusti merentur vitam æternam ex condigno, vt rectè docet D.Tho.1.2.q.114.art.3. Vide Bartholomæum Medinam ibidem, & D.Iansenium ad hæc verba, qui latè & eruditè sentẽtiam Catholicam explicat. Consequentia illa; Qui fecit omnia, est seruus inutilis, ergo ratione operis ex Spiritu sancto profecti nullũ est meritum; non valet: quia Christus de seruorum operibus non filiorum loquitur, & de naturali operum obligatione, non de supernaturali dignitate disputat. Deinde non sequitur: Qui bene operatur, est seruus Deo inutilis; ergo est simpliciter inutilis, & nihil meretur. Potest enim nihilominus ex alio capite mere

Matth.25. *Rom.8.* *1.Cor.7.* *2.Petr.1.* *1.Cor.12.*

re

reti, & sibi esse vtilis, quia opera eius habent dignitatem ad præmium consequendum, & sunt Deo grata, etsi non sunt vtilia. In summa, iactantiam operũ tollit Christus, quoad ipsos operantes; dignitatem & mercedem operum non tollit, quo ad Deum remuneratorem & iustum Iudicem.

13. *Iesu præceptor, miserere nostri.*

DOcent hæc verba, docétque prompta horum obedientia, quum necdum mundati iubente Christo ad sacerdotem irent, vt se mundos ostenderent, præclara fide istos leprosos imbutos fuisse. Christi opem implorant, Magistri titulo insigniunt, nullum sanitatis signum videntes promissioni credunt, *& fidei impulsu* (ait Caluinus) *proficiscuntur*. Ex decem tamen illis iuxta fidem suam sanatis, vnus tãtùm regressus est dans gloriam Deo. Reliqui nouem ex sententia Caluini fidem amiserunt. Potest igitur amitti fides accepta. Reluctatur hîc Caluinus, *quòd Spiritu adoptionis adhuc regeniti non erant, & quòd principia tantum & semen aliquod fidei acceperunt.* Sed neutra cauillatio eum iuuat. Spiritu adoptionis spiritualiter eos fuisse regenitos, & filios Dei fuisse, dubitari non debet; quum Christus corpus sine anima nunquam sanauerit, nec sacramentum regenerationis adhuc institutum fuit. Non principium tantum aut semen aliquod fidei, sed magna & fortis fides erat, qua necdum mundati ibant tamen ad sacerdotem, coram quo nisi mundi apparere non debebant: certò credentes se per obedientiam verbo Christi præstitam mundandos.

Fides amitti potest.

14. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.*

AD hunc locum eadem garrit & repetit Caluinus contra confessionem sacramentalem in Ecclesia Catholica, quę suprà ad Matth. cap. 8. garriuerat. Cui quæ eo loco responsa sunt, & hîc responderi debent. Vnum tamen hîc addit quo acerbius Catholicos perstringat, ídque mirabili, vt sibi videtur, acumine, sed insigni admodum, vt ostendemus, stupore. *Bis* (inquit) *stulti sunt non reputantes quam turpem infamiæ maculam suæ confessioni aspergant. Bene scilicet agetur si ex tota eorum caterua, qui ad sacerdotes profecti fuerint, tantùm decima pars ad Christum redeat, reliqui verò omnes impiè alienentur. Neque enim obtendere poterunt confessionis suæ titulum,* quin

Confessio sacramentalis defenditur.

quin profectum hunc vicissim regerere liceat, nullos à sacerdotibus reuerti gloriam Deo daturos. Hæc ille. Sed vt hominis impietatem prætercam, qui eodem cauillo Christi quoque sanantis gratiā ludibrio exponit, à quo quum decem sanarētur, decima tantum pars dedit gloriam Deo, stuporem eius, quo percussus videtur, annotabo. Hoc ipso quippe in loco aliud subiecit, quo seipsum pulchre refutauit. Ait enim. *Quāquam nouem leprosis nihil in salutem profuit carnis sanitas, sed tantum pro fluxa & caduca fide temporale donum adepti sunt, sub hoc tamen typo nobis ostēsum fuit quàm efficax futura sit vera fides.* Hæc ille, priorem suam stupidam cauillationē ipsemet refutans. Eodem enim modo quanquam nouem istis leprosis nihil profuit carnis sanitas, sed tantum pro fluxa & caduca obedientia eundi ad sacerdotes, vt Christus iussit, temporale donum adepti sunt; sub hoc tamen obedientiæ typo nobis ostensum fuit quàm efficax futura sit vera Christianorū obedientia, qui verè contriti adeunt sacerdotes, qui soluendi & ligandi potestatē acceperunt, vt ab illis soluātur. Sic in eadem pagina sui præ stupore oblitus, seipsum refutat. Quemadmodum nihil præiudicat aut veræ fidei, aut Christi sanātis virtuti, istorū nouē incredulitas: sic nihil præiudicat veræ in Ecclesia Catholica peccatorum cōfessioni, aut sacerdotali absolutioni, istorū nouem typica ingratitudo, vel ad vomitū reuersio.

Caluini scomma in Christū redundat.

Caluinus ex seipso refutatur.

IN LVCÆ CAP. XVIII.

11 *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines.*

MVLTIS verbis contendit hoc loco Caluinus, vt veram operum iustitiam quæ ex Spiritus S. gratia procedit, à Christo damnari doceat. *Iste* (inquit) *Pharisæus Dei gratiæ ascribit quòd iustus est, & quāquam Deo gratias agens fateatur quicquid bonorum operum habet, merum esse Dei beneficium, quia tamen operum fiduciæ innititur, séque alijs præfert, cum sua precatione reijcitur: vnde colligimus non rite neque in solidum humiliari homines (quāuis se nihil posse reputent) nisi operum meritis simul diffisi, salutem suam in gratuita Dei bonitate collocare discant.* Et paulò pòst. *Reprehēditur in ea parte Pharisæus, quia meritis suis innititur, vt Deum propitium habeat, quia dignus est. Sciamus ergo, quāuis bonorum operum laudem Deo quis ascribat, si tamen eorum iustitiam imaginatur salutis suæ causam esse, vel in eam recūbit,*

Operum vera iustitia defenditur.

peruersa arrogantia damnatur. Hæc omnia Caluinus, totam historiam Euangelicam peruertēs. Christus hanc parabolam introduxit, non vt doceret nullam salutis causam esse veram operum iustitiam, aut vt omnem bonorum operum fiduciam damnaret, quod vtrumque Caluinus dicit; sed vt illam fiduciam bonorum operum damnaret, qua putent se aliqui satis iam iustos esse ac plenos iustitia. Hoc enim est, quod Lucas dicit, *Ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti*, id est, qui sibi persuaserant (vt Beza vertit) se iam satis iustos esse. Vide Aug. de Pharisæo isto dicit, *quòd in operum suorum iustitia confidebat, quasi eius iam plenitudine saturatus.* Rursum ideo hanc parabolam proposuit, vt illam fiduciam damnaret, quæ cum aliorum contemptu coniuncta erat: id est, falsam & vanam iustitiæ fiduciam. Nulla enim ibi iustitia est, vbi arrogantia regnat. Ideo adiecit Lucas, *Et qui aspernabantur cæteros.* Quod vitium Paulus dum arguit, simul docet fiduciam boni operis simpliciter non esse malam. *Opus suum vnusquisque probet: & sic habebit gloriam in semetipso, non in altero.* Vnusquisque suas actiones consideret, & sic in sua sola conscientia gloriandi materiam habebit, non in peccato alterius, sicut iste Pharisæus fecit. Sic Caluinus quod Christus de saturitatis fiducia, eáque falsa ac vana, dixit, trahit ad omnem fiduciæ circa bonorum operum iustitiam condemnationem, & (quod impudentius est) ad ipsam quoque bonorum operum iustitiam damnandam. Quod ergo dixit, *damnari Pharisæum, qui operum fiduciæ innititur*, falsum est. Rursum quod addit, *eum cum sua precatione reiectum esse*, falsum est. Nam, vt bene notauit S. Aug. *Quære in verbis eius quid Deum rogauerit. & nihil inuenies.* Sed & quod addit, *reprehēsum Pharisæum, quia meritis suis innitebatur vt Deum propitiū habeat*, falsum similiter est. Reprehensionis causę illæ sunt quas Euāgelium expressit, non quas Caluinus finxit. Nempe *quòd confidebat in se tanquā iusto & quòd alios aspernabatur.* Illa quoque confidentia damnatur, quia cum aliorum cōtemptu coniuncta, ideóque vana ac falsa erat.

Parabolæ scopus.

De pecc mer. & remiss. lib. 2. cap. 5.

Gal. 6.

Caluini tria mendacia.

Serm. 36. de verbis Domini.

Aduertit hoc ipsum Caluinus, & diluere conatur. *Sed quæritur (inquit) quomodo tanta iam sanctimonia præditus fuerit, qui improfessu excæcatus erat? Neque enim aliunde manat tanta integritas nisi à Dei Spiritu, quem certum est minimè in hypocritis regnare.* Hæc ille. Est bona & valida obiectio, & quæ firmiter probat hunc Pharisæum non habuisse veram iustitiam operum, neque in vera iustitia fiduciam posuisse, sed

laruam

laruam tantùm externam iustitiæ habuisse,& opera quędam bona iuxta substantiam actus, cùm cor interea fastu & hypocrisi plenum esset. Ad hanc ergo obiectionem quid respōdeat Caluinus, attentè dispiciamus. *Respondeo (inquit) externa tantum laruā fuisse confisum, ac si occulta & interior cordis immūdities in rationem non veniret. Quare licet prauis concupiscētijs intus scateret, quia tamen non nisi ex specie iudicat, securè innocentiam obtendit.* Hæc ille. Atqui hoc totum obiectionem confirmat, non soluit. Quum enim hoc totum non nisi hypocritam illum fuisse conuincat, in hypocritis autem Spiritus S. (vt ipse Caluinus dixit) non regnet, & vt plenius Scriptura dicit, *prorsus non habitet, sed fugiat* fictum, perspicuum est, nullam in isto sanctimoniam, nullam veram iustitiam fuisse; ideóque contra piam & humilem iustitiæ bonorum operum fiduciam hoc exemplum non facere. *Caluinus obiectionē quam mouet, non soluit, sed confirmat.* *Sap.1.*

Addit adhuc aliquid Caluinus. *Dominus quidem ipsum vanitatis non coarguit, quòd sibi falsò tribuat quod non habet: tenendū tamen est, neminem à rapina, iniustitia, libidine, & aliis vitiis purū esse, nisi qui Spiritu Dei regitur.* Hoc totū est quod respondet, & hîc tandem aliquid respōdisse videtur, quia iam inuenit, quomodo in tanto hypocrita Spiritum Dei regnare ostendat. *Nemo*, inquit, *purus est à rapina & aliis vitijs, nisi qui Spiritu Dei regitur.* Primum Pharisæus iste non se dicit purum ab his vitiis, sed tantum ab actu flagitiorum, quòd non esset raptor, iniustus, adulter. Atqui ab actibus flagitiosis abstinent innumeri ethnici, qui Spiritu Dei non reguntur. Deinde non omnis qui ab ipsis etiam prauis affectibus immunis est, ex dono fortè Spiritus S. à Spiritu S. regitur. Qui enim à Spiritu S. regitur, non solū ab illis prauis affectibus, sed etiam ab hypocrisi & impio fastu imprimis purus est. Nihil ergo omnino respondit Caluinus, & manet obiectio firma, ideoq; & tota eius prior disputatio vana. Denique *insignis hic locus*, vt eum vocat, nihil eum iuuat, nihil Catholicam doctrinam lædit, quæ docet ex bonorum operum iustitia homines coram Deo verè iustos esse; quia talis iustitia verum Spiritus S. donum est, & veram fiduciam parit, qua tum *in Domino gloriatur*, tum *in semetipso gloriam habet*; quod vtrūque Paulus dixit: sed nō sicut iste Pharisæus, *gloriam habet in altero*, i. non se præfert aliis, nec de aliorum peccatis, quibus ipse caret, gloriandi materiam accipit. *1.Cor.1.* *Gal.6.*

IN LVCÆ CAP. XIX.

8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.*

Pœnitentia & satisfactio Zachæi defenditur.

HANC quoque historiam Euangelicam suo fermento corrumpit Caluinus, & tam illustrem pœnitentis peccatoris satisfactionem omnibus modis obscurare, suámque solam fidem, hoc exemplo periclitantem, fouere & stabilire conatur. Primùm garrit opus ipsum ex se potuisse esse vitiosum. *Posset* (inquit) *quis omnia sua in pauperes erogare, cuius tamen liberalitas nihili esset coram Deo.* Ita primùm vellicat factum, quia potuit esse non bonum. Mox tamen agnoscit hoc factum Zachæi ex viua radice interioris pœnitentiæ prodiisse. Voluit nihilominus pro sua mordendi libidine hunc vnum illi dentem prius infigere. Addit deinde & alium quem altius impressit, totúmque pium Zachæi studiũ dilacerat. *Sicuti* (inquit) *Paulus de pœnitentia disserens ad Ephes. 4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem manibus laboret, vt alijs subueniat, ad hæc officia nos hortatur, ex quibus intelligant homines nos esse in melius mutatos. Ergo à corde incipiendum est, sed operibus testanda simul est nostra resipiscentia.* Hæc ille. Impostor impius omnia pœnitentiæ opera & hoc Zachæi factum nihil aliud vult esse, quàm testimonia conuersionis coram hominibus, coram Deo autem ipsa opera nihil valere. Sic iuxta Caluinum eleemosyna clanculum facta, oratio in cubiculo clauso, ieiunia, & omnis mortificatio occulta (quæ maximè Christus cõmendat Matth. 6.) nihil valebunt, quia coram hominibus nihil testari possunt. Alium adhuc dentem infigit. *Zachæus suo exemplo alios minimè obstrinxit, vt se dimidia bonorum suorum parte denudent: sed tantùm tenenda est regula quam Dominus præscribit, vt nos & nostra omnia consecremus in sanctos vsus ac legitimos.* Exemplũ quidem Zachæi non obstringit, sed hortatur, & documento est sequi volentibus. An putat Caluinus hoc Zachæi factum non fuisse diuitiarum suarũ vsum sanctum ac legitimũ? Cur ergo Christus hoc eius propositum audiens, illud non reprobauit? Imò cur approbauit, subiungẽs *eum esse filium Abrahæ?* Deinde si iuxta Paulum opus pœnitentiæ sanctum ac legitimum est, vt qui furatus est, non solùm non furetur amplius, *sed etiam manibus laboret, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti*, quare opus pœnitentiæ sanctum quoque ac legitimum non erit, si pœnitens peccator exemplo Zachæi dimidium bonorum

Caluini dentes caninі.

Impostura Caluini refutatur.

suorum

suorũ dat pauperibus? Sed Caluino ac Caluinistis diuitiarum vsus nec sanctus nec legitimus videtur, quum tam largę eleemosynæ fiunt, vt vel *dimidium bonorum detur*, vel (ad quod Christus disertè hortatur) *totũ vendatur, & detur pauperibus.* Nam & hæc Christi verba non secus deprauauit Caluinus, vt ibi dictum est. Ita animi sensus diuinis Scripturis penitus contrarios gerunt.

Eleemosynæ largiores Caluinistis displicent.
Matt. 19.

Pergit adhuc magis mordere, totámque hanc historiam Euangelicam magis dilacerare Caluinus. *Christus* (inquit) *testimonium Zachæo reddens, quum diceret, Salus huic domui facta est, nihil in eo fuisse simulatum pronuntiat. Neque tamen salutis causam bonis operibus Zachæi adscribit; sed quia cõuersio illa certum erat diuinæ adoptionis pignus, meritò inde colligit domum illam salutis esse hæredem. Et hoc quoq; verba sonant. Nam quia Zachæus vnus sit ex Abrahæ filijs, ratiocinatur saluã esse eius domum. Porro vt quis censeatur inter Abrahæ filios, fidem eius imitetur necesse est.* Hæc ille. Breuiter respondeo: Bona opera Zachæi non fuerunt salutis eius causa, sed fuerunt fructus pœnitentiæ digni & satisfactiones pro peccatis, quales Caluinus cum suis pati non potest. Non fuit Zachæi conuersio adoptionis diuinæ pignus, sed ipsamet adoptio diuina, cuius fructus erant ista bona opera. Iam enim totus conuersus ad Deum, ideóque adoptatus in filium, profert opera filio digna, & præcedentium peccatorum satisfactiones: quia illis remissis, pœna tamen manebat temporalis. Christi autem ratiocinatio, *saluam esse domum quia filius Abrahæ fuerat*, nec solam eius fidem, nec sola hæc opera considerauit, vt causam adæquatam, sed ipsam Dei electionem. Censeri autem inter filios Abrahæ, non solùm fidei imitationem requirit, quam solam ponit Caluinus, sed etiam bonorum operum Abrahæ, dicente Christo Iudæis; *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Adiungit tamen Caluinus. *Imò hanc laudẽ Scriptura propriè fidei tribuit, quòd germanos Abrahæ filios ab extraneis discernat. Sciamus ergo eam præcipuè in Zachæo laudari, cuius gratia factum est vt bona quoque opera Deo placerent.* Hæc ille. Artificiosè laudem Zachæi à bonis operibus, quæ Euangelium expressit, ad vnam fidem, quam Euangelium tacuit, traduxit. Sed Scriptura non minus propriè ex bonis operibus discernit filios Abrahæ quàm ex fide, vt verba Christi citata nos docuerunt. Fides quoque non secus Deo placet propter bona opera, quàm bona opera propter fidem. Imò *Abrahæ fides ex bonis eius operibus consummata est*, ait Iacobus, & *sine*

Ioan. 8.
Caluini artes, vt Scripturã ludificet.
Iac. 2.

bonis operibus fides inanis ac mortua eſt; nec filios Abrahæ ſola fides facit, ſed *fides per charitatem operans*. Ita totam hanc Zachæi conuerſi commendationem ac laudem, totámque hãc hiſtoriam Euangelicam impius Caluinus penitus inuertit atque peruertit. Fingit poſtea *ex audita redemptione Eccleſiæ, & mundi reconciliatione per Chriſtum, eiúſque doctrinæ fide, ſalutem Zachæi originem accepiſſe*. Sed hæc fictio in litera Euangelica nullum fundamentum habet, ideóque vt commẽtum humanum & Caluinianum penitus reiicienda eſt. Zachæi ſalus ex interna Chriſti gratia qua ſeſe apud eum inuitauit, vt hîc Euangelium narrat, originem accepit. Alia ſalutis eius origo extra verbum Dei fingenda non eſt.

Gal 5.

IN LVCÆ CAP. XX.

46. *Qui volunt ambulare in ſtolis.*

Caluini maledicentia retunditur.

SCRIBARVM faſtum & ambitionem ad vniuerſum Catholicæ Eccleſiæ clerum maledicus Caluinus contorquet, ſacrum Dei verbum transferens in maledicentiæ ſuæ libidinem, ſicut aliis ſuis dogmatibus Dei gratiam in luxuriam transfert. *Ratione* (inquit) *non caruit, Doctores ita veſtiri, vt in eorum habitu plus grauitatis & modeſtiæ quàm in vulgari extaret. Scribæ verò id perperam ad luxum & pompam conuerterant. Quod exemplum ad ſe traxerũt ſacrifici Papales, in quibus conſtat ſtolas nihil aliud eſſe quàm ſuperbæ tyrannidis inſignia.* Hæc ille, non vt Scripturarum interpres, ſed vt cõuitiator maledicus: nec certas perſonas perſtringens, ſed in vniuerſum Eccleſiæ clerum virulentiam ſuam effundens. Tali ſpiritu ducuntur, qui Euangelicæ veritatis tot ſeculis deperditæ reſtauratores, & noui totius orbis Apoſtoli haberi volunt. Hæc ſanè Caluini vox ſuperbæ tyrannidis inſigne eſt. Quo ipſe ſpicuè demõſtrat, quod nunc calamo auſus eſt, id gladio ſe tentaturum, ſi facultas daretur, vt tanquam alter Nero vnum toti clero caput exoptans, illud vnico ictu reſecare poſſet. Nec enim ſic vnquam Nero Romani populi ſanguinem, ſicut iſte hæreticus totius Catholici cleri ruinam & interitum ſitiuit. Adeò quauis vel capta vel quæſita occaſione in vniuerſum cleri Chriſtiani corpus, abſque vllo diſcrimine, rabido ore fertur. Sed Dei beneficio ſolo latratu nocuit, morſu petere non potuit. Quam tyrannidem Caluinus ipſe Geneuæ exercuerit, noſtri in Anglia Caluino Papiſtæ ſcriptis libris ediderunt.

IN

20. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.*

HIc modus loquendi apud Lucam proprius aliqua explicatione indiget. Matth. & Marc. verba Christi ad alteram speciem sic referunt: *Hic est sanguis meus noui testamenti*: vbi absque vlla sermonis figura, quod in calice erat, *Sanguis Christi* esse affirmatur. Hîc verò de calice non dicitur, *Hic est sanguis meus noui testamenti*; sed dicitur, *Hic est calix nouum testamentũ in sanguine meo*: vbi calix, siue id quod in calice est, non vocatur sanguis Christi, sed vocatur testamentum in sanguine. Hîc ergo insurgit hæreticus, & ait. *Hæc est Spiritus Sancti expositio quòd calix vocatur à Matthæo & Marco sanguis, quia testamentum est in sanguine. Sic palàm ostenditur non alia ratione calicem vocatum esse sanguinem Christi, nisi quia nobiscum fœdus æternum pepigit, vt sanguine semel effuso, spiritualiter nunc epulemur. Nam & sic Paulus Christi verba retulit sicut hic Lucas.* 1. Cor. 11. Sed responde, nec Lucam nec Paulum Matthæi & Marci verba exponere, nec etiam causam reddere cur apud illos calix vocetur sanguis. (Hæc duplex hæreticorum assertio voluntarium est ipsorum commentum.) Calix apud alios Euangelistas ideo vocatur Sanguis, quia, quod in calice erat, sanguis Christi fuit, vt apud Matth. latius diximus. Hîc à Luca & postea à D. Paulo calix vocatur ipsum nouum testamentum in sanguine Christi, quia in calice non solùm sanguis Christi est (quod alij Euangelistæ dixerunt) sed quia est hic per modum sanguinis fœderalis seu testamentarij. Modum (inquam) & finem porrecti à Christo calicis explicatius & plenius enarrare Lucas voluit quàm alij duo Euangelistæ. Quum ergo dicit, *Hic est calix*, vel, *Hic calix est* (nam verbum *est* in Græco non habetur, ideóque vtrobique poni potest) *nouum testamentum in sanguine meo*; voluit Spiritus Sancti docere quare calix à Christo benedictus & porrectus & ab Apostolis bibendus erat. Nempe quia ille calix, id est, quod in calice erat, iuxta communem loquẽdi modum esset ipsum nouum testamentum in sanguine siue per sanguinem, id est, haberet & porrigeret sanguinem ad sanciendum & confirmandum nouus fœdus ac nouum testamentum cum populo Dei. Ex quo necessario sequitur, verum sanguinem non figuratiuum in calice contineri, quia vini haustus hoc fœdus constituere aut confirmare non potuit. Hic ergo Christi sermo

Caluinus in Harmonia in hunc locum.

Calix cur nouum testamẽtum in sanguine Christi.

à Luca relatus (nam vtrumque Christum dixisse dubitari non debet, & hanc formam verborum posterius dixisse verissimile est, quia priorum quandam ampliationem continent) nec causa nec expositio est prioris sermonis ratione vocabuli *sanguinis*, aut cur & quomodo calix vocatus sit *sanguis*, sed est expositio quædam & apertior enunciatio ratione vocabuli *noui testamenti*, & cur à Matthæo ac Marco de calice dictum sit: *Hic est sanguis meus noui testamenti.* Nempe quia in illo sanguine (hausto videlicet & accepto) sanciretur & confirmaretur nouum testamentum cum nouo populo Dei, sicut per sanguinis vitulorum & hircorum, qui immolati fuerant, aspersionem super populum, vetus illud fœdus sanciebatur & confirmabatur, dicente Moyse quum aspergeret: *Hic est sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus:* id est, huius sanguinis aspersione sancitur & percutitur & consummatur fœdus inter Deum & vos; vt ille sit Deus vester, & vos populus eius. Sic enim in Cruce quidem immolatus est Christi sanguis in remissionem peccatorum, sed in hoc sacrificio loco aspersionis externæ bibitur & hauritur intimè, vt in illo & per illum sanciatur & confirmetur nouum testamentum ac fœdus inter Deum & nos nouum populum eius. Hãc ob caussam dixit de calice Christus, non solum apud Matth. & Marcum, *Hic est sanguis noui testamenti* (quæ verba non nisi sanguinis existentiam notant, qui aliquo modo ad nouum testamentum pertineat) sed apud Lucam dicit: *Hic calix nouum testamentum in sanguine meo:* quæ verba ostendunt calicem à Christo porrectum sic noui testamenti sanguinem esse, vel ad ipsum sic pertinere, vt calix ille sit etiã ipsummet nouum testamentum (quatenus illud confirmat) in sanguine suo: videlicet illo hausto & accepto quod in calice erat, de quo propterea adiecit. *Qui pro vobis effundetur:* quæ verba ad ipsum calicem referenda sunt (vt textus Græcus τὸ ἐκχυνόμενον in recto casu perspicuè ostendit) quia quod in calice erat pro nobis effundendum fuit non vtique vinum, sed sanguis Christi. Hic ergo verborum Lucæ totus & germanus sensus est: Hic calix qui pro vobis effundetur (id est, hoc quod in calice est pro vobis effundẽdum) est ipsum nouum testamentum, quatenus confirmat illud (sic enim circuncisio vocatur fœdus &
Gen. 17. pactum inter Deum & Abraham, quia fœderis confirmatio erat) cum nouo Dei populo sanciendum in meo sanguine: vt intelligatis tum sanguinem meum esse pro vobis effundendũ & immolandum, quem vobis porrigo, tum illum ipsum sanguinem

guinem à vobis hauriendum nouum fœdus constituere & confirmare inter Deum & vos, quia hoc accepto sanguine eritis intimè cũ Deo coniuncti, facti nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: non fide tantùm, sed & re ipsa. Plura apud Matthæum vide.

32. *Ego rogaui pro te vt fides tua non deficiat. Et tu conuersus confirma fratres tuos.*

CHristus in omnium Apostolorum communi periculo pro Petro specialiter rogans ne eius fides deficeret, postéaque addens vt ille conuersus alios confirmaret, in illis verbis & non defecturam Petri fidem, & supremam cæteros corroborandi potestatem manifestè docet, simúlque maiorem illum, de quo contentio erat, obiter ostendit. Sic ex hoc loco collegerunt Patres, S. August. in lib. de qq. noui & vet. test. q. 79. & serm. 124. de temp. Leo Magnus in anniuersario assump. suæ: Ambros. in Psal. 43. Theophylactus in hunc locum: Bernard. Epist. 90. ad Innocentium Papam: Lucius Papa in epist. decretali. Notandum verò quòd Caluinus in commentariis ad hunc locum horum verborum tractationem penitus prætermisit, & Institut. lib. 4. vbi omnibus Scripturis pro primatu Petri respondere conatur, hunc locum penitus dissimulat. Beza quoque in Annotationibus suis ad hæc verba nihil prorsus annotat. Aperta veritas os illis obturauit, satis alioqui ad aliquid semper cauillandum callidis. Sed nec in Marlorati cathena contra Petri primatum, ita luculenter tot Patrum testimoniis roboratum, aliquid affertur. *Petri primatus.*

38. *Ecce duo gladij hic.*

DIuus Bernardus in lib. 4. de consideratione ad Eugenium alludens ad hæc verba, duplicem ponit in Rom. Pontifice iurisdictionis gladium; vnum spiritualem, alterum temporalem; vt illum manu, hunc nutu suo proferat. Deuoluit hoc in Canonistas Caluinus, & sic contra eos declamat: *Quòd hinc eliciunt Canonistæ cornutos suos Episcopos duplici iurisdictione esse præditos, nõ solùm putida est allegoria, sed proteruum ludibrium, quo Dei verbo insultant. Atqui huc dementia prolabi oportuit Antichristi mancipia, vt palàm sacrilego contemptu sacra Dei oracula calcarent.* Hæc ille rabula. Sanctissimum & *Caluini maledicentia retunditur.*

doctissimum Bernardum sub nomine Canonistarum insectans, Antichristi mācipium vocat. Sensum eius allegoricum proteruum ludibrium verbi Dei, & sacrilegum Scripturæ cōtemptum nuncupat. Sed nullo argumento, ratione nulla allegoriam refutat. Ita conuitiator maledicus, & impurus rabula, bacchari & furere nouit: solidis argumentis alicuius falsi conuincere non nouit. Tametsi autem allegoria minus propria & accommodata esset, non tamen qui ea legitimè vtitur (nam ad rem ipsam quod attinet, Caluinisticus iam in Anglia clerus duplicem iurisdictionem sine vllo scrupulo imò magno cum fastu retinet:) vel insultat Dei verbo, vel ludibrio eóque proteruo insultat, vel sacrilego contemptu sacra Dei oracula lacerat. Schemata hæc sunt spiritus maligni & mendacis qui in Caluino loquitur.

41. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me.*

QVia hic locus videbatur Arianis fauere, vtpote qui, si de morte imminente intelligatur, diuinitati Christi derogare videatur, & quia alioqui indignum videtur quod Christus mortem timuerit, quam hactenus lætanter adiisse visus est, sed & charitati eius in Deum detrahere putari posset, quum multi martyres ex maxima in Deū charitate mortem intrepide adierint, multi interpretes, etiam veteres, non mortem temporalem imminentem, sed aliud quiduis Christum hîc deprecando exhorruisse docent: vt vel Apostolorum scandalum, vel Iudæ flagitium, vel Iudæorum reiectionem, vel persecutorum suorum pœnas, vel denique suorum infirmitatem & dispersionem quia eos patuulos relinquebat, quæ omnia in hūc locum Hilarius, Hieronymus, Ambrosius magis coniectando quàm asserendo tradunt. Basilius futurā plurimorum incredulitatē Christum deprecatū fuisse affirmat. Hæretici hodie & Caluinus maximè, vt doceant Christum non aliter descendisse ad inferos quam quòd anima eius pœnas infernales passionis suæ tempore subiret, totum hunc locum non de mortis tēporalis timore, sed de mortis æternę horrore, summa cum impietate ac blasphemia exponunt. Ad illa verba, *Cœpit pauere & tædere & mœstus esse. Vnde* (inquit Caluinus) *Christo mœror & anxietas & formido, nisi quia in morte tristius aliquid & magis horribile concepit quàm separationē animæ & corporis?* Et paulò post. *Nō mortem horruit simpliciter quatenus trāsit⁹ est è mūdo, sed quia formidabile Dei* *iri*

Lib. 4. cōtra Eunomium.

In Matth. 26. ver 37.

Caluini in Christum doctrina blasphema

tribunal illi erat ante oculos. Quare nihil mirum, si horribilis exitij abyssus metu & anxietate duriter eum cruciauit. Rursum a d illa verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem: Animum* (inquit) *filij Dei mors per se non cruciasset; nisi cum Dei iudicio sensisset sibi esse negotium.* Deinde ad hæc verba, *Pater, si vis,* &c. ita scribit. *Quæritur quid orando Christus profecerit Apostolus ad Hebr.5. dicit exauditum fuisse à suo metu* (sic enim legi vult, non *pro sua reuerentia*) *Id porrò non quadraret, si mortem simpliciter timuisset Christus, quia ab ea liberatus non fuit. Vnde sequitur, grauioris mali timore ad deprecandam mortem fuisse adactum. Nempe quum iram Dei sibi propositam videret, quatenus ad eius tribunal totius mundi peccatis oneratus se sistebat, necesse illi fuit profundum mortis abyssum exhorrescere.* Hæc ille. *Mox huius diri & insoluti horroris certum argumentum fuisse ait sudorem Christi sanguineum,* quem statim Lucas cōmemorat. *Si cui enim mortis timore hoc contingat* (ait Caluinus) *pusillo ac muliebri eum animo esse dicemus.* Hæc in hunc locum Caluinus. Sed in Institut. sua lib.2. cap.16.num.10.& seqq. hanc suam blasphemiam luculentius exponit. Ait enim hanc Christi in horto tristitiam exordium fuisse descensus eius ad inferos. Tunc enim *cum inferorum copijs & æternæ mortis horrore consertis manibus luctatū fuisse:* tunc *diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse:* tunc *pœnas omnes à damnatis expetendas* Christum *in anima persoluisse, hoc vno excepto, quòd non poterat in illis detineri:* tunc denique Christum orasse, non vt *immunis esset à morte, sed ne absorberetur vt peccator, quia formidabilem illam abyssum sentiebat, se à Deo derelictum & alienatum esse, omnia irati Dei signa expertus est, maledictionem & iram Dei timuit, in quo timore diros & horribiles cruciatus perpessus fuit, videns se ad tribunal Dei reum stare nostra causa.* Hæ sunt hoc loco Caluini & aliorum hæreticorum hodie blasphemiæ. Ad quas refutandas tria sunt explicanda. Primùm, quid Christus timuerit & deprecatus fuerit: secundò quomodo: tertiò, quare.

Ad primum quod attinet, Christus propter solam mortem temporalem imminentem mœstus fuit, patrem orauit, in agonia factus sanguinem sudauit. De tristitia sua dixit Christus: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* id est, ita tristis, vt parum absit à morte, nempe de qua paulò antè dixerat. *Filius hominis secundum quod definitum est vadit: verumtamen væ homini illi per quem tradetur,* scilicet ad mortē tempo

Christus quid deprecatus fuit. temporalem. Quid deprecatus fuerit, oratio ipsa loquitur: *Transfer à me calicem istum.* Nempe de quo postea dixit Petro percutienti gladio. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Deinde si Christus orans, *Transfer à me calicem*, intellexit iram & maledictionem Dei ne absorberetur vt peccator; tunc in verbis sequentibus, *Non mea voluntas fiat, sed tua*, intelligendum est, voluntatem Dei patris fuisse, Christúmque ei sese conformasse, vt Christus maledictionem & iram Dei incurreret, eáque absorberetur vt peccator, vt profundam mortis abyssum sentiret, vt damnati ac perditi hominis cruciatus non solùm exhorresceret, sed etiam pateretur. Hæc enim omnia Christum & timuisse & deprecatum fuisse Caluinus vult. Non nisi ergo mortem temporalem timuit, eámque deprecatus est.

Consequentia horrenda, sed necessaria ex Caluini doctrina.

Quomodo Christus mortē deprecatur. Quod quomodo fecerit, nunc explicandum. Nempe voluntate naturali, nō deliberata. Habuit Christus affectus humanos & naturales, sed non vt nos inuoluntarios, aut qui rationem præuenirent, sed quos liberè in se suscepit quando voluit & quantum voluit; quod multis verbis perspicuè docent sancti Patres, Augustinus tract. 49. in Ioannem, & de ciuitate Dei lib. 14. cap. 9. Gregorius Moral. in Iob lib. 5. cap. 13. Hieron. in cap. 26. Matth. Sic de Christo dicitur Ioan. 11. *Infremuit spiritu, & turbauit seipsum.* Sic Christus hoc loco, quia voluit, *cœpit contristari & mœstus esse*: & morte imminenti cum omnibus suis pœnis atque ignominiis ante oculos suos liberè posita, naturaliter illam timet, dolet, ac deprecatur: sed voluntate deliberata, quæ mortem illam cum omnibus suis circunstantiis (maximè respectu finis, quòd esset obedientiæ opus & redemptio mundi) prorsus acceptauit. Verba igitur illa, *Pater mi, transfer à me calicem istum*, non continent *votum abruptum & inconsideratum, & orationem non meditatam*, vt impius Caluinus ad hæc verba scribit, sed voces sunt voluntatis naturalis, quam hîc Christus meditatè & liberè exercere voluit: idque has ob causas: primùm, vt in parte quoque rationali nō solo corpore pro nobis pateretur: deinde vt suam tum in nos charitatem, tum in Patrem obedientiam clariùs ostenderet. Nempe facta omnium & singulorum quæ pati debuit apprehensione viuacissima & liberrima, ex illa seipsum turbare, affligere, & vsque ad sanguineas guttas naturam commouere atque percellere voluit.

Cur mortem Christus exhorruit. Cur autem mortē ante oculos ad viuum posita tam vehementer eam exhorresceret (quod tertio loco explicandum dixi

diximus) multæ rationes afferri possunt. Quatuor adfert Cornelius Iansenius. Primam, passionis generalitatem, quia ab omni hominum genere & in omnibus corporis membris, & in omnibus quibus potest homo pati, passus est. 2. passionis genus & qualitatem, quæ erat crucifixio. 3. complexionis nobilitatem, quæ dolores omnes magis reddidit sensibiles. 4. doloris puritatem, omni videlicet consolatione spoliatam: quibus addi possunt exactissima futurorum omnium dolorum scientia; item summa mortis indignitas, propter personæ suæ summam excellentiam, de qua Paulus dixit: *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem*; deinde & summa persecutorum ingratitudo, quam ipse Christus considerans dixit: *Multa bona opera operatus sum inter vos, propter quod eorum vultis me interficere?* Hæc talia erant vt eorum viua & exacta consideratio sudorem sanguineum naturaliter elicere potuerint. Alius ille timor maledictionis & iræ Dei quem blasphemè ponit Caluinus, in Christum cadere non potuit, dicente Propheta de Christo: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: à dexteris est mihi, ne commouear.* Vide contra has Caluini blasphemias multò plura suprà ad Matth. cap. 27. vers. 46. & infrà ad Ioan. cap. 12. vers. 27.

Hebr. 12.

Ioan. 10.

IN LVCÆ CAP. XXIII.

34. *Pater, ignosce illis. Non enim sciunt quid faciunt.*

DVBITARI hîc potest, quomodo tanquam causam benignissimæ suæ intercessionis, crucifigentium ignorantiam ponat Christus. Nam Scribas & Pharisæos saltem ac Principes populi ex destinata malitia, & vt Pilatus bene aduerterat, ex inuidia Christũ ad crucifigendum postulasse manifestè constat, vt propterea ignorantia, qua laborabant, ex malitia fuerit, & inexcusabilis. *Obcæcati Iudæi in malitia sua* (ait B. Leo) *in quod prorupissent facinus nesciebant.* Atqui ignorantia tunc demum peccatum imminuit, & facilioris veniæ causa esse potest, quando qui ex ignorantia peccans, si sciret veritatem, non peccaret. Talem autem fuisse Iudæorum crucifigentium Christum, Paulus manifestè affirmat dicens; *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Et Petrus non solùm de vulgo, sed & de principibus Iudæorum qui Christum crucifixerunt, dixit:

Sermo. 15. de passion. Domini.

1. Cor. 2.

Act. 3. dixit: *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* Christus ergo de ignorantia hîc loquitur excusabili, quæ talis erat, vt, si sciuissent quid facerent, non essent facturi. Causa quidem huius ignorantiæ in multis fuit malitia & inuidia, sed quæ erat corrigibilis. Caluinus, vt hunc nodum soluat, in alterum extremum defertur. *Verisimile* (inquit) *est Christum non pro omnibus orasse, sed tantùm pro misera plebe, quam zelus inconsideratus non autem deliberata impietas rapiebat. Nam vt de Scribis & sacerdotibus nulla fuit* Caluini duplex error. *spes residua, pro illis frustra orasset.* Hæc ille. Dupliciter errat: primùm quòd orauerit pro sola plebe. Nam Lucas apertè de plebe dicit: *Sequebatur eum turba multa populi & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum.* Petrus quoque Principes non secus ex ignorantia peccasse quàm populum loco citato affirmauit. Alter error magnam habet impietatem, Serm. 8. & 9. de verbis Apostoli. Christum frustra pro Scribis oraturum. Nam de his ipsis dicit S. August. hæc Christi verba tractans. *Insani sunt, medicus sum: sæuiant, patienter fero: cùm occiderint, tunc sanabo.* Serm. 8. & 9. de verbis Apostoli. Sic beatus Leo loco citato: *Misericors Dominus, qui etiam interfectores suos sua morte volens saluare, pro ignorantia sæuientium de crucis altitudine supplicabat.* Et iterum serm. seq. *Qui venit peccatores saluos facere, nec ipsis quidem interfectoribus suis misericordiam denegauit.* Rursum August. serm. 59. de verb. Domini: *Credentes sanguinē eius biberunt, quem sæuiendo fuderunt.* Vnde & Lucas alibi ait: Act. 6. *Multa etiā turba sacerdotum obediebat fidei.* Vbi bonus Beza voculam *sacerdotum* è textu expungere studiosè conatur.

43. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

ETiam ex hoc dulcissimo diuinæ misericordiæ flore aliquid veneni sugere, aliquid quod contra pietatem diceret in hoc tanto opere pietatis aduertere, & ad summā Christi bonitatem oculum nequam adferre Caluinus potuit. Ex his quippe Christi verbis misericordia & amore plenis, fiduciam ac præsumptionem impiam stabilire, satisfactionis necessitatem ac fructum tollere, confessionis vsum subsannare, homo impius conatur. Audiamus loquentem belluam. *Primò* (inquit) *notanda est incredibilis facilitas, quòd sine mora latronem tam humaniter complectitur, sibiq; beata vitæ sociū fore promittit. Quare minimè dubium est, quin sine exceptione omnes admittere paratus sit qui ad eum cōfugient. Vnde certò* Pœnitētia & satisfactionis necessitas defenditur.

statue

statuere licet, modò memor sit nostri, nos saluos fore. Porrò fieri non potest vt eorum obliuiscatur, qui suã ei salutem cõmendant. Per has dulces benedictiones seducit Caluinus corda innocentium. Christi quidẽ facilitas ac misericordia incredibilis in hac patre fuit; sed & latronis fides, charitas, spes, totaq́; pœnitentia admirabilis erat, vt mox dicetur: sine quibus similem sibi certò promittere à Deo misericordiam, magna temeritas ac præsumptio est. Est quoque minimè dubiũ, quin sine exceptione omnes admittere paratus sit Deus qui ad eum confugient; sed qui ita confugiũt vt oportet, qui nõ cum sola fide aut fiducia Caluiniana, sed qui cum fide vera Catholica, cum humili & veraci pœnitẽtia, cum flagranti charitate, cum inuocatione debita, cum peccatorũ præteritorũ acri odio, cum serio & firmo emendationis proposito, ad Deum confugiunt. Qui ita ad Deũ confugiũt, sine exceptione omnes admittere paratus est Deus: nõ quòd his positis admittere teneatur Deus, sed quia hoc diuinæ bonitati cõgruit, & hanc nobis spem diuinitus reuelatæ Scripturæ faciunt. *Nec tamen certò statuere licet* (vt loquitur Caluinus) *modò memor sit nostri, nos saluos fore:* sed certè optime sperare licet, qui ad Deũ confugiunt sicut oportet, illorũ Deum non immemorem fore, sed ad salutẽ recipere. *Nec etiam fieri potest vt eorũ obliuiscatur, qui suam ei salutem cõmendant*, modo illa cõmendatio ordine ac debitè fiat, iuxta ea quæ Deus in Scripturis ab illis exigit, qui se illi commendant, & ad eum confugiunt. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationũ vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam; & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Hoc est cõfugere ad Dominũ: hoc est suã ei salutem cõmendare: hoc est Deum sui memorẽ habere.

Trasumptio Caluiniana reÿcitur.

Modus cõfugiendi ad Deum.

Esai. 1.

Sed iocus ac ludus hæc sunt, prout huius postea imposturæ quæ dabunt. *Quòd si* (inquit) *latroni tam facilis transitus in cælum fuit, quia in vltima rerum omnium desperatione recubuit in Christi gratiam, multò magis hodie Christus mortis victor manum è solio suo nobis porriget, vt in vitæ societatem colligat.* Aduerte imposturam. *Facilis* (inquit) *illi transitus in cælum fuit, quia in vltima rerum omniũ desperatione recubuit in Christi gratiam.* Falllit lectorem impostor. Non propter hanc causam tam facilis huic latroni in cælũ transitus fuit: non quia in vltima rerum omnium desperatione, hoc est, vbi nihil in eo erat vnde veniam speraret, nulla fides, nulla pœniten

Latroni vnde tam facilis in calũ transitus.

tentia, nulla charitas (hæc enim certè vltima est hominis peccatoris despetâtio) hoc solo nomine, *quòd in Christi gratiam recubuit*, id est, hoc solo nomine quòd fiduciam salutis concipere ausus fuit, tam facilis illi in cælum transitus fuit. Imò neque propter illam fiduciam omnino tam facilis illi in cælum transitus fuit. Fuit sanè illa eius fiducia, qua in *Christi gratiam recubuit*, vna egregia dispositio, qua veniam peccatorum consequebatur; dispositio, inquam, non causa aut meritum; nisi nunc animo in diuersa mutato pœnitentiam peccatoris (cuius hæc fiducia & spes veniæ vna pars est) remissionis peccatorum causam ac meritum saltem de congruo esse, fateri Caluinus velit. Ait enim; *Quia in Christi gratiam recubuit.* Qui modus loquendi causam & rationem denotat. Sed certè hæc in latrone fiducia & spes veniæ qua in Christi gratiam recubuit, fuit vna egregia dispositio ad veniam à Christo consequendam. Sed nec fuit sola dispositio, quando fides eius planè admirabilis, confessio quoque fidei nobilissima, charitas admodum feruens & egregia, peccatorum suorum aperta professio, aliáque adhuc plura non secus eum ad hanc veniam disponebant, quàm fiducia concepta; nec ad tam facilem in cælum transitum, id est, ad talem veniã quæ paradisum ei eodem die promitteret, vlla dispositio illa erat. Nam ad veniã quidem peccatorũ & ad iustificationẽ impij disponit pœnitentia, fides, fiducia, aliæque virtutes ex speciali Dei gratia productæ: sed ad gloriæ mensuram aut gradum (qualis hic vnus erat, confestim in paradiso esse) sicuti nec ad ipsam gloriam adeundam illa disponunt, quum in huiusmodi glorificatione tota gloria sit pura gratia. Est enim vita æterna quibusdam mera gratia, qui nihil ad eam consequendam iam iustificati operari potuerunt; quibusdam verò, qui iam iustificati bona opera fecerunt, & gratia, & merces.

Latronis varia virtutes præter fiduciam.

Duobus igitur modis fallit lectorẽ Caluinus. Quòd enim in Christi gratiam hic latro recubuit, nec tam facilis in cælum transitus vlla causa fuit, nec ipsius remissionis peccatorum sola causa aut sola dispositio fuit. Quod ipsemet Caluinus ex parte nobis explicabit. Primum enim de fide huius latronis dicit. *Nescio an à mundo condito magis rarum & memorabile fidei exemplum vnquam extiterit. Nam repentè altius penetrat quàm Apostoli omnes & reliqui discipuli, in quibus docendis tantum opera consumpserat ipse Dominus.* Deinde confessionem fidei non minus admirabilem agnoscit. *Neque id modò* (inquit) *sed Christum in patibulo regem adorat,*

Latronis virtutes.

regnum eius celebrat in horrenda & plusquam deformi abiectione, moribundum pronunciat vitæ authorem. Postea patientiam ac tolerantiam eius prædicat. *Quòd autem cruciatus suos animosè negligens, imò quasi sui oblitus ad spem & desiderium occultæ vitæ rapitur, sensum humanum superat. Quare & mortificationem carnis, & patientiam, & fidei altitudinem, & spei constantiam, & pietatis ardorem ab hoc Magistro discere non pudeat.* Hæc hoc loco Caluinus ab Ambrosio priùs ac Leone Papa diligenter obseruata. Quibus adhuc adiicere licet humilem peccatorum suorum confessionem, *Nos digna factis recipimus*, honoris Christi defensionem, *Hic autem nihil mali fecit*, charitatem erga proximum (vt notauit in hunc locum Beda) qua cum fraternè corripuit dicens, *Nec tu Deum times, &c.* Propter has igitur tot ac tantas virtutes, non propter solam fiduciam qua in Christi gratiam recubuit, facilem à Christo veniam impetrauit. *Serm. 44. & 45.* *Serm. 2. de passion. Domini.*

Pergamus nunc cum Caluino. *Absurdum enim* (inquit) *esset, ex quo chirographum nobis contrarium affixit cruci, mortémque & Satanam profligauit, & in sua resurrectione triumphum egit de mundi principe, nobis non æquè facilem & promptum esse ac latroni transitum à morte in vitam. Quisquis ergo vera fide animæ suæ custodiam Christo moriens tradet, non extrahetur in longum tempus vt suspensus langueat, sed eius voto eadem, qua erga latronem vsus est, benignitate Christus occurret.* Hæc Caluiniana collectio dupliciter claudicat. Primùm, quia non sequitur: Christi nunc maior est gloria quàm in Cruce fuit, ergo par & eadem misericordia. Non enim à ratione diuinæ gloriæ, sed à ratione immensæ charitatis Dei & Christi, misericordia ortum capit. Christi autem in nos immensa charitas nunquam ardentiùs flagrauit quàm in cruce, *vbi torcular calcauit solus, & non fuit vir de gentibus cum eo*, ab omnibus derelictus, vbi preciũ redemptionis de facto persoluit; vbi victima mactata adhuc in ara stetit; vbi se totum pro nobis obtulit; vbi se maximè Patri humiliauit. In hac igitur tam ardenti flamma maiores scintillæ hinc inde euolarunt. Orat pro persecutoribus. Matrem commendat discipulo: exclamat, *Sitio*, non potum, sed salutem humanam: denique huic latroni paradisum promittit. Hîc magis sese diffudit misericordia, vbi magis exarsit charitas. Hîc mustum propinauit, qui adhuc in torculari stetit; & facilius atque vberius bibit, qui fonti proximus astitit. Denique Christi in terris beneficia gratiæ singularia, non sunt exempla, sed mi- *Caluiniana collectio dupliciter claudicat.* 1. 2. 3. 4. 5.

racula. Deinde fallit iterũ tota Caluini consecutio, nisi eadem fide, fortitudine, patientia, aliisque virtutibus animæ suæ custodiam Christo morientes tradimus, quibus suam hic latro Christo commẽdauit. Vnde sapienter Augustinus: *Antè mihi latronis fidẽ ostende, & tunc tibi latronis beatitudinẽ pollicere.*

Serm. 1. fer. 3. post Domin. Palm.

Sed nunc quò tota Caluini tendat oratio, & quos hactenus cuniculos egit, qui nunc proximè sequitur verborum fragor ostendit. *Itaq; facessat putidum illud Sophistarum cõmentum de pœna repetitione quum culpa remittitur: quia videmus vt Christus, quem reatu absoluit, simul à pœna liberet.* Huc hactenus collimauit Caluinus; ad hoc venenum tandem instillandum Christi gratiam & bonitatem hactenus prædicauit. Sed nec antegressæ orationis filum huius conclusionis telam texere potuit; nec quod nũc dicit, aliquam nouam texturam adfert: Christus latronem sic à reatu absoluit, vt à pœna liberet; ergo quoties culpa remittitur; nulla est pœnæ repetitio. Tam malè sartum hoc argumentũ est, vt eius inanitas vel puero trãspareat. A particulari cõcludit generale. Quis puer hoc vitium non videt? A fidei exemplo *tam raro ac memorabili, quale à mundo condito non extitit*, (sunt Caluini verba) ad fidem simpliciter veram, qualis in quolibet credente necessariò reperitur, argumentatur. Argumenti absurditatẽ quis non aduertit? A multis cum fide virtutibus coniunctis ad solam fidem ratiocinatur. Quàm hoc à ratione imò & à pietate procul alienum sit, quis ignorare potest? Denique ex priuilegio gratiæ in Cruce factæ, regulam communem statuit. Consequentiæ vanitatem quis tandem approbabit?

Manet pœna remissa culpa.

Caluini putidum & puerile argumentũ.

At aliquid suæ collectioni obiicere vult ipse Caluinus. Vafrè. Quasi nihil aliud obiici queat aut debeat. Atqui quæ nos iam cõtrà obiecimus, soluat qui potest Caluinista. Audiamus interea quid ipse sibi opponat, & quomodò soluat. *Nec obstat* (inquit) *quòd latro pœnam cui addictus erat, nihilominus ad extremum vsq; sustinet: quia hic nulla compensatio nobis fingenda est, quæ ad placandum Dei iudicium piaculi vice sit: (quemadmodum Sophistæ delirant) sed pœnis corporalibus simpliciter electos suos Dominus ad displicentiam & odium peccati erudit. Itaq; Christus latronem paterna disciplina ad abnegationem adductum, quasi gremio suo excipit, non ad ignem purgatorij abligat.* Latronem illâ pœna, cui addictus erat, ad placandum Dei iudicium aliquam compensationem attulisse, non improbabiliter dici potest, si illam pœnam sceleribus suis debitam (quod publicè professus est, dicens, *Nos digna factis*

factu recipimus) veluti illis iustè debitam alacriter suscepit; & in aliquam compensationem à Deo acceptari humiliter petierit. Quod vt eum fecisse plusquam probabile est, quia qui mentem fide illuminauit, animum quoque pœnitentiæ studio imbuisse(quum fides & pœnitentia pariter in Scripturis coniungantur) dubitari vix debeat; ita etsi non fecerit, nec de tali compensatione cogitauerit,tamen propter causas antedictas,ab aliis peccatoribus nullam à Deo pœnam temporalem remissis peccatis exigi nullo modo consequitur. Pœnæ autem temporalis compensationem ad placādum Dei iudicium piaculi vice persolui; non est Sophistarum delirium, vt hîc delirat Caluinus, sed est diuinarum Scripturarum & SS. Patrum luculenta & sapiens doctrina: quam diligenter explicatam,& contra omnes Caluini cauillationes solidè defensam videre licet apud Rob.Bellarminum: ne hîc frustra actum agamus. *Controuer. tom. 2. de pœnit. lib. 4. c. 8. & seqq. Item cap 14. & seqq.*

Proprium autem hoc loco Caluini delirium,quo imperito lectori nebulas offundit,paucis refutabo. Ait *pœnis corporalibus simpliciter electos suos ad displicentiam & odium peccati Dominum erudire.* Sic *latronem paterna disciplina ad sui abnegationem adductum* affirmat. Ad latronem quod attinet, non illa supplicij pœna ad sui abnegationem,sed admirabilis diuini Spiritus gratia eáque repentina & efficacissima,ad memorabilem istam conuersionem,cum tot virtutibus coniunctam,adduxit: quod ipse Caluinus hoc loco non diffitetur. *Quo(inquit) maiori admiratione digna est Spiritus S. gratia, quæ tam luculentè hic se exeruit.* Pœna quam sustinuit, non fuit paterna disciplina, qua eum Deus erudiret; sed fuit debitum sceleribus supplicium, *quo digna factis accepit.* Paterna disciplina qua Deus suos filios castigat,vt Paulus ad Heb. prolixè docet, non est pœna flagitiis debita; sed est varia pro Christi nomine & pro veritate afflictio, persecutio,bonorum rapina,iustis & credentibus propter ipsam iustitiam inflicta, propter fidei confessionem suscepta, propter veritatis & pietatis defensionem tolerata. *Satisfactionis pœna & disciplinæ paternæ differentia.* Quum enim dixisset, *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum,&c.* móxque adiecisset, *Patientia vobis necessaria est,vt Dei voluntatem facientes, reportetis promissionem*(de Dei voluntatem facientibus & multa pro pietate patientibus loquitur,non de sceleratis & flagitiosis ad odium peccati iusto supplicio erudiendis)ac deinde magnum iustorum catalogum texuisset, qui iustitiæ ac pietatis nomine *Heb. 10. 32. 36. Heb. 11.*

(non flagitiorum suorum causa, vt ad odium peccati erudi-
36. rentur) *dissecti sunt*, vt septẽ filij Machabæorũ; *ludibria & ver-*
37. *bera experti, insuper & vincula & carceres*, vt Ierem. & Mi-
chæas; *lapidati sunt*, vt Zacharias sacerdos & Naboth; *secti*
sunt, vt Esaias à Manasse Rege; *tentati sunt*, vt Ioseph & Iu-
38. dith, *in occisione gladij mortui sunt*, vt 85. sacerdotes ab impio
Saul interfecti, *circuierũt in melotis, in pellibus caprinis, egen-*
tes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, qui vi-
delicet tot his malis ac pœnis corporalibus non ad odium
peccati, sed ad virtutis ac pietatis incrementa erudiebantur,
Heb. 12. tandem ad ipsos Hebræos rediens, *Per patientiam* (inquit)
1. *curramus propositũ nobis certamen:* móxque Christi redem-
ptoris exemplo ob oculos proposito, *vt non fatigẽtur animis*
suis deficientes, quia nondum vsq; ad sanguinem restitissent ad-
uersus peccatum repugnantes, id est, contra infidelitatis & ab-
2. negationis Christi tentationes, prolixè docet, *vt nõ negligant*
3. *disciplinam Domini, quia Deus quos diligit castigat, & flagellat*
4. *omnem filium quem recipit.* Tota hæc castigatio paterna non
est eruditio ad odium peccati quod perpetrarunt, & cuius
5. nomine puniuntur, vt hic latro punitus est, sed est eruditio ad
6. odiũ peccati ne perpetretur, & vt possint aduersus peccatum
repugnare etiam vsque ad sanguinem resistẽdo. Quare totam
11. hanc doctrinã postea concludens, ait. *Omnis disciplina in præ-*
senti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea autem
fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ: id
est, iis qui per patientiã malis assueuerunt, & longa exercita-
Rom. 5. tione probati fuerunt (*tribulatio enim patientiam operatur,*
patientia probationem) fructũ duplicem adfert, primum *pa-*
catissimum, siue tranquillitatis & pacis εἰρηνικὸν, quia animo
pacato omnia tolerat, deinde iustitiæ δικαιοσύνης, quia facit
hominem iustum quatenus ea admonitus peccatum fugit,
Deóque arctius adhæret, quod aliis verbis antea dixerat, *Deũ*
nos erudire ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem
eius, εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ, id est, propter nostram
vtilitatem, vt sic eruditi participes simus eius sanctitatis quæ
in Deo est, siue vt simus sancti ac iusti pro modulo nostro,
sicut Deus est. Hæc est paterna disciplina, qua iusti, & electi, &
filij Dei exercentur, ad fugã peccati, & sanctitatis ac iustitiæ
Vicinitate incrementũ, non illa quã fingit Caluinus, qua impij & pecca-
verborum tores percutiuntur, ad displicentiã & odiũ peccati in quo sunt,
fallit Cal- vel quod perpetrarũt. Vicinitate & affinitate verborũ fallit le-
uinus. ctorẽ Caluinus. Paterna quippe Dei disciplina ad peccati odiũ
eru

erudit, ne committantur, vt Apostolus nos docuit; & eius finis est nostra sanctificatio, iustitia, corona. Disciplina & castigatio, qua Deus puni peccatores vt à peccato desistant (in quo genere dictum est, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, & postea accelerauerunt:* & rursum, *Vexatio dabit intellectum*) est quidem aliquo modo paterna, quatenus misericorditer ad emendationem prouocat; sed quia necdum tales filij sunt, non eos propriè vt pater filios castigat, sed vt dominus seruos ad officium reuocat. Castigatio autem illa, qua iam sibi reconciliatos certis adhuc pœnis Deus subiicit, non est paternæ misericordiæ, sed diuinæ iustitiæ opus, quia *vniuersæ viæ Domini* circa peccatores *misericordia & veritas.* Ideò *misericordiam & iudicium* cantat ei Propheta. Ideò vocatur, *misericors & miserator & iustus.* Ideò rursum dicitur, *Patiens & longanimis & multæ miserationis, & verax.* Sic præcedit misericordia iustitiam; & quibus præstitit Deus misericordiam, ab illis adhuc exigit iustitiam: nō quidem summam, sed neque nullam. Dimisit Deus filiis Israël orāte Moyse fœdam illam rebellionem & murmur contra Moysem & Aaron. *Dimisi* (inquit) *iuxta verbum tuum.* Tamen vide quid addat. *Attamen non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum.* Rursum atrox illud idololatriæ crimen de vitulo aureo orāte similiter Moyse dimisit Deus, ne prorsus eos à facie sua reiiceret, aut fœdus cum eo abrumperet: sed addit. *Ego in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Postquam Dauidi pœnitenti Propheta dixerat, *Transtulit Dominus peccatum tuum*; quo reparatam cū Deo amicitiam ei significauit: adiecit tamen vt iustitiæ quoque diuinæ locum adhuc esse intelligeret, in pœnam quidem adulterij, *Filius qui natus est tibi, morte morietur:* in pœnam homicidij, *Non recedet gladius à domo tua in æternum.* Sic nimirum misericors & miserator est Dominus, & iustus.

Psal. 24. *Psal. 100.* *Psal. 111.* *Exod. 34.* *Num. 14.* *Exod. 32.* *2. Reg. 12.*

Sed necdum Caluino cauillandi finis. *Notandum* (inquit) *præterea est, quibus clauibus latroni aperta fuerit regni cœlorū ianua. Neque enim hic vel Papalis confessio vel satisfactiones in rationem veniunt: sed pœnitentia & fide contentus est Christus, vt ad se venientem vltrò excipiat.* Breuiter respondeo: Neque etiam hîc vel Euangelica prædicatio, vel disciplina consistorialis, vel Baptismi susceptio, vel Cœnæ Dominicæ participatio in rationem venerunt, sed pœnitentia & fide contentus est Christus, vt ad se venientem vltro excipiat. Non videt cæcus hæreticus hoc insulso cauillo non aliter explodi quæ

Caluini putidum cauillum.

ſua ſecta in peccatoris conuerſione vel ſanctificatione adhibere ſolet, quàm quæ in Eccleſia Catholica perpetuò adhibita fuerunt. An quia Chriſtus per excellentiam vno verbo peccata remiſit Magdalenæ, paralytico, & huic latroni, idcirco in Eccleſia Chriſti omnis Sacramentorum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ vſus veluti res ridicula explodetur, vt ſola ſufficiat pœnitentia & fides coram Deo? An quia Chriſtus ſine clauibus regnum cœlorum aperuit, idcirco claues regni cœlorum à Chriſto Petro datæ in puteum proiicientur? An idcirco Eccleſia nullas claues habet? Hæc ſunt inſulſa & putida Caluini cauilla, nulla refutatione digna. Garrit tamen adhuc in hoc ſuo inſipido cauillo mirè ſibi placens. *Atque hinc* (inquit) *melius iterum confirmatur quod nuper attigi, ſi quis grauetur latronis veſtigiis inſiſtere, & præeuntem ſequi, dignum eſſe æterno exitio: quia impio faſtu ſeipſum ab aditu calorũ arcet. Et certè ſicut in latronis perſona commune obtinendæ veniæ pignus nobis omnibus Chriſtus dedit, ſic rurſum tanto miſerum illum honore dignatus eſt, vt omni propria gloria exuti, non niſi in vna Dei miſericordia gloriemur. Quòd ſi verè & ſeriò ſe quiſque noſtrûm excutiat, meritò nos pudefaciet immenſa ſcelerum noſtrorũ congeries, vt hominem perditum, qui mera gratia ſalutem adeptus eſt, ducem & anteſignanum habere minimè pigeat.* Hæc Caluinus, quibus neſcio an aliquid magis vel impium vel ſtolidum ſcribere potuerit. Vult nos latronis veſtigiis inſiſtere, & præeuntem ſequi. Quomodo verò? An vt tota vita latrocinemur, aut ſcelera ſceleribus accumulemus ſicut ille? Quídni? ait Caluinus. *Nam ſi ſeriò ſe quiſque noſtrûm excutiat, meritò nos pudefaciet immenſa ſcelerum noſtrorum congeries.* Ergo omnes etiam in Chriſto ab infantia regeneratos ſceleratam vitam ducere, & latroni iſti ſimiles eſſe Caluinus iudicat? Omnino eum ita iudicare, hæc verba conuincunt. Niſi enim ſceleratam vitam duxerint, quomodo immenſa ſcelerũ congeries vnumquemque pudefaciet, aut quomodo latronis veſtigiis inſiſtent? Sed abſit hæc tanta impietas à Chriſtianis pectoribus. Qui in adulta ætate ad Chriſtum accedunt, poterit illis fortaſſe cum Apoſtolo dici: *Hæc quidem fuiſtis, adulteri, rapaces*, &c. Sed an illud quoque contra Apoſtolum dicetur; Adhuc etiam tales eſtis? ideóque, nec abluti, nec iuſtificati, nec ſanctificati eſtis? At verò ab ineunte ætate in Chriſto regenerati ſi immenſam ſcelerum congeriem vnuſquiſque habet vnde pudefiat, quæ tandem erit inter fidelem & infidelem, Chriſtianum & Paganum diſcrepantia? Ergo omnes *ſeruiunt*

Caluinus vult omnes eſſe ſceleratos latronis exemplo.

1 *Cor.* 11.

seruiunt iniquitati ad iniquitatem, & exhibent membra sua *Rom. 6.*
seruire immunditia ad iniustitiam, nec vllus est qui exhibet membra sua *seruire iustitia in sanctificationem*, de quo iterum agere gratias Apostolus possit, & dicere, *Gratias ago Deo quòd fuistis serui peccati, nunc autem ex corde obedistis in formam doctrina in qua traditi estis.* Imò nec quando hoc dixit, iuxta Caluinum vera dixit, quia immensa scelerũ congeries vnumquemque pudefaciebat, & latronis vestigiis insistere debuerunt. Sed est hæc Caluini impia ac detestabilis doctrina, cuius *Caluini* alibi notas deprehendimus, & hîc argumentum præbet; sic ex *Epicurea* iustitia Christi imputata, & gratuita peccatorum remissione, *& execrãda doctrina.* omnes esse iustos, vt in seipsis maneant impij, scelerati, pleni immunditia, & omnibus flagitiis contaminati. Propterea quoque vult *in latronis persona cõmune obtinenda venia pignus omnibus dari:* quasi quod ille speciali priuilegio obtinuit, ab omnibus certa fide & ex communi lege expectandũ sit: vt videlicet post vitam sceleratè ac flagitiose diutissimè ductam, vnico hoc verbo, *Memento mei Domine*, salui fiant. Docet qui- *Latronis* dem hoc exemplum nõ esse de Dei miseratione vllo tempore *exemplum* desperandum. Sed aliud est, non abiicere spem, vt Dei miseri *quid docear.* cordiam quouis articulo implores; aliud & longè aliud, in quamuis diuturna impietate certam tibi ex sola inuocatione salutem polliceri: aliud non desperare, aliud præsumere: aliud in naufragij periculo tabulam arripere, aliud absque nauigio te mari committere: aliud in vrgente morbo medicum aduocare, aliud nullam sanitatis curam gerere. *Si bene memini* (ait D. Bernardus) *vnum latronem in toto Canone Scripturarum* *Serm. 38. in paruis serm.* *inuenio sic saluatum. Noli ergo huic tam periculosa expectationi te committere. Dicet aliquis in corde suo*, ait Augustinus, *Non* *Serm. 1. fer. 2. post Dom. Pal.* *me adeò contristet conscientia rea, video sub momento latroni sua crimina donata. Immittit diabolus securitatem, vt inferat perditionem.* Sed diaboli partes Caluinus hîc agit: & quod in Augustino sequitur, ex Caluini doctrina locum habuit. *Nec dinumerari possunt quantos hac inanis spei vmbra decepterit.* Innumeri quippe Caluinistæ hac fiducia Caluiniana decepti, cuius in hoc latrone commune pignus tot verbis persuasit Caluinus, in hæresi & vitæ turpitudine perierunt. Sanè vt eum meritò iudices insanire qui se quatriduo post mortem resuscitandum persuadeat, quia vnum Lazarum quatriduanũ Christus resuscitauit; ita prorsus insanus iudicandus est, qui tota vita flagitiosè ducta, id sibi certò persuadeat in immensa illa scelerum congerie, se sola fide ac fiducia sua, omnium præte-

ritorum veniam, ídque sine vllis in igne emendatorio pœnis, facilè & vnica inuocatione impetratarum, quia vni latroni similem gratiam Christus fecit. Certè non magis in latronis persona commune omnibus obtinendæ veniæ pignus est, quàm in Lazari persona commune omnibus post quatriduum resuscitandi pignus erat.

IN LVCÆ CAP. XXIIII.

39. *Videte manus meas & pedes meos, quia ego sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

CONTRA realem & corporalem in venerabili Eucharistia præsentiam valere hũc locum; multùm sibi persuasit Caluinus, persuaserunt & alij nostri temporis sectarij Sic enim scribit hoc loco Caluinus. *Quum Christus palpabile esse suum corpus pronunciet, & solidis ossibus compactum, hisque notis discernat à spiritu, scitè & verè adductus est hic locus à nostris hominibus ad refellẽdum crassum errorem de transsubstantiatione panis in corpus Christi, vel de locali corporis præsentia, quos homines præposteri in sacra Cœna fingunt.* Audiuimus propositionem Caluini. Duo ex his verbis probare vult: primùm nullã esse panis in corpus Christi transsubstantiationẽ: deinde nullam esse localem corporis Christi in sacra Cœna præsentiam. Attende an aliquod horum probet. *Nam* (inquit) *illic volunt esse Christi corpus, vbi nullum corporis signum apparet.* Si nullum in sacra Cœna corporis Christi signum apparet, & panis ille Eucharisticus verum Christi corpus non est, an non Caluinus Christi verba, *Hoc est corpus meum*, penitus & omnino inania reddit. Si enim panis ille benedictus à Christo, nec corpus eius est, nec signũ corporis, quid erit? Deinde quomodo Caluinus illa Christi verba super Matthæum exponens, affirmat, *panem, quia symbolum est corporis Christi, vocari corpus*, si nullum hîc signum corporis apparet? An non & sibi apertè contradicit, & verba Christi penitus euacuat?

Transsubstantiatio defẽditur.

Dicet aliquis Caluinista, *nullum hic corporis signum apparere*, quia non videtur vlla species corporis, & hoc Caluinum dicere voluisse, quia alio in loco conuersionẽ panis in corpus Christi, *fictitiam vocat illusionẽ, cuius nullus in terris oculus testis est.* Sed hæc nihilo melior ratio est; quia ipsa infidelitatis

Institut. lib. 4. c 17. num. 15. Caluini vox infidelis.

tis vox eſt. Non video corpus adeſſe, & ideò non credo adeſſe. Atqui Sacramentum religionis hoc eſt, & ex fide totum intelligendum; non alimentum refectionis, & ex ſenſu iudicandum. Antiqua Eccleſia hortatur vt verbis Chriſti credamus; & ſenſus iudicium fugiamus. Contrà Caluinus, ſenſus iudicium vrget, *Nullum hic apparet corporis ſignum.* Non credo quod dicitur, ſed volo ad oculum demonſtrari quod dicitur. Digna Caluino blaſphemia. Sed audiamus antiquæ Eccleſiæ voces, & infideiitati Caluinianæ vt apta veneno antidota opponamus. *Verbis Dei* (ait Chryſoſtomus) *falli non poſſumus, ſenſus verò facilè decipitur. Quoniam ergo ille dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Ipſe Dominus Ieſus* (ait Ambroſius) *teſtificatur nobis quòd corpus ſuum accipimus & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Voluit Dominus Ieſus* (ait Epiphanius) *dicere, Hoc meũ, eſt, hoc & hoc* (verbum corporis tacet myſterij celandi cauſa) *& nemo non fidem habet ſermoni. Qui enim non credit eſſe ipſum verum ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute. Quod autem audiuimus, id credimus eſſe ipſius.* Succinctius Leo Magnus. *Hoc ore ſumitur quod fide creditur: quia de veritate corporis nihil ambigitur. Cùm Chriſtus ipſe affirmet* (ait Cyrillus Hieroſolymitanus) *ac dicat de pane: Hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Hæc antiquitatis teſtimonia ad ſimplicem fidem Chriſti verbis habendam hortantur. Caluinus nō credit, ſed aliquod apparens corporis ſignum flagitat.

Corporis Chriſti præſentia credenda, non videnda.

Homil. 83. in Matth.

De Sacr. lib. 4. c. 5.

In Anchorat.

Serm. 6. de ieiunio 7. menſis.

Catech. 4.

Audiamus nunc illas voces quibus iubent iudicium à ſenſibus auocare. *Credamus Deo* (ait eadem hac de re Chryſoſtomus) *nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtra abſurdum eſſe videatur quod dicit.* Sic idem iterum & eodem loco Cyrillus. *Quamuis ſenſus tibi ſuggerit panem & vinum eſſe, tamen fides te confirmet: nec ex guſtu rem iudices.* Nec diſſimiliter Ambroſius. *Fortè dicas, Quomodo vera caro & verus ſanguis? qui ſimilitudinem video, non video ſanguinis veritatem? Dixi tibi de ſermone Chriſti, qui operatur vt poſſit mutare & conuertere genera inſtituta naturæ.* Hæc eſt veteris Eccleſiæ fides, hæ voces eorum qui fidei Chriſtianæ lumina & decus extiterunt. Fidem, non ſenſum, in tanto religionis myſterio conſulendam docent. Caluinus nouus Capharnaita non credit mutari panem in corpus, *quia nullum corporis ſignum apparet.*

Homil. 83. in Matth.

Vbi ſuprà.

De Sacrament. lib. 6. cap. 1.

Sed pergamus ad ſequentia; & quomodo illas duas aſſer-

tiones suas ex his Christi verbis probet, attentè dispiciamus. *Hoc autem* (inquit) *modo sequetur naturam suam mutasse, vt esse desierit quod erat, & vnde ab ipso Christo probatur verum esse corpus*. Existimat, posita vera panis in corpus Christi trãssubstantiatione, naturam corporis Christi esse mutatam, vt iam desinat esse corpus palpabile & visibile, ex quibus conditionibus probauit hoc loco suum verum corpus adesse. Sed non attendit, Christum ex huiusmodi conditionibus probasse suum corpus adesse, quia voluit illud visibile exhibere, & præsentiam ocularem probare, ad resurrectionis suæ veræque resuscitatæ carnis fidem faciendam; in Sacramẽto autem idem Christi corpus adesse, tanquam in Sacramento, tanquam in mysterio, & sub aliena specie non propria; nec vt videatur ac palpetur, sed vt accipiatur ac manducetur; nec in fidem resurrectionis factæ, sed in alimentum spirituale, ac religionis vsum: ad quæ omnia nec palpari nec videri aut opus est, aut conuenit. Rursum non attendit verum ac naturale corpus tum palpabile tum visibile ex sua natura esse, quando de facto præsens nec palpari nec videri à præsentibus potest, diuina aliqua virtute impediente ne illa potentia reducatur in actum. Nónne Elizeus palpabilis ac visibilis erat, quando totus exercitus Regis Syriæ cæcitate percussus (non omnimoda, vt nihil viderent, sed certa quadam & singulari vt eum non viderent) ab eo in mediam Samariam duceretur? Nónne equi illi & currus ignei in circuitu Elizei, quos puer eius ad tempus videre non potuit, visibiles tamen ex se & palpabiles erant? Quum eidem *Eliseo Elias diceret: Si videris me quando tollar à te, fiet tibi quod postulasti*, bene sciebat se natura visibilem, suo tamẽ discipulo potuisse fieri inuisibilem, non ex nimia loci distantia, aut ex discipuli cæcitate, sed ex supernaturali aliquo impedimento. Et vt de Christi corpore loquamur (cui cum diuina natura hypostaticè coniuncta esset, multa ab illo non humanè, sed diuinè & præter corporum naturam facta esse mirari non debemus, sed credere) quando cum duobus discipulis euntibus in Emaus ambulabat & sermones conferebat incognitus (quia *tenebantur oculi eorum ne cognoscerent eum*) tametsi ab illis non videbatur, propterea non erat visibilis? Rursum quando Christus volentibus eum interficere Iudæis, *transiens ibat per medium eorum*, nec ab illis palpatus nec visus, an propterea illo tempore mutata corporis eius natura fuit, vt nec palpabilis nec visibilis esset? Denique quũ Paulo in via Christus apparuit, ille solus Christum

Corpus palpabile est, quod aliquãdo palpari non potest.

4. *Reg.* 6.

Ibidem.

4. *Reg.* 2.

Luc. 24.

Luc. 4.

ſtum vidit, alij omnes, qui cum Paulo erant, *vocem quidem audiuerunt, neminem autem viderunt*: an propterea viſibilis Chriſtus non erat, quia à quibuſdam non videbatur? Friuolum igitur eſt Caluini argumentum: Chriſti corpus in ſacra Cœna nec palpatur nec videtur; ergo naturam ſuam mutauit, vt non ſit amplius palpabile ac viſibile, vnde verum adfuiſſe corpus diſcipulis ſuis probauit. *Act. 9.*

Videamus reliqua, *Si contrà excipiant: latus tunc fuiſſe confixum, pedes clauorum vulneribus fuiſſe perforatos, atque etiã manus, nunc autem illæſum & integrum in cælo eſſe Chriſtum, facilè diſcutitur hoc cauillum. Neque enim hoc tantùm agitur quali habitu apparuerit, ſed quid teſtetur de vera carnis ſuæ natura. Hoc autem tanquam proprium illi tribuit, palpabilem eſſe, vt à ſpiritu differat. Ergo hodie quoque diſcrimen iſtud carnis à ſpiritu manere neceſſe eſt: quod perpetuum eſſe, ex Chriſti verbis ſtatuere licet.* Cauillator ineptus ac futilis obiectionem fingit ac format quam vix puer obiiceret aut formaret. Nos verò contra Caluinum & ſuos illos omnes, quorum in hac re conſentientem ſententiam profert, non illud nugamentum excipimus, ſed illa duo quæ iam diximus: ac maximè poſterius illud quod ex Scripturis oſtendimus, eſſe aliquod corpus natura ſua palpabile ac viſibile, quod tamen aliquando nec palpari nec videri poteſt, non propter impedimentum aliquod naturale ex parte palpantis aut videntis, ſed ex diuina aliqua virtute & cauſa. Non magis igitur naturæ carnis Chriſti repugnat, quòd in venerabili Sacramento nec videatur nec palpetur, aut citra miraculum palpari ac videri nequeat, quàm eidem naturæ repugnauit, tam à Iudæis quàm à diſcipulis ſuis interdum, nec videri nec palpari potuiſſe. Et ſicut in illis exemplis manſit natura corporis Chriſti integra, vt ex ſua natura palpabile ac viſibile eſſet, tametſi nec videri nec palpari tunc potuit: eodem modo in ſacra Cœna manet natura corporis Chriſti integra, vt ex ſua natura palpabile ac viſibile ſit, tametſi quia ſub Sacramento adeſt, nec eum in viſibili ſpecie palpari conuenit, nec videri nec palpari poſſit. Ex duabus igitur propoſitionibus ſuis, neutram probauit. Vnam probare conatus in probatione defecit. Alteram de locali præſentia nec attigit quidem. Ita videlicet *ſcitè ac verè à ſuis hominibus hunc locum adductum* iactitat Caluinus, id eſt, inſulsè prorſus & falsò. Nam & de locali præſentia id breuiter dico, naturam corporis intrinſecam id non requirere vt ſemper ſit in loco, tametſi ſit locabile (vt ſic dicam) & *Caluini artes.*

in

in loco esse aptum natum. Quum enim causa formalis ab effectu suo separari possit (etsi effectus à causa non separetur, quia prior illa est, posterior iste) ipsius autem esse in loco, siue de facto extendi in loco, causę formalis est, in seipso esse extensum & posse extendi in loco; profectò non magis absurdum est corpus natura extensum, de facto non extendi in loco, quàm absurdum est causam separari à suo effectu; aut (quod modò ex Scripturis ostendimus) corpus esse palpabile & non palpari, visibile & non videri. Sic igitur Christi corpus naturale tametsi sit natura sua extensum, non est tamen necesse vt vbicunque est, ibi quoque per modum extensi corporis & in loco localiter adsit. Quanquam Christus ad distinctionem spiritus & corporis humani, non ponit loci mensuram, sed carnem & ossa. Sed hac de re accuratiùs disserendi hîc locus ac tempus non est. Legat studiosus lector hac de
Cap. 4. re Claudium de Sainctes in opere Eucharistico, Repetit. 4. &
Cap. 7. Rob. Bellarminum tom. 2. Controuers. lib. 3.

Antidotorum in Euangelium
D. Lucæ

F I N I S.

LVGDVNI,
EX TYPOGRAPHIA
Hæredum Petri Roussin.

CIↃ. IↃ. XCV.

ANTIDOTORVM EVANGELICORVM

D. THOMÆ STAPLETONI,
S. THEOL. DOCTORIS,
& in Academia Louanienſi
S. Script. Profeſſoris
Regij,

PARS ALTERA.

In Sacroſanctum Euangelium ſecundùm Ioannem.

LVGDVNI,
Sumptibus CLAVDII CHAPPELLET Bibliopolæ
Pariſienſis, via Iacobæa, ſub ſigno Vnicornis.

CIↃ. IↃ. XCV.

IN SACROSANCTVM EVANGELIVM SECVNDVM IOAN.

IN CAP. I.

Vers. I. *In principio erat Verbum.*

Aeternitas filij Dei.

AETERNITAS Verbi Dei docetur, quia antequam aliquid esse inciperet, hoc Verbum erat. Quod autem ante omne tempus est, illud æternum est. Sic Basil. homil. in hæc verba, & Chrysost. homil. 2. in hunc locum, & Aug. de Trin. lib. 6. cap. 2. & Ambros. lib. 1. de fide cap. 5. Legunt hodie omnes hæretici, Erasmum sequuti, *In principio erat sermo.* Sed August. tract. 1. in Ioan. Ambros. lib. 1. de fide cap. 5. Hilar. lib. 1. de Trinit. legunt, *verbum.* Legunt quidem & alij Latini Patres, *In principio erat sermo*, aut *ratio*, vt Tertull. in Apolog. cap. 21. & aduersus Praxeam, Cypr. lib. 2. contra Iudæos cap. 3. & 6. & idem Hilar. lib. 2. de Trinit. Sed verbi nomen multo conuenientius est propter tria. 1. quia sermo quandam compositionem notat, verbum simplicitatem, quæ Dei locutioni magis conuenit. 2. quia verbum est conceptus mentis, & similitudo rei intellectæ, sicut verbum Patris est imago eius perfectissima: sermo est ipsius conceptus dilatatio. 3. quia verborum multitudo oritur ex imperfectione vel audientium vel loquentium, ideo locutioni diuinæ magis conuenit Verbum quàm Sermo.

Filius Dei verbum.

Superbus Caluinus ita in hunc locum garrit. *Miror quid Latinos mouerit vt λόγον transferrent verbum. Sic enim vertendum potius fuisset ῥῆμα.* Sed homo proteruus aduertere noluit, τὸν λόγον in Scripturis

Vetus trãslatio defenditur.

non secus vsitatè & propriè simplex verbum significare
1. Cor. 14. quàm τὸ ῥῆμα. Apud Paulum, *Volo quinque verba loqui in sensu meo*, πέντε λόγους: & in toto Euangelio, vbi de verbo Christi, vel verbo Dei fit sermo, vox λόγος ponitur. *Tantùm*
Matth. 8. Luc. 7. *dic verbo, & sanabitur puer meus: Eiecit dæmonia verbo:*
Luc. 12. *Qui dixerit verbum contra filium hominis:* aliísque in locis innumeris. Sed & vox ῥῆμα non secus pro toto sermone
Matt. 26. & Mar. 14. quam pro simplici verbo accipitur. *Meminit Petrus verbi Iesu quod dixerat, Priusquam gallus cantet,* &c. ἐμνήσθη τοῦ ῥήματος. In verbo tuo laxabo rete, ἐπὶ τῷ ῥήματί σου. Sic pas-
Luc. 5. Luc. 9. Luc. 18. sionis Christi prædictionem quum necdum intelligerent discipuli, ait Lucas, *Ipsi ignorabant verbum hoc*, ἠγνόουν τὸ ῥῆμα τοῦτο: & iterum, *Et erat verbum hoc absconditum ab oculis eorum*, καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον. Plurima & frequentia sunt huius rei exempla. Sanè nè quisquam dubitaret τὸν λόγον καὶ τὸ ῥῆμα promiscuè & pro eodem accipi, & vtrunque tam sermonem compositum quàm simplex verbum denotare,
Ioan. 17. ver. 8. & ver. 14. D. Ioannes Græcè scribens eodem in capite de re eadem loquens vtroque verbo vtitur. *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis*, τὰ ῥήματα ἃ δέδωκάς μοι. & paulò pòst: *Ego dedi eis sermonem tuum*, ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σου. Caluinus igitur perinde ac si solis pueris scriberet, vocabulorum ignaris, ita in rebus grauissimis lectores suos ludificat. Sequitur adhuc maior hominis impudentia. *Verùm vt demus aliquid probabile sequutos esse, negari tamen non potest quin Sermo longè melius conueniat. Vnde apparet quàm barbaram tyrannidem exercuerint theologastri, qui Erasmum adeo turbulentè vexarunt ob mutatam in melius vocem vnam.* Hæc ille. Sed hinc verè apparet quàm barbaram insolentiam exerceat Caluinus, qui ex simplici sua affirmatione, nec vel minima reddita ratione, cur mutari illa vox debuerit, tam citò, tam fortiter, tam insolenter concludit, & studium sacræ veritatis tyrannidem, doctissimos theologos theologastros, impostor vocat. Nos verò rationes suprà adduximus cur Verbum hoc loco melius conueniat quàm Sermo. Nec sine firmis & bonis rationibus in propositione longè diuinissima mutari quicquam debuit.

Beza noua versio reÿcitur. Erasmi audaciam à Caluino approbatam sibi quoque licere existimans Beza, nec *verbum*, nec *sermonem*, sed *promissum Dei* vertendum putat. De qua vanitate multum disserere, alia vanitas foret. Fingit Ioannem pro voce Chaldaica מימרא λόγον hoc loco posuisse: vocem autem illam Chal-

daicam

daicam pro יחוה sæpissime positam, promissum à Deo semen seu Messiam significare. Cæterum in Ioanne Syro, non illa vox legitur, sed מלתא, quæ semper in nouo testamento respondet verbo λόγος. Ita dum aliquid singulariter sapere Beza vult, non nisi suam prodit insipientiam, ne dicam impietatem: quia non in principio erat Messias aut semen illud promissum, quod post multa secula in plenitudine temporis venit, sed in principio erat ὁ λόγος, verbum Patris. Sed & ipsa seminis promissio non fuit in principio, Gen.3.15. sed post hominis lapsum. Cur autem Ioannes potius dixit, *Verbum* quàm *Filius*, 4. causas assignat Basilius. Prima est, vt filium Dei ex mente Patris productum intelligamus, & hæc est præcipua & propria: quam etiam assignat Cyrillus Thesaur.lib.7. cap.1.& Gregor.Nazianz.orat.4. Theolog. & August.de Trinit.lib.7.cap.1. Secunda causa est, vt significetur filium Dei sine motu processisse. Tertia, quia imago est genitoris totum in se monstrans genitorem, sicut verbum nostrum totius cogitationis nostræ imaginem refert. Quarta est, vt consubstantialis Patri ostendatur. Verbum enim interius loquens (de quo hic agitur) manet intra ipsam mentem producentem.

1. *Et verbum erat apud Deum.*

QVINQVE admirabilia hæc breuissima sententia notat. Primò non fuisse Verbum transiens, sed cum Deo permanens: erat enim ab æterno apud Deum. Sic notat S. Hilar. lib 2. de Trinit. Secundò quòd hoc verbũ erat intra Dei substantiam, & ipsamet eius natura. Nihil enim apud Deum & Deo coæternum quod non ipse sit Deus. Sic Epiphan. colligit hær. 93. Tertiò quòd sit distincta persona. Nemo enim rectè apud se esse dicitur. Declarat hoc pulchre D.Basil. in homilia *Homil 16.* super hæc verba. Quartò quòd à Deo hoc verbũ processerit, non ab Angelo aut vlla creatura. Declarat hoc Tertull. in lib. aduersus Praxeam. *Etsi* (inquit) *Deus verbum, tamen non Deus apud verbum, sed verbum apud Deum: quia ex Deo Deus, & ex Patre Filius.* Vbi & noua Caluini hæresis refellitur, qui Filium, *quatenus Deus est, ex seipso esse*, sublato personæ respe- *Institut. lib 1. c. 13. num. 25.* ctu, erranter affirmat. Quintò æqualitas verbi cum Deo demonstratur, vt docet Gregor. Nyssenus homil. de fide; *Apud Deum* significat quòd nihil desit Filio in comparatione Patris. Si enim aliqua perfectio verbo deesset, non verè diceretur esse apud Deum.

1. *Et Deus erat Verbum.*

EST conuersa locutio: Et hoc verbum erat Deus. Ita verbi diuinitas propria & naturalis cõtra Arianos manifestè asseritur. Vide August. de doctrina Christiana lib. 1. cap. 2. Pulchre Ambrosius ex tribus his sententiis tres pestilentissimas hæreses refutari docuit. *Omnes* (inquit) *hæreses hoc capitulo breui piscator noster exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio preuenitur: ergo conticescat Arius. Quod autem erat apud Deum, non commistione confunditur, sed manentis verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, vt Sabellius obmutescat. Et Deus erat verbum. Non ergo in prolatione sermonis hoc verbum est, sed in illa cælestis designatione virtutis, vt confutetur Fotinus.*

Lib. 1. de fide cap. 5.

9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

DVplex hîc difficultas est: vna quæ sit lux vera, altera quę hîc illuminatio & qualis intelligatur. Lucis veræ nomine alij Deum Patrem intelligunt, vt Ambros. de fide contra Arian. cap. 3. alij de Filio seu Verbo. vt Athan. in orat. quòd Deus ex Deo est verbũ; Gregor. Nazianz. in orat. de fide; Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 8. Chrysost. homil. 6. in Ioan. alij totam Trinitatem, vt idem Nazianz. in orat. 5. de Theologia. Secunda expositio est iuxta literam, cùm citra vllum dubium de eadem luce hæc verba dicantur cui Ioan. testimonium perhibuit. Illuminatio intelligenda est non naturalis, sed supernaturalis, quæ fidei est, vt August. tract. 2. & Chrysost. homil. 7. in hunc locum exponunt. Lux enim, quam filius Dei incarnatus attulit, est illa, quæ ad redemptionem nostram pertinet, de qua infrà dicet, *Ego sum lux mundi*, cap. 3. & 12. & *quam tenebræ non comprehenderunt*, id est, quam increduli non receperunt, quum lux naturalis rationis ab omnibus comprehendatur. Ergo filius Dei incarnatus omnes per gratiam illuminat, & omnibus lucet, quantum ex se est, vt in hunc locum Chrysost. quem sequitur D. Thom. lib 3. cap. 159. contra Gentes, & D. August. tradit in lib ad articulos falsò sibi impositos art. 1. & de Gen. contra Manich. lib. 1. cap. 3. & Retract. lib. 1. c. 10, & post eum Prosper de vocat. Gent. lib. 2. cap. 24. & 26. Caluinus, quum fateatur lucis nomine Christum intelligi, illuminationem tamen *non nisi de communi naturæ luce, qua longè infra*

Lux vera quæ sit.

Illuminatio quæ.

infra fidem subsidit, intelligi vult: & eos qui ad illuminationis gratiam hæc verba accõmodant, *fanaticos* vocat, homo ipse fanaticus, & apertæ textus consequentiæ arroganter reluctans. Nec quia hanc illuminationis gratiam omnibus æqualiter offerri quidam erranter docuerũt, propterea omnibus illam pro loco & tempore dari negare necesse est; quum hoc ipsa Euangelistæ verba clarè affirmare videantur, illud in Euangelistæ verbis aut in aliis Scripturis nusquam appareat.

12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt, &c.*

MAgnum negotium hæc verba Interpretibus dederunt, adeò vt decem variæ expositiones huius loci legantur. Duæ tamen primariæ sunt, quæ quasi pro victoria concertãt. Vna eorũ est, qui potestatem hoc loco nihil nisi dignitatem & præstantiam significare oportere acerrimè contendunt: *Potestas fieri filios Dei quid significat.*
altera eorum qui potestatem pro libera facultate & potentia à Deo data exponunt. Prior placet Cornelio Iansenio, & eam acerrimè tuentur Caluinus & Beza hoc loco, freti Græco vocabulo ἐξουσίαν, quod dignitatem & præstantiam in Scripturis frequẽter significat. Cæterùm aduertere ijdem debebant, eodem vocabulo potestatem propriè dictam, id est, liberam facultatem & potentiam aliquid agendi, non minus frequenter significari. Dedit eis potestatem super spiritus immundos, id *Matth. 9. & 10.*
est, facultatem eiiciendi ea. δύναμιν καὶ ἐξουσίαν κατὰ πνευμάτων. *Dedit seruis suis potestatem cuiusque operis*: id est, liberam *Luc. 9. Mar. 13. 34.*
potestatem quodlibet opus faciendi: τὴν ἐξουσίαν παντὸς ἔργου. Dedi vobis potestatem calcandi super serpẽtes, ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν. Et apud ipsum postea Ioannem, ἐξουσίαν ἔχω, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Quis negabit potestatis vocabulo liberam hîc in Christo facultatem designari? Rursum: *Nõ est vestrum nosse tempora & momenta, quæ posuit Pater in sua potestate*, ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ: id est, in sua libera dispositione. Et iterum: *Nónne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate?* ἐν σῇ ἐξουσίᾳ ὑπῆρχε; id est, in tua libera dispositione? Et apud Paulum. *Non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in contumeliam, aliud in honorem?* οὐκ ἔχει ἐξουσίαν. Rursum. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, &c.* ἐξουσίαν δ' ἔχει τοῦ ἰδίου θελήματος. Et paulò pòst. *Videte ne hæc licentia*

(Margin: *Luc. 10.* — *Ioan. 10.* — *Act. 1.* — *Act. 5.* — *Rom 9.* — *1. Cor. 7. 37.* — *1. Cor 8: 9.*)

vestra, ἡ ἐξουσία ὑμῶν, *offendiculum fiat infirmis.* Quis dubitare potest, his omnibus in locis vocabulum, ἐξουσία, pro libera facultate & potentia accipi? Imò apud authores prophanos ἐξουσία propriè licentiam & nimiam libertatem denotat, vnde αὐτεξούσιος. Chrysostomus igitur Doctor Græcus, vocabuli Græci proprietatem assecutus, ita in hunc locum scribit. *Declarare voluit Euangelista, fidei gratiam non temere neque sine labore nostro in nos infundi, sed quum ipsi volumus, cùm eam inquirimus. In nostra enim potestate est, filios Dei fieri. Quippe nisi primùm ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quicquam in nobis operatur. Vbique igitur non violentum, non coactum, sed voluntarium penitus & liberum nobis ostendit arbitrium, quod & hoc loco significauit. In ipsis enim arcanis & supernis bonis, Dei quidem est dare gratiam, hominis autem fidem exhibere seu consentire.* Eandem credendi libertatem nō naturalem sed diuinitus datam ex his verbis docet S. Augustinus. *In potestate* (inquit) *hominis est mutare voluntatem suam in melius. Sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dictum est, Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Rursum alio in loco. *Datur potestas vt filij Dei fiant qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur vt credant in eum. Quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla potest esse à libero arbitrio, quia liberum in bono non erit quod liberator non liberauerit.* Hæc ille. Sic in lib. de Spiritu & lit. cap. 30. & seq. probat fidē esse in potestate hominis, *quia hanc potestatem Deus dedit.* Intelligit ergo D. Ioannes potestatem dari qua fiant filij Dei, quia datur gratia & libera facultas, vnde ex filiis iræ fiant filij Dei.

Homil. 9. in Ioan.

Retractat. lib. 1. c. 12.

Contra 2. Epistol. Pelag. lib. 1. cap. 3.

Sed huic sensui valde repugnare videtur quòd dicat Euangelista, illis qui iam receperūt Christum, datam hanc à Christo potestatem esse vt fiant filij Dei: & postea, *his qui credunt in nomine eius.* Ad quæ verba Caluinus. *Potestatem* (inquit) *dari Euangelista pronuntiat iis qui iam credunt. Atqui certum est reipsa iam esse filios Dei qui credunt. Non ergo potentiam aliquam aut facultatem, sed præstantiam & dignitatem potestas hoc loco significat.* Sed satisfacit aliquo modo huic difficultati D. Thom. in com. in hunc locum, qui Augustinum sequutus, exponit potestatem dari recipientibus Christum & credentibus in eum, non postquam receperūt & crediderunt, sed antequam eum receperunt & crediderunt, vt illa verba, Quotquot receperunt eum, &, Qui credunt in nomine eius, datæ potestatis fieri filios Dei non subiectum, sed effectum significent

gnifi

gnificent. Datam enim potestatem significat vt recipiendi Christum & credendi fiant filij Dei, quia filiationis huius adoptiuæ principium fides est, sicuti eius perfectio charitas est. Atqui vt illa eadem verba pro subiecto potestatis datæ accipiamus, & iam credentibus in Christum hanc potestatem datam intelligamus, potestas nihilominus hoc loco facultatem quandam & potentiam significabit, quam iam credentes accipiant vt fiant filij Dei. Nempe vt fiant filij Dei perfecti quoad omnem cultum & obsequium Deo præstandum. Quem sensum pulchre tradit S. Augustinus his verbis. *Huc transeant qui ex lege sunt, vt ex seruis filij fiant: nec sic tamen vt serui esse desistant, sed vt tanquam filij Domino & Patri liberaliter seruiant, quia & hoc acceperunt. Dedit enim potestatem ille vnicus filios Dei fieri credentibus in nomine eius.* Hæc ille. Hic sensus sublimis est, & valde genuinus ac germanus videtur, & aliquid propriũ credentibus in filium Dei iam incarnatum designat, quod hoc loco docere voluisse Euangelista videtur. Tametsi enim veteres iusti credentes in Christum venturum, & ex Dei gratia legem seruantes, filij Dei indubiè erant, tamen non habebant statum filiorum Dei. Adhuc *paruuli erant, & sub tutore ac pædagogo* (vt Paulus ad Gal. 4. docet) sub ceremoniis legalibus, & in statu hominum, ex timore seruientium. Hæredes quidem erãt & domini omnium, sicut filij noui testamenti; non tamen habebant statum filiorum Dei, statum libertatis, sed statum seruitutis & paruulorum. Nunc autem quotquot recipiunt verbum incarnatum, & credunt in nomine eius, *transeunt à lege*, vt docuit August. non sunt amplius serui, sed filij, statum libertatis, statum filiorum Dei acceperunt. Ideo subiunxit Ioan. *Qui ex Deo nati sunt*, quod mox cap. 3. latius explicabitur. Quam distinctionem iterum Paulus docuit, dicens. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater* id est, in quo facti filij Dei, Deum & Patrem inuocamus, eique liberaliter seruimus. Hæc est potestas & facultas eximia credentibus in Christum data, quæ quidem magna præstantia ac dignitas est, vt docet S. Greg. homil. 6. in Ezech. sed est etiam facultas & potentia gratiæ singularis, ipsius imprimis charitatis, qua accepta fiunt credentes filij Dei: de qua alibi idem Ioannes dixit. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.*

De Spir. & lit. c. 31.

Habere statum filiorũ Dei, proprium potestati à Christo data.

Rom. 8.

1. Ioan. 3.

Quibus ita explicatis, Caluini petulantia facilè retun-

ditur. ἐξουσίαν *hoc loco* (inquit) *præstat dignitatem vertere, ad refellendum Papistarum commentum. Hunc enim locum pessimè corrumpũt, quia intelligunt optionem tantùm nobis dari, siquidem hoc beneficio vti libuerit. Ita liberum arbitriũ ex hac voce tanquã ignem ex aqua eliciunt. Habet hoc prima specie aliquid coloris, quòd Euãgelista non dicat Christum facere filios Dei sed dare potestatẽ vt fiant. Hinc ergo colligunt, nobis gratiam hanc solùm offerri in arbitrio nostro esse eius fruẽda vel respuẽda facultatem.* Hæc ille. Cui primùm respondemus, si Euãgelistæ verba aliquid coloris habent ad probãdum liberum arbitriũ, insulsa fuit illa amplificatio ex verbis Euangelistæ liberũ arbitrium tanquam ignem ex aqua nos elicere. Quid enim hoc coloris habet, quod ex aqua ignis elici queat? Vbi ergo nõ aperta contradictio, sed tanta probabilitas apparuit, vt ipsam probabilitatem aduersarius ipse proximis verbis agnosceret; magni impostoris erat apertam contradictionem proclamare. Deinde respondemus, non Papistarum commentum aut corruptelam, sed doctissimorum Patrum, quorum verba citauimus, acerrimũ iudicium esse, ex his Euãgelistæ verbis liberũ arbitrium stabiliri. Tertiò respondemus mentiri Caluinum quum ait intelligere nos, *optionem tantùm nobis dari, si beneficio gratiæ vti libuerit.* Dicimus enim cum Euangelista, potestatem & facultatem nobis à Deo dari qua velimus fieri filij Dei; ipsúmque adeò velle, & libertimè velle, per hanc potestatem nobis conferri. *Hanc dicimus potestatem* (ait Augustinus loco citato) *vbi voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* Hæc ille, móxque probat, ipsum credere seu *fidem habere, & fieri filios Dei, in nostra potestate esse, quia hanc potestatem Deus nobis dedit,* vt ex his Euangelistæ verbis probat. Potestatem ergo intelligimus non optionem tantùm si volumus, sed efficaciam vt velimus: quæ volendi efficacia, volendi libertatem non tollit sed statuit, non impellit sed adiuuat. Talis quippe efficacia est, vt si volumus facimus, si non volumus non facimus, id est, vt libera electione faciamus. Audiamus nunc tamen quomodo quod hactenus affirmauit Caluinus, probet. *Sed hoc* (inquit) *friuolum vnius vocis aucupium contextus euertit. Nam continuò pòst subijcit Euangelista fieri Dei filios non propria carnis volũtate, sed quum ex Deo nascuntur.* Quasi verò liberũ arbitrium Dei gratia adiutum, sit carnis voluntas, aut electio carnalis, & non electio planè spiritualis, quæ à Spiritu Dei ortum capit, aut

Caluini petulantia retũditur.

De Spirit. & lit. c. 30.

aut quasi facultas liberi arbitrij quæ hîc statuitur, sit facultas carnis, & non *potestas à Deo data*, vt contextus habet. Ita in media luce lectoris sui oculos fascinare se posse cōfidit Caluinus. Videamus sequentia. *Quòd si fides nos regenerat vt simus filij Dei, & eam cælitus inspirat Deus; apertè constat non potentialiter tantùm à Christo nobis offerri adoptionis gratiam, sed ipso actu, vt loquuntur.* Hæc ille. Non fides nos regenerat, vt simus filij Dei, sed Deus per fidem vt regenerationis principium nos regenerat, vt simus per charitatē filij Dei, & hāc quidem fidem Deus inspirat; *Dei enim donū est, non ex nobis;* Ephes. 2. sed sic inspirat, vt nisi volentes non credant, ideóque in potestate hominis sit accepto fidei dono credere vel non credere. *Vide* (ait Augustinus) *vtrùm quisque credat si noluerit, aut non credat si voluerit. Quod si absurdum est (quid est enim* De Spirit. *credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem* & litera *vtique volentis est) profectò fides in potestate est. Sed non est po-* cap. 10. *testas nisi à Deo. De ipsa igitur fide verè dicitur, Quid habes quod non accepisti? Nam vt credamus, Deus dedit. Nusquam autem legimus in sanctis Scripturis, Non est voluntas nisi à Deo. Et rectè non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo. Vnde intelligimus malos accipere potestatem malefaciendi ad damnationem malæ voluntatis suæ, bonos autem accipere potestatem credendi ad probationem bonæ volūtatis suæ.* Hæc Augustinus. Sic ergo fides cælitus inspiratur, vt quam- *Liberum* uis ex dono Dei actu credamus, hoc tamen donum potentia- *arbitrium* litati non repugnet, nec liberam credendi & nō credendi po- *cum Dei* testatem auferat, sed contrà hanc nobis potestatem tribuat, *gratia.* vt liberè credamus. Vtrumque vidit & docuit Augustinus: Deum facere vt credamus, & ipsum actu credere à Deo esse. Hoc tamen Dei opus in nobis potestatem credendi liberam à nobis non tollere, sed contrà hoc Dei opus hanc liberam credendi potestatem nobis conferre. Sicut Pelagius dicebat, Epist. 107. *Si est Dei gratia, non est liberum arbitrium;* sic è diuerso Caluinus censet, *Si est liberum arbitrium, non est Dei gratia.* Vtrumque contra Pelagiū docuit S. Augustinus. Vtrumque contra Caluinum, omnésque alios hæreticos, docet Ecclesia Catholica. Dei gratia facit vt credamus, quia adiuuat vt credamus; nec sine adiutorio gratiæ possumus credere. Lux facit vt videamus, quia adiuuat visum; & sine præsentia lucis oculus non videt. Oculus tamen seipsum claudere potest vt non videat; & licet potestatem videndi imò & actum

ipsum

Vide D. Bernardũ in tract. de gra. & lib. arbitrio.

ipſum à luce accepit,tamen poteſtatem non videndi nõ amiſit. Sed ſicut ad actum videndi duo concurrunt,lux affulgens & oculi apertio, idque ita vt totus ille actus tum luci tum oculo tribuatur,nec partim lux partim oculus faciat videre, ſed vtrumque coniunctim; ſic ad actum credendi duo concurrunt,Dei gratia illuminans,excitans,& pulſans ad oſtium cordis,& ipſum cor per illam gratiam adiutum ſeipſum aperiens,idque ita vt actus ille credendi totus ſit ex gratia,& totus ex libertate cordis ſeipſum mouentis & aperientis. Quam ob cauſam hanc Dei gratiam, poteſtatem hoc loco & facultatem quandam ſupernaturalem homini datam ἐξουσίαν καὶ δύναμιν Euangeliſta appellat: & fruſtrà Caluinus proprium vocabuli ſenſum inuertere conatus eſt.

14. *Verbum caro factum eſt.*

Sex hæreſes refutata.

VAriæ hæreſes hac parua ſententia refutantur, ſed ſex imprimis. Prima Cerinthi,& eorum qui purum hominem Chriſtum ponunt,nec ante exiſtentem quàm natus eſſet ex virgine. De Chriſto enim dicitur. Verbum quod erat apud Deum in principio,homo factus eſt. Non ergo purus homo, ſed Deus & homo Chriſtus erat. Secunda Neſtorij,qui duas perſonas in Chriſto poſuit. Si enim duę perſonę ſunt in Chriſto,fieri non poteſt vt homo ſit Deus aut Deus ſit homo; ſicut vna perſona non poteſt prædicari de altera:& ſic verè nõ diceretur verbum factum eſſe carnem. Tertia Manichæorũ, qui veram in Chriſto carnem negauerunt. Si enim non fuit in Chriſto vera caro: ſed apparens & ficta, falſum erit, *Verbum caro factum eſt.* Quarta Eunomij & aliorum quorũdam, qui voluerunt hoc loco verbũ impropriè accipi pro eo quod Deus per alium loquitur, non pro eo per quod Deus intelligit,ſibíque internè loquitur. Sed ſic dicendum erat, Verbum factum eſt ad carnem vel carni,& non, Verbum caro factum eſt,vt argumentatur Ambroſ. lib. de Incarnat. Domini cap. 6. Quinta, hæreſis Valentini,qui corpus Chriſti ſubſtantiæ cæleſtis fuiſſe aiebat: quam hæreſim,vox illa, Caro, apertè refutat. Sexta Eutychetis,qui poſt vnionem niſi vnam in Chriſto naturam ponebat. Sed vox *factum eſt*, vnionem ſignat duarum naturarum quæ integræ manent. Niſi enim eſſent integræ,nec verbum erit caro,nec caro verbum.

Variæ hæreſes ex praua intelligẽtia.

Rurſum ex horũm verborum praua intelligẽtia quædam inſignes hæreſes exortæ ſunt. Arius aſſerebat verbũ carnem

ſolam

ſolam aſſumpſiſſe, non animam; quia dicitur, *Verbum caro* 1.
factum eſt, & non, Verbum homo factus eſt. Sed carnem pro toto homine ſynecdochiκῶς accipi more Scripturarum, & alibi animam humanam Chriſtum habuiſſe, vt Ioan.10.& 12. & Matth.27. patet; nec fieri poſſe quin qui ad naturam noſtram ſanandam venit, animam imprimis, quæ maximè indigebat ſanitate, aſſumeret, Doctores reſpondent. Apollinaris 2.
aiebat verbum aſſumpſiſſe animam tantùm ſenſitiuam, quæ carni eſt propria; non autem rationalem, quam aiebat à diuinitate ſuppleri. Sed eiſdem Scripturis refutatur quibus Arius; & hoc maximè argumento vterque, quia ſecundum illos Chriſtus non fuiſſet homo. Cur igitur non dixit, Verbum homo factum eſt, ſed, Verbum caro factum eſt? Tres cauſas aſſignat Toletus in hunc locum valde aptas & accommodatas. Vna eſt, vt in hac admirabili coniunctione extremorum diſtantia magis exprimeretur. Nam in verbo non poteſt intelligi niſi intellectualis natura. Ideo non dixit filius, ſed verbum. Caro, quum ſit tota ſenſibilis, eſt alterum extremum remotiſſimum. Secunda ratio, vt ipſa coniunctio perfectius innoteſceret. Verbum homo factus intelligi potuit quoad animam tantùm: ſed verbum caro factũ, quum quod minus hominis eſt includat, dubitandi locum non relinquit, quin quod in homine excellentius eſt, animam ſcilicet, ſibi vniuerit. Tertia cauſa eſt, quia quum homo in Scripturis non vocetur caro niſi poſt peccatum & propter peccatum, Euangeliſta vt finem coniunctionis huius notaret, qui erat peccatores ſaluos facere, ſignanter dixit, *Verbum caro factum eſt.*

16. *De plenitudine eius accepimus omnes, gratiam pro gratia.*

NObiliſſima hæc ſententia vt maximum incarnati filij Dei beneficium tradit, ita aliquam in verbis difficultatem habet. *Plenitudo* eſt ipſa diuinitas Verbi vnita humanitati, de qua Paulus Coloſſ.2. *In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.* Eſt etiam gratia increata Chriſti ex vnione diuinitatis in humanitatem deriuata, quæ vt fons quidam in ea reſidet, vnde in omnes Chriſto per fidem vnitos diffunditur. Quicquid enim ſpiritualis gratiæ ab orbe condito in homine poſt lapſum fuit, per fidem in Chriſtum data fuit, quod vox: *Omnes*, ſignificat, & in ea voce Ioannis ſeipſum omnéſque veteres iuſtos comprehendit. Vnde & Paulus ad Epheſ.1.

Incarnati filij Dei beneficiũ.

Qui benedixit nos in omni spirituali benedictione in cælestibus in Christo, id est, per Christum. Verbum *accepimus*, ostendit spiritualem gratiam ex Christi plenitudine in nos deriuatã, verè nobis esse inhærentem, & non imputatam, vt volunt hæretici. Quam enim gratiam accepimus, eam habemus & possidemus ipsimet. *Gratiam pro gratia*, varij variè exponũt. Sed literalis sensus toti sententiæ congruens hic est: Pro gratia quæ in Christo redundanter & exuberanter fuit, nos gratiam accepimus pro mensura & modulo nostro, & sic ex plenitudine eius omnes accepimus. Quia Christus gratus fuit Patri, & *plenus gratia ac veritatis*, potuit ille nos Deo gratificare, & varia gratiarum dona nobis promereri: & quod potuit, fecit. *Gratificauit nos* (ait Paulus) id est, gratia repleuit, vt ex verbo ἐχαρίτωσε, quo Paulus vtitur, optimè deducit Chrysostomus, *in dilecto filio suo*. Et alibi apertiùs. *Multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit.* Docet gratiam Dei & donum in multos abundare, εἰς τοὺς πολλοὺς, propter gratiam vnius Christi. Sic gratiam pro gratia accepimus. Caluinus *hic eorum se sententiæ subscribere dicit, qui nos irrigari dicunt effusis in Christum gratijs quia hæc est vnctio qua Christus delibutus fuit, vt nos secum omnes vngeret: vnde & ille Christus vocatur, nos Christiani.* Hæc ille, inhærentia planè nobis gratiarũ dona agnoscens, quia & irrigari nos & vngi gratiarum donis fatetur. Sed & ad illud verbum Pauli ad Rom. 5. citatum sic scribit. *Donum est fructus misericordiæ seu gratiæ Dei, quia ad nos pertinet. Nempe reconciliatio, iustitia, vitæ nouitas, & quicquid simile est.* Per gratiam vnius Christi exponit *quia ex eius plenitudine omnes hauriunt, & ex sua abundantia Christus in nos transfundit.* Quæ iterum inhærentem nobis per Christum iustitiam docent. Neque enim haurit, nisi qui accipit & possidet. Nec quod in aliquem transfunditur, extra illum est, sed in illo. Beza hoc loco de illa gratia Euangelistam loqui vult, *quæ in homines est effusa per Christi prædicationem.* Quasi hîc de doctrina ageret Euangelista, & non de illa gratia quæ doctrinæ opponitur, quod verba proximè subsequentia manifestum faciunt. *Lex enim per Moysem data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est.* Nomine legis totam doctrinam complectitur. Gratiam illi opponit quæ per Christum facta est, non à Christo prædicata est. Facta est illa gratia per Christum non docendo, sed spiritum suum in corda nostra mittendo. *Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamam*

Iustitia inhærens. | *Ephes. 1.* | *In comment. ibidem.* | *Rom. 5.* | *Veritas à Caluino extorta.* | *Beza corruptela.* | *Galat. 4.*

clamantem, id eſt, clamare facientem, *Abba Pater*, id eſt, quæ facit vos Deum diligere vt patrem. *Itaque iam non eſtis ſerui, ſed filij*. Idem Beza ad verba Pauli ad Rom. citata, in verbo quidem χαρίσματ@ ludit, vt beneficium illud notet, quo Deus Chriſti iuſtitiam nobis imputat, & ſic gratificat nos in Chriſto (quod eius figmentum in caput ad Rom. 5. latè refutauimus) ſed de verbo χάρι@, de gratia Chriſti, & dono per gratiam Chriſti in nos redundante, nihil proſus impoſtor dicit. Ita quando corrumpere Scripturas nequeunt, omnem ipſarum tractationem callidè prætermittunt.

17. *Gratia & veritas per Chriſtum facta eſt.*

GRatia per Chriſtum facta eſt (ait Auguſtinus) *vt data indulgentia peccatorum, quod in lege preceptum erat, ex Dei dono cuſtodiretur.* Duo dicit per Chriſtum facta, remiſſionem peccatorum, & gratiam implendi legem. Vtriuſque ſanè tota Trinitas author eſt. Sed hæc per Chriſtũ facta dicũtur, quia ſolus Chriſtus hæc duo nobis promeruit, obtinuit, procurauit. Deſignatur hîc cauſa inſtrumentalis diuinitati coniuncta. Vtrumque etiam hoc verbo gratiæ comprehendi agnoſcit hoc loco Caluinus. *Gratia* (inquit) *nomen generaliter accipio tam pro remiſſione peccatorum, quàm pro renouatione cordis, denique quicquid ad ſpiritualem iuſtitiam ſpectat. Eius autem duæ ſunt partes: quòd gratis ſe nobis Deus côciliat, & quòd legem ſuam cordibus inſculpſit iuxta Hierem. verba cap. 31. verſ. 31. ac intus per Spiritum ſuum in illius obedientiam homines reformat.* Hæc ille. Quæ valde notanda ſunt. Duæ enim Caluini hæreſes hac explicatione euertuntur. Imputatiua iuſtitia, & mandatorum obſeruatio nemini poſſibilis. Nunc enim præter remiſſionem peccatorum agnoſcit ſpiritualem iuſtitiam in cordis renouatione poſitam, & per hanc renouationem ad legis obedientiam corda reformari. Hoc effecit huius loci euidentia, quæ fucum non admiſit.

Cõtra Fauſtum lib. 22. cap. 6.

Caluiniana hæreſes ex ipſo Caluino refutata.

29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

VOcat Chriſtum agnum Dei, quaſi victimam ſingularem à Deo datam, non vt agnum Paſchalem aut agnum qui quotidie mane ac veſpere offerebatur, qui peccata tollere non poterat; ſed vt agnum illum qui *ſicut ouis ad occiſionem ducitur*

Peccata dupliciter tollit Christus. *ductus est, & coram tondente se obmutuit*, Esaiæ 53. & Hierem. 11. Tollit peccata mundi, partim expiando illa per modum sacrificij, & pœnas illis debitas exoluendo, partim ab eius seruitute liberando, quæ est propria gratia huius agni. *In hoc*
1 Ioan. 3. *enim apparuit, vt dissoluat opera diaboli*, quæ sunt peccata. Hanc gratiam hoc loco Caluinus negat. *Christus* (inquit) *peccata nostra ferendo aufert. Quamuis ergo peccatum in nobis perpetuò hæreat, tamē, quoad Dei iudicium, nullum est, quia abolitum Christi gratia nobis non imputatur.* Hæc ille. Sic in sensu Caluini, Christus re vera non tollit, sed tolerat, nec aufert, sed fert peccata mundi: quia illa perpetuò hærere permittit, & manent semper, sed non imputantur. Quare hanc
Beza Caluinum correxit. absurdam & impiam deprauationem correxit ipse Beza. *Agni* (inquit) *vocabulo significatur sacrificium, cuius sanguine deleto chirographo expiamur. Tollendi vocabulo naturalis illius labis ac maculæ sublatio designatur, quum Christo per baptismum insitis nobis vetus homo moritur, & nouus induitur. Illud ad iustificationem, hoc ad sanctificationem pertinet.* Hæc Beza, magistri sui pestilentem doctrinam rectissimè corrigens. Aliam hic corruptelam ponit Caluinus. *Quia vnus* (inquit) *Christus tollit peccata, omnes humanæ satisfactiones, piacula omnia, & redemptiones euertuntur, vt certè nō nisi impia commenta sint diaboli astu inuenta.* Sed non aduertit impostor impius duo. Primò, Christum vt causam vniuersalem tollere omnia peccata: alias autem esse causas particulares per quas illa vniuersalis applicatur, vt vel ipsa Sacramenta gratiæ, vel necessariam cuiusque dispositionem. Secundò, satisfactiones pœnitentium non adhiberi quasi peccati redemptiones aut piacula, vel quoad culpam, vel quoad pœnam æternam, sed vel quoad pœnas tēporales adhuc peccato debitas exoluendas, vel quoad ipsius peccatoris necessariam quandam medicinam & correctionem. Quæ propterea omnes à tota antiquitate diligentissimè inculcatæ, non astu diaboli hodie inuentæ, sed astu & nequitia diaboli ab hereticis eius ministris hoc tempore agitatæ & explosæ fuerunt.

32. *Vidi Spiritum sanctum descendentem quasi columbam de cælo.*

Veteres quidam hæretici hoc loco abusi sunt, vt Cerinthus & Arius, teste Epiphanio her. 28. & Athanasio orat. 2. contra Arianos: ille, quòd Christus antea purus homo nunc pri

primùm Spiritum S. acceperit, per quem poftea miracula fecerit; hic quòd nouam perfectionem fecundùm naturam diuinam à Spiritu S. acceperit. Vtraque hæresis refellitur per illa verba prius verificata, *Verbum caro factum est.* Nam fic antea Deus erat; & Deo nulla accedere perfectio poteft. Factus eft ille defcenfus, vt accepta prius plenitudo gratiæ, hoc figno manifeftaretur, non vt eam acciperet.

Abufus quoque hoc loco Caluinus eft, qui Chrifti corpus non aliter fub vero pane adeffe docet quàm Spiritus S. fub fpecie columbæ aderat. *Quibus* (inquit) *oculis Spiritum videre Ioannes poterat? fed quia columba certum & minimè fallax præfentiæ Spiritus fymbolum erat, Spiritus metonymicè vocatur: non quòd verè fit, fed quòd oftendat quantum fert hominum captus. Atque hæc tranflatio trita eft in Sacramentis. Cur enim Chriftus panem appellat corpus fuum, nifi quia rei nomen aptè ad fignum transfertur? præfertim vbi fignum verum & efficax fimul pignus eft, quo certiores reddimur rem ipfam, quæ fignatur, nobis præftare. Non tamen intelligas Spiritum columbæ inclufum fuiffe, qui cælum & terram implet, fed virtute fuiffe præfentem, vt fciret Ioannes non fruftra oculis fuis obijci tale fpectaculum. Quemadmodum nos Chrifti corpus fcimus non alligatum effe pani, fed eius tamen participatione fruimur.* Hæc ille. Cui ftultæ fimilitudini paucis refpondeo. Si Spiritus S. qui vbique eft, non effet verè præfens in illa columba feu vera feu apparente; nec defcendere, nec à Ioanne vifa fuiffe, vero fermone diceretur. Ergo fi Chrifti corpus fiue cum pane, fiue in pane, fiue in fpecie panis verè tangitur, manducatur, accipitur, debet effe verè & realiter præfens; alioqui falfum erit, quòd tangitur, accipitur, manducatur ibi Chrifti corpus. Sic hæc comparatio realem corporis Chrifti præfentiam, quam in folo cælo ponit Caluinus, neceffariò & efficaciter demonftrat. Deinde nulla Scriptura dicit, Accipimus aut manducamus corpus Chrifti quafi panem, ficut hîc Ioannes dixit, *Vidi Spiritum defcendentem ficut columbam:* nec de Spiritu S. prædicatur columba, ficut de eo quòd Chriftus dixit, *Accipite, & manducate,* prædicatur corpus Chrifti. Quare iterum inepta eft & infulfa ifta Caluini comparatio. Deinde natura metonymiæ hoc habet, vt fignum quidem pro re fignata pronuntietur, vt arma pro bello, toga pro pace, laurea pro triumpho; non autem econtrà vt res fignata pro figno efferatur, bellum pro armis, pax pro toga, triumphus pro laurea. Atqui Caluinus

Præfentia corporis Chrifti in Venerab. Sacramento.

in sua metonymia non signum pro re, sed rem signatam pro signo à Christo efferri vult; vt dicens, *Hoc est corpus meum*, corpus efferret pro pane significante corpus. Quare etsi hîc esset aliqua metonymia vt columba signum esset descendentis Spiritus qui verè non descenderet (quod planè falsum est) tamen comparatio eius locum non haberet. Hic enim poneretur signum pro re signata, columba pro Spiritu S. At in Christi verbis effertur corpus pro pane iuxta Caluinum, id est, res signata pro signo; quod est contra naturam me-

Matt. 26. tonymiæ: de quo plura apud Matth. diximus.

42. *Tu vocaberis Cephas*, &c.

Cyrill. lib. 2. cap. 1. Chrysost. homil. 18.

CHristus hîc Simoni fratri Andreæ nomen nouum vel promittit, vt iudicant Cyrillus & Chrysost. in hunc locum; vel nunc imponit, vt tenet August. de consens. Euangel. lib. 2. cap. 17. & 53. & lib 4 capite 3. (& prior sententia probabilior videtur) proprio tamen eius nomine retento. Vbi duo Christus significare voluit. Primum quòd in veteri nomine non mutato cæteris Apostolis æqualis ac similis esset: alterum quòd nouo nomine superaddito super Apostolicam dignitatem primatum accepturus esset. Cephas enim in lingua Syriaca significat non quemlibet lapidem, sed magnum lapidem, qualis in fundamento ponitur: quod etiam Christus ipse Matth. 16. expressit dicens eidem: *Tu es Cephas, & super hunc Cepham ædificabo Ecclesiam meam.* Notandum quoque quòd Christus hæc verba illi dixit, *Intuitus eum*, id est, sicut supernaturali intuitu proprio nomine eum vocauit quem antea non viderat, patrisque nomen adiunxit; ita super naturali intuitu futurum eius nomen ac potestatem nomine significatam prædicit. Sed hanc totam obseruationem literæ Euangelicæ inhærentem veritatis Euangelicæ hostis Caluinus putidis suis cauillationibus explodere conatur. *Ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ, qui Petrum in Christi vicem substituunt, vt sit Ecclesiæ fundamentum: quasi non ipse quoque in Christo cum reliquis fundatus sit.* Ridiculus nugator Caluinus est, qui hoc Papistis obiectat, quod nullus Papista dicit. Non enim Petrum in Christi vicem substituunt, vt tale sit fundamentum Ecclesiæ quale Christus est, perinde ac si in Christo cum reliquis non fundaretur: sed vicarium illum esse fundamentum, ab ipso Christo suam semper Ecclesiam ædificante positum, iuxta manifestissima Christi verba

Primatus Petri.

Caluini cauillationes inulsæ.

Matth.

Matth. 16. affirmant. Hæc si Caluinus non intellexit, *qua ignorauit, blasphemat:* si intellexit, cauteriata conscientia *in hypocrisi mendacium loquutus est.* Addit adhuc Caluinus. *Iuda cap. vnico.* *Bis autem ridiculi sunt, dum ex lapide Caput faciunt.* An non *1. Tim. 4.* tantundem Iudæus aliquis contra Christianos garriet, qui Christum lapidem angularem *Caput super omnem Ecclesiam* esse prædicant? *Ephes. 1.* Planè enim sicut Christus lapis angularis, cui totum innititur ædificium, est hoc nomine caput & principium vitale totius Ecclesiæ; sic Simon factus à Christo petra & lapis fundamentalis, est caput Ecclesiæ vicarium à Christo constitutum. Aliquid pro Euangelica veritate dixisse hoc loco sibi visus est Caluinus, quòd Christus his verbis *futuram in Petro fidei constantiam, & gratiam inuictæ fortitudinis*, quam illi daturus esset, illi prædixerit. Sed hoc commentum Caluinianum, ipsamet Christi verba huius noui nominis sensum explicantia perspicuè euertunt *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* *Matt. 16.* De robore ac fortitudine loquitur Christus non Petri personæ peculiari (in qua Paulus aliique Apostoli Petro inferiores non erant) sed respectu Ecclesiæ suæ super talem petram ædificandæ, vt latius ad Matth. cap. 16. dictum est. Caluinus nihil attenta litera Euangelica, sed penitus despecta, suum substituit commentum in schismatis sui fauorem, qui huic Christi vicario lapidi adhærere recusat.

46. *Et dicit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse?*

NAthanael iste, verus Israelita, & in quo dolus non esset, rectus ac simplex ac timens Deum, & in Scripturis bene versatus ac doctus, vbi audiuit à Philippo, *quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuentum esse Iesum à Nazareth*, tametsi iuxta Scripturas ex Nazareth, aut ex tota Galilæa, vt postea Nicodemo obiectum fuerat, venturum Messiam non meminerat, sed ex Bethlehem Iudæ, admiratur *Ioan. 7.* quidem & dubitat de testimonio Philippi, non tamen illud prorsus repellit, nec proteruè reluctatur. Multo se aliter habent nostri temporis hæretici, homines dolosi ac proterui, *Hæreticorum fastus indocilis.* qui statim ac vnam voculam Scripturæ suo iudicio intellectam & expositam nacti sunt, contemnunt non vnum aut *Matth 5.* illiteratum hominem, qualis Philippus tunc erat, sed omnes Doctores, totam antiquitatem, totam Ecclesiam. Non

tale testimonium habent hæretici pro suis erroribus, quale habuit Nathanael contra ea quæ dicebat Philippus: & tamen pertinacissimè suum iudicium Ecclesiæ toti præferunt. At bonus & simplex Nathanael à Christo laudatus, ignorantiam suam corrigi passus est, dicente Philippo, *Veni, & vide*. Ille vt in Messiam credere inciperet, docilem se præbet, vtcunque aliter ei sonare Scripturæ viderentur. Bonus Christianus vt à fide se abduci non patiatur, tametsi aliquid in Scripturis receptæ fidei aduersum appareat, docilem se præbere debet, vt veniat ac videat: nempe ad illam lucem quam Christus posuit vt homines videant, & quibus dixit, *Vos estis lux mundi*: ad *Pastores & Doctores quos Christus dedit, vt ad veritatis agnitionem* homines perducerent: non ad nouos sectarios, Euangelij titulum præferentes, & obedientiam Euangelicam penitus violantes. Quo in genere multa ad hunc locum garrit Caluinus, vt exemplo Nathanaelis ad nouos dogmatistas lectorem alliciat; cuius malis artibus ac technis hoc paruum antidotum opponere operæpretiũ duxi.

Matth. 5. *Ephes. 4.*

IN IOANNIS CAP. II.

4. *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.*

DE hac Christi responsione, quæ durius sonare, & repulsam significare videtur, in Prompt. Catholico latius egimus. Caluini tamen hoc loco disputatio, quam illic non attigimus, excutienda nunc est. *Insignis* (inquit) *locus. Cur enim matri præcisè negat, quod liberaliter alijs quibuslibet toties postea concessit?* Duplex hîc mendacium. Nec enim quod B. Virgo suggerebat, Christus præcisè negat, sed adhuc differendum insinuat: nec quod hîc B. Virgo petebat, aliis postea concessisse legitur. Ad prius quod attinet, si præcisè negasset, non reddidisset caussam cur statim non faceret, dicens, *Nondum venit hora mea.* Imò hæc dicens, spem faciendi quod petebat matri dedit: quod illa rectè intelligens, monet ministros vt quodcumque dixerit illis Iesus, id faciant. Quare SS. Doctores affirmãt ob matris intercessionem Christum hoc miraculum citius fecisse: Ambros. serm. 16. in Psal. 118. Cyrill. lib. 2. cap. 13. in Ioan. & Chrysostomus homilia 21. in hunc locum. Ad posterius quod attinet, aliorum quidem postea precibus sæpe concessit

Domin. 2. post Epiph.

Mendaciũ Caluini duplex.

concessit Christus quæ ad suam vel suorum salutem flebiliter postulabant. Sed huius generis beneficium, quod nec animæ nec corporis salutem concernebat, sed ad ciuilem quandam honestatem pertinebat, aliis postea concessisse non legitur. Pergit mentiri Caluinus. *Deinde cur simplici repulsa non contentus eam in vulgarem mulierum ordinem cogit, nec iam matris nomine dignatur?* Aliud hoc est mēdacium, cum insigni blasphemia coniunctum. Mendacium est quod in vulgarem mulierum ordinem B. Virginē cogit Christus. Blasphemia est, quòd Christus matrem suam matris nomine non dignatur. At (inquies) vocat illam mulierē, non matrem. *Quid mihi & tibi est mulier?* Itáne verò, quia sic loquitur Christus, matris eam nomine nō dignatur? Dic obsecro: Christus in cruce pendens, quum B. Virginem virgini commendauit, an matris eam nomine dignatus non est? an pro vera matre illam non habuit? aut matris nomine indignam censebat, quia eodem verbo vsus dixit, *Mulier ecce filius tuus?* Quis non videt quum maximū suum erga illam amorem & curam filialem ostenderet, mulieris tamen vocabulo vsum fuisse? An hîc quoque illam in ordinem coëgit? An non maximè illam honorauit, & filialem illi honorem atque amorem eo maximè articulo demonstrauit? Impij Manichæi simili argumento vsi, B. Virginem veram Christi matrem fuisse pernegabant. Increduli Pagani eodem etiam argumento vsi Christum accusarunt vt parentis suæ contemptorem. Impius Caluinus hæretico & pagano spiritu plenus, eodem argumento ludens, Christum matrem suam in ordinē coëgisse, nec matris nomine dignatū fuisse obloquitur. Atqui quòd eam mulierem vocat, nihil quàm communem ac receptum tunc loquendi modum sequutus videtur. Certum est ex aliquo contemptu non eo vsum vocabulo, quum in Cruce eodem vsus fuerit, vbi summi amoris illustre testimonium dedit. Nunc ex istis mendaciis quid molis substruat Caluinus, expendamus.

Mendaciū tertium in Christum blasphemum.

August. tract. 8. in Ioan. Iustin. Mart. lib. quæst. Gent. resp. 136.

Hac Christi voce palàm constat denunciari hominibus ne nominis materni honorem superstitiosè in Maria euehendo, quæ Dei propria sunt in ipsam transferant. His Caluini mendaciis palàm constat denūciari hominibus, ne tam scelerati impostoris nomē euehendo, quæ Dei ministris propria sunt in illū transferant, & pro ministro Euangelico habeant qui Satanæ minister fuit. Ad nominis materni in B. Virgine honorē quod attinet, quàm illum non superstitiosè sed piè ac religiosè pij omnes & orthodoxi euehāt atque extollant, eámque hoc

B. Virginis honor defenditur.

nomine præ cæteris Sanctis omnibus rectissimè venerentur, contra insulsas Caluini cauillationes infrà latius ostendimus. Concludit tamen hoc loco Caluinus. *Sic ergo matrem Christus alloquitur, vt perpetuam ac cōmunem seculis omnibus doctrinam tradat, ne immodicus matris honor diuinam suam gloriam obscuret.* Cur huiusmodi verbis matrem suam Christus hîc allocutus fuerit, & quam doctrinam in illis verbis tradere voluerit, ex SS. Patrum iudicio alio in loco demonstrauimus. Quibus etiam addimus rectè sensisse Epiphanium, qui affirmat matrem Domini mulierem à Domino vocatam, quia consulere & prouidere futuris voluit. Fuerunt enim quidam postea qui B. Virginem vt deam venerati sunt, eique sacrificauerunt, qui certè hoc verbo *Mulier* conuincuntur, quod substantiæ & naturæ creatæ eam fuisse probat, sicut alij Sancti sunt. An fortè à Catholicis hodie B. Virgini immodicus aliquis honor impēditur, qui diuinam Christi gloriam obscuret; aut huic quoque sæculo, Christi illa doctrina necessaria est? Omnino ita censet Caluinus. Subiungit enim. *Porro quàm necessaria hæc admonitio fuerit, ex crassis fœdisque superstitionibus quæ postea sequutæ sunt, plus satis notum est. Facta est enim Maria Regina cœli, spes, vita, & mundi salus. Denique eò progressus est vesanus furor, vt Christi propemodum nudati spoliis eam ornarent. Quúmque has execrabiles in filium Dei blasphemias damnamus, maligni & inuidi vocamur à Papistis, imò improbè calumniantur, S. virginis honorem hostiliter à nobis impugnari. Quasi verò non habeat quantum illi honoris debetur nisi dea fiat: aut hoc illi sit honorificum, sacrilegis titulis ornatam in Christi locum subrogari. Atrocem ergo illi Mariæ iniuriam faciunt, quando, vt mentitis eam laudibus deforment, Deo eripiunt quod suum est.* Hæc tota est hoc loco Caluini accusatio, & contra Catholicas & orthodoxas voces speciosa declamatio: quæ tota vel in crassa Scripturarum ignorantia fundatur, vel affectatæ maleuolentiæ oratio est. Totus accusationis neruus ac vis vniuersa (quam multis verbis amplificauit) in eo consistit, quòd Beata virgo à Catholicis prædicetur *Regina cœli, spes, vita, & mūdi salus.* Hoc postremum vbi vel apud quos legerit, nescio. Ab Ecclesia certè in publicis officiis ac precibus suis, *Salus mundi*, nūquam (quod sciam) prædicatur. Cæterū si spes, vita, ac salus nostra (quod penè æquiualet) hæc beatissima virgo absque manifesta Dei aut Christi iniuria vocari non potest, corrigat Caluinus illas Scripturas quæ personis multo inferioribus eosdē titulos ascribit. Corrigat

Ad cap. Ioan. 7. ver. 5.

In Prompt. Cathol. Dom. 2. post Epiphaniam

Epiph. Hær. 79.

Caluini accusatio circa titulos B. Virginis.

B. Virginis tituli ex Scripturarum analogia probantur.

rigat Paulum dicentem Timotheo Episcopo, *Hæc faciens, teipsum & alios saluos facies.* Corrigat Iacobum dicentem: *Qui conuerti fecerit peccatorem à viis suis malis, saluabit animam eius à morte.* Corrigat Ioannem dicentem: *Qui orat pro fratre non peccante ad mortem, dabit ei vitam.* Denique ipsum Christum homo audax corrigat, dicentem in Euangelio: *Qui corripit fratrem suum,* (audientem & obsequētem) *lucratur eum.* Si enim qui alium saluum fecit, salus eius dici potest; & qui alteri vitam dedit, vita eius vocari potest; nec huiusmodi locutiones refugit Scriptura, quia ad vitam & salutem partiales & subordinatæ causæ sunt; quid peccat Ecclesia, quæ ob similes effectus similes titulos beatissimæ virgini a tribuit? Quod enim prædicando veritatem, corripiendo peccantes, orando pro peccatoribus, nos in hac vita facimus; id multo vberius beatiss. virgo suis apud Deum precibus & intercessionibus præstat: nisi fortè falsum erit, beatiss. virginem orantem pro peccatore non peccante ad mortem, dare illi vitam, quod Ecclesia prædicat; & verum erit, quemlibet nostrum *orantem pro fratre nō peccante ad mortem, dare ei vitam.* quod Ioannes affirmat; aut plus valeat apud Deum peccatoris pro peccatore, quàm beatissimæ virginis in cælo regnantis pro peccatore intercessio. Denique discere Caluinus debet illa attributa seu epitheta, quæ soli Deo conueniunt, nulli sanè creaturæ vllo in sensu attribui posse, qualia illa sunt: Omnipotens, æternus, infinitus, Creator, finis & principium rerum, Dominus vitæ & mortis: vel etiam alia Christi propria. Mundi redemptor, iustificator seu iustitia, sanctificatio, & redemptio nostra: alia verò epitheta & attributa quæ soli Deo per excellentiam conueniunt, Sanctis verò & iustis etiam in hac vita per participationem & analogicè conuenire possunt, vt bonum esse, iustum, sanctum, sapientem, patrem, magistrum, lucem, petram, fundamentum, sine vlla Dei aut Christi iniuria Sanctis attribui; imò cum certa Dei offensa illis pertinaciter negari, qui amicos suos honorari vult, despici non vult; eorúmque seu iniuriam seu honorem sibi acceptum fert; vt illæ voces in Scriptura nos docent. *Non te spreuerunt, sed me. Qui vos audit, me audit. Si sermonem meum seruauerint, & vestrum seruabunt. Noluns audire te, quia nolunt audire me:* & multa huiusmodi. Sed plura hac de re olim disputauimus, quæ videre lector poterit. Cur etiam Regina cœli ab ecclesia ... meritissimè vocetur, eodem in opere demonstrauimus ... his. Ex quibus omnibus perspicuum euadit, Caluinum ... *fuit*

1. Tim. 4.
Iacob. 5.
1. Ioan. 5.
Matth. 18.
Epitheta quædam soli Deo propria.
1 Reg. 8.
Luc. 10.
Ioan. 16.
Ierem. 2.
In Præf. Cath. in festo Natiuit. B. Mar. & in Instit. lib. 4. c. 3. nu. 18.

optimo iure à nobis non *malignos* tantum & *inuidos*, sed impios & sacrilegos vocari, qui sub specie honoris Christi, Sanctos eius debito honore priuant & in ordinem cogunt: sicuti veteres hæretici sub specie zeli erga Dei Patris honorem filio Dei detraxerunt, & in creaturarum ordinem redegerunt: quod & hodie in Transiluania ter impius ille Frácifcus Dauid molitus, sub specie extollēdæ misericordiæ vnius Dei, ipsum Christum Saluatorem esse mundi negauit, & eo nomine capite damnatus, in carcere insanus obiit. Huc quippe tandem recidunt, qui primum Dei in terris ministros, postea in cœlo Sanctos, tandem Christum ipsum sub specie honoris diuini, primum honore spoliant, mox in ordinem cogunt, tandē penitus despiciunt atque contemnunt. Catholici B virginem neque deam faciunt, sed vt Dei matrē inuocant, vt eius precibus Deo cōmendentur; nec *sacrilegis titulis ornatā in Christi locum subrogant* (sunt hæc duo fœda Caluini mendacia) sed veris titulis etiam infra tantæ Matris dignitatem ornatam, Christo Domino ita postponunt, vt non nisi per supplices ad Christum preces aliquid ab illa postulent. Sacrilegi verò hæretici sunt, atque imprimis Caluinus, qui *eam in vulgarem mulierum ordinem à Christo cogi* affirmant, & hoc exemplum *perpetuum esse ac omnibus seculis communem doctrinam* pronunciant, vt hodie vsque non nisi vulgaris muliercula habenda sit. Hæc Caluini hoc loco sacrilega audacia est, qui medium tenere nesciens, ne deam faciat Christi matrem, pro vulgari muliercula habendam censet. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Antonius Posseuinus in Atheismis hæreticorum, An. 1578.

Caluini fœda mendacia.

18. *Quid signum ostendis nobis quia hęc facis?*

CAptat hîc occasionem Caluinus Catholicorum necessariam quandam pietatem acriter taxandi. Sed in eo quod captat, capietur ipse. *Testimonium* (inquit) *aliquod diuinæ virtutis habere Iudæi volunt: interea nihil admittunt quod non hominum modulo respondeat. Sic hodie Papistæ miracula flagitant, non quòd locum daturi sint Dei potentiæ. Nam illis fixum est, homines præferre Deo, nec vnguem vnum ab eo deflectere, quod vsu & consuetudine receptum habent. Sed ne absque ratione videantur Deo esse rebelles, colorem hunc prætexunt suæ* [illegible]*riæ.* Hæc ille. Sed huic impostori respondēdum est: Si [illegible]eis similes simus, qui à nouis magistris miracula peti[illegible] [illegible]uinum Christo similem esse debere, à quo ista pe-

In Comment. ad hunc locū.

Caluin[illegible]

tun

runtur. Si Christo similis Caluinus esse vult, ostendat se esse in Scripturis prædictũ, à populo Christiano expectatum, magnum denique Prophetam ad consolationem populi Dei, qui noua faciat omnia, præfiguratum, sicuti Christus seu Messias populo Iudaico in Scripturis promissus erat, ab illis auidissimè expectatus, etiam eo ipso tempore quo venit *ad consolationẽ plebis Israël, qui omnia instauraret.* Deinde si similes Iudæis simus à Christo hoc loco signum petẽtibus, facere Caluinus debuit, quod prius Christus fecit; diuinam suam virtutem ostendere eum oportuit, sicuti Christus in templo iam ostenderat, homo solus & inermis eiiciens de templo vendẽtes & ementes, adeóque flagellis eos ignominiosè abigens, vt sic iniquè ab illo signũ peti doceat, sicuti à Christo Iudæi (accepto tanto signo, tantóque diuinæ cuiusdam potentiæ argumento) iniquè & absurdè signum flagitabant. Petebant ab illo potestatis suæ argumentum qua fretus hoc faceret (*Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?*) quum ipsum per se factum potestatis suæ ac potentiæ diuinæ argumentum euidẽs & luculentum esset. Nunc Caluinus dogmatista nouus, & pro nouo Propheta se iactitans, (scribit enim *se vnum ex illis esse quorum opera Euangelij doctrinam Deus mundo restituit*) nullo dato potestatis suæ argumento, sed in lacu suo Geneuensi latitans, quòd ab eo eiúsque similibus miracula flagitentur, simile quid ab eo flagitari clamitat, quale Iudæi hoc loco à Christo flagitabant. Sed quantum in vtroque discriminis sit, ad hunc locum quod attinet, hæc pauca demonstrant.

Luc. 2.
Ioan. 4.

In Epist. præfixa commentariis in Epistolas ad Timoth.

Iam verò non iniquè nec aut fastu aut incredulitate Iudaica, sed æquissimè & fide ac religione Christiana à Luthero, Caluino, & aliis horum temporum nouis Magistris ad vocationis suæ penitus extraordinariæ (cucurrerunt enim nemine mittente) nouæque doctrinæ confirmationem miracula & signa expetĩ & flagitari posse (nam de facto hæc ab illis flagitare paucos arbitror, quum ipsa eorum impia & scelerata doctrina satis supérque seipsam prodat) paucis demonstrabitur. Nouos se esse Magistros, & nouam doctrinam adferre his aliquot seculis incognitam adeóque damnatam, non solùm de facto demonstrant veterum Patrum in Scripturis exponendis iudicia & in cõtrouersis hodie dogmatibus vnanimem consensum apertè respuentes (cuius rei varia exempla alibi ex Caluino protulimus) sed etiam disertis verbis profitentur. Quòd noui sint & extra ordinem vocati Magistri, his verbis profitetur Caluinus. *Apostolorum* (inquit) *officium fuit*

Miracula à nouis hodie dogmatistis meritò flagitari posse.

Instit. lib. 4. c. 3. nu. 11.

vt orbem à defectione in veram obedientiam reducerent. Euangelistæ officio illis proximi sunt, adeóque vices eorum gerunt. Hi non sunt perpetui in Ecclesia sicuti Pastores & Doctores, sed ad id modò tempus instituuntur, quo erigēdæ sunt Ecclesiæ, vbi nullæ antè fuerant. Quamquam non nego quin Apostolos postea quoque vel saltem eorum loco Euangelistas interdum excitarit Deus, vt nostro tempore factum est. Talibus enim qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reducerent, opus fuit. Munus autem hoc extraordinarium appello. Hæc Caluinus. Nec multo

Confess. fidei c. 5. num. 28. aliter illi in hac parte conformis Beza. *Indigni sunt Ministrorum nomine qui sese falsò Ministros vocant, quum à Domino non sint vocati, id est, qui vel ritè non sunt electi ab Ecclesia, (si quis est in Ecclesia legitimus ordo constitutus) vel à Deo non sunt extra ordinem excitati, sicut nostro quoque tempore accidit, rebus ita collapsis vt ordinariæ vocationi nullus esset locus relictus.* Hæc ille. Vterque apertè fatetur, & disertè profitetur, vocationem suam extraordinariam esse, & tanquam nouos restaurandi orbis Apostolos, aut saltem Euangelistas esse. Idem agnoscit Musculus in locis communibus in cap. De Ministris Ecclesiæ, & Brentius in prolegomenis contra Petrum à Soto. Doctrinam quoque se nouam & orbi Christiano incognitam attulisse, non agnoscunt modò,

In Annotat. ad Rom. 3. ver. 20. sed & gloriantur omnes. Inter alios Beza his verbis, de Iustificatione ex fide disputans. *Illi* (inquit) *per quos nostra ætate Dominus veluti sepultum Christi beneficium in lucem reuocauit, quum viderent, &c.* Rursum de vi & effectu Sacramen-

Annotat. ad Rom. 4. ver. 12. torum disputans: *Hanc* (inquit) *interpretationem si quis contulerit cum iis quæ non Origenes modò, sed nonnulli etiam ex Patribus alioquin pietate & eruditione clarissimis in hunc locum scripserunt, comperiet profectò quantam veritatis lucem Dominus in nos omnium hominum maximè indignos nostra memoria effuderit.* Planè ita nouam ac recentem suam suorúmque doctrinam esse affirmat, vt sepultum Christi beneficium de iustificatione nostra in lucem reuocauerint, & nouam veritatis lucem circa Sacramentorum doctrinam in eos Dominus effuderit. Ab istis nouis magistris nouámque doctrinā afferentibus, ab istis nouis Apostolis aut saltem Euangelistis ab Antichristi defectione orbem reducētibus, & collapsas toto orbe Ecclesias restaurantibus, meritò rogamus: *Quod signum ostenditis nobis, quòd rectè & bono iure hæc facitis?* Christus Dominus omnia restauraturus, multa signa ostēdit,

Ioā 10, 38. eáque vehemēter vrget. *Si mihi nō vultis credere, operib⁹ credite.*

Si ope

Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non habèrent. Ac denique discipulis suis ait: *Alioquin propter opera ipsa credite.* Nunquid meliores Christo sunt? Petrus, Paulus, cæterique Apostoli, *fecerunt signa & prodigia magna in populo*, vt illis crederetur. Nunquid Apostolis maiores sunt? Sanè ad hæc Apostolorum miracula ita scribit ipse Caluinus. *Miraculis augebatur Ecclesia, quia fidei subseruiunt miracula. Vnde rursum probatur, nunquam separanda esse à verbo miracula.* Hæc ipse Caluinus in comment. Act. 5 vers. 14. Moyses nouas leges populo Iudaico promulgaturus, multis & admirabilibus signis à Deo commendatur. Nunquid Moyse excellẽtiores esse volunt? Quum Christus alio adhuc tempore, paulo ante passionem, simili in re hanc eandem potestatem exerceret, eiiciens vendentes & emẽtes de templo, dicunt ei iterum Iudæi: *In qua potestate hæc facis, aut quis tibi dedit hanc potestatem?* Tametsi post tot à Christo miracula & signa toto iam triennio in conspectu Iudæorum exhibita, importuna & friuola hæc erat expostulatio, quod vnus Nicodemus magister in Israël eos docere potuit, qui sic Christum affatus est, *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum illo:* tamen contra alios nouos magistros, templa Christianorum (vt hodie Caluinistæ fecerunt) partim spoliantes ac deprædantes, omniáque sacra in eis monimenta demolientes, vt in Gallia & in hoc Belgio, partim à fundamentis subuertentes, vt in Scotia, nullo legitimo signo (nisi forte spoliis ac rapinis) suam vocationem & tam immania scelera ac sacrilegia confirmantes, eadem expostulatio prorsus æquissima & necessaria est. Nam vt ipse Caluinus ad hũc locum ait: *Non armantur hic proterui homines, qui sine vllo mandato, sed priuata audacia publicum sibi munus vsurpant.* Eodem modo nec in hac præpostera Iudæorũ postulatione, *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* in simili Christi facto proposita, *armantur proterui homines*, noui pertinaces Magistri, lupi & seductores noui, *qui sine vllo mandato*, à nemine missi, *sed priuata audacia*, & extraordinaria sui ipsorum intrusione, *publicum sibi docendi, prædicandi*, Scripturas exponendi, *munus vsurparunt.* Denique tales nouos & extraordinarios Magistros, vt vocationis suæ rationem reddãt, & potestatis quam vsurpant signa ostendant, vrgendos ac premendos esse, ipse imprimis docuit Lutherus. Sic enim ad Senatum Mulhusium contra clancularium concionatorem scripsit. *Accersat eum ad se Senatus, etiam præsente omni populo,*

Ioan. 14. 24.
Ioan. 13. 11.
Act. 5. 12.
Matth. 21.
Ioan. 3.
In Harmo. ad cap. 21. Matth.
Tom. 2. operum Germ. Ienæ editorum fol. 455. b. & 456. a.

pulo, si fieri potest, & quaratur ex eo, Quis eum huc miserit aut vocauerit ad docendum? Id proculdubio Senatus non fecit. Quòd si tum dicat se à Deo, atque ipsius spiritu missum esse sicut Apostoli (hoc autem dixit Caluinus, dixit Beza, dixit Musculus, dicunt & alij omnes noui hodie Magistri) *probet hoc signis & miraculis editis, vel nolite pati vt concionetur. Nam vbicunque Deus ordinariam viam mutare vult, ibi semper miracula facit.* Hæc Lutherus. Eat nunc Caluinus, & non Papistas, sed Lutherum arguat, quòd exemplo Iudæorũ audeat à nouis concionatoribus, qui extra ordinem à Deo se mitti dicunt, signa & miracula efflagitare. Denique aut seductor Caluinus est, qui hoc factum conqueritur, aut impostor Lutherus est, qui id faciendum hortatur. Sed hic contra caput suum stolidè & imprudenter, ille contra apertam veritatem impiè & impudenter scripsit.

IN IOANNIS CAP. III.

5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

HÆc verba de baptismo Euãgelico ad literam intelligi debere, quia ipsum introitum regni Dei & primum ingressum in Ecclesiam nouam docere Nicodemum Christus voluit, tota semper Ecclesia indubitatè hactenus intellexit. Adeò sanè vt Pelagiani, qui peccatum originale negantes, paruulorum baptismum necessarium esse negabant, quum ex hoc loco efficaciter se conuinci viderent, non quidem sint ausi negare de baptismo hæc verba intelligi; sed ad illam vanam distinctionem confugerint, posse eos peruenire ad vitam æternam tametsi regnum Dei non introirent. De quo vide Augustinum. Caluinus nihilominus pertinacissimè contendit hæc verba ad baptismum non pertinere, sed ad solam renouationem spiritualem per fidem: idque ea de causa ne baptismus ad salutem necessarius videatur, vnde sola fides saluificans continuò pro vana ac falsa refutaretur. Primùm cauillatur non sequi necessitatem baptismi, etiamsi de eo sermonem hic fieri concedatur. *Etiamsi demus* (inquit) *Christum hic loqui de baptismo, non tamen sic vrgenda sunt verba vt salutem in externo signo includat; sed ideo potius aquam Spiritui adiungit, quia sub illo visibili symbolo quam Deus Spiritu suo vitæ nouitatem solus in nobis*

De pecca. mer. & remiss. lib. 1. cap. 30.

Baptismi necessitas defenditur.

nobis efficit, testatur atque obsignat. Hæc ille. Sed hoc commentum de obsignatione & sigillo Caluiniano, alio in loco refutauimus. Et Paulus disertè dicit *per lauacrum regenerationis nos saluos factos esse*, vbi non salutis prius adeptæ obsignationem, sed salutis de facto collatæ medium & instrumentum baptismo assignat. Nec propterea salus nostra externo signo includitur, sed per externum signum confertur. Aiunt hæretici per Euangelicam prædicationem fidem conferri. An propterea in illa externa voce fidem includunt, aut diuini Spiritus operationem excludunt? Deinde si baptismus vitæ nouitatem à Spiritu sancto datam testatur & obsignat, & sine ista obsignatione nemo intrabit in regnum cælorum; consequitur indubiè baptismi necessitas, si non ad conferendam, saltem ad obsignandam & testificandam salutem. Ita vtrouis modo intelligas, ipsa aquæ baptismalis necessitas à Christo docetur. Quare aliquam necessitatem agnoscere ipse Caluinus vult. *Verum quidem est* (ait) *baptismi neglectu arceri nos à salute: atque hoc sensu necessarium esse fateor: sed salutis fiducia præposterè sub signo includitur.* Respondeo, in adultis solùm neglectum baptismi arcere à salute, quatenus in voto baptismi saluari potest, quem non sacramenti contemptus, sed necessitas à baptismo consequendo exclusit; in paruulis verò, qui votum illud habere non possunt, solum baptismi defectum eos à salute excludere, vt Catholica semper credidit Ecclesia, quod contra Pelagianos fortissimè defendit Augustinus. De qua re apud Matthæum plura diximus. *Quantum verò ad hunc locum attinet* (ait Caluinus) *nullo modo adducor vt Christum de baptismo verba facere credam. Hoc enim fuisset intempestiuum. Tenendum enim semper consilium Christi quod antè exposuimus, nempe quòd Nicodemum hortari voluit ad vitæ nouitatem, quia Euangelij capax non erat donec alius homo esse inciperet. Est igitur vna & simplex sententia, nos de integro nasci oportere, vt filij Dei simus, atque huius secundæ genituræ Spiritum sanctum esse authorem. Nam quum Nicodemus Pythagoricam palingenesiam somniaret, Christus, vt hunc illi errorem eximeret, interpretationis vice addidit non fieri naturaliter vt secundò nascantur homines, aut opus esse vt alterum corpus induant, sed nasci, quum mente & animo renouantur per Spiritus gratiam.* Hæc Caluinus. Tota eius speculatio quum in imaginaria illa palingenesia à Nicodemo, & aliis Iudæis credita fundetur, vana & inanis esse conuincitur. Illa enim palingenesia Pythagorica à Nicodemo, vel aliis Iudæis

In Antid. Apostol. ad Roman. 4. vers. 11. Tit. 3.

Ad Matt. cap. 28. vers. 19.

Suprà ad Luc. cap. 9. vers. 7. Iudæis credita fuisse stultissimè asseritur, vt alio in loco demonstrauimus. Sed & Nicodemi verba longè alium sensum demonstrant. Non enim de nouo corpore assumẽdo quærit, *Caluini sensus validè refutatur.* sed de eodem suo corpore ab eadem matre sua iterum progignendo & in lucem edendo interrogat. *Quomodo* (inquit) *homo nasci potest quum sit senex?* non dicit, Quomodo potest post mortem in alio corpore renasci? Et addit. *Nunquid potest in ventrem matris suæ iterum introire?* supple, vt ab eadem matre sua iterum renascatur? Hęc est quod somniauit Nicodemus; non aliquam palingenesiam Pythagoricam, vt ineptissimè somniat Caluinus. Christi quidem consilium fuit, hortari Nicodemum ad vitæ nouitatem, vt Euangelij capax esset, & aduentum Messiæ crederet. Nam & ideo aliàs Iudæis *Ioan. 8.* dixit. *Qui voluerit facere voluntatem Patris mei, cognoscet de doctrina mea, quia ex Deo est.* Idcirco Nicodemo hîc dicit. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei,* id est, non potest cognoscere aduentum Messiæ, quem Iudæi regnum Dei vocabant. Sed quia nouæ natiuitatis vocabulo Christus vsus est, Nicodemus de aliqua carnali natiuitate, nõ spirituali, eum loqui iuxta carnales adhuc & animales affectus suos existimabat. Quam eius crassam imaginationem corrigens Saluator, de vera quidem generatione se loqui docet, sed spirituali, non carnali. Ideóque qualis sit hæc spiritualis regeneratio, & ipsius quale sit primum exordium, docet. Propterea *introitus* verbo vtitur, dicens; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, id est, non habet introitum in Ecclesiam Messiæ. Non dicit sicuti prius dixerat, *non potest videre regnum Dei*, id est, assequi & frui beneficio Messiæ, quod sensui Caluini conuenientius foret. Quare & mox de ipso exordio renouationis fidelium se loqui docens, ponit antithesim inter carnalem & spiritualem generationem his verbis: *Quod natum est de carne, caro est. Quod natum est de Spiritu, Spiritus est.* Christus ergo non solùm de ipsa vitæ nouitate & renouatione necessaria informare Nicodemum voluit, sed & de huius nouitatis exordio ipsáque regeneratione. Quæ sanè duo multum differunt. *Regeneratio & renouatio multum differunt.* Regeneramur semel, *Renouamur* quotidie *de die in diem.* Per regenerationem in statum filiorum adoptionis inducimur; vbi enim filiatio est, ibi vera generatio. Per renouationem opera & actiones filiorum Dei proferimus, & in nouitate vitæ ambulamus. Per regenerationem Christum induimus, per renouationẽ imagini eius conformes efficimur.

Adeò non eſt eadem ſententia (vt vult Caluinus) ſed longè diuerſa quam hîc Nicodemo Chriſtus aperuit.

Nunc reliqua videamus. *Ideò* (ait Caluinus) *Spiritum & aquam pro eodem poſuit. Neque hoc durum aut coactum videri debet.* Cur ita tandem? *Frequens* (inquit) *ac tritus loquendi mos eſt in ſcriptura, quum de Spiritu fit mentio, ad exprimendam eius vim, aquæ vel ignis nomen adiungi.* Vide impoſtoris fraudem. *Aquæ* (inquit) *vel ignis nomen adiungi.* Sed quid hoc ad rem facit, ſi ignis nomen ſpiritui adiungatur, ſed non aquæ nomen? Quæ hæc conſequentia eſt, Ignis nomen adiungitur Spiritui ſancto, vt vis eius exprimatur, ergo aquæ nomen ſimiliter adiungi putandum eſt? Vt Caluini hoc loco coniectura vim haberet, dicere & probare debuit, aquæ nomē Spiritui ſancto adiungi ſolere, non autem ignis aut alterius cuiuſque rei, niſi fortè vtriuſque. Nunc homo vafer quia de aqua probare non potuit (de qua eſt quæſtio) dicit *aquæ vel ignis nomen adiungi.* Quod perinde dicitur, ac ſi probaturus fœminas à Chriſto ad Apoſtolatus dignitatem aſſumptas, ſic argumentaretur: Frequens ac tritum eſt in Euangelio, quum de vocatione ad Apoſtolatum fit ſermo, fœminas vel viros vocari. Certum enim hoc eſt de viris, & propoſitio diſiunctiua, quæ in altera parte verificatur, vera eſt. Sic ludit lectorem ſuum impoſtor Caluinus. Probaturus de aqua, argumentum adfert de aqua vel igne. Móxque probat de igne, non de aqua. *Impoſtura egregia.*

Hoc ipſum tamē quod de igne probat, quale ſit videamus. *Iam* (inquit) *aliquoties habuimus, Chriſtum eſſe qui baptizat in Spiritu ſancto & igni, vbi ignis nihil diuerſum à Spiritu ſonat, ſed tantùm qualis ſit eius in nobis efficacia oſtendit.* Alia hæc & nequior impoſtura eſt, quia cum aperto mendacio coniuncta. Prius dixit, *Frequentem & tritum loquendi morem in Scripturis eſſe, aquam vel ignem Spiritui ſancto adiungi.* Nunc de ſolo igne probans, aſſerit id *aliquoties* dici: quod ſi verum eſſet, non tamen, quod aliquoties dicitur, id frequens ac tritum eſt. Nunc autem nec *aliquoties* quidem, ſed ſemel tantùm hoc dictum fuit à Ioanne Baptiſta, tametſi bis illud legamus Matth. 3. & Luc. 3. qui eandem Baptiſtæ concionem referunt: *Ille baptizabit vos in Spiritu ſancto & igni.* Rurſum falſum eſt, eo ipſo vno in loco ignem nihil diuerſum à Spiritu ſonare. Sonat enim apparitionem Spiritus ſancti in linguis igneis, de qua Chriſtus Apoſtolis iam aſcenſurus in cælum dixit: *Vos baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Ita nihil quàm mentitur ac fallit Caluinus. *Impoſtura nequior cū mendacio coniuncta.* *Act. 1.*

Mouet

Caluini artes.

Mouet sibi statim futilem difficultatem, quòd in his verbis ignis similem non habet cum Spiritu adiunctionem cum ea quam hoc loco aqua. Ibi enim ignis Spiritui postponitur, hîc aqua præponitur; & occurrens huic diuersitati dicit. *Quòd autem hîc præponit nomen aquæ non multum ad rem interest. Imò hæc locutio melius fluit quàm altera: quia scilicet metaphoram sequitur nuda & aperta sententia: ac si diceret Christus neminem esse Dei filium donec per aquã renouatus fuerit; hanc verò aquam esse Spiritum sanctum qui nos repurgat, & qui virtute sua in nos diffusa vigorem inspirat cœlestis vitæ, quum natura prorsus aridi sumus.* Cui respondemus, nõ sanè multum interesse siue præponatur Spiritui aqua, siue postponatur, copula interiecta, quia res diuersa vtroque modo significabitur. Alioqui si huiusmodi exceptionibus ludere liceat, innumeras alias Scripturas facilè peruertet & deprauabit qui volet. *Non est insolens* (ait paulò pòst Caluinus) *copulam exegeticè sumi, quum scilicet posterius membrum explicatio est prioris.* Iuxta has ergo Caluini regulas, quicquid in Scripturis coniunctiuè profertur, non rerum diuersarum enunciatio, sed rei eiusdem explicatio erit; quoties ita rem accipere contra totius Ecclesiæ iudicium, & omniũ Patrum consensum (vt Caluinus hoc loco facit) cuicunque libeat. Sic in istis propositionibus, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; Qui docuerit homines & sic fecerit, vocabitur magnus in regno cœlorum, Qui corde crediderit & ore confessus fuerit Christum à mortuis resurrexisse,* & innumera talia, non res diuersæ enunciabuntur, sed vna & eadem res exegeticè proferetur, & perinde erit siue prius posterioris, siue posterius prioris explicatio sit. Ita nihil in diuinis Scripturis ab hæreticorum corruptelis tutum erit. Quod addit Caluinus, *Nicodemi inscitiam à Christo meritò exprobrari, quòd formam loquendi Scripturæ vsitatam adduxerit, & Christi dictum ex communi Prophetarum doctrina desumptum esse,* hoc totum ad priora illa Christi verba pertinet, *Oportet vos nasci denuo;* non autem ad ista, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,* &c. cui simile aliquid in Prophetis non legitur. Subiungit postremò. *Ac mihi suffragatur contextus. Nam quum mox rationem Christus subijcit cur nos renasci oporteat, præterita aquæ mentione, solo Spiritu quã exigit vitæ nouitatem constare docet, vnde sequitur aquam non esse à Spiritu separandam.* Hæc ille. Eodem argumento, baptismum in vniuersum explodere licebit; ex ipso contextu verborum Christi: quia quum prius dixisset, *Qui crediderit*

Regula ad corrũpendas scripturas à Caluino adinuenta.

Alia Caluini regula ad deprauandas Scripturas inuenta.

& baptizatus fuerit, saluus erit, postea præterita baptismi mentione dixit, *Qui non crediderit, condemnabitur:* vnde sequitur fidem & baptismum pro eodem accipi oportere. Cæterum quantum contextus ipse sensui totius Ecclesiæ suffragetur, antea à nobis expositum est. Hæc est impietas Caluiniana. Apertissimum & receptissimum verborum sensum in quæstione grauissima derelinquit, non nisi futilibus mendaciis & parologismis, & regulis commentitiis ad totam deprauandam Scripturam idoneis subnixus. Sed in hac tam illustris loci corruptela habet Caluinus sibi aduersantes non solùm Lutheranos omnes, sed & ipsum Bucerum & Benedictum Aretium Sacramentarios in cõment. ad hunc locum.

8. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, & quò vadat.*
9. *Sic est omnis qui natus est de Spiritu.*

Propositum Christi est, ostendere eos qui noua natiuitate spirituali de Spiritu Sancto nascuntur, habere quandam similitudinem & indolem diuini Spiritus; sicut id quod carnali generatione nascitur, carnem & carnalia sapit, quod in superiori sententia dixerat. Quam verborum Christi cohærentiam qui rectè aduertit, Spiritum hoc loco pro vento accipi, sicuti recentiores interpretes, & ipse maximè Caluinus accipi volunt, absurdum putabit. Cyrillus quidem, Chrysost. & eum sequuti Theophylactus & Euthymius in hunc locum, Spiritum pro vento exponunt: quam ob causam Græcorum Patrum hanc esse sententiam indefinitè pronunciat D. Iansenius hoc loco. Cæterum de Spiritu S hunc locum exponunt alij Patres Græci, iique grauissimi: Athanas. lib. 1. & 5. de vnica deit. Trinit. Gregorius Nazianz. orat. 5. Theolog. Basil. lib 5. cõtra Eunomium cap. penult. Gregor. Nyss. orat. de S. baptismo. Latini autem Patres ferè omnes hanc sententiam sequuntur. August. in hunc locum tract. 12. non solùm eam tenet, sed & alteram de vento refutare contendit. Hilar. lib. 2. de Trinit. Hieron. ad Hedibiam q 9. Ambros. lib. 2. de fide cap. 3. & de Spiritu S. lib. 3 cap. 11. Gregor. Mag. Moral. lib. 27. cap. 1. Assimilat ergo Christus omnem natum de Spiritu, id est, quemlibet verè Christianum, Spiritui S. de quo re nascitur, in tribus. Primùm quòd sicut *Spiritus S. vbi vult spirat*, & sua dona vbi vult & cui vult distribuit; sic natus de

Spiritus hoc loco Spiritum S. significat.

Renatus ex Spiritu Spiritui S. in trib assimilatur. 1.

2.Cor. 3. Spiritu liber est in suis operationibus. Vnde Paulus. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Ex hac libertate spirituali quilibet
Rom. 13. verus Christianus legem implet, *Plenitudo enim legis dilectio*, quæ est proprium & primarium donum natorum de
Rom. 8. Spiritu) tentationes superat, & peccata deuitat, (*Peccatum enim vobis non dominabitur, quia non estis sub lege*, vt serui,
1. Ioan. 4. *sed sub gratia*, vt liberi) Diabolum vincit. *Maior enim est qui in vobis est quàm qui in mundo.* Denique omne bonum quod vult operatur, & à Dei charitate nunquam inuitus separatur.
2. Sic vbi vult spirat. Secundo assimilatur Spiritui S. omnis fidelis: quia sicut Spiritus Sancti vox auditur quidem exterius per Prophetas, per Christum, per Apostolos, & alios quos perpetuò mittit, etsi ipse sit inuisibilis, sic hominum spiritua-
Matth. 5. lium opera bona & admirabilia foris videntur, *vt glorificetur Pater eorum qui in cælis est*, sed dona gratiarum, vnde hæc
3. opera profluunt, interna sunt & inuisibilia. Hinc sequitur tertium, quòd sicuti nemo scit vnde Spiritus Sanctus veniat, aut quò vadat, id est, vias, iudicia, consilia Spiritus S. nemo
Rom. 11. assequitur, vnde Paulus, *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* sic homines huius seculi vident opera iustorum natorum de Spiritu, sed vias eorum
1. Cor. 2. nemo nouit, nisi qui eodem Dei Spiritu agitur. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi.*
Rom. 8. Vnde & deridet ea. *Prudentia enim carnis, inimica est Deo.*
Ioan. 17. *Mundus quod suum est amat*, &c. Sic nesciunt vnde veniant opera iustorum. Similiter nesciunt quò vadant, quia nondum apparet quid sunt & quid erunt opera iustorum, quantáque mercede retribuenda. Hic est huius loci germanus sensus, qui etiam docet, qui veri & germani sunt Christiani, contra sterilem, nominalem, & imputatiuam hæreticorum iustitiam.

6. *Quod natum est de carne, caro est.*

PEruertit hæc verba Caluinus, vt quicquid homo in Christo nondum regeneratus facit, peccatum esse persuadeat: quasi caro pro carne peccati hoc loco accipi debeat, aut quasi in generatione carnali sola caro nascatur, & anima à Deo non infundatur, quæ tametsi à carne corrupta veluti vase inficiatur vt carnalia sapiat & appetat, rationis tamen lumine à Deo Creatore ornatur, quæ appetitum carnalem corrigere interdum valeat, etsi non semper. De qua naturæ nostræ

noſtræ per peccatum corruptione vide opus noſtrũ de Iuſtificat.lib.2. Cæterum hîc nihil de peccato agitur; & quamuis nullum eſſet in homine peccatum, ſed in ſtatu innocentiæ ageret, verum tamen eſſet quòd in tota propagatione humana, *quod natum eſt de carne, caro eſt.* Propoſitum Chriſti ſolum eſt, oſtendere terminum carnalis & corporalis generationis eſſe ſimilem principio: & quia principium generationis naturalis eſt homo, homo quoque eſt qui generatur.

14. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat.*

DVpliciter hunc locum deprauat Caluinus. Primùm abſurdiſſimè exponit exaltationem, de qua Chriſtus hîc loquitur, Euangelicam prædicationem eſſe. Sic enim ſcribit. *Exaltari ſignificat collocari in loco edito, vt omnium aſpectui pateat. Id factum eſt Euangelij prædicatione. Nam quod de Cruce quidam exponunt, contextui non quadrat, & alienum eſt ab inſtituto. In hunc igitur finem ſimilitudo exaltati ſerpentis in deſerto adducitur, vt ſe doceat Chriſtus Euangelij doctrina ſtatuendum eſſe ante omniũ oculos, vt quicunque ipſum fide intuiti fuerint, ſalutem percipiant.* Hæc ille. Cæterum de ſua futura crucifixione, & de beneficio redemptionis, quod ad ſalutem credendum omnibus eſt, Chriſtum hîc loqui; tum ſimilitudo ſerpentis allata, tum verbum exaltationis efficaciter demonſtrat. Sicut qui in ſerpentem ligno affixum aſpiciebant, à morſibus ſerpentinis liberati erant; ſic qui in Chriſtum crucifixum credunt, à peccatis ſuis liberantur. Sic hæc figura & genus & fructum mortis Chriſti, ſimúlque fidei neceſſitatem ad viuum exprimit. Exaltationis vocabulum non niſi de Cruce apud Ioan. aliis in locis accipitur. *Quum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Iudæi non prædicabant Chriſtum, ſed crucifigebant. Ruſum alibi. *Ego quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Sed Caluinus hunc ſenſum delegit, vt hæreticum dogma de prædicatione Euangelica peccata credentibus remittente, ſicuti nos de Sacramentis loquimur, ſtabiliret.

Exaltatio Chriſti in Cruce.

Ioan. 5.

Ioan. 8.

Alia deprauatio eſt in verbo credendi, cui vita æterna tribuitur. *Hinc* (inquit) *conſtat admirabilis fidei effectus, quia per eam Chriſtum recipimus qualis nobis datus eſt à Patre: nempe*

Sola fides & certitudo gratiæ refellitur.

qui nos æternæ mortis reatu solutos vitæ æternæ hæredes efficiat. Cæterum quum fides huic beneficio primum sanè aditum faciat, non tamen sola sine renouatione mentis interna, & sine spiritu adoptionis filiorum Dei hoc beneficium conferat; huic obstaculo vt occurrat Caluinus, subiungit. *Nondum tamen satis liquet cur & quomodo vitam nobis conferat fides, an quia Spiritu suo nos regenerat Christus, vt viuat in nobis ac vigeat Dei iustitia; an verò quia sanguine eius purgati à peccatis gratuita venia iusti apud Deum censemur. Certum quidem est hæc duo semper coniuncta esse, sed quia hic de salutis certitudine agitur, tenenda præcipuè hæc ratio est, nos idcirco viuere, quia Deus peccata non imputando nos gratis amat.* Falsa & impia doctrina est quam tradit. Fate ut hæc duo semper esse coniuncta, peccata nobis condonari, & Spiritu Christi regenerari, vt viuat in nobis Dei iustitia. Si semper sunt coniuncta, ergo ex vtrisque constat salus nostra, non ex sola remissione peccatorum. Imò ait Caluinus, *quia de certitudine salutis agitur, hæc posterior ratio præcipuè tenenda est.* Vide quomodo fallit ac fallitur. Fallit lectorem nequiter, quum dicit de certitudine salutis hîc agi. Non enim de certitudine, sed de principio salutis agitur: nō de tota perfectione, sed de eo quod imprimis necessarium est. Agnoscit ipse Caluinus, coniungi necessariò renouationem internam, de qua hîc non agitur. *Ideo* (ait Caluinus) *nominatim sacrificij fit mentio, quo simul cum peccatis maledictio & mors abolita est.* Si ergo de sola abolitione peccatorum hîc agitur, & illa sola certitudinem salutis non adfert, (coniuncta quippe esse debet regeneratio in nouam vitam,) euidenter probatur non de salutis certitudine, sed de vna eius parte hoc loco agi. Deinde fallitur ipse turpiter quum dicit, *nos idcirco viuere, quia Deus peccata non imputando gratis nos amat.* Contradicit Christo dicenti: *Ipse Pater vos amat, quia vos me amastis, & credidistis in me.* Ecce amor Dei in nos, non solùm quia peccata remittit, sed quia nos Spiritu Christi regenerati amamus Christum, & credimus in eum.

Caluini mendacium.

Ioan. 14.

Vita nouitas magis causa salutis quam remissio peccatorū.

Deinde absurdissimum est, quòd causa vitæ sit priuatio mortis & nō multo magis noua vita veteri succedens. Quis non capit aërem ex tenebricoso lucidum factum, non solùm propter fugatas tenebras, sed multo verius propter præsentem lucem lucidum vocari & esse? Sic propter spiritualem regenerationem, quæ nouos homines & filios lucis facit, sumus verè & formaliter filij Dei, Deo grati ac iusti; non

solùm

ſolùm propter remiſſa peccata: & in vtroque beneficio conſtat ſalutis noſtræ certitudo.

18. *Qui credit in eum, non iudicatur.*

Confirmant ex his verbis ſuam ſolam ſaluantem fidem hæretici: & vertunt Caluinus ac Beza, ***Qui credit in eum, non condemnatur:*** quum verbum Græcum ſit *κρίνεται*, quod propriè ſignificat ſententiam accipere, ſiue approbationis ſiue condemnationis; non *κατακρίνεται*, quod propriè ſignificat condemnationis ſententiam accipere. Sed vt *κρίνεται* accipiatur hoc loco pro condemnari, non tamen docet hoc ſolo nomine à condemnatione liberos omnes eſſe, quia credunt. Credere in Chriſtum, non eſt, vel ſolam fidem habere & totam doctrinam Euangelicam credere, vel, vt Caluinus hîc exponit, *fiduciã & certitudinem ſalutis concipere*, ſed eſt credendo in Chriſtum tendere, & fidem per dilectionem operãtem habere, ac denique regenerationem in nouã vitam coniunctã tenere, vt ſuprà Caluinus agnoſcit. Poſtremò ***non condemnari***, hoc loco non ſignificat ab omni damnationis ſententia in perpetuum immunes eſſe, ac de ſalute certos (in quo mirificè falluntur hæretici) ſed hoc ſolum ſignificat, ab illa damnationis ſententia liberari credentes in qua nati ſunt, vt non ſint iam amplius filij iræ, ſed filij Dei, accepta videlicet remiſſione peccatorum, & gratia renouationis donati. Sic enim Deus credentes non iudicat, id eſt, actum iuſtitiæ in eos non exercet, relinquens eos in ſtatu perditionis; ſed illis miſeretur, & actum miſericordiæ exercet, vocans in ſtatum adoptionis filiorum Dei, & faciens illos filios acquiſitionis. Denique non iudicatur aut non, cõdemnatur qui credit, quia tranſit à morte ad vitam, nec manet in ſtatu damnationis. Hunc ſenſum genuinũ ac literalem alia Chriſti verba manifeſtè docent. Infrà Ioan. 5. *Qui credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam.* Hæc eſt prima gratia credentibus data; cum qua & in qua gratia ſi perſeuerãt, tunc certo ſaluantur, & finaliter non condemnantur *Qui enim perſeuerauerit vſq; in finẽ, hic ſaluus erit.* Et Paulus: *Participes Chriſti effecti ſumus:* id eſt, tranſiuimus à morte ad vitam, & in iudicium non venimus, & habemus vitam æternam in ſpe & in radice, *ſi tamen initium ſubſtantiæ eius*, id eſt, inchoatam in nobis fidem, quæ eſt *ſubſtantia rerum ſperãdarum, vſq; ad finem firmũ retineamus.*

Contra ſolam fidem ſaluãtem.

Hæreticorum craſſus & perniciosiſſimus error.

Matth. 10.

Heb. 3.

Hebr. 11.

Hoc ſenſu *qui credit in Chriſtum, non iudicatur*, id eſt, ad miſericordiam non ad damnationem vocatus eſt. Sic infrà Ioánes Baptiſta quum dixiſſet, *Qui credit in filium, habet vitam æternam*; quo ſenſu hoc dixerit, à contrario demonſtrat: *Qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*; id eſt, manet in ſtatu iræ & damnationis in qua natus eſt, non liberatur ab illa ira, vt ſit filius & hæres vitæ æternæ, ſicut ille qui credit liberatur. Sed hæc liberatio non eſt adhuc niſi *in ſpe gloriæ filiorum Dei*: quæ ſpes probatione, quam adfert tribulatio, roboratur, & perſeuerantia finali concluditur.

Cap. præſ. vſr. 36. *Rom. 4.*

36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.*

Sola fides reijcitur.

HIc iterum ſua toxica admiſcet Caluinus, & ſanctum Euangelium peſtilenter corrumpit. *Quòd vitæ* (inquit) *cauſa vocatur fides in Chriſtum, inde colligimus in ſolo Chriſto vitam contineri, neque eius aliter nos fieri compotes quàm Chriſti gratia.* Sana hæc eſt & ſalutaris doctrina quia quicquid ad vitam æternam conſequendam requiritur, non niſi per Chriſti gratiam nobis confertur. Sed hoc melle vbi ſuos allexit lectores, mox admiſcet toxicum. *Sed non conuenit inter omnes quomodo ad nos perueniat Chriſti vita. Quidam enim ita accipiunt, quoniam credendo Spiritum recipimus, qui nos in iuſtitiam regenerat, nos eiuſmodi regeneratione ſalutem conſequi.* Sic ſanè tota Scriptura Euangelica & Apoſtolica docet. Quid hîc Caluinus? *Ego autem quamuis hoc eſſe verum fatear, fide nos renouari, vt Spiritus Chriſti nos regat, primo tamen loco conſiderandam eſſe dico gratuitam peccatorum remiſſionem, qua fit vt Deo accepti ſimus. Dico item, in hac ſola totam ſalutis fiduciam & fundatam eſſe & conſiſtere: quia non aliter iuſtitia nobis coram Deo imputari poteſt, niſi dum peccata nobis non imputat.* Hæc ille. Hoc eius toxicum eſt, quo vix peſtiferum magis apparari potuit. Affirmat ſic fide nos renouari, vt Spiritus Chriſti nos regat, quæ prophana & Scripturis inſolens loquutio eſt. Non enim fide nos renouari, vſquam Scriptura dicit, ſed *Spiritu Dei nos renouari*, paſſim Scriptura affirmat. Hic autem Spiritus Dei renouans ac regenerans in nouam iuſtitiam, iam credentibus datur, nec fidei donũ (quod iam acceptum eſt vt initium nouæ creaturæ in Chriſto) ſed charitatis donum largitur, vt fides *per charitatem operans nouam in Chriſto creaturam* perficiat. Quare apud Paulum ſynony

Caluini artes.

Non renouamur fide, ſed Spiritu Dei. *Tit. 3.* *2. Cor. 4.* *Coloſſ.*

nonyma hæc duo sunt, *Fides per dilectionem operans*, & *Noua in Christo creatura*. Spiritu igitur Dei renouamur, vt, illo Spiritu nos regente, ambulemus secundum spiritum, non secundum carnem, in nouitate vitæ, non secundum veterem hominem. Sed quicquid hac de re sit, *primo loco* (ait Caluinus) *consideranda est gratuita peccatorum remissio, qua fit vt Deo accepti simus*. Ordine quidem generationis primum locum illa habet, sicut antecedit veteris formæ priuatio nouam inductam. Sed vt fiat in Christo noua creatura, in ordine perfectionis prima est charitas, quæ nouam creaturam perficit, & facit acceptum Deo, quod sola peccatorum remissio sine nouo charitatis diuinæ habitu, qua & proximum diligimus, & peccatum odimus, non facit.

Gal. 5. 6. & 6. 15.

Peccatorum remissio incipit nō perficit iustitiam.

At non contentus Caluinus hac impostura & astutia, nequitiam adiungit, dicens *in hac sola remissione peccatorum totam fiduciam & fundatam esse & consistere*. Sed huic nequissimæ audaciæ diserta diuinæ Scripturæ verba opponimus. *Si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam apud Deum habemus*. Et iterum. *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. Et rursum. *Si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris*. Et adhuc. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet*, &c. Denique innumera huiusmodi sunt quæ salutis spem, fiduciam, & certitudinem, non in sola peccatorum remissione, vt peccati aduocatus Caluinus affirmat, sed in obedientia mandatorum Dei, in cordis puritate, in mortificatione carnis, in perseuerantia boni operis collocant.

Fiducia tota nō est in remiss. peccatorū.
1. Ioan. 4.
Rom. 8.
Rom. 11.
Ioan. 15.
Caluinus peccati aduocatus.

Sed pulchrum est aduertere, quo tandem argumento hanc pestilentem sententiam vel dementiam potius suam impius Caluinus confirmat. *Quia* (inquit) *non aliter iustitia nobis coram Deo imputari potest, nisi dum peccata nobis non imputat*. Hoc est dicere, quia hæreticum meum dogma, de imputatiua iustitia, aliter stare non potest. Sic ex vno principio hæretico quod sibi concedi vult, & nemo orthodoxus concedere potest, alteram propositionem suam hæreticam confirmare contendit. Sic non ex sensu Scripturarum suam sententiam, sed ex sua sententia Scripturarum sensum cōfirmat ac probat. Ecclesia verò Catholica imputatiuam iustitiam, quæ nec in Scripturis vsquam nec apud Patres Ecclesiæ legitur, in sensu Caluini penitus execratur & damnat. Manet igitur firmum, eum qui credit in filium Dei, habere sanè vitam æternā, quia ad eam a lipiscendam ius ac titulum habet, factus adoptionis filius non per ipsam solam fidem, sed per alia etiam Spiritus

Sancti dona quæ credentibus dantur, quæ non solam remissionem peccatorum conferunt, sed *nouam creaturam in Christo* faciūt, vt ambulans *in nouitate vitæ, & secundum spiritum, non secundum carnem*, sic demum extra damnationem sit, & viuat Deo. *Si enim Spiritu facta carnis mortificauerimus, viuemus. Si autem secundum carnem vixerimus*, vtcunque credentes & præteritorū peccatorum venia donati, *moriemur.*

Rom.6. & 8. Gal.5. & 6. Rom.8.

IN IOANNIS CAP. IIII.

14. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Operum gratiæ dignitas.

DOCET hic locus vim & dignitatem operum gratiæ quæ procedunt à Spiritu Sancto, contra impios horum temporum hæreticos, qui hanc vim & dignitatem adeò negant, vt omnia opera Spiritus Sancti *in filiis Dei quantumcumque perfectis penitus immunda, adeóque peccatis potius quàm virtutibus accensenda* (sunt impij Caluini verba) esse pronuntient. At loquitur hic Christus de Spiritu Sancto quem daturus est credentibus, quod & ipse hoc loco Caluinus agnoscit. *Aqua* (inquit Christus) *quam ego dabo ei*, sup. bibenti ex illa, & Spiritum Dei in se accipienti, (quem *per lauacrum regenerationis effundit abundè*) *fiet in eo fons aquæ*, id est, fons donorum & gratiarum: duas enim aquas ponit, vnam fontanam seu fontis instar, quia principium & plenitudo gratiarum omnium est, ipsum videlicet Spiritum Sanctum; alteram ab eo deriuatam ac fluentem, quam alibi vocat *flumina aquæ viuæ fluentia* in cordibus credentium, quæ sunt ipsa dona virtutum & gratiarum quibus filij Dei donantur, *salientis in vitam æternam*: id est, quæ gratiarum & donorum aqua cordibus piorum infusa, salit in vitam æternam. Quærimus hic ab hæreticis horum temporum Quid est *salire in vitam æternam?* Caluinus nihil aliud illis verbis significari vult, quàm huiusmodi gratiarum ac donorum perpetuitatem ac stabilitatem. *Continua* (inquit) *notatur irrigatio quæ in hac mortali & caduca vita cœlestem in illis æternitatem fouet. Non ergo ad breue tempus in nos fluit Christi gratia, sed se vsque ad beatam immortalitatem diffundit, quia fluere non desinit, donec vita incorruptibilis, quam inchoat, suis omnibus numeris constet.* Sed iuxta hunc sensum, non erat dicendum, *salientis in vitam æternam*, sed salientis, vel fluentis potius, in æternum: sic enim perpetuum &

Institut. lib.3.c.15. num.3. & cap.17. num.1. In Comment. in hunc locum. Tit.3.

Duæ aquæ fontana & deriuata. Ioan.7.

1.

& stabilem eius fluxum notaret. Deinde in priori sententia 2.
stabilis hæc & continua irrigatio gratiarum Christi significata est, vbi Christus dixit: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Ad quæ verba Caluinus: *Vult* (inquit) *Spiritum Sanctum scatebram esse perpetuò fluentem, nec esse periculum vt exarescant, qui spirituali gratia renouati sunt.* Aut ergo in his verbis plus dicit Christus, aut priorum verborum inanem & insuetam repetitionem facit. Et quidem multò plus eum dicere, ipsa verba conuincunt. Illic enim de 3.
effectu aquæ quam daturus erat, quoad eius perpetuitatem, dixit, *non sitiet in æternum:* quia acceptus semel Spiritus S. quantum ex se est, tollit sitim in perpetuum; sitim, inquam, siue peruersam ac præposteram rerum noxiarum (qualis febricitantium est) terrenarum videlicet & carnalium, siue rectam & ordinatam rerum diuinarum & spiritualium, quatenus ad salutē necessaria sunt. Nam sitis & desideriū maioris perfectionis in hac vita non extinguitur: nec etiam prorsus in altera vita, vbi satietas non est quæ fastidium parit, sed cum aliquo semper desiderio coniuncta, quæ ipsam sitim iucundiorem facit. Illic igitur in prioribus verbis docet Spiritū S. tollere sitim, qualē dixi in perpetuum, quantum ex se est. Nam quantū ex parte hominū est, quorum lubrica & incerta voluntas est, quia illi redeuntes frequenter ad vomitum excutiunt Spiritum Sanctum, redit iterum illa sitis aut peruersa aut ordinata quam dixi, vbi profugus à patre filius *in seipsum reuerti* incipit. Hîc verò & in his verbis docet Christus alium effectum aquæ quam daturus erat, nempe vt fieret in bibente illam *fons alterius aquæ*, non solùm perennis & continuus, sed admirabilis præterea efficaciæ *salientis* videlicet *in vitam æternam*, id est, eum in quo est, salire facientis (neque enim ipsa dona per hanc secundam aquam significata per se saliunt aut operantur, sed operari faciunt, & operationum sanctarum principia sunt, tametsi, vt sic loquar, principiata & secūdaria) *in vitam æternam*, id est, talia opera & virtutes sanctas producentis, quæ hominem ad vitam æternam perducant: siue per modum meriti, siue per modum simplicis iustitiæ, hoc loco non inquirimus: satis nunc erit ostēdere, *aquam salientem in vitam æternam* ex fonte Spiritus Sancti profluentem, esse aquam quæ eum, in quo est, salire facit, id est, efficaciter perducit ad vitam æternam. Vsus est Christus verbo *saliendi*, vt ostenderet huius aquæ efficaciam certissimam, quę non solùm pertingit aut de facto peruenit ad beatitudinem; sed quæ

Quomodo Spiritus S. tollit sitim.

Luc. 15.

Salientis in vitam æternam.

sua quadam energia, efficacia, & impetu (qualis in salientibus est, longè alia quàm in ambulantibus, aut quoquo modo incedentibus) ad eam hominem perducit. Ab impetu quippe & virtute principij seu fontis sui Spiritus Sancti, cui nos hæc alterius aquæ dona coniungunt, habet hæc aqua, habent hæc dona & gratiæ credentibus infusæ, vt eos ad Deum perducant, Deóque ac vita æterna dignos faciant. Sumpta est metaphora ab aqua materiali, quæ tantum adscendit quanta est altitudo principij à quo emanat. Sic dona Spiritus Sancti, quia ab eo procedunt, ad eum ipsum eiúsque fruitionem hominem cõscendere faciunt. De diuini Spiritus efficacia hoc in loco à Christó significata, vide latius & vberius disputata in Promptuarij Catholici parte Quadragesimali, in Feria 6 hebdom. 3. Quia enim ad præsentis literæ explicationem ea non faciunt, ea hoc loco non repetimus.

20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet.*

QVia hæc mulier Patrum veteris testamenti factum de cultu Dei in monte Samariæ contra Christum præpostere protulit, bonus Caluinus pulchrum sibi argumentum nactus visus est, vt omnem in vniuersum Patrum & Magistrorum Ecclesiæ Christi authoritatẽ labefactaret; nostrámque in illorum factis ac dictis vel imitandis vel in veritatis antiquæ testimonium proferendis diligentiam in vniuersum condemnet. Quia in re perinde facit ac si nullas Scripturas pro veritate proferendas quisquam diceret, eo quod diabolus illas contra Christum impiè & præpostere protulit. Sed audiamus superbi hominis ad hunc locum hac de re verba. *Hic locus* (inquit) *insigni documento est, quàm præpostere faciunt, qui posthabito Dei mandato se coformant ad Patrum exempla.* Illi haud dubiè præpostere faciunt qui Dei mandatum Patrũ exemplis postponunt: quod nemo Catholicus facit. Cæterũ Catholici Patrum exempla imitantes, non illa Scripturis aut Dei mandato anteponunt; sed quid doceant Scripturæ, & quid iubeat Deus, malunt à Patribus discere quàm à Caluino; ab Ecclesiæ Magistris antiquissimis &. tam eruditionis quàm sanctitatis nomine celeberrimis, quàm ab vno nouello hæretico, & indocto (quod frequentes eius contradictiones demonstrant) & impio, quod detestandæ eius hæreses, maximè

SS. Patrũ imitatio & allegatio defenditur.

Patres non Dei mandato sed hæreticorum placitis anteponuntur.

maximè de Deo authore & impulsore peccati (vt olim demonstrauimus) ad oculum loquuntur. Audiamus tamen petulantis hominis accusationem; & si quid ea ponderis ac momenti habeat, dispiciamus. *Notandum* (inquit) *est quot modis hic peccare soleat mundus.* Bonus Caluinus aut extra mundum aut de mundo non est: nisi fortè & idem peccet sicut solet mundus. *Sæpe* (inquit) *contingit vt sine delectu pro Patribus maior pars sequatur qui minimè omnium habendi erant Patres.* Si qui ita peccant, Patrum authoritati nihil hoc derogat, sed eorum temeritatem arguit qui pro Patribus habent qui non habendi erant. Multi olim pro Scripturis habebant quæ apocrypha erant: quod Scripturarum iustam authoritatem nihil imminuit. *Ita hodie Papistas videmus, quum inflatis buccis Patres decantant, nullum Prophetis & Apostolis locum dare.* Putidum mendacium impostore hæretico dignũ. Sic Patres allegant Catholici, vt Scripturis Propheticis & Apostolicis primum semper concedant locum. *Vbi autem paucos nominarunt honore dignos, coaceruare ingentem hominum sui similium cateruam, vel saltem descendere ad corruptiora secula, quibus etsi nondum tam crassa barbaries inualuerat, religio tamen & doctrinæ puritas multum declinauerant.* Bene est quòd saltem aliquos Patres honore dignos censere dignatur. Quæ sit alia ingens caterua, conijciendum lectori relinquit: ne, si eos nominaret, in promptu esset exceptio. Cui hoc vnum respondemus, in illa caterua non alios esse, nisi qui Patres illos honore dignos in eadem doctrina ac fide imitati fuerunt. De seculis corruptioribus quod garrit in nullius seculi Patribus vera hactenus vacillauit fides: nisi aut nullam tunc Christi Ecclesiam, aut sine legitimis Patribus Ecclesiam fingat. Est autem hodiernum seculum omnium quæ hactenus fuerunt, ad fidem ac religionem quod attinet, propter grassantes sine numero hæreticos, corruptissimum. *Ergo tenendum est sedulò discrimen, ne Patres censeantur, nisi quos constabit fuisse Dei filios: deinde qui pietatis suæ excellentia hunc honoris gradum promeriti sunt.* Tenendum quoque sedulò discrimen est, ne scriptura Canonica censeatur, nisi quã constabit diuinitus fuisse inspiratam: deinde quæ doctrinæ suæ excellentia hunc honoris gradum promerita sit. Sed nec propterea aut Patrum, aut Scripturæ, ea, quæ cuique debetur, labefactatur authoritas.

In opere de Iustificat. lib. II.

1.

Caluini putidum mendacium.

2. *Frequenter etiam in eo peccatur, quòd temere ex Patrum factis communis lex statuitur.* Frequenter quoque in eo peccatur,

catur, quòd ex sanctorum factis in Scriptura commemoratis communis lex statuitur. Nam quia Helias sacerdotes Baal magno numero interfecit, licere sibi hodie Caluinistæ putant sacerdotes Catholicos mactare: & quia Abraham cum ancilla Agar consentiente Sara coniuge concubuit, Caluinianæ ancillæ morosas se habere dominas conqueruntur, quòd quum illæ steriles aut vetulæ sint, cum heris suis dormire non permittantur. Nihil fingo, sed quod in nostra Anglia gestum scio. Taceo alia pudoris & modestiæ causa. Nihil hoc tamen vel Scripturarum vel Patrum iustam reputationē imminuit.

Vulgus enim non satis honoris se Patribus habere putat, nisi eos eximat hominum numero. Sic quidam Euangelici fratres non satis honoris se diuinis Scripturis habere putant, nisi omnia in illis conscripta ipsi quoque sine discrimine imitentur. *Ita dum nobis in mentem non venit homines fuisse qui labi poterāt, vitia virtutibus promiscuè miscemus: vnde sequitur pessima in viuendi ratione confusio. Nam quum ad legis regulam examinanda sint omnia hominum facta, trutinam ipsam suis ponderibus subijcimus. Denique vbi tanti fit Patrum imitatio, impunè post eos se peccare mūdus putat.* Totum hoc ex præpostera quoque Scripturarum lectione accidit interdum, vt vix pro vitiis habeantur quæ à Sanctis viris vel malè perpetrata, vel in figura gesta legunt, aut ab aliis lecta audiunt. Sic propter Dauidis adulterium & homicidium electorum peccata excusantur: & duas sorores ducere exemplo Iacob, aut seipsum interficere exemplo Sampsonis, aliqui malè sani hæretici se posse arbitrati sunt. Nec tamen vel Scripturarum lectio, vel sanctorum Patrum pia & prudens imitatio, propterea explodenda est. Et Patres quidem homines fuerant, qui labi poterant. Caluinus similiter & Lutherus homines, opinor, fuerunt, qui multò probabilius & labi, & decipi, & toto cælo à veritate ac pietate aberrare poterant, turpissiméque aberrarunt. Caluinus tamen, vt eum sui imitentur, adeò libenter semper tulit, vt neminem sibi contradicentem ferre potuerit. Lutheri verò illa superbissima vox est. *Ego in hoc libro non contuli, sed asserui & assero: & penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo vt præstent obsequium.* Et iterū. *Scio me mea dogmata habere de cælo.*

Gnostici & Circuncelliones.

Bolsecus in vita Caluini.

In fine libri de seruo arbitrio.

3. *Tertium vitium est* (ait Caluinus) *praua æmulatio, vbi scilicet nec eodem præditi spiritu, nec eodem instructi mādato, trahimus in exemplum quod aliquis Patrum fecit.* Quid hoc tertium à secundo differat quod proximè posuit, nec ipse Caluinus

uinus diſtinguet vnquam, niſi quod ibi imitationem dixit, hîc æmulationem prauam vocet. Sed quid ex eo inferat videamus. *Ex hoc fonte fluxiſſe bonam partem veteris monaſtices fatebuntur qui prudenter veterum ſcripta expendent.* Laudo Caluini ingenuitatem. Si enim veteres Monachi à ſuis maioribus ſua inſtituta acceperunt, eóſque imitati ſunt; profectò nec res noua eſt monaſticæ vitæ inſtitutum (vt clamare ſolent hæretici) nec veteres Monachi ſua aliqua inuenta amplexi ſunt, ſed à probatiſſimis Patribus ea hauſerunt. Laude hoc dignum, non vituperio, nemo æquus negabit. *Ergo* (ait Caluinus) *niſi ſponte errare libeat, ſemper videndum eſt quo quiſque ſpiritu donatus ſit. quid ferat cuiuſque vocatio, quid ſingulis conueniat, & quid ſingulis ſit mandatum.* Bonus Caluinus, quod ſemper in Eccleſia Catholica accuratè ſeruatum eſt, nunc demum quaſi nouus de cælo Magiſter, alios ſe docere poſſe arbitratur. Quis neſcit in Eccleſia Catholica ordinem hierarchicum eſſe, vt, ad pietatis ſtudium quod attinet, nec nouum aliquod inſtitutum à pluribus ſuſcipiendum ſine iuſta authoritate & ſtricto examine approbatum aliquando fuerit, nec priuatæ perſonæ ſingulare aliquod vitæ genus ſine Patrum ſuorum ſpiritualium ac ſuperiorum approbatione aggredi vnquam potuerint? nihil ergo ad rhombum hæc omnia. Videamus reliqua.

Huic tertio vitio affine eſt aliud, confuſio ſcilicet temporum, dum poſteri in Patrum exemplis occupati, diuerſam agendi legem ſibi à Domino præſcriptam eſſe non cogitant. Hoc ſi ita eſt, iam ad primam accuſationem redit, de iis qui poſt habito Dei mandato ad Patrum ſe exempla confirmant. Cui quod antea reſponſum eſt, hîc quoque ſatisfaciet. Sed aliquid in ſpecie dicturus Caluinus eſt. Audiamus. *Huic* (inquit) *inſcitiæ acceptum referri debet immenſa ceremoniarum congeries, quibus obruta eſt Eccleſia ſub Papatu.* Hæc adhuc indefinita accuſatio eſt, quia nec cæremonias deſignat, quæ ſpirituali huic viro diſplicent, nec ex qua parte ſtet illa cōgeries oſtendit. Sed doloſus verſatur in generalibus; & Caluino magis ex re viſum eſt dolo agere, quàm in ſinceritate veritatis & honeſtatis. Audiamus adhuc cætera.

Statim ab Eccleſiæ exordio in hac parte peccari cœptum eſt, quia plus valuit ſtulta Iudaiſmi affectatio quàm decebat. Habebant Iudæi ſua ſacrificia. Ne tali pompa carerent Chriſtiani, inuentus eſt immolandi ritus. Quaſi verò deterior futura eſſet Chriſtiana Eccleſiæ conditio, ſi ceſſaſſent omnes vmbræ quibus

offuscari poterat Christi claritas. Hic instituitur veteris Ecclesiæ accusatio. Sed primùm totam actionem reiicimus vt nefariam conspirationem, iuri humano atque diuino repugnantem. Non est audiendus filius contra patrem, aut seruus contra dominum, in iis quæ ius paternum, aut domini prærogatiuam concernunt. *Non est discipulus supra magistrum, neque seruus maior domino suo.* Caluinus aut filius & membrum

Veteris Ecclesiæ accusatio multis de causis reijcienda.

Matt. 10.

1\. Ecclesiæ est, aut extraneus, hospes, & aduena. Si filius, aut membrorum, non est audiendus contra Patres & capita Ecclesiarum Christi. Si extraneus & aduena, eius accusatio contra domesticos fidei multò magis reiicienda est. Deinde iuxta

2\. Apostoli regulam, *Aduersus presbyterum accusatio recipienda non est, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Caluinus ergo contra totum presbyterium veteris Ecclesię solus arguens & absque testibus, non audiendus, sed castigandus est. Rursum,

1. Tim. 3.

3\. Actio sequitur forum rei. Si veteris Ecclesiæ Patres reos constituere Caluinus vult, non eos apud tribunal suum, sed apud tribunal Christi, quod in terris aliud non est quàm Ecclesia Christi, conuenire debet. Nunc homo impius, & audax, actorem & iudicem agit: accusat, & condemnat. Nullam Ecclesiā sed seipsum audit. Postremò quid erit in religione firmum,

4\. quid constans, quid certum, si totius veteris Ecclesiæ *ab ipso eius exordio* (sic enim loquitur) praxis, ídque in toto externo cultu, post tot secula, argui, reprehendi, superstitionis & *affectati Iudaismi* damnari possit? An non eadem libertate quilibet alius hæreticus quodlibet fidei dogma, quantalibet omnium Patrum ab ipso Ecclesiæ exordio consensione firmarum, conuellere, arguere. & condemnare poterit? Quare hac in re Caluinus nihil nisi suam dementissimam insaniam pio & prudenti lectori prodidit. *De illis enim dubitare* (multo magis illa *affectati Iudaismi* damnare) *quæ tota per orbem frequentat Ecclesia, insolentissima insania est*, ait S. Augustinus, vir (ni fallor) Caluino modestior & fide dignior. Sic ipsam (vt dixi) actionem, vt improbi hominis nefariam conspirationem, meritò reiicimus. De re verò ipsa, mox in alio huius Euangelij loco dicetur.

Epist. 118.

Infrà cap. præf. v. 21

Recentioris Ecclesiæ accusatio refellitur.

Iam ad recentioris Ecclesiæ accusationem descendit, & ait: *Sed postea longius erupit, ac sine modo grassatus est furor.* Furiosa est insani cerebri declamatio, nulla ratione subnixa, nullo argumento firmata. Concludit tandem. *Ergo ne hic labamur, semper ad præsentem regulam attentos nos esse oportet.* At quæ est hæc præsens regula? Attendat Lector, ne se inanibus

ver

verbis falli patiatur. *Olim* (inquit) *suffitus, luminaria, vestes sacra, altare, vasa, & similes ritus Deo placebant. Nempe quia obedientia nihil habet gratius vel magis pretiosum. Nunc à Christi aduentu mutata est ratio.* Qui sic Caluine, aut vnde id probas? Ne vno quidem verbo probat impostor à Christi aduentu mutatam esse rationem, vt nunc cæremoniis externis in cultu Dei externo non sit opus. Sed suam nudam ac simplicem assertionem, totius accusationis fundamentũ ponit. Suam nudam ac simplicem assertionem, *præsentem regulam* vocat, *ad quam attentos nos esse oportet.* Post omnem declamationem tam contra veterem quàm contra præsentem Ecclesiam, quum ad rem & punctum venitur, quo accusationis totius causa, ratio, fundamentum constitui debet, nihil adfertur aliud, quàm nuda & simplex affirmatio. Atqui qua ille facilitate mutatam iam esse in Christi aduentu rationem affirmat, vt altaria, quæque eò pertinent, locum amplius in Ecclesia Christi habere non debeant, eadem facilitate hoc totum nos illi negamus: & negantem habemus nobiscũ vniuersam Ecclesiam Christi tam veterem ab ipso eius exordio quàm præsentem. Nec negamus tantùm, sed & ex Apostolo probamus, disertis verbis dicente. *Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* Si altare, suffitus quoque, luminaria, vestes sacras, vasa, & similes ritus eò pertinentes. Cæterum de re hic non disputamus, nec disputandi locus est. Caluini tantùm aduertenda improbitas, impudentia, impietas, qui post tam longam accusationem tam in genere quã in particulari, tam grauem, tam acerbam, quum ad causæ firmamentum venitur, nihil quàm lectorem ludificat. Perpetuus hic illi mos est. Audacter asserit, confidenter accusat, copiosè cõcludit. Nihil omnino probat, nihil confirmat. Hoc est impostorem ac seductorem agere, & vt Apostolus dicit, *in astutia & nequitia circumuenire.* Quare iterum post nudam & simplicem assertionem suam fortissimè concludit. *Ergo quid nobis in Euangelio præscribat Christus, considerandum, ne temerè sequamur quod sub lege Patres seruarunt. Nam quæ tunc fuit pia sacrorum obseruatio, hodie sceleratum sacrilegiũ foret.* Quid in Euangelio præscribat Christus, & quàm latè patet docendi potestas Ecclesiæ magistris in Euangelio data, & quatenus externis ritibus Deus colendus sit, ipsa nos Ecclesia docere debet & docuit, nõ Caluinus, non alius quilibet post tot secula nouellus magister. Lippis ac tonsoribus in Ecclesia Catholica notum est, cæremonias

Caluini fundamentum, propria assertio.

Hebr. 13.

Caluinus verus impostor.

Ephes. 4.

Ecclesiæ non ex imitatione Iudaica magis quàm Ethnica, sed ex Apostolorum & Apostolicorum virorum pia institutione promanasse. De qua re mox plura dicemus in postremo huius Euangelij loco. Nam de ipsa SS. Patrum salubertima & necessaria authoritate & quatenus ea valeat, & quousque se extendat, in opere nostro de Principiis fidei iam olim latè diximus.

Lib. 7. ca. 12. & seq.

22. *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.*

Intentiones bona frustra impugnantur.

Locus impotentem Caluini calumniam, qua Catholicos ad hæc verba grauat, paucis repellendi. *Hoc* (inquit) *fulmine concidunt bonæ omnes intentiones quas vocant. Habemus enim homines nihil posse quàm errare, vbi sua eos regit opinio sine verbo aut mandato Dei. Nam Christus personam & causam gentis suæ suscipiens, Iudæos longè à Samaritanis distare docet, & hoc vno eos præstare, quòd æternæ salutis fœdus cum illis pepigerat Deus: & quòd non incognitum aliquod numen, sed Deum vnum adorant, qui se illis patefecit, & à quo sunt in populum adoptati.* Obseruanda est collectionis Caluinianæ absurditas pariter & impietas. Absurda & insulsa hæc collectio est. Samaritani quia cum vero Deo falsos deos colebāt, nec vllam habebant religionis suæ certam regulam ac normam, videlicet nec Scripturas (nisi solum Pentateuchum) nec sacerdotes legitimos & à Deo missos, nec certa & legitima sacrificia aut festa à Deo instituta, sed in quatuor sectas (Sebnæos, Corthenos, Dositheos, Essenos) diuisi, tam sacrificia immutabant, quàm festa transferebant, prout cuique sectæ visum erat, & à solo diuini cultus loco ac templo abhorrebant; has & alias ob causas, *adorabant quod nesciebant*, id est, in toto Dei cultu aberrabant: ergo Christiani Catholici nullas bonas intentiones habere possunt, nisi quæ in Dei verbo aut mandato scripto continentur. Hæc est enim ex illis verbis, *Vos adoratis quod nescitis*, Caluini conclusio. Cuius absurditas in simili apparebit. *Qui ambulat in tenebris, ambulat quò nescit:* ergo qui ambulat in lumine, nisi lucernam manu gerat, ambulat quoque quò nescit. Christiani quippe Catholici, & fide iam ac Spiritu Dei donati, *ambulant in lumine, aguntur Spiritu Dei*, habent ductores quos Deus illis dedit. Scripturarum lucerna non semper opus habent. Multa pietatis opera vel ex Spiritus sancti solo instinctu, vel iuxta ducto

Epiphan. har. 9.

Caluiniana absurditas in simili demonstratur

Rom. 8.

ductorum suorum ac Pastorum consilia, absque expresso in Scripturis mandato Dei, piè ac laudabiliter exequuntur. Quorum nisi in ipsis Scripturis multa occurrerent exempla (quæ in Promptuario nostro Catholico enumerauimus) fingi hoc à me videri posset. Nunc autem ex bonis filiorum Dei intentionibus (quibus se hostem Caluinus profitetur tum hoc, tum aliis in locis) quæ vel non expectato Dei mandato spontaneas Deo oblationes & hostias spirituales faciunt, vel præter & vltra ipsum Dei mandatum in Scripturis positum (quod frequenter necessaria sola præscribit) opera supererogationis præstant, innumera bona opera Deo gratissima procedunt. De quibus in Promptuario nostro Morali semel atque iterum disseruimus. Vt ipsemet Caluinus hunc suum commentarium in Euangelium Ioannis, in Harmoniam trium Euangelistarum, in omnes Apostolicas Epistolas conscriberet, in quo (quæso) verbo aut mandato Dei scripto fundatur? aut vbi mandatum in Scriptura accepit? An negabit tamen aut videri non volet ex bona intentione ad Dei gloriam & proximi vtilitatem se ea omnia scripsisse? Negare etiã poterit absque vllo Dei verbo aut mandato in Scripturis posito ad illa opera animũ applicuisse? Cur ergo cæcus hæreticus in aliis tam multis piorum bonis operibus ac laboribus easdem bonas intentiones non aduertit? Cur eas reprehendit, & hominum impiorum, qui verum Deum ignorant, cæco cursui assimilat? Omnes à vero Dei cultu alieni, vt isti Samaritani, vt pagani, vt hæretici, *adorant quod nesciunt:* nec eos iuuare possunt bonæ aliquæ intentiones, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, & Spiritum Dei non habent à quo agantur. At verò pij & Catholici Christiani, Christo Capiti in suo corpore, quod est Ecclesia, adhærentes, ideóque Spiritũ Christi qui in corpore eius est, & extra corpus eius non est, in sese habentes, *id adorant quod sciunt*, in Dei cultu non aberrant, tametsi extra Scripturæ terminos multa bona in Scripturis non præscripta operentur; & eorum bonæ intentiones plurimũ eos iuuant, multáque præclara opera Deo grata, proximis vtilia, proferunt. Ex quibus efficitur non absurdam modò, sed & impiam (vt dixi) collectionem hanc Caluinianam esse. Quare quod iterum hoc loco repetit & ingeminat, eadem impietate laborat. *Quantumuis* (inquit) *in sua pertinacia sibi blandiantur & plaudant, qui ex sensu suo vel hominum traditionibus adorant Deum, hæc vna vox de cælo detonans, quicquid se habere putant diuinum & sanctum, prosternit. Itaque vt Deo probetur nostra*

In Dom. infra Oct. Natiuit. Dom.

Domin. 1. post Epiphan. tex. 1. Domin. Pasch tex. 2. Dom 4. post Tent. tex. 2.

Hebr. 10.

religio, necesse est vt in scientiam ex eius verbo conceptam recumbat. Quadrant hæc verba optimè in ipsum Caluinum, omnésque sectarios, qui *ex sensu suo* (non ex sensu Ecclesiæ, non ex sensu & consensu Sanctorum Patrum, contra quos modò Caluinus declamauit, non ex sensu Sacrorum Conciliorum) & *ex hominum traditionibus*, Lutheri, Buceri, Zvvinglij, & aliorum placitis, Deum adorant, Scripturas exponunt, dogmata fabricant, cultum instituunt. Isti omnes *adorant quod nesciunt.* Istorum religio non recumbit in scientiam ex verbo Dei conceptam, sed in scientiam ex proprio cuiusque cerebro natam; ad quam postea Dei verbum contorquent, vt in nostris, fauente Deo, Antidotis Euangelicis & Apostolicis toti orbi manifestum fiet. Catholici verò, quorum hîc bonas intentiones extra scriptum verbum impugnat Caluinus, *nec ex sensu suo, nec ex hominum traditionibus*, sed ex sensu Spiritus Dei quem acceperunt in corpore Christi, & ex hominum, quos Deus misit, suæque Ecclesiæ præfecit, & eam docere ac regere iussit, doctrina & præceptis Deum colunt. Religionem quoque tenent non à seipsis recenter inuentam, vt Caluinus cum suis, sed ex verbo Dei conceptam, iuxta perpetuam Catholicæ Ecclesiæ fidem, & Sanctorum probatorum expositiones orthodoxas: quas contra omnes quocunque tempore exurgentes hæreses Pastores Ecclesiarum, qui pro tempore fuerunt, summa religione & diligentia sequuti & imitati sunt, vt alio in loco ostendimus.

Hæretici sensum suum & hominum traditiones sequũtur.

Iam verò absterſa hæc Caluini in Ecclesiam Catholicam calumnia, videamus quàm hæc reprehẽsio, *Vos adoratis quod nescitis*, in ipsum maximè Caluinum omnésque hæreticos rectè ac meritò retorqueri debeat. Samaritani adorabant quod nesciebant, quia nec verum Deum cognoscebant, nec eum rectè colebant. Non cognoscebant verum Deum, quia quem pro Deo colebant illius solùm terræ Samaritanæ, non vniuersorum, Deum esse credebant. Non eum rectè colebant, quia nec ritus à Deo præscriptos tenebant, & præterea multos falsos Deos adorabant. Temporis denique progressu etiam templũ magnum in monte Garizim extruebant, quod templo Hierosolymitano ex Dei mandato extructo æmulum foret. Sic templum contra templum, altare contra altare erigebant, séque veros Dei cultores venditabant. Eorum originem his verbis describit Scriptura. Abductis decem tribubus in Assyriam (quarum tota possessio Samaria tunc vocabatur) & in eorum locum ac possessiones Assyriis translatis, *Nunciatum*

De Trin. cip. fidei lib. 7. c. 12.

Hæretici hodie adorant quod nesciunt.

Samaritanorum errores & origo.

ciatum est Regi Assyriorum, & dictum: Gentes quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariae pro filijs Israel, ignorant legitima Dei terrae, & immisit in eos Dominus leones: & ecce interficiunt eos, eo quòd ignorent ritum Dei terrae. Praecepit autem Rex Assyriorum, dicens, Ducite illuc vnum de sacerdotibus quos inde captiuos abduxistis, & vadat & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terrae. (Semper vocant eum quem colere intendebant, Deum terrae, quasi illius terrae proprium quendam Deum, & non totius vniuersi conditorem.) *Igitur quum venisset vnus de sacerdotibus his qui captiui ducti fuerant in Samaria, habitauit in Bethel* (hic est ille mons in quo Iacob adorabat, & de quo haec mulier in hoc Euangelio loquitur, exstructo tunc illic templo magnificentissimo) *& docebat eos quomodo colerent Dominum. Et vnaquaeq; gens fabricata est Deum suum: posuerúntque eos in phanis excelsis quae fecerunt Samaritae, gens & gens in vrbibus suis in quibus habitabat. Viri enim Babylonij fecerunt Socoth-benot: viri autem Cuthei fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Asima. Porro Heuaei fecerunt Nebahaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharuaim comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech dijs Sepharuaim, & nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in phanis sublimibus. Et cùm Dominum colerent, dijs quoque suis seruiebant, iuxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam: vsque in praesentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent Dominum, neque custodiunt ceremonias eius atque iudicia, & legem, & mandatum, quod praeceperat Dominus filijs Iacob.* Haec est Samaritanorum origo, haec eorum adoratio, hic cultus. Sic adorabant quod nesciebant.

4. Reg. 17.

Gen. 31.

Vide nunc an non in nostri maximè temporis haereticis eodem modo se res habeat, vt verissimè adorent quod nesciant. Samaritani colebant Dominũ in Bethel, in quo postea loco Manasses homo Iudęus, ducta in vxorẽ Sanabaletis filia, qui Darij nomine Iudaeae praefuit ne fratre summo apud Iudaeos Pótifice esset inferior, magnificum templum extruxit, & *Sacerdotem se illic creauit, ac quoscunque potuit apostatas* (vt ait in hunc locum Caluinus) *praemijs ad se pellexit*: soceri videlicet sui fretus potentia. Sic autem in hoc monte Dominum colebant, vt vnaquaeque gens in aliis excelsis & phanis sua idola suis propriis ritibus colerent. Omnino pari ratione haeretici hodie Christiani Catholici quum essent, ipse impri-

Samaritani & hodierni schismatis cõparatio.

Iosephus Antiq. lib. 11. cap. 8.

Lutherus alter Manasses. mis Martinus Lutherus monachus, sacerdos, & Doctor, ne quodam alio fratre suo cui indulgentiarum publicatio (res tum luctosa) commissa fuit, inferior esset (eandem quippe modis omnibus ambiebat) fretus Saxoniæ ducis authoritate ac potentia, cuius nouellæ filiæ Academiæ Vvittembergensi primarius professor ascitus fuerat, nouum in Germania & peramplum latè patentis Schismatis templum erexit; altare contra altare, cathedram contra cathedrã instituit; Romanæ Sedis legitimam authoritatem omnibus modis conuellens, Sacerdotem se illic, nouum Euangelistam, Prophetam, Apostolum creauit: &, vt Caluini verbis vtar, *quoscunque potuit apostatas ad se pellexit.* Mox Lutherani quasi noui Samaritæ crescere & multiplicari cœperunt. Cæterum qui Luthero ad momentum adhæserunt, & cum eo *Dominum colebant*, id est, Christiani vocari semper volebant, confestim suos quisque Deos, sua idola, sui cerebri phantasmata colebant, alij rigidi, alij molles, alij extrauagantes Lutherani. & inter hos alij Zvvingliani, alij Anabaptistæ, alij Osiandrini, alij demũ Caluinistæ. Vt multo plures sectæ breui momento exortæ sint, quàm apud Samaritas Gentes erant diuersos Deos colentes. Qui quidem omnes, sicut Samaritæ Dominum in Bethel coluerunt, sic iuxta nouum Euangelium à Luthero restauratum, se Dominum colere protestantur. Lutherum enim pro viro Dei & magno Propheta omnes adhuc sectæ reuerentur: & illorum Bethel Vvittemberga est. Interim tamen alius Geneuæ, alius Tiguri, alius in Anglia partim Protestantium, qui Regiæ voluntati se accommodant, partim Puritanorum cultus est, alia politia, varia & diuersa dogmata. Omnibus hoc commune est vt cum Samaritis illis non custodiãt ceremonias, iudicia, atque mandata Dei iuxta eorum præscripta, quibus Christus dixit, *Docete omnes gentes, docentes eos seruare* (*Matth. 18.*) *omnia quæcunque præcepi vobis*, iuxta Ecclesiæ Catholicæ & Præpositorum eius doctrinam & traditionẽ. Sequitur vnusquisque sua placita, tam in Sacramentorum administratione, quàm in verbi prædicatione, totóque cultu atque doctrina. Sic *adorant quod nesciunt: in tenebris ambulant.* Ab eis lumen accipere nolunt, quibus Christus dixit, *Vos estis lux* (*Matth. 5.*) *mundi.* Ab eo pasci nolũt, cui Christus dixit *Pasce oues meas.* (*Ioan. 21.*) Eos audire nolunt, quibus Christus dixit, *Qui vos audit, me* (*Luc. 10.*) *audit.* Illis obedire nolunt, de quibus Paulus dixit, *Obedite* (*Heb. 13.*) *Præpositis vestris.* Suam quisque lucem sequi vult, semetipsos pascere, solum Christum in Scripturis, prout ipsis sonat, lo-

quentem

quentem audire, nemini obedire volunt. Sic adorant quod nesciunt, & ambulant quò nesciunt. Nam cum veteribus quoque Samaritis *faciunt sibi ex nouissimis sacerdotes excelsorum.* Homines mechanicos, illiteratos, audaces, temerarios, ministerio verbi præficiunt. Hos cæcos duces cæci sequuntur, vt adorent quod nesciant. Sanè cōtentione illa Samaritanorum cum Iudæis propter extructum illud templum longius progrediente, re tandem ad iudicium Ptolemæi regis delata, & acerrimè à cuiusque partis aduocatis examinata, ex hoc imprimis argumento, quòd Iudæi templi sui antiquitatem multo maiorem, Sacerdotum in eo perpetuam successionem, Prophetarum, qui illi adhæserunt, prædicationem ostenderent (quibus omnibus Samaritæ carebant) causa ceciderunt Samaritæ. Pronunciatum est eos adorare quod nesciebant; Iudæos illud adorare quod sciebant, id est, totius cultus sui certam scientiam, certa fundamenta, normam & regulam certam habere. Eundem planè in modum nullo negotio conuincentur hæretici hodie adorare quod nesciunt, quia in eorum Bethel, nec antiquitas est, nec sacerdotum successio, nec Prophetarum prædicatio: demonstrabitur verò nos Dei beneficio Catholicos hæc omnia habere, apud nos esse totam antiquitatem, ex cuius testimoniis fidem nostram roboramus, esse Pontificum & Sacerdotum successionem, quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam suam: esse SS. Doctorum & Patrum vnanimem consensum, *quibus Ecclesia* (vt Augustini verbis vtar) *plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, Pastoribus, nutritoribus creuit:* ideóque nos adorare quod scimus. Et sicut olim *salus ex Iudæis erat*, quia Christus salutis author, & Euangelica doctrina, & lex & promissiones ex ipsis erant, quatenus eis prædicta & promissa, & à Christo (qui ex eis erat) impleta fuerunt; sic nunc salus ex Catholicis est, & in sola Ecclesia Catholica Apostolica Romana, quia Christus salutis author non nisi in illa Ecclesia, quæ corpus eius est, loquitur, quia tota Euangelica doctrina & lex Dei, & quæcunque Dei promissiones in ea & ex ea sunt, quatenus eius ministerio docentur, & non nisi in ea, eiúsque vnitati adhærentibus, adimplentur ac possidentur. Et sic quidem omnes horum temporum sectæ & hæreses hoc vno fulmine concidunt; *Vos adoratis quod nescitis:* & hæc vna vox de cælo detonans, quicquid se habere putant diuinum & sanctum, prosternit.

Iosephus Antiq. lib. 13 cap. 6.

Contra Iul. lib. 2.

Salus ex Ecclesia Catholica.

23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.*

Cultus externus astruitur ac defenditur

LOcum hunc insigniter hodie deprauatunt hæretici. Ex his quippe verbis fortiter pugnant, noui testamenti cultum & Euangelij statum omnibus externis ceremoniis vacuum esse debere, nec nisi spiritualem, nudum, ac simplicem. Spiritum enim hoc loco interpretantur vt à corpore distinguitur, & actum animæ tantùm spiritualem significat. Vnde Caluinus. *Deum colere in spiritu & veritate, est ablatis veterum rituum inuolucris simpliciter retinere quod spirituale est in Dei cultu. Nam veritas diuini cultus in spiritu consistit, ceremoniæ autem quiddam erant aduentitium.* Et iterum. *Omnibus seculis fide, precibus, gratiarum actione, puritate cordis, & vitæ innocentia coli Deus voluit: sed erant in lege variæ accessiones vt spiritus & veritas sub inuolucris laterent.* Sic spiritum & veritatem exponit quatenus externis omnibus ritibus & ceremoniis opponitur, quibus spiritualis cultus adumbratur & significatur. Sic omnes ceremonias quæ aliquid spirituale adumbrant aut significant, pro Iudaicis habet Caluinus. Quare mox ceremonias Ecclesiasticas pro huiusmodi habens, in eas inuehitur. *Hoc* (inquit) *discrimen in Papatu non modò confusum, sed penitus euersum fuit. Neque enim illic minor est vmbrarum densitas, quàm fuit olim sub Iudaismo.* Sed fallit lectorem impostor. Ceremoniæ Iudaicæ non ideo vmbræ fuerũt, quia spiritualem & interiorem cultum adumbrabant aut significabant, sed quia rerum veritatem, quas Christus completurus erat, vel quæ in Christo compleri debebant, typicè & figuratiuè adumbrabant. Neque enim sacrificia animalium & ceremoniæ Iudæorum exteriores, data & instituta à Deo erant, quasi actus exteriores ex interiori virtute procedentes: neque ea iussit fieri, quasi illa ipsius fidei, dilectionis, & interiorum virtutum actus essent (quamuis qui ea fide & dilectione exhibuissent, rectè & in spiritu facere dicti fuissent, nec sic legale opus exercuissent, sed Euangelicum, nouique testamenti proprium) sed vt essent figuræ ac repræsentationes quædam eorum quæ per Christum futura erant, cuius venturi fidem illa exercendo protestati sunt. Et in hoc Iudæorũ cultus à Gentilium cultu latissimè differebat. Non enim Gẽtes sua holocausta & ritus faciebant quasi futurorum signa, sed quia grata diis suis existimabant. Iudæus non sic habuit à Deo mandatum: imò expressè eos docuit Deus quòd holo-

Ceremoniæ Iudaicæ quomodo vmbræ.

caustis

caustis & sacrificiis non delectaretur. Quare non ea instituit quasi quæ in se & per se placerent, nec vt eorum tantùm obedientiam exercerent, vt putat Caluinus, qui *ideò hæc Deo grata fuisse ait, quia ab ipso mandata & præscripta fuerunt*; sed vt figura eorum quæ illi placebant, & vt pædagogia quędam ad rerum pro salute humani generis futurarum notitiam eos manuducens. *Adorare* igitur *in spiritu & veritate*, nō est nullis externis ceremoniis Deum colere, (ne etiam eadem opera omnes etiam externi pietatis actus excludantur) sed est non amplius aut in falsitate adorare, sicut fecerunt Samaritani (vt suprà explicatum est) aut sacrificiis figuratiuis ac ceremoniis vmbraticis, quæ alterius cuiusdam veritatis vmbræ ac repræsentationes sint; verùm in veritate rectæ fidei, sanæque doctrinæ, & in operibus ex Spiritu procedētibus, & actibus cum interna pietate coniunctis Deum adorare. Si enim rectè aduertimus, hæc duo aliis duobus Christus opposuit. Quum enim dixisset, *Venit hora quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis Patrem,* interiecta aliqua distinctione vtriusque adorationis, & Samaritanorum adoratione reiecta, Iudæorum defensa, subiungit repetens: *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Iudæorum adorationi, id est, toti cultui externo, qui in templo Hierosolymitano fiebat (de eo enim erat tunc sermo) opponit adorationem ex spiritu, id est, cultum non legalem, sed Euangelicum, non carnalem, sed spiritualem, non in sacrificiis & ceremoniis futurarum rerum figuratiuis, & vmbraticis, sed in actibus seu merè internis ac spiritualibus, vt pura fide, dilectione, spe, seu externis ex spiritu procedentibus, & ab aliis illis virtutibus aut elicitis aut imperatis, ideóque spiritualibus quoque. Samaritanorum adorationi, quæ tota falsa erat & cæca (adorabant enim quod nesciebant) opponit cultum Dei in veritate, in sana fide, & recta Dei notitia: vt veritas errorem excludat, quo Samaritani laborabant, sicut spiritus ceremonias legales & carnales excludebat, ex quibus cultus Iudaicus constabat. Et hic sensus à doctissimis Ecclesiæ Patribus traditur, vt mox docebitur.

Adorare in spiritu & veritate.

Sed vt ad Caluini commenta respondeatur, non est quidem dubitandum, *omnibus seculis fide, precibus, gratiarum actione, puritate cordis, & vita innocentia se Deum coli voluisse*, & *spirituales Iudæos ita Deum verum piè ac studiosè coluisse.* Sed nō erat ille legalis cultus, verùm Euāgelicus, nec templo Hierosolymitano proprius, cui adoratio in spiritu opponitur, sed

Caluini cauillis respondetur.

quem quouis in loco ac tempore, quilibet verus Israëlita seu alius quicunque Dei cultor exerceret. Accessiones verò ceremoniarum Iudaicarum non ideo adhibebantur, vt *in illis inuolucris spiritus ac veritas lateret*, vt Caluinus affirmat, spiritus, inquam, & veritas, sicuti hoc loco à Christo accipiuntur, vt suprà satis ostendimus, sed ad futuras veritates adumbrandas, vt iam dictum est, docétque latè in epistola ad Hebræos Paulus. Quod ergo Caluinus addit *hoc discrimen in Papatu esse confusum adeóque euersum, quia non est illic minor vmbrarum densitas, quàm olim sub lege fuit*, vel putida cauillatio vel crassa ignorantia est. Nullas enim vmbras Papatus habet, nullas ceremonias vmbraticas, quæ videlicet futurarum rerum vmbræ & figuræ aut repræsentationes sint, quales ceremoniæ Iudaicæ erant, dicente Apostolo: *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.* Nostra Sacramenta, nostrum sacrificium à Christo institutum, non sunt futurorum bonorum vmbræ, sed sunt præsentium bonorum, quæ nobis conferuntur, instrumenta & signa efficacia. Nostræ ceremoniæ circa Dei cultum, nostra templa, altaria, vestes, ac vasa sacra, luminaria, suffitus, nostræ genuflexiones, & quicunque externi ritus, nihil futurum adumbrant, sed vel actus exteriores sunt ex interiori virtute procedentes, quæ per se Deo placent, vel actus reuerentiæ erga Deum, atque etiam ad excitandam mẽtis deuotionem, & ad rerum spiritualium, quas tractamus, aliquam expressionẽ, ac denique interni cultus nostri attestationem, quæ omnia spiritualis cultus adiumenta sunt.

Ceremonias vmbraticas Ecclesia non habet.
Heb. 10.

Ceremonia Ecclesiastica cur adhibetur.

Videamus an hoc ipsum Caluinus & sequaces eius interdum non attestentur. Sanè Caluinus tum in definitione Sacramenti ait, *nos in Sacramento tum pietatem nostram erga Deum tam coram eo & Angelis quàm coram hominibus testari*, tum postea explicans Sacramenti naturam, ait disertè *Sacramenta ceremonias esse, quibus Deus exercet populum suum ad testandam apud homines religionem*, tum denique in vniuersum de ceremoniis dicit, *gentilitias illas initiationes in sua sacra & cæteros degeneres ritus, tametsi erroris erant ac superstitionis pleni, indicio tamẽ fuisse, non posse in professione religionis homines externis huiusmodi signis carere.* Theodorus quoque Beza in Confessione fidei suæ ita scribit. *Christus veteres illas vmbras suo fulgore ita dispulit, mundúmque ita docuit in spiritu*

Caluinus ex seipso refutatur.
Institut. lib. 14.c. 14.num.1. & 16. & 17.

Cap. 4. num. 30.

ſpiritu & veritate Deum colere, vt tamen nihilominus craſſæ & rudis noſtræ naturæ habuerit rationem, ideóque ſigna exteriora adiunxerit. Habemus claram & perſpicuam aduerſariorum confeſſionem. Quæ ſi ad certa Sacramenta, certáſque ceremonias, quales Caluino placent, piè retinendas valent; quanto magis ad illa Sacramenta, ceremonias ac ritus omnes, quos tota per orbem frequentat Eccleſia, piè ac laudabiliter retinendos valere debet? Ineptè igitur, & quod ſuæ ipſius doctrinæ ex diametro aduerſatur, addit hoc loco Caluinus. *Quibuſcunque elabi cauillis conentur, in externa tantùm forma nos eſſe Patribus diſſimiles conſtat, quia illi ſpiritualiter Deum colentes ceremoniis aſtricti erant, quæ Chriſti aduentu ſunt abolitæ.* Habemus quippe & nos ceremonias ac ritus (teſte Caluino) ſine quibus religionis profeſſio non ſubſiſtit, &, vt ait Beza, quæ craſſa ac rudis noſtra natura poſtulat. Non ergo Iudæis in externa forma ideò diſſimiles ſumus, quòd illi ceremoniis aſtricti erant, nos nullis aſtringi debemus; ſed in hoc planè plurimum diſſimiles ſumus, quòd illi per ſuas ceremonias Deum ſpiritualiter non colebant (quod hîc aſſerere videtur Caluinus) ſed aliud quid agebant, vt ſuprà explicatum eſt. Tales vmbratiles ceremoniæ Chriſti aduentu abolitæ ſunt: ceremoniæ Eccleſiaſticæ, quales ſuprà deſcripſimus, abolitæ non ſunt, ipſomet teſte & approbante Caluino. Fruſtra igitur hoc loco, atque etiam paulò ſuperius contra veteres Patres ceremoniarum cultores, planéque ſuæ ipſius doctrinæ repugnanter declamitauit Caluinus.

Nunc ſenſum verborum Chriſti quem dedimus, quatenus adoratio in ſpiritu & veritate, adorationi Samaritanorum & Iudæorum à Chriſto opponitur, ex Patribus aliquot doctiſſimis confirmabimus. Tractans hunc locum D. Ambroſ. ait. *Spiritus hîc ponitur pro gratia ſpirituali, in qua adoratur Deus ſicut adoratur etiam in veritate. Non enim adorat, niſi qui veritatem diuinitatis eius pio haurit affectu.* Veritatem igitur opponit errori circa verum Deum quo laborabant Samaritani: Spiritum ſeu ſpiritualem gratiam ceremoniis Iudaicis, qua illæ carebant, & quæ Euangelio propria eſt. Idem clarius & expreſſius. D. Cyrillus in hunc locum. *Præſens aduentus ſui tempus Chriſtus ſignificat, in quo figuras legis in veritatem, & vmbram in cultum ſpiritualem, & placentem Deo Patri viuēdi normam per Euangelicam doctrinam tranſmutari inſinuat. Spiritualis enim adorator Deo gratus eſt, qui non forma & figuris Iudaicis ad pietatem adumbratur, ſed Euangelica virtute*

De Spiritu S. lib. 3. cap. 11.

In Ioan. lib. 2. c. 93.

refulgens recta dogmatum disciplina veram peragit adorationem. Cultum spiritualē opponit figuris Iudaicis, & veritatem exponit rectam dogmatum disciplinam. Nec multum aliter Hilarius qui in his duobus verbis, *in spiritu & veritate, libertatem ac scientiam adorantium ostendi ait: Libertatem*, quia vmbratico cultui non astringitur, nec vlli certo loco, vt vtrique putabant tam Samaritani quàm Iudæi. *Scientiam*, vt errorem ac falsitatem, qua laborabant Samaritani, à veris adoratoribus remoueat. Sic igitur adoratur Deus in spiritu & veritate, vt quemadmodum actus pietatis externos, & opera charitatis erga proximum, quibus Deum colimús, Deóque seruimus in iustitia, hæc adoratio non excludit; ita nec vel Sacramēta vel ceremonias Christianas excludat, quibus cultus Dei externus administratur; vel ad Dei gloriam, vel ad nostram in Deum fidem ac pietatem magis ac magis excitandam.

De Trinit. lib. 2.

48. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

AFferunt hæc verba difficultatem non modicam. Quum enim alibi dicat Christus Iudæos nō credentes ei, hoc nomine non fuisse peccaturos, si miracula non fecisset, id est, absque miraculis ad credendum nō fuisse obligatos; quomodo hîc reprehendit Iudæos quòd miracula expeterent vt Christo crederent? Ait enim Ioan. 15. *Si non venissem, & opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* id est, peccato illo incredulitatis positiuæ obnoxij non tenerentur. Deinde prædixit per Prophetas Deus, maximè Esa. 35. plurima futura miracula in signum aduentus Messiæ. Meritò igitur illa expetebant Iudæi. His accedit quòd in omni noua doctrina miracula ad eius confirmationem à Deo exhiberi solent. Sanè Caluinus propter hanc Christi reprehensionem etiam Catholicos taxat, quòd à nouis hodie dogmatistis miracula exigantur. *Vtinam* (inquit) *non hodie quoque plurimos teneret similis morbus. Sed hac voce nihil magis vulgatum: Præcedant miracula vt aures præbeamus huic doctrinæ. Quasi verò ita sordere nobis debeat Christi veritas nisi aliūde fulciatur.* Hæc ille. Sed aduertenda causa specialis est, cur Iudæorum incredulitas miracula exigentium taxata fuerit. Sanè quia iam antea Ioannis testimonia tam multa & tam perspicua de Christo audiuerant, quibus credere debuerant absque vllis miraculis, hunc esse Christum. *Ille enim missus erat vt omnes crede-*

Cur Iudæi miracula exigentes reprehenduntur. Ioan. 1.

crederent per illum. Sed & ipsi Ioanni prædicanti adeò absque vllis miraculis crediderant, vt illum esse Christum existimarent. Samaritani quoque Christo prædicanti sine vllis miraculis crediderunt. Christi quoque sola prædicatio omnes eum audientes ad credendum obligabat absque miraculis, eo quòd quoscunque exterius docebat, eorum corda interius mouebat, vt, qui vellent, possent credere. Ideo Christus Iudæis dixit: *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Has igitur ob causas non erant illis miracula absolutè necessaria, nec illa auidè flagitare debebant. Hinc ad obiecta patet responsio. Iudæi visis Christi miraculis adhuc increduli multo grauius peccauerunt, & absque miraculis hoc graui peccato caruissent. Quæ Prophetæ prædixerunt futura miracula, non erant expectanda à Iudæis vt crederent, sed Ioannis testimonio prius debebant credere, & illa postea miracula expectare, videlicet ad confirmandam nō ad generandam fidem. Omnis autem noua doctrina miraculis indiget, vel ad confirmationem fidei, vel ad ipsam fidem generandam, vbi nouus Magister nullam legitimam authoritatem habet. Neque hoc ideò fit *quasi sordeat nobis Christi veritas nisi aliunde fulciatur* (vt garrit Caluinus) sed quia nec Christus nunc amplius loquitur, nec legitimè ab eo missi, quibus absque miraculis credendum erat; sed tales loquuntur quorum & doctrina noua & authoritas nulla est. De hac re plura dicta diximus super Matthæum, & suprà in hoc Euangelio ad cap. 2. Ioannis.

Ioan. 15.

Matth. ca. 16. & 24.

IN IOANNIS CAP. V.

4. *Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.*

Deus varia notandi & obseruandi contra nostri temporis hæreticos. Primùm, quòd hoc tantum miraculū in tota veteri Scriptura non commemoratur, quum tamen vt rem longo tempore vsitatam ac vulgarem Euangelista commemoret. Iste vnus languidus nunc sanatus totis 38. annis aquæ motum expectauerat,

1. Doctrina nō scripta.

uerat,nec nisi diutissima experientia aut miraculo fidem dedisset ille,aut tot præterea languentes,cæci,claudi,aridi, tam diu & tot annis expectassent aquæ motum. Valet hoc contra eos qui nihil volũt credere nisi scriptum. Huius enim rei aut origo,aut promissio,aut præceptum,quibus illi ad sanitatem quærendam moueri possent, nusquam in Scriptura legitur.

2. *Creaturarum efficacia Deo nõ derogat.* Secundò,quòd virtus supernaturalis & miraculosa ipsis creaturis,vt hîc aquæ ab Angelo motæ, sine vlla diuini honoris diminutione tribuitur, contra eos qui omnem efficaciam creaturarum Deo derogare, & magici cuiusdam exorcismi speciem habere existimant. Deus quippe pro suo arbitrio liberè elementis vtitur:quamuis operis effectus non nisi Deo

3. tribuatur. Tertiò,quòd talis virtus rebus sanctificatis tribuitur. In hac enim aqua pecora sacrificata ablui solebant,& ideo in commendationem sacrificiorum hoc miraculum Deus operabatur, vt notat D. Hieronymus in tract. de locis Hebraicis. Non fortassè quòd eo in loco,quo sanationes hæ fiebant, pecora sacrificanda primum lauarentur (quia in conchis ad hoc à Salomone constructis in ipso templo primò lauabantur) sed quòd aquis istius piscinæ lauarentur: in quã, postquam in templo lotæ carnes essent, omnes aquæ è conchis emittebantur, & per vias subterraneas aut aquæductus effluebant. Erat enim ad radices montis, in quo templum situm erat, hæc piscina. Quam sententiam sequitur Aristeas vetustissimus author in lib. de 70. Interpretibus. Valet autem hoc contra hæreticos,qui Sacramentorum & Sacramentaliũ virtutem aliquam aut efficaciam à Deo illis ad religionis commendationem communicatam & impertitam credere non possint.

2. Paral. 4.

Sacramentorum & sacramentalium virtus.

4. Quartò,quòd hæc virtus non semper, sed certo aliquo tempore operabatur. Erat enim hoc Paschale tempus ad festi ipsius commendationem. Valet contra eos qui nullum dierum discrimen ponunt, negantq; Deum gratiæ suæ beneficia diebus in honorem Dei festis ac celebribus liberalius elargiri,quàm quouis alio tempore.Sanè Christus potissimùm diebus Sabbati,& festis Iudæorum, opera sua benefica exhibebat.

Festorum dierum discrimen.

5. Quintò,quòd non nisi eum iuuabat hæc aqua, qui prius post turbatam aquam ingredi potuit. Hoc enim nos docet, quòd non sola fides aut interna deuotio semper sufficit (quanquam illa imprimis requiruntur ; & vbi necessitas externa tollit remedia, illa sola sufficere possunt) vt solent hæretici dicere Deum vbique iuuare,nec plus vno quàm alio loco inuocantibus eum opitulari ; sed quòd aliquando

per

per externa loca & media iuuare vult Deus, plúſque in vno loco quàm in alio opitulari; plus apud certam alicuius Sancti memoriam orantes exaudire, quàm vel apud aliorũ Sanctorum vel apud eiuſdem Sancti alias memorias. Qua de re ſic ſapienter ſcribit S. Auguſtinus. *Vbique quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet ac coronet: verumtamen ad iſta quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant?* Móxque duabus citatis Sanctorum memoriis, S. Felicis Nolæ in Campania, & ſanctorum Martyrum Mediolani in Gallia Ciſalpina, vbi quotidiana tunc penè fiebant miracula, addit: *Nunquid non & Africa ſanctorũ Martyrum corporibus plena eſt? Et tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri.* Sed optimam ſtatim ex diuinis Scripturis huius ſecreti rationem clariſſimus Doctor ſubiungit. *Sicut enim, quod Apoſtolus dicit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem ſpirituum; ita nec in omnibus memorijs Sanctorum iſta fieri voluit ille qui diuidit propria vnicuique prout vult.* Sic non niſi in hac piſcina, nec niſi ad certum aquæ motum; nec olim niſi in Iordane ſanari Naaman leproſum; nec hodie niſi ad certas beatiſſimæ Virginis in omnibus ferè prouinciis Catholicis memorias (quas alio in loco recenſuimus) varia tam externa quàm interna beneficia deprecantibus largitur Deus. Sextò notari poteſt, 6. quòd ad huius miraculi operationẽ miniſterio Angeli Deus vtitur, qui deſcendens aquam turbaret. Hinc enim diſcimus, non eſſe à Dei ſapientia & prouidentia alienum, quòd Angelorum aut Sanctorum ſuorum miniſterio vel patrocinio in certis locis vtatur, ad varias gratiæ ſuæ opitulationes fidelibus conferendas. Sanè vnam miraculorum & opitulationum cauſam, quæ in certis Sanctorum memoriis fiunt, hanc adfert S. Auguſtinus, *quòd Deus merita martyrum per eorum memorias commendare ſolet, quia hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem pro qua illi Martyres paſſi ſunt.* Sic docet in libro de cura pro mortuis gerenda, & lib. 22. de ciuitate Dei.

Locorum aliquando diſcrimen ad Dei beneficia impetranda.
Epiſt. 137.
1. Cor. 12.
In Prompt. Cathol. in feſto natiu. B. Virg.
Sanctorum patrocinia.
Cap. 16.
Cap. 9. & 10.

14. *Iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.*

Contaminat hanc Chriſti ſentẽtiam Caluinus his verbis. *Quum peccare vetat, non exigit vt ab omni peccato ſit immu*

Peccati patrociniũ agit Caluinus.

immunis, sed cõparatio fit superioris vitæ. Hortatur enim Christus vt posthac resipiscat, neque maneat sui similis. Hæc ille. Cæterùm non hortatur tantùm Christus, sed & iubet, addita comminatione, *ne deterius aliquid ei contingat*; non solùm vt non maneat sui similis, sed etiam vt omnem planè peccati affectum deponat. Dicit Christus in vniuersum, *Noli peccare.* Non dicit, Noli sicut antea peccasti peccare; quasi peccare quidem permitteret, sed non tam atrociter quàm prius: quasique dixisset: Scio te non posse abstinere a peccato, sed noli esse tam malus nebulo quàm hactenus fuisti: quem in modum Christum loqui Caluinus finxit. Exigit autem decalogus vt ab omni affectu peccati simus immunes, diligendo Deum super omnia, & non concupiscendo aliquid contra legem Dei tametsi ab omni peccato ex fragilitate commisso nemo immunis viuat. Sed peccati patronum semper agere Caluinus vult.

19. *Non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*

NOn aliquam impotentiam, sed summam potentiam Filij hæc verba docent. Non facit à se quicquam, id est, non propria virtute à Deo distincta, quæ tunc inferior ac minor esset; sed (nam illud *nisi* valet *sed*) *quod viderit facientem*: id est, quod à Patre procedens in Patre videt, vel Patrem facientem videt, hoc totum Filius facit. Sic hæc verba vnam vtriusque operationem docent, sic tamen vt non distinctæ sint naturæ, sed vnica, quam vna ab altera procedat & accipiat quicquid habet. Vide Ambros. Serm. 10. in Psalm. 118. vers. 4.

Caluini propria hæresis de Filio Dei. Caluini propria hæresis quòd Filius Dei sit αὐτόθεος, & suam à seipso essentiam accipiat, ex his verbis clarissimè euertitur. Quam ob causam hoc in loco impius Caluinus, tam *Patres* qui pro Christi diuinitate contra Arium, quàm ipsum Arium qui contra Ecclesiam dimicabat, *errasse* affirmat; *nec de nuda sua diuinitate Christum hic loqui, sed tantummodò quatenus in carne manifestatus est*, videlicet vt doceat se tanquam hominem à Deo missum ista operari. *Caluini audacia stulta.* Sed impij hominis audaciam sequẽtia verba apertissimè refutant: *Quæcunque enim Pater facit, hæc & Filius similiter facit.* Quæ Christo nisi vt vero Deo conuenire non possunt. Quare hæc verba penitus Caluinus intacta reliquit. *Caluini error.* Christus vt homo fecit quæcunque vidit Patrem velle; sed vt Deus quæcunque vidit Patrem face-

facere; vt ostendat vnam esse non tantùm voluntatem, sed & operationem.

26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.*

Ostendit his verbis Christus eiusdem vitæ seu naturæ se esse cum Patre. Si enim alia esset vita Filij, alia Patris, non haberet vitam in semetipso sicut Pater habet, sed vita eius esset participata atque ab alio dependens, vt optimè hoc loco contra Arianos notauit Chrysost. homil. 38. Quia tamẽ alius est Pater, alius est Filius, & licet in semetipso non tamen à semetipso Filius vitam habet, propterea dixit, *Dedit ei Pater vt vitam haberet in semetipso.* Nulla creatura vel à semetipso vitam habet, quia à Creatore illam accepit; vel in semetipso, quia ab alio pendet, & perpetua Dei conseruatione indiget. Quod autem dicitur, *Dedit Filio habere vitam, &c.* dupliciter à Doctoribus intelligitur, & dupliciter est verum. Dedit Filio quoad diuinitatem per naturalem generationem ab æterno, vt August. tract. 22. in Ioan. & Chrysost. loco citato exponũt. Dedit Filio quoad humanitatem per vnionem ad Verbum in tempore, vt Cyrillus exponit lib. 2. cap. 144. Sed prior propositio magis ad literam est, quia dare humanitati per vnionem ad Verbum, totius Trinitatis est: sed dare quoad diuinitatẽ, solius Patris est, de quo hîc Christus loquitur. Ex quo etiam Caluini glossa refellitur, qui vt omnia præcedentia in fauorem Arianorũ ad Christi diuinitatem nihil pertinere voluit, sic & hæc verba inuertere conatur. *Vitam* (inquit) *in se habere Deus dicitur, non tantùm quia propria virtute & intrinseca solus viuat, sed quia vitæ plenitudinem in se cõtinens, omnia viuificet. Deus itaque vitam apud se occultam habere nolens, transfundit in Filium, vt ad nos manaret. Hinc colligimus, hunc titulum ascribi Christo quatenus in carne manifestatus est.* Hæc, inquam, omnia ex eo refutantur, quòd Christus de vita loquitur quam Pater Filio dedit: quod non nisi de diuina generatione intelligi potest.

Christi diuinitas.

Caluinus Arianis fauet.

29. *Procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ.*

Docet hic locus vitæ beatæ consecutionem non secus à bonorum operum quàm à fidei necessitate pendere, & vt prius fidem, sic hîc vitæ puritatem ad salutem esse necessariam

Bonorum operum necessitas.

ſariam docet. Contendit omnibus modis hunc locum eludere Caluinus. *Factores* (inquit) *bonorum operum hîc dicuntur, quos Paulus illorum ſtudioſos aut zelotas vocat.* Tit. 2. Nempe dicit ibi Paulus, *Chriſtum dediſſe ſemetipſum vt mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Hos ſectatores ſtudioſos & zelotas bonorum operum vocat hîc Caluinus, quia ſtudio quodam & deſiderio bene viuendi afficiuntur, ſed huius deſiderij ac ſtudij effectum nõ conſequuntur, ſicuti de ipſo Paulo exponit, ad illa verba: *Non quod volo bonum hoc ago.* Hoc eſt Caluinianæ hodie ſectæ myſterium, omnes apud illos pios ac iuſtos coram Deo eſſe, qui ſtudium pietatis non depoſuerunt, tametſi flagitioſè viuant; & qui in profundum impietatis demerſi non ſunt, iuxta illud: *Impius quum in profundum venerit, contemnit.* Quare & hîc ſubiungit Caluinus. *Sed æſtimatio hæc ex paterna Dei indulgentia pendet, qui gratuitò probat quod reijci merebatur.* Sic ipſa facta iuſtorum vult eſſe prorſus impia, & quæ reiiei merentur; ſtudio tamen rectè viuendi illos affici debere. Sed contra hãc impiam ſentẽtiam, tenenda ſunt Chriſti verba, *Qui bona egerunt:* de ipſis operibus bonis, non de ſtudio inani bonorum operum, loquitur. Deinde ſi ipſa bona opera reiiei merentur, quomodo diſtinguuntur à malis operibus, quæ à Deo reiiciuntur, & quæ qui agunt, *in reſurrectionem iudicij*, id eſt, damnationis, procedunt? Sed impiam ſuam gloſſam probare contendit Caluinus. *Neque enim* (inquit) *de ſalutis cauſa tractat Chriſtus, ſed tantùm electos à reprobis ſua nota diſcernit.* Iuxta hanc Caluini gloſſam dicemus & nos: quum Chriſtus dicit, *Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam*; de ſalutis cauſa non tractat, ſed tantùm electos à reprobis hac nota fidei diſcernit. Sin verò fidei vitam æternam promittens Chriſtus, cauſam ſalutis poſuit; dubitari non debet, quin & hoc loco bonis operibus vitam beatam promittens, cauſam quoque ſalutis poſuerit. Sed quare hanc notam, vt vult Caluinus, Chriſtus hîc poſuit, non autem cauſam? *Ideò hoc facit* (ait Caluinus) *vt ſuos ad ſanctitatem & innocentiã inuitet atque hortetur. Et nos certè fidem quæ nos iuſtificat, cum ſtudio bene iuſtéque viuendi coniunctam eſſe non negamus: ſed tantùm docemus non alibi quàm in ſola Dei miſericordia quieſcere noſtram fiduciam poſſe.* Totum ſuum venenum, etſi verbis mollioribus, effudit. Chriſtus non ſolùm *hortatur* ad vitæ innocentiam, ſed & eam *iubet*, *mandat*, *iniungit*, vt tota lex mandatorum loquitur: & hoc loco non facientes bona opera

Rom. 7. *Iuſtitia Caluiniana myſterium.* *Prouer. 17.*

Opera bona ſalutis cauſa.

Chriſtus non hortatur tãtum, ſed iubet bene operari.

opera damnat. Si non nisi hortatur ad bona opera, quomodo damnat facientes mala? Rursus fides quæ iustificat, non solùm cum studio bene viuendi est coniuncta, sed etiam cum ipsa bona vita, bonáque operatione: iuxta illud Pauli, *Fides quæ per dilectionem operatur.* Fides sanè Caluiniana non operatur dilectionem, sed studium operãdi docet absque effectu, ac per hoc non est fides Euangelica quam Paulus commendat. Piorum quoque omnium fiducia non in sola Dei misericordia quiescet, sed etiam in bona conscientia: iuxta illud Ioannis; *Si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus apud Patrem,* &c. Qui cum mala conscientia de Dei misericordia fiduciam concipit, non cum fiducia, sed cum præsumptione ad Deum accedit. Vnde iterum Ioannes: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* At minus est nosse Deum quàm in eo fiduciam habere. Et rursum: *Nunc filioli manete in Christo, vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Quid est autem manere in Christo? Explicatè docet in sequẽtibus: *Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.* Si ergo ille demum fiduciam habet, & non confunditur in aduentu Christi, qui mansit in eo, mansit autem in eo qui mandata eius seruauit, inuictè contra Caluinum sequitur, non in sola Dei misericordia, sed in mandatorum obseruatiòne, hominis iusti fiduciam quiescere. Nam & illorum quoque obseruatio ex Dei misericordia nascitur, quæ gratiam dedit qua seruarentur. Quare Paulus hac vsus bonorum operum fiducia ita scribit. *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die* (sanè, quando procedẽt, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ) *iustus Iudex: non solùm autem mihi, sed & illis qui diligunt aduentum eius:* id est, qui ita vixerunt in sanctitate & iustitia coram Deo, vt venientem Iudicem non timeant condemnaturum, sed diligant vt remuneraturum.

Gal. 5. — *Fides Caluiniana non est fides Euangelica.* — *1. Ioan. 3.* — *1. Ioan. 2.* — *Fiducia in bonis operibus.* — *2. Tim. 4.*

44. *Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à Deo solo est non quæritis?*

Vera huius loci expositio duo nos docet. Primùm, hypocrisim & falsam pietatis affectationem maximum esse obstaculum ne quis in Christum credat, fide videlicet

Hypocrisis magnum fidei obstaculum.

viua, & per dilectionem operante. Nam *gloriam ab inuicem accipere*, significat velle ab hominibus pro iusto ac sancto haberi; quod proprium erat Pharisæorum & Scribarum crimen, quos hîc potissimùm alloqui Christus videtur. Cùm enim lumen fidei intellectum non conuincat sicut axiomata per se nota vel demonstrationes scientificæ, ideóque credere sit actus voluntatis non secus quàm intellectus; sicuti quælibet passio exorbitantis voluntatis impedit intellectum, sic hypocrisis quæ à sola hominum existimatione pendet, & gloriam quæ à solo Deo est non quærit, id est, vero pietatis studio non incumbit, vt coram Deo & in iudicio Dei laudem accipiat, vel maximum impedimentum est. Talis enim non attendit quid ad credendum proponatur, sed quomodo suam apud homines existimationem tueatur.

Opera pietatis laudem habent apud Deum. Alterum est, quòd vera pietas apud Deum gloriam habet. Illa enim opponitur hypocrisi, quæ gloriam quæ à solo Deo est, quærit: vbi duo docet Christus. Primùm, à solo Deo siue apud Deum veram pietatem laudari, & in pretio esse: secundò, hanc apud Deum laudem per opera pietatis quærere & affectare nos posse. Totum enim hoc in Iudæis reprehendit Christus, quòd non quærerent nec affectarent illam gloriam quæ à solo Deo est, id est, ex vero pietatis studio veram gloriam & laudem apud Deum. Quod contra hæreticos obseruandum est, qui ex pietatis studio & bonis operibus nullam apud Deum laudem aut gloriam haberi posse contendunt.

Christi totam sententiam Caluinus inuertit. Quam etiam ob causam totam Christi sententiam inuertens Caluinus, sic in hunc locum scribit. *Hæc sola est vanitas quæ nos inflat, praua confidentia, dum nostro & aliorum potius quàm Dei iudicio stamus. Nam qui Deum verè iudicem sibi proponit, necesse est vt fractus & prostratus concidat. Ergo vt quis gloriam à solo Deo quærat, necesse est pudore sui confusum ad gratuitam illius misericordiam cõfugere. Et certè qui Deum respiciunt, damnatos se ac perditos vident, nec quicquam sibi esse reliquum in quo glorientur præter Christi gratiam.* Hæc ille. Totam Christi sententiam inuertit. Quod Christus dixit contra hypocrisim & ementitam pietatis imaginem, quæ ab hominibus laudē captat, pro vero pietatis studio quod apud Deum solidam laudem habet, hoc Christum dicere vult contra verum pietatis studium quod coram Deo nullum sit, nec vllam laudem habeat, quia qui gloriam à Deo quærit, necesse est, pudore sui confusum, id est, non nisi turpitudinis suæ conscium, ad gratuitam misericordiam confugere. Ita sensum

ſenſum elicit Chriſti verbis planè contrarium. Sed Chriſtum hoc loco contra hypocriſim, quæ vera virtute caret, loquutum fuiſſe,& verum pietatis ſtudium, quod coram Deo laudem habet, commendaſſe, præcedentia eius verba manifeſtum faciunt, vbi dixit: *Cognoui vos, quia dilectionem Dei in vobis non habetis.* Vbi iterum cauſam docuit cur ſcrutando Scripturas in eum credere noluerint; quia videlicet nullam dilectionem Dei habebant, Deo placere aut ſeruire, in oculis Dei iuſti ac ſancti eſſe, non curabant: hominum gloriam & exiſtimationem diligebant, &, vt hîc loquitur, *gloriam ab inuicem accipiebant.*

IN IOANNIS CAP. VI.

27. *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.*

FVNDAMENTVM hoc eſt diſputationis Chriſti futuræ, ideóque dexterè & accuratè intelligendum. Auocat eos à ſtudio corporalis & vulgaris cibi, ad ſtudium & acquiſitionem alterius cibi quem ipſe daturus erat: non illud prius ſimpliciter prohibẽs, ſed hoc poſterius ei anteponens. Cibum de quo hîc loquitur, eundem eſſe de quo poſtea dicit, *Caro mea verè eſt cibus,* & Chriſti carnem nobis in Sacramento exhibitam, docent hoc loco Auguſtinus tract.25.& Cyrillus libro 3.cap.28. verba etiã adiuncta hoc confirmant. *Hunc enim Pater ſignauit Deus.* Non enim erat cur hanc humanitatem diuinitate ſigillatam eíque vnitam inferret, niſi quia docere voluit quomodo caro eius in cibum data vitæ æternæ cibus futurus eſſet, nempe quia diuinitati coniuncta & vnita eſſet. Hæretici, vt doctrinam hîc de Sacramẽto penitus corrumpant, verbis hîc Euangelicis vim faciunt. *Cibum vocat* (ait Caluinus) *quæcunque ad vitæ nouitatem pertinent. Scimus autem animas noſtras paſci Euangelij doctrina, dum in nobis eſt efficax per Spiritus virtutem. Ergo quum fides ſit animæ vita, quæcunque fidem alunt & promouent, cibo comparantur.* Eſt aperta diuinæ Scripturæ corruptio. Quum enim Chriſtus in ſequentibus exponat *inter opera Dei* quæ operari oportet vt hunc cibum comparemus, eſſe ipſam *fidem vt credamus in eum,* manifeſtiſſimum eſt fidem à cibo diſtingui. Deinde cibus, de quo Chriſtus loquitur, eſt quem ille daturus erat, non quẽm nos

Fides à cibo quem operari oportet diſtinguitur.

operari debemus. *Operamini*, ad Iudæos pertinebat, vt crederent: *Cibus* ille est quem se daturum promittit. Rursum hic cibus dicitur *permanere in vitam æternam*, id est, esse cibus viuificus,& qui nutrit ad vitam æternam: quod inde probat, quia hæc caro est diuinitati vnita. Caluinus vtramque sententiam inuertit. *Hoc cibi genus* (inquit) *manere dicit in vitam æternam, vt sciamus non in diem animas nostras pasci, sed educari in spem beatæ immortalitatis. Ideo Spiritus dona recipere nos conuenit, vt tesseræ sint ac pignora vitæ æternæ.* Hæc ille. Moxque proximam sententiam à Patribus ad diuinā Christi essentiam perperam contortam esse impudenter dicit. Cæterum tametsi verum sit, Spiritus Sancti dona pignora esse vitæ æternæ,& in eius consequendæ spem nobis conferri, vt cap.4. Christus docuit; hîc tamen de alio cibo agit per se viuifico,& ad quem comparandū nos operari opera Dei oportet. *Imò* (ait Caluinus) *quod donatione Dei consequimur, nemo propria industria sibi comparat.* Ita Christi verba prorsus refutare conatur. Sed facilè hæc duo conueniunt (quod de spirituali animæ cibo fatetur hoc loco Caluinus) cibum quem Christus daturus erat, gratuitum eius donum esse; & nos toto cordis affectu huc eniti debere, vt tanti boni participes fiamus: vbi non est sola propria industria, sed speciali Dei gratia adiuta. Nec Christus, quum iubet operari, solam propriam hominis industriam compellat, sed ad operationem hortatur, cui Dei gratia non deest.

30. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum.*

EGregiè hunc locum deprauat Caluinus. *Illi* (inquit) *loquuti erant de operibus. Christus ad vnum opus eos reuocat, hoc est, ad fidem, quo significat, quicquid extra fidem homines moliuntur, inutile ac vanum esse, solam verò fidem sufficere, quia hoc vnum à nobis Deus postulat, vt credamus.* Quis non aduertit luculentum impostoris mendacium? Annon per totam Scripturam postulat à nobis Deus vt mandata eius faciamus? *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et alia innumera. Sed probare mendacium suum conatur. *Est enim hic* (inquit) *inter fidem & hominum studia ac conatus* * *tacita antithesis, ac si dixisset: Frustrà satagunt homines quum sine fide student placere Deo, ac si extra viam currendo ad metam non tenderent. Est ergo insignis locus, quòd homines, quantumuis miserè*

Solam fidem Deus non postulat.

Matth 19.

Rom. 8.

Tacitam antithesim intelligere, quæ propter

miſerè tota vita ſe fatigant, ludunt tamen operam niſi fides in Chriſtum ſit illis viuendi regula. Aduerte impoſtoris artem. Dixerat *ſolam fidem ſufficere, & hoc vnum à nobis Deum poſtulare vt credamus.* Vt hoc impium paradoxum confirmet, docet ſine fide neminem placere Deo poſſe & viuendi regulam ex fide petendam eſſe. Sic fidei perfectionem probat ex neceſſitate, vt videatur ſola ſufficere, quia eſt imprimis neceſſaria. Vide in re ſimili. Dico ex ſolo pane hominis alimentum conſtare, & probo, quia ſine pane non viuitur. Quis futiliſſimum paralogiſmum non videt? Sed attende ſequẽtia. *Qui ex hoc loco colligunt fidem donum Dei eſſe, falluntur. Neq; enim quid efficiat Deus in nobis, ſed quid requirat ac velit, Chriſtus docet.* Fallit iterum & mentitur. Vtrunque enim Chriſtus docet in iſtis verbis; quum dicit *hoc opus Dei eſſe vt credamus in eum.* Nam & à Deo fidem eſſe docet, & Deum id à nobis velle. Opera Dei quæ operari debemus, de quibus quærebant Iudæi, non ſolum ſunt opera Deo grata, ſed ſunt opera quæ Deus operatur in nobis per adiutoriũ gratiæ ſuæ.

vnam veritatem negat aliam, Regula Caluiniana ad deprauandas Scripturas.

Fidei perfectionem probat Caluinus ex neceſſitate.

Nunc in tam impia doctrina ſua grauem & neceſſariam obiectionem ponit Caluinus. *Videtur tamen* (inquit) *id eſſe abſurdum, nihil Deo probari præter vnam fidem. Neque enim contemni debet charitas, nec alia pietatis officia locum & honorem perdunt. Ergo vtcunque primatum teneat fides, non tamen ſuperuacua ſunt alia opera.* Attende nunc vt ad obiectionem à ſeipſo molliſſimè formatam reſpondeat. *Reſponſio* (inquit) *facilis eſt. Neque enim fides vel charitatem vel aliud vllum bonum opus excludit.* Si non excludit alia, ergo ſola non ſufficit; ergo & alia Deus à nobis poſtulat, non hoc vnum: & ita bis mentitus ſuprà Caluinus eſt. Sed attende quare dicat alia non excludi. *Quando* (inquit) *omnia in ſe continet fides.* Et quomodo continet alia omnia pietatis officia? An vt genus ſpecies, vel vt totum partes, vel vt caput membra, vel vt fons & radix vnica ſuos riuulos ac palmites? Nihil horum Caluinus ſtatuit, quia & nihil horum fides eſt reſpectu charitatis, & aliarum virtutum. Attende quomodo hoc explicet. *Fides enim* (inquit) *vocatur vnicum Dei opus, quia per ipſum Chriſtum poſſidentes, filij Dei efficimur, vt nos Spiritu ſuo gubernet.* Mentitur ac fallit. Nec per vnicam fidem Chriſtum poſſidemus, aut filij Dei efficimur, ſed per charitatem multo verius ac plenius; nec ſi ita eſſet, omnia tamen reliqua contineret fides, ſed omnium reliquorum loco eſſet, aliaque penitus ſuperflua

Effugia Caluiniana pro ſola fide refelluntur.

ſtatueret. Per charitatem non vnicam, ſed cui fides coniuncta
1. Ioan. 3. eſt, Chriſtum intimè poſſidemus, & filij Dei efficimur. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & ſimus.*
Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Annon iſte intimè poſſidet Chriſtum?

Pergamus cum Caluino. *Quia ergo à fide Chriſtus fructus eius non ſeparat, non mirum eſt, ſi in ea conſtituat proram, vt loquuntur, & puppim.* Nihil quàm fallit ac mentitur. Nec fidei fructus charitas eſt, ſed diuini Spiritus fructus, quemad-
Gal. 5. 22. modum fides ipſa, dicente Paulo, *Fructus Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides:* nec verum eſt à fide charitatem non ſeparari,
1. Cor. 12. & 13. dicente iterum Paulo, *Tria ſunt hæc, fides, ſpes, charitas, maior autem horum charitas:* & paulò pòſt, *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Hæc omnia Caluinum mendacem arguũt. Addit adhuc, vt fallat ac mentiatur magis. *Putida eſt eorum cauillatio qui huius loci prætextu operibus nos iuſtificari contendunt, ſi fides iuſtificat, quum ipſa quoque vocetur opus primum.* Et quare pu-
Chriſtus & Paulus Caluino impropriè loquuntur. tida? *Quia ſatis cõſtat* (inquit) *Chriſtum impropriè loqui, quum fidei imponit nomen operis: ſicuti quum Paulus legem fidei & legem operum inter ſe comparat.* Vide arrogantem hæretici audaciam. Tam Chriſtum quàm Paulum impropriè loqui affirmat. Cur igitur non omnia impropriè dicentur in Scripturis, quæ placitis noſtris contraria erunt? An ferendum putabit
Rom. 3. aliquis Caluinista, Paulum impropriè loqui, quum dicit, *Arbitramur hominem iuſtificari ex fide, non ex operibus?* Deinde non ſecus propriè ac verè opus Dei in nobis fides eſt quàm charitas aut aliud aliquod pietatis officium, quando omnia illa in nobis vnus & idem operatur Spiritus, nec minus Dei donum fides ſit quàm charitas, & alia. Aliam adhuc probationem ſubiicit. *Deinde* (inquit) *quum operibus negamus iuſtificari homines, opera intelligimus quorum merito, ſibi homines gratiam apud Deum cõcilient.* Quaſi verò fidei merito Abraham ſibi gratiam apud Deum magnam non conciliauerit, quando & illa reputata ſit ei ad iuſtitiam, & per illam factus ſit hæres mundi, & Pater multarum Gentium. *Atqui* (inquit Caluinus) *fides nihil ad Deum affert: quin potius vacuum & inopem ſiſtit coram Deo, vt Chriſto eiuſque gratia impleatur. Quare paſſiuum eſt opus* (vt ita loquar) *cui nulla poteſt rependi merces nec aliam confert homini iuſtitiam niſi quam à Chriſto*

reci

recipit. Hæc omnia nouæ ſunt ſpeculationes nouorum hodie hominum, commenta & traditiones hominum in nulla Scriptura fundatæ, ſed contra manifeſtas Scripturas, vt Antidota noſtra in vna ad Rom. Epiſtola, in qua potiſſimùm fũdantur, luculenter docebunt. Fides multum ad Deum affert, quia magna obedientiæ virtus eſt, & *dat gloriam Deo, certiſſimè credens quæcunque Deus loquitur.* Qui *diuites in operibus bonis ſunt* (vt Paulus hortatur) Chriſti tamen gratia implẽtur, quia non niſi ex Chriſti gratia illa operantur. Opus fidei, quia opus hominis eſt qua homo credit, & dat gloriam Deo, opus actiuum ac liberum eſt, ideóque ei poteſt rependi merces, ſicuti Abrahæ fides remunerata fuit. Denique fides confert credenti iuſtitiam, quia *reputatur ad iuſtitiam.* Chriſti autem iuſtitia non ſecus à charitate recipitur quàm à fide, quando beneficium redemptionis Chriſti non ſecus diligentibus datur quàm credentibus, nec minus vel neceſſaria vel efficax ad eam conſequendam charitas eſt quàm fides. Neceſſaria, quia *qui non diligit, manet in morte:* efficax quia *qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in illo:* Vides, lector, quàm multa venena in vna pagella Caluinus effudit.

Rom 4. 1. Tim. 6. Rom. 4. 1. Ioan. 3. & 4.

37. *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me.*

HÆc propoſitio cum altera illa quæ paulò pòſt ſequitur coniuncta, *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit illum,* magnam mouit Græcis interpretibus Chryſoſtomo & Euthymio in hunc locum difficultatem. *Si omnis* (inquiunt) *quem dat Pater, venit ad Chriſtum, & nemo alius, quibus ergo non dat Pater vt veniant, in culpa non erunt: cùm ideo non veniant quia datum non eſt eis à Patre vt veniant.* Ad hanc difficultatem reſpondent, liberum arbitrium non tolli, quia venire & non venire liberum eſt, ideóque qui non veniunt, in culpa eſſe. Vera ſanè hæc doctrina eſt, quam & contra Pelagianos tradit S. Auguſtinus his verbis: *Credere, vel non credere, eſt in arbitrio voluntatis humanæ.* De prædeſtin. ſanct. cap. 5. Sed quia hæc reſponſio difficultatem non ſoluit (tametſi enim liberè non credat qui excitatus ad credendum credere recuſat, & in illo culpa appareat; tamen quia non omnes excitantur, quomodo illi in culpa ſunt, quando non à Deo excitati credere non potuerint?) Euthymius apertius reſpondet, eos à Deo non excitari qui ſe in-

Gratia Dei defenſio.

dignos hac gratia exhibuerunt, excitari verò qui aliqua præparatione se faciunt dignos. In quam etiam sententiam propendet Chrysostomus, & alij Græci, vt ipse Cyrillus lib. 3. cap 39. in Ioan. Cæterùm cauenda hæc doctrina & repudianda est: & S. Augustini, imò Ecclesiæ Catholicæ tenenda sententia est, neminem seipsum ad gratiam præparare, vt se gratia Dei dignum faciat, sed ipsam præparationem à Deo esse, vt eodem in loco citato aliisque sexcentis docet Augustinus. Difficultas autem proposita inde soluitur, quòd quibuscunque talis gratia non datur vt de facto credant, nemo illorum sine culpa est, quum omnes in peccato Deus inueniat, ideóque non sine eorum culpa talis gratia illis negatur. Quibus ergo Pater dat vt ad Christum veniant, misericorditer dat; quibus illud non dat, iusto iudicio negat: non quia non erant prædestinati (vt hæretici volunt, & hoc loco Caluinus) nec quia fides non est in arbitrio hominum (quod etiam hîc impiè colligit Caluinus) nec denique quia quibus non datur talis gratia vt credant, nulla fuit data gratia, qua ad fidem

1. Tim. 4. peruenire potuerint si auxilio dato rectè vsi fuissent (*omnes* enim *Deus vult saluos fieri*, ideóque omnibus sufficiens auxilium pro loco & tempore dedit) sed quia propter peccata quibus grauantur, maiora gratiæ auxilia quibus adiuti ad Christum venirent, iustè illis subtrahuntur. *Nemo* igitur *venit ad Christum, nisi quem Pater trahit.* Non tamen omnes quos Pater trahit, veniunt ad Christum. *Omnis* quidem *quem dat Pater Christo, venit ad Christum*: sed non omnis

Dari à Patre plus est quàm trahi. quem trahit Pater. Plus est dari à Patre Christo, quàm trahi à Patre vt ad Christum veniant. Illud enim efficacem, hoc nisi sufficientem Dei gratiam importare videtur. Dantur enim à Patre Christo non nisi electi, qui ita congruis modis excitantur, vt infallibiliter ad Christum veniant; trahuntur qui sufficienter vocati non semper veniunt. Illi audiunt & discunt, quia *omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad Christum.* Isti audiunt tracti & excitati à Deo, & apprehendunt quid loquatur in eis Deus, sed non semper discunt per voluntatis assensum. *Imò* (ait in hunc locum Caluinus) *his duobus membris prorsus euertitur tota liberi arbitrij facultas quam sibi somniant Papistæ. Falsúmque ac prophanum est, homines volentes trahi. Christus enim pronuntiat ita efficacem*

Liberum arbitrium defenditur *esse Spiritus gratiam qua trahuntur, vt necessariò credant.* Sed huic audaci ac petulanti hæretico opponimus S. Augustinum, diuinæ gratiæ prædicatorem maximum. Docet ille apertis-

apertiſſimè ſic homines à Patre trahi ad Chriſtum, vt liberè hunc tractum ſequantur vel non ſequantur. *Vtrumque hoc verum eſt* (ait Auguſtinus) *Deus Pater attrahit ad filium homines, & dimittit homines, vt quis quid voluerit eligat.* Rurſum alibi. *Trahi à Patre ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quàm donum accipere à Patre quo credat in Chriſtum.* Et de hoc dono alibi dicit. *Credere in Chriſtum, & operari iuxta fidem Chriſti, vtrumque noſtrum eſt propter arbitriū voluntatis; & vtrumque datum eſt à Patre propter ſpiritum fidei & charitatis.* Sic rurſum de dono caſtitatis: & explicans illa Chriſti verba, *Non omnes capiunt hoc verbum, ſed quibus datum eſt*, ita ſcribit. *Vt hoc verbum quod non ab omnibus accipitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt, & liberum arbitrium.* Porro de facto non omnes qui trahuntur à Pàtre ad Chriſtum venire, his verbis docuit Auguſtinus. *Quis non videat & venire quemque ad Chriſtum & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum ſi non venit, non autem poteſt niſi adiutum eſſe ſi venit.* Obſerua quod dixit, *poteſt eſſe ſolum ſi non venit*, quia aliquando etiam quando non venit, non eſt ſolum, ſed gratia Dei adiutum, quam proteruè abiicit. Vnde alibi Auguſtinus poſtquam dixiſſet, *viſorum ſuaſionibus ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus, Deum agere cum anima rationali vt credat, atque hoc modo ipſum velle credere in hominibus operari*; propter hominum proteruiam, qui operanti in illis Deo cooperari interdum nolunt, adiunxit ſtatim: *Cōſentire autem ſuaſioni aut vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propria voluntatis eſt.* Quæ omnia contra Caluini hoc loco corruptelas diligenter notanda ſunt.

Cont. lit. lib. 2. c. 84. De præd. ſanct. li. 1. cap. 8. Ibidem cap. 3. De grat. & lib. arb. cap. 4. De gratia Christi cap. 4. De Spiritu & lit. cap. 33.

51. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt (quam ego dabo) pro mundi vita.*

EXplicat nunc Chriſtus diſertis verbis de quo pane & cibo hactenus locutus fuerit. In principio ſermonis dixerat. *Operamini cibum quem filius hominis dabit vobis.* Poſtea *Ver. 27.*
adiecit. *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis ve-* 32.
rus eſt qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Denique, 33.
Ego ſum panis vitæ. Quibus omnibus verbis docuit ſe ho- 35.
minem factum in cibum fore, tam ex Patris ſui dono, qui miſit eum in mundum, quàm ex ſuo proprio dono. Et quia ad hanc rem intelligendam fide opus erat, multa de fide & de dono fidei interſeruit. Móxque ad principale argumentum

48. rediens, iterum dicit, *Ego sum panis vitæ:* & statim de excellentia & effectu huius panis longè alio quàm erat ipsius manna, vbi pauca dixisset, nunc disertè explicat: *Panis*, de quo hactenus locutus sum, & quem me daturum promisi, & (quod nunc repeto) *quem ego dabo*, suo videlicet tempore & loco, *caro mea est*, non mystica aliqua, sed vera, *quam ego dabo pro mundi vita*, ad mortem videlicet in cruce subeundam pro salute totius mundi. Hanc clausulã adiecit, tum vt veritatẽ carnis exprimeret; tũ vt causam quandã specialẽ dandi huius panis insinuaret, nimirũ in perpetuã mortis suæ recordationem. Quam etiam ob causam quum de facto daret, adiecit,

51.

Luc. 22. *Quod pro vobis datur: hoc facite in meã commemorationẽ.* Hic sensus omniũ planè veterum Patrum tam Græcorũ quàm Latinorũ calculo cõprobatur, & à plurimis hodie interpretibus asseritur: quorum omniũ testimonia diligenter in vnũ collegit Nicolaus Sanderus in tractatu super hoc cap. 6. Ioan.

Augustini sententia, loqui hic Christũ de Pane Eucharistico. Quia tamen S. Augustinum aliter sentire aliqui volunt, eo quòd tract. 25. in Ioan. spiritualem manducationem docet, eius vnius loca annotabimus. In tract. seq. 26. manducationem spiritualem eam docet, qua cum fide & puritate Christus *in altari sumitur.* In eodem sermone sacramentalem manducationem tantùm, ab illa quæ sacramentalis ac spiritualis est, apertè distinguit. Dènique tractatu 27. sermonem Christi concludens, ad sacramentalem manducationem dignè faciendam hortatur. Aliis quoque variis in locis de Sacramento corporis sui Christum hìc disputare docet: Serm. 11 & 46 de verb Domini, de Ciuit. Dei lib. 17. capite 5. & 21. cap. 25. de consensu Euangel. lib. 3. cap. 1. de pecc. mer. & remiss. libr. 1. cap. 20. in quæstion. super Leuiticum capite 57. Epistola 95. contra Cresconium libro primo, capite 24 & 25. In Psalmum 33 concione 1. Adeò nullus veterum aut frequentius aut expressius Christum de Sacramento in hoc cap. loqui docuit. Ad Patrum vnanimem consensum accedunt varia Concilia, quorum testimonia in dicto tractatu Nicolai Sanderi proferuntur. Sanè Conc. Tridentinum verba huius capitis ad Sacramẽtum applicat sess. 13. cap. 2. & contra Hussitas, quum negare commodum esset, non negat, Sess. 21. cap. 1.

Aliter sententium sententia refellitur. Qui Christum in his verbis de Sacramento loqui negant, eisdem argumentis vtuntur quibus Caluinus vtitur: quæ suo loco soluemus. Hoc in loco aiunt probabile non esse Christum hìc de Sacramento loqui, quum in proximè præcedentibus verbis de se pane vt Deo ac homine per fidem

manducando loquutus fuerit, ideóque hunc esse verborum sensum; vt qui hactenus fidem docuerit in se Deum ac hominem factum, nunc fidem doceat in se hominem crucifixũ. *Hac est enim fides* (ait hoc loco Cornelius Iansenius) *qua manducamus panem vitæ, vt credamus Christum esse verum Deum, & se hominem tradidisse pro nobis carnem suam & sanguinem.* Sed tum argumentum hoc valde leue est, tum sensus à verborum proprietate alienissimus. Argumentum ex duplici causa leue est, tum quia in præcedentibus de se pane per fidem manducando loquutum esse necessarium non est, sed ad manducationem panis, de qua dicturus erat, fidem esse imprimis necessariam, & fidei defectum in Iudæis causam esse cur hanc doctrinam non caperent, hactenus eum docuisse, magis probabile est; tum quia etsi daremus de sola spirituali manducatione per fidem, & de se pane vt Deo ac homine, in quem credere oportet, hactenus loquutum fuisse, nullo tamen modo sequitur propterea in his verbis de eodẽ pane Christum loqui. Hîc enim multo aliter quàm prius loquitur, multo disertius & expressius, vt mox in argumentis nostris apparebit. Quare Chrysostomus, Euthymius, aliíque Patres, licet præcedentia verba de fide in Christum Deum ac hominem, & de manducatione spirituali exposuerint; ad hæc tamen verba affirmant de Sacramento Christum loqui. Sensum, qui affingitur, alienissimum esse, argumenta quæ statim subiiciemus, luculenter docebunt.

Sanè Caluinus eum sensum auidè complectitur, negans prorsus de Sacramento in toto hoc capite Christum loqui. Et ex hoc sensu multa absurda infert; *in verbo manducandi ad fidem nos hortari Christum, quasi vnicum medium potiendi hoc pane vitæ: Christi carnem canalem esse qua vitam ad nos diffundat: vitam hanc nihil aliud esse quàm Christi iustitiam nobis imputatam, quando carnem Christi pro nobis crucifixam fide apprehendimus.* Ideóque in his verbis, *Panis quem ego dabo,* &c. *duplicem* notat *donationem*: vnam *qua Christus nobis se quotidie offert*: alteram *qua in Cruce se semel pro hominum vita exposuit: ad cuius mortis percipiendæ fructum in his verbis nos inuitat.* Hæc Caluinus ex alio illo sensu à verbis Christi alienissimo deducit; & non solùm veritatem carnis Christi in Sacramento destruit, sed præterea vnicam spiritualem manducationem, totámque imputatiuam suam iustitiam, inde construit. Adeò refert à vero & literali sensu vel latum vnguem non discedere.

Caluini sensus, eiúsque absurda.

Nunc

De Sacramēto Christum loqui pr.batur. Nunc igitur hunc sensum aliquot argumentis confirmabimus. Primum duplicem hîc donationem Christus ponit: alteram nobis, *Panis quem ego dabo*, de quo priùs dixerat,
1. Argum. *quem filius hominis daturus est vobis*; alteram pro nobis, *Caro mea est pro mundi vita.* Hæc posterior est corporalis, ergo & prior. Ideò enim posterior adiecta est vt priorem exponeret;
2. Argum. & vt de qua carne loqueretur, nos doceret. Deinde hæc donatio panis futura dicitur, *quem ego dabo*, sicut donatio carnis pro mundi vita futura tunc erat; vnde in Græco repetitur, *quam ego dabo.* Sed non nisi corporaliter vtrumque tunc futurum erat, quia ad spiritualem donationem quod attinet fide capiendam, ab initio mundi vtraque facta erat. Nam omnes iusti ab initio mundi in Christum futurum & redemptionem per sanguinem eius futuram crediderunt; quo sensu
Apocal. 5. dicitur, *Agnus occisus ab origine mundi.* Quare Caluinus, & qui de spirituali per fidem manducatione hæc verba exponunt, verbum Christi, *dabo*, prorsus euacuant, falsique arguunt.
3. Argum. Terriò, dare Christum per fidem manducandum seu hominem factum seu crucifixum, donum est commune toti Trinitati, quia spirituale donum est. Sed Christus hîc loquitur de dono sibi proprio vt filio hominis, & secundùm humanam naturam. Quare sicut caro quam dedit pro mundi vita, erat propriũ donum filij hominis, quo *dedit semetipsum pro nobis*, &c. sic panis quem hîc se daturum promisit, est proprium donum Christi vt filius hominis erat; in vtroque dono *perficiens opus quod dedit illi Pater*, sicut suprà dixit cap. 4. vers. 34. vt ibi exposuimus. Vtrumque igitur corporale est, & officio corporis accipiendum: quod tres Euangelistæ diligenter notarunt; *Et dedit discipulis suis dicens: Hoc est*
4. Argum. *corpus meum.* Quartò, hunc cibum præfert mannæ; ergo in veritate cibi & manducationis corporalis vtraque conueniunt. Non enim constituitur differentia nisi inter ea quæ aliquo modo conueniunt. Nullo autem prorsus alio modo conueniunt manna & caro Christi in Sacramento, nisi in so-
5. Argum. la manducatione corporali vtrique communi. Quintò, hunc cibum promittit Christus daturum credentibus in se, nec nisi prius credentibus; quam ob causam de fide prius disputauit tam multa. Prius igitur est credere in Christum, & postea
6. Argum. hunc cibum accipere: ergo aliud credere, aliud accipere. Sextò, fides non in carnem, sed in totum Christum est. Diuinitas & tota Christi humanitas fidei obiectum est, fidéque percipitur. Nulla igitur causa esset, cur hunc cibum carnem suam

ſuam vocaret, & quidem toties vocaret, niſi de carnis proprietate & proprio manducationis officio loqueretur. Alia argumenta ex ſequentibus adhuc ſententiis accumulabũtur.

53. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

PRopter hæc verba, quæ communionem ſub vtraque ſpecie omnino neceſſariam tradere videbantur, quidam Catholici interpretes de ſpirituali tantùm manducatione Chriſtum toto hoc capite diſputare, non de ſacramentali, vel de ipſo omnino Sacramento, iudicauerunt; vt imprimis Caietanus: alij non principaliter & propriè, vt in articulis Ruardus Tapperus, Ioan. Heſſelius in libro de veritate Euchariſtiæ, & poſt iſtos Cornelius Ianſenius. Sed hi magni & docti viri, vt ſcribit de illis Claudius de Sainctes in opere Euchariſt. Repetit. 6. cap. 5. trepidauerunt timore vbi non erat timor. Sanè D. Thomas tametſi ſuo tempore laicos ſub vna ſpecie toto orbe communicare videret, tamen in commentariis in hunc locum indubitanter aſſerit, de Sacramento Chriſtum in his verbis loqui. Idem fecerunt innumeri Patres, tametſi eorum temporibus ſub vna ſpecie laici communicarent. Idem & alij hodie contra hæreticos decertantes, vt imprimis Martyr Roffenſis lib. 5. contra Oecolampadium, qui vir ſanctus non dubitat eum à Deo deſertum habere, qui pertinaciter negaret Chriſtum in hoc capite de Sacramento carnis ſuæ loqui. Eius iudicium ſequuti ſunt alij: Gul. Alanus Card. de Euchariſt. lib 1. cap. 31. Petrus Michaël de Euchariſtia cap. 5. Claudius de Sainctes loco citato, Claudius Guillandis, Ioan. Gagneius, Titelmannus, & doctiſſimus interpres Franciſcus Toletus. Sed & huius ſcholæ Magiſtri Ioan. Driedo de Script. Eccleſ. lib. 4 cap. 5. & Franc. Sonnius in ſuccincta demonſtratione errorum Confeſſ. Caluiniſticæ. Denique Conc. Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. quum negat in his verbis vtriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, non ideo negat, quia hîc de ſacramento Chriſtus nõ loquitur, ſed per alia Chriſti verba in hoc eodem capite hæc verba exponit. Senſus ergo Chriſti eſt, non vtriuſque ſpeciei ſacramentalis neceſſitatem docere (ſpecies enim non nominat) ſed perfectam & plenam carnis & ſanguinis ſui ſumptionem eſſe neceſſariam, ſiue illa ſub

Verborum ſenſus explicatur.

Vers. 51. & 58. sub vna specie panis, siue sub altera potus fiat. Nam proptereà de vna specie ter dixit, vt Patres Tridentini loco citato annotarunt, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis quem ego dabo; caro mea est pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quare hæc Christi verba tametsi coniunctiuè legantur, sunt tamen disiunctiuè intelligenda; ac si dixisset, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, vel biberitis sanguinem eius.* Est enim Hebraismus in Scripturis frequens, quem Ioannes more suo sequitur. Exod.21. vbi nostra versio habet, *Qui percusserit patrem suum aut matrem:* &, *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur*; in Hebræo est coniunctio, &, sed interpres sensum sequutus est. Iob 31. *Si secutus est oculus meus cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula, & si ad ostium amici mei insidiatus sum,* & alia multa; vbi omnia sunt disiunctiuè intelligenda, vt si vel vnum horum fecerit, iustè pœnam illam passus fuerit. In Psalmis hoc frequentissimum est, Psal.129. & aliis multis. Sic Ezech.18 *Qui in montibus comederit, & vxorem proximi sui polluerit, & pauperem oppresserit, & pignus non reddiderit*, &c. *morte morietur.* Vbi certum est singulis illis sceleribus deberi mortem. Sic hæc verba disiunctiuè accepta nullam habent difficultatem; & disiunctiuè accipi debere illud probat quod suprà diximus, Christum vni speciei totum effectum vitæ æternæ assignare. Duplicis tamen sumptionis meminit Christus, propter passionis suæ duplicem rationem; mortem corporis, & sanguinem effusum; cuius *Lib. 4. de fide cap. 5.* passionis memoriale hoc Sacramentum est. Sic notauit Ambrosius, ideo his verbis carnis & sanguinis Christum meminisse, *vt sui Sacramentũ passionis ostenderet.* Augustinus quo- *De doctr. Christ. lib. 3. cap. 16.* que eadem ex causa docet in his verbis, *figuram esse, quæ præcipiat passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.* Dicit communicandum esse passioni Domini, id est, Sacramento passionis eius vtendum, quod est Eucharistia: & vt vtiliter id fiat, mente quoque & affectu carnis passionem & sanguinis effusionem mente recolendam esse. Alia quoque ex causa ita loquutus est Christus, vt ostenderet huius cibi, quem daturus erat, participationem, perfectam esse animæ refectionem. Ideò manducandi & bibendi nominibus vsus est, in quibus humana tota refectio consistit. Neque enim aptioribus verbis significari hoc potuit.

Carpit hoc loco Caluinus veteres Patres his verbis. *Crassus*

sus fuit veterum error, qui infantulos putarunt vita æterna priuari, nisi Eucharistiam illis porrigerent. Sed hæreticorum more,quæ ignorat,blasphemat. Fuit quidem in veteri Ecclesia consuetudo paruulis Eucharistiam porrigendi, vt patet apud Cyprianum serm.5. de lapsis, cuius testimonium citat August.epist.23. Sed falsum est veterem Ecclesiam hac consuetudine tanquam re ad salutem paruulorum necessaria vsam fuisse. Imò S.August.qui in lib.1.cap.20.de pecc.mer. & remiss. docet hæc verba ad paruulos pertinere,nec posse eos vitam habere nisi manducauerint carnem filij hominis, & biberint sanguinem,non sic intelligi vult vt Sacramentalem manducationem illis necessariam esse doceat; sed quòd in ipso baptismo huius Sacramenti rem & fructum percipiant, ideóque verè vitam habeant per baptismum; quod negauit Pelagius. Hunc esse Augustini sensum (quem pauci aduertunt) alia eius verba manifestum faciunt in sermone ad infantes,quem citat Beda in suis collectaneis in Paulum ad cap. 10.1.ad Cor. *Nulli* (inquit) *est aliquatenus ambigendum,tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisq; Domini participem fieri,quando in baptismate membrum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisq; consortio, etiamsi antequam panem illum comedat,& calicem bibat,de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, inuenit.* Hæc ille. Quod autem Caluinus addit, ad ipsam veteris Ecclesiæ consuetudinem grauius taxandam, *ipsam Christi institutionem paruulos à cœna participatione arcere, quia nondum seipsos probare, nondum colere memoriam mortis Christi possunt*, tale argumentum est, vt eodem à baptismo quoque paruulos arceri concludit, quia necdum credere aut actu fidei in Christum tendere possunt, vt in eius mortem baptizentur & Christum induant. Pulchrum est,& contra Lutheranos egregiè valet, quod subiungit Caluinus, *non rectè Bohemos egisse quum hoc testimonio probarent vsum calicis promiscuum debere omnibus esse.* Ab altera parte Beza *eos qui hoc testimonium ab vsu calicis confirmando abstrahunt, in odium Bohemorum, id est, Euangelij, illud facere* proclamat. Sic magistrum suum Caluinum præclarè correxit Beza.

Patres à Caluino procaciter taxati.

Caluini argumentum pro Anabaptistis.

Beza Caluinum corrigit.

In annotat. in hunc locum.

54. Qui

54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

QVi hanc Christi concionem ad Sacramentum Eucharisticum pertinere negabant, ex his verbis argumentum sumunt: quum certum sit multos sacramentaliter manducare carnem Christi qui non habent vitam æternam, & eos solos habere vitam æternam qui spiritualiter manducant. *Ex his verbis palàm apparet* (ait Caluinus) *perperam de Cœna exponi totum hunc locum. Nam si verum esset quicunque ad sacram Domini mensam se ingerunt, carnis & sanguinis eius fieri participes, omnes similiter vitam referrēt. Scimus autem multis in exitium cedere.* Sed miserum planè hoc argumentum est. Christus in his verbis de manducatione loquitur à se instituta, non à nobis quomodocunque exercita; de suo bono opere loquitur, qui non nisi ad salutem carnem suam ad manducandum dedit, non de eorum peccato qui ad suam perniciem illud accipiunt. Manducatio indigna non est à Christo instituta nec intenta, nec hoc loco commemorata, quippe quæ non nisi æquiuocè talis est; sed de ea quæ verè & vniuocè ita appellatur, Christus hîc loquitur. Quod ex alia simili locutione sic probat Augustinus. *Sicuti in illis Christi verbis, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; non vtique intelligimus eo modo credentem quo & dæmones credūt & contremiscunt, nec in eo numero baptizatos quo Simon Magus baptizari potuit, sed saluus esse non potuit; & in illis verbis, non omnes credentes & baptizatos, sed quosdam intuebatur, in ea scilicet fide constitutos quæ Apostolo distinguente per charitatem operatur: ita in his verbis, Qui manducat meam carnem, &c. non eos considerauit qui indignè manducantes iudicium sibi manducant & bibunt, sed de certo quodam manducandi modo loquitur, quem hic fructus & effectus infallibiliter sequuntur.* Hæc ille. Nempe agit hîc Christus, nec de spirituali manducatione tantùm, vt antea ostensum est, nec de sacramentali tantùm; sed de illa sacramentali quæ etiam spiritualis est, vt ex his verbis apparet. Quare August. tract. 27. in Ioannem, totam Christi concionem ita concludit, *vt omnia quæ Christus hîc dixit de manducanda carne sua, & bibendo eius sanguine, ad hoc nobis valeant, vt carnem Christi & sanguinem Christi nō edamus & bibamus in Sacramento tantùm, sed vsque ad Spiritus participationem, vt eius Spiritu vegetemur*, &c. Quæ Augustini conclusio non docet præstari & exhi

Caluini ficulneum argumentum.

Sermo. II. de verb. Domini.

exhiberi in Sacramento quæcunque hîc Christus dixit, tametsi de Sacramento non sit loquutus, vt Augustini expositionem peruertit Caluinus; sed perspicuè docet de ipso Sacramento suo & de sacramentali manducatione in omnibus præcedentibus Christum loquutum fuisse; sed de sacramentali quæ etiam spiritualis sit.

Impius autem Caluinus videte quàm prophanè & impiè hoc loco scribat. *Ineptum esset atque intempestiuum de Cœna tunc differere, quam nondum instituerat. Ideo de perpetua fidei manducatione eum tractare certum est.* Petulantis & proterui hæretici intoleranda arrogantia est. Non veretur Christum ineptiæ arguere si ante institutum Sacramentum de eo disserat. Quid non verebitur homo impius extento collo & perfricta fronte asserere, qui ipsum Dominum sic aggreditur? Ergo iuxta Caluini blasphemias ineptè fecit Christus qui de sua Passione futura, de suis contumeliis, flagellis, ipsáque morte, ac post triduum resurrectione, antequam eorum quicquam fieret, iterum atque iterum suos Apostolos docuit? Ineptè fecit Christus qui antequàm Spiritum S. daret, de fluentis eius ac donis disputauit, dicens: *Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ?* Ineptè fecit Christus qui ante baptismum institutum de eius necessitate & fructu Nicodemum docuit? Ineptè fecit Christus qui de obedientia suis Apostolis ac ministris præstanda sæpe proloquitur, antequam illos in mundum mitteret, & ad ministerij sui functionem emisit? Aut si de passione, morte, resurrectione, de Spiritus S. donis, de baptismo, de authoritate Apostolica, antequam ista peragerentur, conferrentur, instituerentur, potuit Christus absque vlla ineptiæ aut intempestiuæ disputationis nota differere ac disputare; quantus rabula Caluinus, qui *ineptè atque intempestiuè fecisse Christum* audet affirmare, *si de Cœna differeret, quam necdum instituerat!* Sed nullis blasphemiis parcit Caluinus, vt quod vult obtineat. Nihil tam insulsum aut impium est quod asserere non veretur, vt suas impias hæreses quoquo modo stabiliat. Ex huiusmodi igitur tam impio atque insulso præterea antecedente, conclusio, quam ita certam ponit, certissimè corruit: nec de perpetua fidei manducatione, vt ille ait, sed de perpetua sacramentali manducatione, cui spiritualis illa per fidem coniuncta est, Christum hoc loco tractare certo certius est.

Impius Caluinus Christum ineptiæ arguit.

Matt. 16. 17. 20. 26. 27.

Ioan. 4. Ioan. 7.

Ioan. 3. Luc. 10. Ioan. 17.

Caluini impietas & audacia.

57. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, viuet propter me.*

Sacramentalis Christi manducatio probatur.

SAcramentalem corporis Christi manducationem, eiusque manducationis fructum, hæc verba fortissimè docent. Quum enim dixisset, *Qui manducat meam carnem*, &c. *habet vitam æternam*, probare id nunc vult à vera manducatione & reali acceptione viuificæ carnis suæ. Dicit ergo: Sicut ego qui sum filius Dei, eandem vitam habens cum Patre, factus tamen homo & tanquam homo, quia missus sum à viuente Patre, id est, habeo diuinitatem Patris viuentis humanitati meæ vnitam, & viuo propter ipsum (humanitas enim mea accipit vitam à diuinitate, & à Patre ipso) ita qui me manducat, accipiet vitam à me, quia mihi vnitur non solùm per fidem & charitatem, sed realiter seu *naturali vnione*, ait Hilarius lib. 8. de Trinit. & in me manet non solùm per fidem & dilectionem, *sed reipsa & corporaliter*, ait Cyrillus in Ioan. lib. 10. cap. 13. & libro 11. cap. 26. & 27. & Chrysost. hom. 45 in Ioan. non quòd vnum fiat ens naturale Christi & manducantis eum, sed quia præter vnionem spiritualem ratione fidei & charitatis, etiam reipsa Christus habitat in eis qui manducant eum, veluti fons & causa eiusdem fidei, charitatis, & gratiæ: & hoc modo qui manducat, viuit propter Christum, quia habet in se causam & fontem vitæ spiritualis. Pulchre hoc D. Basilius docet. *Christus dicens, Ego viuo propter Patrem, potest illam vitam dicere quâ Christus etiamnum viuit, Verbum Dei habens in se ipso. Et hoc ex sequentibus patet vbi dixit; Et qui edit me, viuet propter me. Carnem namque ipsius edimus ac sanguinem bibimus, consortes effecti verbi ac sapientiæ per incarnationem & sensibilem ipsius vitam.* Hæc ille epist. 141. Docet eo modo per manducationem carnis Christi effici nos consortes Verbi, id est, vitæ & gratiæ quæ ab ipso incarnato est; vnde adiecit, *per incarnationem eius*, siceti Christi humana natura vitam in seipsam recipit, non velut à Patre longè posito, sed velut essentiali eius Verbo præsente, & naturam illam humanam viuificante.

63. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.*

VAria est huius loci expositio. Vna Chrysostomi & sequacium eius, de spirituali & carnali intelligentia

verborum Christi, qui sensus, etsi verus sit, tamen non videtur ad literam accommodatus. Alia hæreticorum communis est, de spirituali manducatione per solam fidem Christum loqui vt ipsa carnis Christi manducatio aut sumptio realis nihil prosit. Hanc ipse Caluinus reiicit, affirmans *necesse esse Christi carnem comedere vt crucifixa prosit.* Tertia est ipsius Caluini, Christum hîc *ad modum edendi simpliciter respexisse, ideoq; carnem ex sua origine & natura æstimatam, quæ tota terrestris est, nihil prodesse, sed ex Spiritus virtute, qua caro Christi perfusa est, ipsam Christi carnem esse viuificam, & esse verè cibum, quia per ipsam parta nobis est vita, & in ipsa placatus est nobis Deus, omnésque salutis nostræ partes completæ.* Plena dolo & vafricie hæc expositio est. Primùm, non in his sed in sequentibus verbis ad modum edendi spiritualem Christus respexit ex sententia Augustini, quem Caluinus se sequi affirmat. Deinde, Christi quidem caro ex Spiritus veritate viuifica est; sed quæ sit hæc Spiritus virtus non explicat, an ipsa Christi diuinitas carni vnita, an spirituales eius effectus quos postea describit. Tertiò, docet quidem Christi carnem ex Spiritus virtute esse verè cibum, sed quatenus per illam crucifixam parta nobis est vita, & placatus Deus, non quatenus Christus illam nobis comedendam dedit: & sic in secundam sententiam, quam reiecit ipsemet, relabitur. Tota & perspicua veritas, quam hæretici partim impugnant, partim fugiunt & dissimulant, (vt hîc Caluinus) veráque verborum expositio hæc est: Caro Christi si sola esset, & merè humana, qualem Capharnaitæ intelligebant, non prodesset ad vitam: at quia Spiritus & diuinitatis caro est, ipsique coniuncta; prodest & efficax est ad vitam; diuinitas enim per ipsam viuificat. Ideò diuinitatem suæ carni vnitam esse in præcedenti sententia docuerat, dicens de sua Ascensione futura, *Si filium hominis videritis ascendentem vbi erat prius,* supple, quid tunc dicetis? Hunc in modum exponit Cyrillus libro 4. capite 13. & 24. & D. Augustinus tractat. 27. *Caro* (inquit) *vt est diuinitatis organum, prodest ad vitam.* Eandem expositionem tenet de Ciuitate Dei libro 10. capite 24. Athanasius quoque tum in libro de Incarnatione Christi, tum in oratione in dictum illud Matthæi, Quicunque dixerit verbum aduersus Spiritum Sanctum. Quem sequitur Damascenus de orthod. fide libro 4. capite 14.

Vafra Caluini expositio.

Verborum sensus.

63. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

Vocat hîc Christus verba hactenus dicta, seu totam hanc suam concionem de manducanda carne & bibendo sanguine suo, *Spiritum & vitam*, ratione materiæ de qua hactenus tractauit: vt videlicet eos doceret intelligenda sua verba esse, nec de re aliqua carnali sub carnis specie, sicut illi intelligebant, sed carne spirituali ac viuifica, quia diuinitati coniuncta; nec etiam de manducandi aut bibendi modo carnali, sed spirituali. Verum enim Christi corpus & verus sanguis tametsi verè & realiter in Sacramento accipiantur, non tamen carnali aut sensibili modo accipiuntur, sed sub Sacramento & aliena specie: qua sensibili panis specie mediante, cui intimè corpus Christi conuertitur (non immediatè & per se vel in sua quantitate) corpus Christi tangitur, frangitur, manducatur: qui est vnus spiritualis modus manducandi corpus Christi, vt distinguitur à visibili & carnali manducandi modo qualem Iudæi intelligebant. Sic hunc locum optimè explicat S. Augustinus. *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus sunt & vita, spiritaliter intelligite. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis. Sacramentum aliquod vobis commendaui. Spiritualiter intellectum viuificabit vos; etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi.* Hæc ille. Caro igitur Christi quia habet adiunctum Spiritum viuificantem, id est, ipsam diuinitatem, ideóque qualitates habet spirituales, Deóque proprias (vnde in carne humana multa fecit diuinè) propterea per modum illarum, non per modum qualitatum & proprietatum meræ humanæ naturæ, in hoc Sacramento adesse & à nobis manducari voluit. Hanc ob causam verba sua vocauit, *Spiritum & vitam*, quia spiritualiter totum accipiendum est quod docuit; & sicuti carni viuificæ ac diuinitati coniunctæ conuenit; non rei veritatem, quam toties inculcauit, hoc vno verbo tollens, vt hæretici colligunt, sed modum huius rei accipiendæ spiritualem subiiciens, vt August. alijque Patres in hunc locum exponunt.

Caro Christi spiritualis spirituali modo manducanda.

Enarr. in Psal. 98.

Caluinus totam hanc sententiam Christi ad generalem doctrinæ Euangelicæ commendationem transfert, ad portentosam illam sententiam stabiliendam, ex auditu Euangelij vnumquemque credentem de sua salute certum reddi. *Vitam* (inquit) *ab effectu sermonem suum nominat Christus*

Caluini deprauatio.

quasi

quasi viuificum. Sed viuificum nemini fore docet nisi à quo spiritualiter percipitur. Apud pios suauissimum hoc Euangelij elogium est, quod certi sunt sibi in æternam salutem destinatum esse. Hæc ille. Atqui Christum de sola sua præsenti concione, & de modo eius intelligendæ, ista locutum esse, totus contextus ad oculum docet. *Verba quæ ego locutus sum vobis*, non nisi de illis verbis intelligi possunt, quæ præsentibus Iudæis locutus fuerat. *Spiritus & vita sunt*, non nisi ad rem præsentem pertinent, *quòd Spiritus viuificat, caro non prodest quicquam.*

Nunquid & vos vultis abire?

Veram hîc causam ponit Christus incredulitatis Iudæorum. Priùs eam causam posuit, quia, vt ad Christum venirent, non fuit eis datum à Patre. Sed ne quis hanc propriam incredulitatis illorum causam esse putaret, aliam nunc assignat, liberam eorum voluntatem prauam. Aliis enim discipulis recedentibus, Apostolos rogat (quibus haud dubiè à Patre datum erat vt ad Christum venirent) an & illi recedere vellent, manifestè docens in eorum libera voluntate positum esse, vt vel in Christo manerent, vel ab eo recederent. Notauit hoc S. Cyprianus his Christi verbis citatis. *Seruat scilicet Dominus legem qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit vel salutem.* Hæc ille. Sanè Iudæos ex propria malitia, non ex absoluta Dei voluntate, in Christum non credidisse, tam diligens & prolixa ad eos habita concio satis demonstrauit. Quod ergo Dei gratia efficaciter multi non conuertantur, in ipsis non in Deo causam ponendam esse docet S. August. his verbis. *Vt innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates: quæ vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati non sint propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam suam superbiam iudicandi & eruendi, si filij sint misericordiæ.* Hæc ille, latius idem eodem loco confirmans, & concludens *nullius culpæ humanæ causam in Deum referendam esse.* De pecc. mer. & remiss. lib. 2. cap. 17.

Incredulitatis vera causa.

Epist. 55.

Libro 2. cap. 17. de pecc. mer. & remissione.

5. *Neque enim fratres eius credebant in eum.*

B. Virginis reuerentia singularis defenditur.

ARRIPIT hoc loco occasionem Caluinus Catholicæ Ecclesiæ erga B. Virginem singularem reuerentiam acerbè taxandi. *Hinc* (inquit) *colligimus quàm nihili sit carnalis propinquitas. Perpetuam enim infamiæ notam Spiritus inurit Christi cognatis, quòd tot operum testimoniis conuicti, ne tum quidem credebant. Quo magis ridicula est Papistarum superstitio, qui in virgine Maria, posthabitis omnibus aliis, solum sanguinis honorem efferũt, quasi non reprehensa ab ipso Christo fuerit mulier, quæ ex media turba clamabat, Beatus vterus qui te gestauit, & vbera quæ te lactarunt. Respondit enim Christus: Quin potius beati qui audiunt verbum Dei.* Hæc, ille in hunc locum. Est ergo hoc Caluini argumentum; quia cognati Christi secundum carnem increduli erant, ridiculos eos esse qui in Matre Christi solum sanguinis honorem efferunt. Sed non videt cæcus hæreticus, vbi plures causæ honoris deferendi concurrunt, ibi maiorem honorem meritò deferri: eámque ob causam Bea-
1. tissimæ Virgini Mariæ, quæ non solùm credidit Angelo à
2. Deo misso, non solùm conseruabat & conferebat in corde
3. suo omnia quæ circa Christum paruulum gerebantur, non solùm de toto mysterio redemptionis nostræ diuinissimè prophetauit Christo needum nato, non solùm Cruci Christi
4. fugientibus Apostolis magna animi constantia ac singulari fide astitit, non solùm in die Pentecostes Spiritum Sanctum
5. accepit, (quæ sanè omnia pietatis & fidei in Deum præclarissima testimonia, cum aliis, vel Apostolis, vel Sanctis, illi erãt aut esse poterant communia,) sed præter hæc omnia, ipsa Christi imò filij Dei Mater fuerit, filium Dei incarnatum in vtero gestauerit, aluerit, & omne in eum matris officium exercuerit; propter tot causas in illa sola concurrentes, maximo quodam & singulari supra reliquos Sanctos omnes honore à nobis Catholicis optimo iure affici. Quid? an seriò iudicant Caluinistæ propter solum sanguinis honorem nullam Beatiss. Virgini reuerentiam deberi? An Caluinus puero Christo maior & melior videri volet? At dicit Scriptura de Iesu Redemptore iam duodenni, & de parentibus eius: *Ipse erat subditus illis.* An in hac subiectione ipsum sanguinem maternum Christus non honorauit? Imò putatitium illum suum patrem Ioseph, propter paterni sanguinis imaginem tantùm

Solus sanguinis honor in B. Virg. reuerentia dignus.
Luc. 2.

illa quoque subiectione nónne honorauit? Quod ergo Christus ipse in sua Matre honorauit, quis tandem Christianus honore dignum esse negabit? An non hoc ipsum sancta illa mulier Elizabeth, & Spiritu Sancto plena, singulariter in beata Virgine venerata est, quum diceret, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui?* id est, ideo benedicta, quia tantam prolem habitura es? Nam & Angelus quum hanc B. Virginem eodem titulo exornasset, & *inter mulieres benedictam* prædicasset, illáque, pro sua modestia & humilitate, hac audita salutatione non inflata, sed turbata esset, eius salutationis rationem reddens Angelus subiunxit. *Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum.* Et quam gratiam tandem, vt propter illam benedicta prædicetur? Sequitur. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*, &c. Ecce ideò ab Angelo posteáq; à S. Elizabetha, Angeli verba ex afflatu diuino repetente, *benedicta* nuncupatur & prædicatur, quia talem ac tam benedictum fructum paritura erat. Rursum an non hoc ipsum eadem Elizabetha præcipuo affectu venerabatur quum diceret, *Vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei veniat ad me?* Non dicit, Vnde hoc mihi, vt quæ gratia plena est, quæ Angelo credidit, in quam Spiritus Sanctus superuenit, & virtus altissimi obumbrauit, veniat ad me? Quæ tamen omnia verè & piè dicere poterat. Sed hæc omnia tacens, & quod in ea summo honore dignum erat attingere volens, dixit: *Vnde hoc mihi vt Mater Domini mei veniat ad me?* Non solum, ipsum in Matre Christi sanguinem veneratur, sed illud vnum præ cæteris omnibus veneratione dignum iudicat. Age enim. Mater Domini nostri est. Quis igitur huius Domini seruus, eam, vt Domini sui Matrem, hoc ipso quod Mater Domini sui est, præcipuo quodam & singulari honore afficiendam esse, dubitare poterit? An quisquam subditus est, qui Regis sui matrem, hoc ipso quod mater est, singulari aliquo honore prosequi recusabit? Quid? An Matrem Domini esse secundùm carnem, res ipsa per se summa veneratione digna non est? Quum illud canticum diuinissimum B. Virgo pronunciaret, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, quod aliud beneficium ipsi in particulari à diuina bonitate impensum prædicat, quàm quòd filij Dei se Matrem esse, vt Elizabetha professa est, cerneret? Quando adiecit, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent* Lucæ 1.

Beata, quia mater filij Dei.

omnes generationes, cur ex hoc, cur ab eo tempore, nisi propter id quod sequitur? *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius?* Et quæ illa magna erant quæ fecit illi potens Deus, quàm quòd, iuxta Angeli verbum, filium Dei paritura erat? Hæc sunt magna quæ fecit huic Virgini Matri Deus, in hoc respexit humilitatem huius virginis. Ex eo demum tempore beata ab omnibus generationibus prædicabitur, quia Mater Domini omnium est. Hanc sibi factam ineffabilem gratiam, exultans in Deo salutari suo, his verbis prædicauit. Cætera quæ in hoc hymno sequuntur, ad totius humani generis beneficium ac redemptionem pertinent. Sed in primis illis versiculis, *quæ illi magna fecit Deus*, & quomodo *ipsius humilitatem respexisset*, & cur ipsa *beata prædicanda* esset, quia videlicet Mater filij Dei futura erat, aut iam erat potius, cum ingenti spiritus exultatione deprædicat. Quod ergo tanta exultatione & gratiarum actione dignum purissima hæc virgo iudicauit, & Spiritus Sancti in Scriptura diuinitus reuelata contestatum relinquere voluit, videlicet quòd Mater Domini omnium esset, hoc ipsum quoque nos cum summa animi exultatione non prædicabimus? De hoc ipso nos Deum nostrum non magnificabimus? Ex hoc ipso nos beatam esse hanc virginem non profitebimur? Ipsa nos virgo Mater, ipsum Euangelium, ipse Spiritus Dei, si secus facimus, summæ nos & ingratitudinis & impietatis arguet.

Sed vnus Caluinus, homo impius & ingratus, eos qui hunc solum sanguinis honorem in B. Virgine Christi Matre efferunt, *ridicula superstitione* laborare iudicat. Dico solum sanguinis honorem, quem solum puer Iesus in illa venerabatur, quem solum sancta mulier Elizabetha prædicabat, quem solum ipsamet B.Virgo diuino Spiritu excitata solenni cantico celebrabat. Solum, inquam; non quasi aliud nihil in hac B.Virgine aut honorandum censeamus, aut non honoremus, sed solum, quia seorsim & per se hoc vnum consideratum, præcipuo quodam honore dignum esse asserimus. Addit quidem Caluinus, *posthabitis omnibus aliis.* Sed illa additio non nisi ad calumniam infertur. Nos enim Catholici, quum B.Virginem Christi Matrem præcipuo quodam honore prosequimur, ipsum quidem in ea sanguinis honorem efferimus, & hoc ipsum, quod Mater Domini nostri fuit, magnopere honoramus; non tamen posthabitis omnibus aliis, non contemptis aut neglectis aliis in ea virtutibus; virginitate perpetua & illibata, fide fortissima, humilitate & obedien

Caluini putida calumnia.

dientia, charitate, totáque vitæ puritate illa virgine digna, quæ *plena gratia* ab Angelo salutari meruit: Non, inquam, istis aut neglectis aut posthabitis, sed vnà cum istis, ipsum in ea sanguinis honorem efferimus: quem adeò non efferre Caluinus cum suis, vt eum efferri aut prædicari non debere, ex aliis Euangelij verbis probare contendat. *Reprehensa* (inquit) *fuit à Christo mulier, quæ ex media turba clamabat, Beatus venter qui te portauit.* Esto: fuerit à Christo reprehensa quæ sic clamabat. An verò illa reprehensionis causa fuit, quòd Matrem Christi quasi Matrem Domini sui beatam prædicauit, sicuti nos Catholici in B. Virgine sanguinis honorem efferimus, quia Mater Domini nostri, Mater Redemptoris mundi, Mater filij Dei fuit? Nihil minus. Certum est, illam mulierem, si reprehensa fuit, ideo reprehensam fuisse, vel quia vulgari mulierum more, audita Christi sapientia, felicem illam Matrem dixerit, quæ tantæ sapientiæ filium genuerit, nihil amplius de eo vel de Matre eius cogitans quàm quæ de viro aliquo sapiente, qui parentum suorum honor sit, (honor quippe matris filius sapiens) vulgus hominum cogitare solet, vel quia tempore & loco non suo in huiusmodi verba prorupit, quum Christo tunc apud populum concionante, nec Matris suæ nec ipsius laudibus extollendi, sed doctrinæ cælestis, quam concionabatur, audiendæ, operibúsque exequendæ tempus esset. Nam & sic quum aliàs eo concionante diceretur, *Ecce mater tua & fratres tui te foris expectant*, respondit. *Quæ est mater mea, & qui fratres mei, nisi qui voluntatem Patris mei faciunt:* vbi non negauit matrem aut fratres suos id esse quod erant, sed doctrinam suam, cui tunc instabat, & obedientiam mandatorum Dei, suis auditoribus commendare voluit. Atqui Catholici Christiani quum hæc verba tam in Christi quàm in Matris suæ laudem recitant, decantant, prædicant, *Beatus venter qui te portauit*, &c. nec tam exiles cogitationes habent, nec aliqua importunitate Christi negotia perturbant. Catholici hæc verba imitantes dicunt: *Beata viscera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.* Planè cum Angelo Gabriele, benedictam inter mulieres Mariam prædicant, quæ *concepit in vtero, & peperit filium, qui filius Altissimi vocaretur.* Si enim Angelus antequam adhuc conciperet (ait enim, *concipies, & paries*) benedictam illam deprædicat propter partum futurum, quídni multo magis post tam

Matth. 12.

B. Virginē cur Catholici prædicant.

benedictæ prolis partum, & propter illum iam de facto præstitum, benedictam illam prædicamus? Rursum cum S. illa Elizabetha benedictam illam prædicamus *propter benedictum fructum ventris sui.* Quare tametsi hæc mulier clamans de turba quum concionabundus Christus populum doceret, à Christo reprehensa fuisset, nullo modo tamen ad Catholicorum hodie pietatem illa reprehensio pertineret.

Iam verò nec à Christo reprehensam hanc mulierem fuisse, aut aliquid superstitiosè dixisse, (vt vult Caluinus) sed verba pietatis plena protulisse, multi doctissimi Patres eadem acclamatione vsi satis supérque docent. Simili quippe vtitur Gregorius Nyssenus his verbis. *O beatum vterum illum qui bonitatis præstantia ad se animi traxit bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus Sanctus præstantiam capit. hic autem caro fit Spiritus receptaculum.* Simili vtitur eadémque sæpe repetita Epiphanius. *O vterum, impollutum habëtem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum, in te verè comprehensum portasti! O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti! O vterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratiæ!* Nec dissimili vtitur Augustinus. *O virgo Dei genitrix gloriosa, ô sublimis puerpera, cuius visceribus author cœli terræq; committitur!* Et rursus. *O fœmina super fœminas, quæ & virum non cognouit, & virum in vtero circundedit!* Et quid miramur si hunc ipsum sanguinis honorem in hac beatissima Dei matre Patres venerantur & laudibus efferunt, quando ipse Spiritus Sanctus in Scriptura diuinitus inspirata, rem eandem, quasi summa admiratione & veneratione dignam, aliquot antè seculis prædixit? Clamat Ieremias Propheta. *Creauit Dominus nouum super terram. Fœmina circundabit virum.* Hoc nouum & inauditum Dei opus, quod ipse sua infinita potentia creauit, quòd fœmina circundaret virum, id est, prolem in vtero haberet, quæ perfectus vir erit antequam nascatur, perfectus, inquam, non mole corporis, sed vnione diuinitatis, quis negare poterit vt summa admiratione, ita pari veneratione dignum esse? mulierem ergo, quæ in Euangelio exclamauit, quum huius viri cœlestem sapientiam audiret, *Beatus venter qui te portauit*, si ex fide verborum Christi, & non ex affectu humano illa verba dixit, nullo modo à Christo reprehensam fuisse existimari debet. Sanè ipsa Sibylla Tiburtina, quam de Christo, sicut cæteras Sibyllas, spiritu prophetico vaticinatas fuisse nullus

cubitat

Serm. in Natiu. Domini.

In Serm. de laudib. Virginis.

Serm. 35. de Sanctis & 9. de tempore.

Ierem. 31.

dubitat Christianus, eisdem ferè verbis Messiæ Matrem deprædicat:

O nimiùm fœlix cælo dignissima Mater,
Quæ tantam sacro lactabit ab vberè prolem!

Quæ sanè carmina cum aliarum Sibyllarum vaticiniis si quis nouatorum Sibyllina esse negauerit, agat cōtra Xystum Betuleium, eiusdem farinæ hominem, qui ea in lucem euulgauit. Sanè venerabilis Beda hæc verba apud Lucam exponens, ita scribit. *Magna deuotionis & fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Pharisæis Dominum tentantibus simul & blasphemantibus, tanta eius incarnationem sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, vt & præsentium procerum calumniam & futurorum hæreticorum confundat perfidiam.* Sed & doctissimus Augustinus, quem imitari solet Beda, hanc mulieris confessionem ita probat, vt non suo tantùm, sed & aliorum piorum nomine eam ab illa factam fuisse affirmet.

In Lucam lib. 4. cap. 49.

Tract. 10. in Euang. Ioan.

Sed ad Caluinum redeamus, qui omnino reprehensam à Christo propter hæc verba mulierem fuisse affirmat. Quomodo hoc probat? Ait. *Respondit enim Christus: Quin potius beati qui audiunt verbum Dei.* Primùm, impostor iste verbum Dei corrumpit. Non enim dixit Christus, *Quin potius*, sed, *Quinimo:* quod etiam verbum in sua translatione apud Lucam retinuit Caluinus: & Beza vertit, *Imò verò:* vbi nulla est comparatio aut auxesis (quasi μᾶλλον δὲ Lucas scripsisset) sed simplex adiectio, quam vox Græca μὲν οὖν γε manifestè insinuat. Vult enim dicere Christus: Non solùm beatus venter, qui me portauit, sed & reuera beati illi sunt qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Tu me matrémque meam beatam prædicas. Sed hæc prædicatio huius temporis ac loci non est. Ego illos beatos prædico qui verbum Dei audiunt & custodiunt. Impius tamen Caluinus textum corrumpens, pro *Quinimo* legit, *Quin potius*, pro simplici assertione non præcedenti sermoni aduersatiua, aut quæ præcedentem corrigeret, sed alterius sermonis affirmatiua, ponit comparationem: quasi diceret Christus magis beatos aut magis honorandos esse qui custodiunt auditum Dei verbum quàm vel ipse, vel mater eius. Hæc enim mulier non matrem tantùm Christi, sed & ipsum Christum laudare voluit, imò magis Christum quàm matrem, quia propter Christum laudat matrem: propter filium laudat vterum, laudat vbera. Vnumquodque autem propter quid & illud magis.

Caluinus textum corrumpit.

Non

Verbi Dei custodia magis perficit, non magis honorabilem reddit.

Non est quidem negandum, magis beatam, id est, in causa salutis adipiscendæ magis Deo gratam esse personam illam quæ Dei verbum custodit, quàm quæ carnalem habet quantumuis intimam cum Christo affinitatem, quia illa beatitudo, essentialis quædam perfectio, & rectitudo, & iustitia est ad summam beatitudinem conferens: intima autem cum Christo secundum carnem coniunctio res quidem summæ est dignitatis & honoris, non autem summæ virtutis aut perfectionis, aut quæ ad salutem ex se conferat. Et hoc sensu verissimè Augustinus dixit, *Beatior Maria percipiendo fidem Christi quàm concipiendo carnem Christi.* Imò quod adiicere non veretur, *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset,* scilicet ad salutem & iustitiam coram Deo, *nisi fœlicius Christum corde quàm carne gestasset.* Sanè fœlicius ad salutis quæstionem & ad essentialem perfectionem quod attinet: sed nõ fœlicius ad honoris & dignitatis quæstionem quod spectat. Ad dignitatem quippe & excellentiam incomparabilem B. Virginis hoc imprimis spectasse, quòd *Mater filij Dei* fuerit, iam ex diuinis Scripturis perspicuè demõstrauimus. Tametsi igitur in his Christi verbis aliqua correctio esset & comparatio, vt illud, *Quinimo,* significaret, *quin potius*; *beati,* id est, magis beati sunt, *qui custodiunt Dei verbum*; tamen nec illa correctio alterã matris Christi beatitudinem negaret, quòd in vtero Christum gestasset (non enim quia illud melius, propterea hoc non bonum est) nec illa comparatio dignitati & excellentiæ beatissimæ Virginis aliquid detraheret, sed alterius generis beatitudinem (vt iam explicatum est) commendaret. Sanè in alia Scriptura vbi Dauid amico suo Ionathæ dicit, *Quinimo viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantùm gradu ego morsq́; diuidimur*; illud, *Quinimo,* nihil nisi constantem asseuerationem significat. Quare Vatablus linguæ sanctæ peritissimus, illud, *Quinimo* vertit, *Et profectò.* Cæterum vtcunque se hæc res habeat, B. virginem Mariã hoc ipso quòd Christum in vtero gestauit, & mater Domini nostri esset, summo honore ac veneratione singulari prosequẽdam esse, summæque dignitatis & excellentiæ habendam esse, non solùm ex Scripturis iam allegatis, sed præterea ex sapientissimorum Patrum elogiis manifestè constat, quæ alio in loco bono numero cõgessimus: quæ idcirco hoc loco non repetimus. Illud vnum hoc loco annotabimus, beatissimam hanc Virginem ex eo quòd mater Christi fuit, hæc maximè ex causa maximo honore dignam prædicari, quia vt

In libro de S. Virgin. cap. 3.

1. Reg. 20. 3.

In Prompt. Cathol. in festo visit. B. Virg.

vt talis mater esset, & tanto filio concipiendo ac pariendo idonea, maxima gratiarum vbertate donata, maxima totius vitæ puritate imbuta, & ad altissimum perfectionis gradum euecta fuerit: quum dubitari nequeat, Deum qui ad tam excellentem finem illam ordinauerat, media quoque suppeditasse quæ ad talem finem vllo modo desiderari possent. Quare quum matrem Christi veneramur, & beatam esse prædicamus, quæ filium Dei in vtero gestauit, illam cum vniuersa illa perfectione tantæ matri collata consideramus, & non vt vulgarem matrem quæ carne tantùm gestarit, ad quod gestandum magis idonea non esset quàm quæuis alia mulier. Quibus ita explicatis, Caluini hoc loco cauillationes quàm inanes ac futiles, addo etiam impiæ fuerint, satis perspicuum euasit.

17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar.*

HÆc Christi verba miro artificio inuertit & à vero ac genuino sensu longissimè lectorem abducit Caluinus. Quid sit voluntatem Dei facere, & hoc nihil aliud esse quàm Dei mandata, quæque ille vult & iubet, opere præstare, contra alias & varias Caluini corruptelas ad alia S. Euangelij verba iam in hoc opere iterũ atque iterum ostendimus. Hæc enim verba, *facere voluntatem Dei Patris*, nunquam in recto sensu accipere aut admittere voluit Caluinus: quando ei stetit semel sententia, voluntatẽ Dei (faciendo quæ ei placita erant) nullo modo facere; sed mandatorum Dei obseruatione desperata, in sola sua fide conquiescere. Sed hoc loco, quia *facere voluntatem Dei Patris*, ponitur à Christo vt medium & via ad ipsam fidem consequendam, vetus illa cantilena, quòd huiusmodi verbis fides commendatur, locum habere non potuit. Hîc enim dicit Christus. *Si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar:* id est, fidem doctrinæ meæ adhibebit, tanquam diuinæ, & nõ à me tanquam homine priuato, sinę Dei mittentis mãdato, & sine Dei suggerentis Spiritu adinuentæ. Docet ergo Christus voluntatem & pium desiderium faciendæ voluntatis Dei, voluntatem, inquam, non otiosam, desidem, fluctuantem; sed firmam, alacrem, & actiuam obsequendi Deo in omnibus mandatis eius, medium & dispositionem

Suprà ad Matthæi cap. 5. & 7. & 12.

tionem esse egregiam ad fidem Christi verbis adhibendam. Quod enim dicitur *cognoscet*, significat eum ad cognoscendum rectè disponi, nec impedimentum habere cognoscendi. Voluntatem igitur hominis prauam, ira, odio, inuidia, superbia, aut prauis quibusque cupiditatibus obsessam, graue impedimentum esse docet Christus, quo minus cælestem & diuinam esse Christi doctrinam cognoscat: sicuti doctissimi olim interpretes Cyrillus & Chrysostomus hoc loco annotarunt. Voluntas autem recta & diuinæ voluntati conformis medium & dispositio est accommodatissima, ad cognoscendam doctrinam Christi ex Deo esse, id est, ad certam & firmam fidem illi adhibendam. *Cognoscere* enim pro credere accipitur: sicut in hoc Euangelio alibi: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Apertus & luculentus hic est Christi verborum sensus.

Lib. 4. ca. 43. in Ioã. Homi. 48. in Ioan.

Ioan. 17.

Nunc vt ea corrumpat Caluinus videamus. *Excipit hic Christus* (ait Caluinus) *rectum iudicium manare ex timore Dei & reuerentia. Ideò si animos habent ad timorem Dei compositos, facilè agnituros an verum sit nec ne quod prædicat.* Verum quidem est, timorem Dei & reuerentiam illis necessariam esse qui de rebus diuinis rectè iudicare volũt, & (quod postea dicit) *pietatem & studium obsequendi Deo: ideoq; si parati sumus in Dei obsequium, minimè illum nobis defuturum, quin Spiritus sui luce affulgeat, vt discernere liceat inter veritatem & mendacium: præfractos autem & indociles iustam suæ hypocrisis pœnam sustinere quoties illis illudit Satan.* Hæc sanè omnia vera & bona sunt, & animi demissionem atque humilitatem docent, ad diuina capessenda necessariam: de quo argumento in festo S. Mathiæ Apostoli in Promptuario Catholico multa deprompsimus. Sed verba Christi multo plus dicunt, & non solùm reuerentiam quandam erga Deum aut studium obsequendi Deo significant, quo quis videlicet paratus sit ea credere quæ Deus dicit (de hoc enim solo obsequendi studio loquitur Caluinus, quùm illud animo præfracto & indocili opponat) sed præterea studium ac volũtatem faciendi mandata Dei, id est, vitam ab omni crimine & affectu peccati puram, quod nec vno verbo attingit Caluinus, ne bonorum operum iustitiam aut sanctitatem hoc loco commendari lector aduerteret. Atqui studium aut voluntas faciendi voluntatem Dei Patris (sicut Christus hîc loquitur) non est tantùm studium obsequendi Deo, vt dociles simus verbi eius auditores, sed est præterea studium obsequendi Deo,

Caluinus verba Christi corrumpit.

Deo, vt obedientes & assidui simus legis eius factores. Lex enim Domini, voluntas eius; & factor legis Dei voluntatem Dei facit, vt suprà ex Scripturis docuimus. In hoc ergo lectorem fallit Caluinus, Christíque verbis abutitur, quòd quæ Christus de studio & voluntate faciendi mandata Dei dixit, vt simus legis factores, hoc ille de studio & voluntate obsequendi verbo Dei exponit, vt simus dociles eius auditores. *Ad Matt. cap. 12. vers. 50.*

Porrò Christum de illa voluntate faciendi voluntatem Dei loquutum fuisse quæ ad legis diuinæ executionem pertinet, verba statim subsequentia demonstrant. Volens enim ostendere Iudæos talem voluntatem non habuisse, ideóque de doctrina eius cognoscere non potuisse, ait illis: *Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?* id est, minimè mirum est si tantum abest vt doctrinam meam ex Deo esse cognoscatis, vt etiam me interficere quæratis, quum nemo vestrum legem seruet quam Deus per Moysem dedit, quum faciendi voluntatem Dei Patris, qui hanc legem dedit, nulla in vobis voluntas, nulla cura sit. Sed si vera in vobis pietas esset, vera voluntas obsequendi Deo, & custodiendi legem eius, nec me vllo odio prosequeremini, & meam doctrinam ex Deo esse facilè cognosceretis. *Si quis enim Dei cultor est, & voluntatem eius facit* (dixit ille cæcus à Christo tam animo quàm corpore illuminatus) *hunc Deus exaudit:* eius cor suo Spiritu illuminat. *In animam quippe maleuolam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quum igitur doctrinam Christi ex Deo esse cognoscere Iudæi non poterant, nec potest quisquam absque fide, quæ Spiritus sancti donum est, Spiritus autem sanctus hypocritas fugiat, & legis diuinæ transgressores (illi enim corpora habent subdita peccatis) inhabitare (hoc est, sua luce & gratia donare) recuset; accommodatissimè Iudæos Christus ad mandatorum Dei piam ac sedulam obseruationem reuocauit, vt cognoscerent de doctrina eius quòd ex Deo esset. Voluntas quippe faciendi voluntatem Dei, studiosa ac sedula est mandatorum Dei executio. Quum Christus diceret, *Cibus meus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius,* nónne ardentissimum desiderium ac voluntatem suam expressit opere exequendi munus sibi iniunctum docendi, prædicandi, operibus beneficis & admirandis homines ad fidem alliciendi? An timorem tantùm ac reuerentiam vel animum docilem his verbis expressit Christus? Clarum & perspicuum est, de illa Dei volun- *Ioan. 9. Sap. 1. Voluntas obsequendi mandatis Dei est via ad credendum. Ioan. 4.*

voluntate facienda loquutum illum esse, quæ ad mandatorum, quæ à Patre accepit, executionem spectabat. Idem eum hoc loco sensisse dubitandum non est, vt & noster quoque cibus atque ardens desiderium sit, faciendi voluntatem Dei, & obsequendi mandatis eius, vt sic idonei simus ad cognoscendam & amplectẽdam doctrinam eius. A vero igitur sensu longè lectorem suum abduxit Caluinus, ne obseruationis mandatorum Dei aliqua hîc doctrina tradi videretur.

Caluinus seductor studiosus. Caluinus vbi in genere lectorem ita ludificasset, ad quasdam facti species descendit, vt ludificet magis. *Hinc* (inquit) *apparet quam perperam & stultè hodie permulti, dum errandi periculum metuunt, hac trepidatione sese impediant ab omni discendi studio, quasi frustra dictum sit: Pulsate, & aperietur vobis.* Arripit occasionem impostor, vbi nulla planè datur, vt tanquam verus seductor & studiosus ab auita & recepta multorum seculorum fide Christiana homines Christianos abducat, & vt post stabilitam annis 1500. doctrinam, post tot Martyrum confessiones, post tot Concilia, tot Patres, tot Pastores & Doctores, iterum adhuc quæramus, quid credendum sit: vt errandi periculum non metuamus; quia semper pulsandum, semper quærendum, nunquam in certa aliqua & firmata fide acquiescendum est. Si enim in vlla tandem fide acquiescendum, cur non post tot secula fidei Christianæ toto orbe propagatæ, cur non post tot Concilia, tot & tam illustres Ecclesiæ Doctores, tot Episcopos, tot Pastores? Aut si nunc de nouo quærendum & pulsandum est, authore Caluino, vbi iam cum eo ad tempus insaniuimus, an etiam eo sublato, adhuc cum alio nescio quo nouo hæresiarcha insanire oportebit? Iterum pulsare & quærere debemus, quia frustra dictum non est, *Pulsate, & aperietur vobis?* Ecce post Caluinum docent nũc in Polonia & Transsiluania noui Magistri, nec Christum esse verum Deum, nec in tribus personis vnum Deum esse adorandum, adeóque Trinitatis vocabulum esse explodendum. An omni erroris metu abiecto (vt hîc suadet Caluinus) iterum ab his Magistris nouis discemus quæ sit rei veritas, quia frustra dictum non sit, *Pulsate, & aperietur vobis?*

Caluiniana doctrina præcipitium. Ad hoc omnis erroris præcipitium, ad hanc dementiam & furorem, Caluini consilium nos impellit, vt quia Iudæis incubuit cognoscere de doctrina Christi, vtrùm ex Deo esset, an à seipso loqueretur, nobis quoque perpetuò incũbat omnibus nouis Magistris aurẽ præbere, & ab illis discere vtrùm eorum doctrina ex Deo sit, an à seipsis loquantur. Cæterùm

vnum

vnum nos Christum nouimus, nō plures. Ille *vnus Magister noster* est: alios non quærimus. Vnum legis translationem nouimus, vnum redemptorem, qui omnia instauraret, non frequentes translationes, non aliam vllam religionis instaurationem. Quam ille semel doctrinam tradidit, illam aliis postea docendam concredidit, cum quibus *vsque ad consummationem seculi omnibus diebus* se affuturum promisit: illam Ecclesiam condidit, *contra quam portæ inferi non prævalerent.* Illos Pastores & Doctores dedit, *qui sanctos eius consummarent, & corpus ædificarent, donec occurramus omnes in agnitionem filij Dei.* Denique illos ad docendum misit, quibus Spiritum Sanctum daret, *qui eos doceret omnem veritatem in æternum.* Amplius igitur quærendi aut pulsandi, aut ab aliis quàm quos ipse ab exordio misit, quíque iis ad nostra vsque tempora perpetuò successerunt, discendi locum non reliquit. Quum noui exurgunt Magistri, qui præter acceptam à Pastoribus nostris fidem, nouam doctrinam adferunt, quos *hæreticos*, & *lupos*, & *latrones*, & *falsos Prophetas*, Scriptura vocat, didicimus à Christo non ab illis discere, nec ad eorum fores pulsare, (vt lupus ipse Caluinus hîc hortatur) sed ab illis fugere, eorum voces non audire, ac neque illis Aue dicere. Postremò quomodo & quatenus in causa religionis quærendum nobis est, infrà suo loco vberius dicemus. *Matth.13. Heb. 7. Ephes. 1. Matt. 28. Matt. 16. Ephes. 4. Ioan. 14. Quærenda amplius noua fides non est. Tit. 3. Ioan. 10. 2. Epist. Ioan. Ad cap. Ioan. 8. ver. 21.*

Sed addit adhuc Caluinus quædam, quibus impium suum ac detestabile consilium lectori reddat probabile. *Nos potius* (inquit) *si Deo toti in obsequium sumus addicti, spiritum discretionis ab eo nobis datum iri non dubitemus, qui perpetuus sit dux ac director. Si alijs fluctuari libet, sentient tandem quàm vani sint ignorantiæ suæ prætextus.* Suadet seductor impius, vt adhuc pulsemus & quæramus quid in nouis de fide controuersiis (tales enim postea recenset de orando pro defunctis, & de purgatorio) sentiendum sit, quia in hac inquisitione spiritum discretionis Deus nobis dabit. Atqui populus fidelis, quem hîc alloquitur Caluinus, non spiritum discretionis à Deo expectare, sed spiritum obedientiæ & simplicitatis fidei à Deo precari debet. Spiritus discretionis, quo possunt probari spiritus an ex Deo sint, non penes totum populum, sed penes illos est, quos *posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam suam.* Populi fidelis est, *Præpositis suis obedire & subiacere*, vt Paulus docet; ac diligentissimè cauere, *ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus illorum, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* De- *Spiritus obedientiæ, non discretionis, populo fideli necessarius. Act. 20. Heb. 13. 2. Cor. 11.*

Ephes. 4. *dit Christus Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum*, id est, ad corroborandos fideles, *ne circumferantur omni vento doctrina*. Illos ergo audire, illis adhærere, illis obedire debent, vt ab omni errore immunes ac liberi sint, non sibi ipsis spiritum discretionis venditare, aut illum à Deo

Caluini vox, diaboli vox. expectare. Vox hæc Caluini, Pulsate & quærite intrepidè, spiritum enim discretionis dabit Deus, est illa Diaboli vox:

Matth. 4. *Mitte te deorsum: Angelis enim suis mandauit de te, vt non offendas ad lapidem pedem tuum.* Mittit se deorsum qui Catholicæ Ecclesiæ Magistris, quos Christus posuit, derelictis, ad nouos sectarios, quos Satanas mittit, ab illis veritatem exploraturus transit. Quare quod adhuc subiungit Caluinus, Diabolicæ tentationis peregregia confirmatio est. *Certè* (inquit) *quicunque hodie hæsitant, & dubitationem suam fouere malunt, quàm legendo vel audiendo seriò inquirere vbinam sit Dei veritas, eos in generalibus principijs securè Deum contemnere videmus. Dicit hic se pro mortuis precari, quia ingenio suo diffisus, quod de purgatorio commenti sunt peruersi homines, damnare non audeat. Ille negabit sibi tantum esse acuminis, vt inter puram Christi doctrinam & adulterina hominum figmenta distinguere possit. Interim & ille scortari,*

Caluinus ad blasphemandos Sanctos natus. *& hic furari ac peierare non cessabit.* Hæc Caluinus. Homo impius ad blasphemandos Sanctos natus, scortari omnes, fures ac periuros esse debacchatur, quotquot in fide fundati ac radicati, nouis doctrinæ ventis circumferri nolunt, nec ad cuiusuis hæretici strepitum commoueri, siue ille Lutherus sit, siue illi ex diametro contrarius Caluinus, siue ab vtroque hostiliter dissentiens Rotmannus Anabaptistarum Pater, siue hos omnes èx alto despiciens Gregorius Paulus Tritheitarum dux, aut Franciscus Dauid sanctissimæ Trinitatis oppugnator ter impius. Vult quippe Caluinus Epicureos omnes & omnium flagitiorum mancipia esse, scortatores, fures, periuros, qui contenti antiqua maiorum suorum, totiúsque Ecclesiæ Christianæ per tot secula continuata fide, doctrina, religione, in nouas istas sectas inquirere nolunt, nec ab oratione pro defunctis in Christo fidelibus cessare. Securè Deum contemnunt, Caluini iudicio, qui legendo vel audiendo seriò non inquirunt vbínam sit Dei veritas. Quasi videlicet hodie primùm Christus mundo innotesceret, quasi hodie Dei veritas patefieri cœperit, quasi nulla hactenus in Christum fides, nulla veritatis doctrina, nulla religio Deo grata, apud homines toto orbe Christianos agnita aut credita

fue

fuerit. Atqui si scripturis credimus, non Caluino; ille Deum securè contemnit, ille vt ethnicus ac publicanus quasi Deum ignorans viuit, *qui Ecclesiam non audit:* ille Christum spernit, & pro ludibrio habet, qui Præpositos Ecclesiarum à Christo datos spernit. Ille sermonem Christi non seruat, sed despicit, qui sermonem eorum, quos ille misit, seruare negligit. Quo constituto, nouis hæresiarchis aut hæresum Magistris (qui contra stabilitam in Ecclesia Dei fidem noua garriunt, spargunt, obtrudunt) aurem qui præbet; qui an apud illos sit Dei veritas inquirit; expressum Dei mandatum securè cõtemnit; Ordinem à Christo institutum superbus violat; certis & euidentibus Christi promissionibus incredulus contradicit; Christi veritatem ac Dei prouidẽtiam in dubium reuocat; fidem ac salutem suam certo discrimini exponit; hæsitans in fide fidelis esse desinit; toti Christianorum societati iniuriam facit; ouicula gregis Christi amplius non est; ex hœdis in sinistra collocandis est; reprobus & subtractionis filius in certam perditionem factus est. Hic Caluiniani consilij finis & exitus est. Hoc ille venenum ex sanctissimis Christi verbis suxit: *Qui voluerit facere voluntatem Dei, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit.*

Matth. 18. Luc. 10. Ioan. 15.

Caluiniani præcipitij exitus.

Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?

PVlchram hîc sibi occasionem nactus esse visus Caluinus est, in Catholicam Ecclesiam eiúsque præcipua membra excurrendi, idem sibi in Ecclesiam licere existimans quod Christo in Pharisæos ac Iudæos licuit. *Qui hodie* (inquit) *sunt acerrimi Euangelij hostes, & maximè strenui vindices Papatus, nihil habent ad fauorem magis plausibile quàm quod zeli ardore incitántur. Caterùm si excutiatur eorum vita, omnes turpibus flagitijs operti palàm Deo illudunt. Quis in Papa curia crassum epicurismum regnare nescit? An ita verecundè fœditatem tegunt Episcopi & Abbates, vt aliqua religionis species appareat? Monachi etiam & similes rabulæ nónne sic ad omnem nequitiam, ad libidinem, auaritiam, & quæuis scelerum monstra, proiecti sunt, vt vita eorum Dei prorsus esse oblitos clamitet? Nunc verò quum nihil eos pudeat Dei & Ecclesiæ zelo se venditare, an non hoc Christi responso frenandi sunt?* Hæc impurus ille. Sed ad hanc fœdam & impuro Caluini pectore dignam accusationem nihil aliud respondere

Catholici cleri accusatio reijcitur.

opus erit quàm quod Christus hypocritis adulteram mulierem accusantibus respondit: *Qui vestrum sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Quid enim vel olim ipso Caluino fœdius (de quo infra plura dicemus) vel toto Caluinistarum grege, eorum imprimis qui Caluinismi maximè strenui vindices ac ministri sunt, si eorum excutiatur vita, rapacius, crudelius, aut etiam impurius inuenietur? Vnus Beza turpissimis flagitiis opertus, adeò parum verecundè suam fœditatem contexit, vt de ea etiam pudendo carmine gloriari, Deóque ac toti mundo palàm illu lere voluerit, vt proximo mox capite ostẽdetur. Quare (quod partim suprà in Matthæo ostensum est, móxque infrà ostendetur) de te, Caluine, túísque hæc fabula narratur mutato nomine. Deinde si Romanæ Ecclesię peccata Caluinum & suos scandalizarunt, tria aduertere debuere. Primum, sicuti Christus non obstante Scribarum & Pharisæorum varia nequitia, iubet tamen populum *seruare & facere ea quæ dicunt, quia supra cathedram Moysi sederunt*, sic à Romanæ Ecclesiæ obedientia, quæ Christi & Petri cathedram tenet, recedere eos non oportebat, sed ea quæ dicunt facere & seruare. Alterum, non hæc esse peccata totius orbis, totius Ecclesiæ Catholicæ seu vera seu falsa, sed paucorum in ea, ideóque totius orbis Christiani communionem propterea deserendam non fuisse: sicuti olim Donatistis ex simili calumnia & scandalo schisma facientibus sapienter respondit Augustinus. Tertium, nec Christum esse Caluinum, qui tantum sibi arrogare debeat vt iudicet, arguat, cõdemnet, sicuti Christus potuit; nec Iudæos aut Pharisæos, sed Christianos & Catholicæ Christi Ecclesiæ Præpositos esse, quos redarguit homo ipse hæreticus, & variis flagitiis contaminatus. Postremò, illud imprimis tam Caluinum quàm omnes horum temporum hæreticos attendere oportuit, minimè omnium idoneos illos esse aut peccati accusatores, aut virtutis ac pietatis vindices, quorum perpetua doctrina est, legem mandatorum à nemine seruari posse, bona opera non esse ad salutẽ necessaria, homines ex sese impios & impuros, ex sola Christi iustitia & sanctitate illis per fidem imputata coram Deo iustificari, pro iustis ac sanctis haberi, denique iustissimũ quemque desideriũ quidem & studium bene agendi habere, sed huius desiderij effectum non consequi, quod impiũ Caluinum in ipsa persona Pauli docere, alio loco docuimus. Si enim nec ad salutem aut iustitiam necessaria, nec cuiquam possibilia sunt Dei mandata & opera bona; qua tandem consequen

Infrà cap. 8. ver. 7.

Matt. 24.

De vnit. Ecclesiæ cap. 2. & Epist. 165.

Caluinistæ peccati arguere neminem possunt, qui peccatis regnum erexerunt.

In cap. 7. ad Rom ver. 22.

ſequentia vel id à Catholicis flagitant quod fieri nequit, vel ob id Catholicam Eccleſiam taxant, lacerant, refugiũt, quod ad ſalutem ac iuſtitiam nihil pertinet? Quæ in huius generis criminatione apud Caluinum & alios frequentiſſima, tam Caluino quàm aliis, ſemel & ſufficienter reſponſa ſunt.

38. *Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ.*

VAfrè hunc locum tractauit Caluinus, & quum verbo dicat, *propriè hic agi de virtute Spiritus qua renaſcimur in Chriſto, ac efficimur noua creatura*, eorum ſententiam reiiciens qui non niſi de donis viſibilibus Chriſtum hîc agere volunt, re tamen ipſa omnem illam virtutem Spiritus qua renaſcimur in Chriſto, & nouæ creaturæ in Chriſto efficimur, penitus excludit atque ſubuertit; totámque hanc Spiritus virtutem in ſola fide conſtituit. *Senſus* (inquit) *eſt, Spiritum inſtar viui & ſemper irrigui fontis eſſe in credentibus, vt Paulus ad Rom. 8. 10. teſtatur ipſum in nobis eſſe vitam, quamuis adhuc in reliquijs peccati mortis materiã circumferamus. Et ſanè quum quiſque pro fidei ſuæ menſura donorum Spiritus compos fiat, non poteſt in hac vita ſolida eorum plenitudo conſtare. Verùm ſic fideles in fide proficiendo ſubinde ad noua Spiritus incrementa aſpirant, vt primitiæ, quibus imbuti ſunt, illis ad vitæ perpetuitatem ſufficiant. Sed hinc etiã monemur quàm exiguus ſit fidei noſtræ modulus, quum vix guttatim in nobis diſtillent Spiritus gratiæ, quæ inſtar fluminum profluerent, ſi iuſtũ Chriſto locum daremus, hoc eſt, ſi fides nos eius capaces redderet.* Et paulò pòſt totum locum concludens: *Quòd nos in terra inopes & ieiuni ac propè inanes ſpiritualiũ bonorũ iacemus, tarditati & anguſtiæ fidei noſtræ imputandũ eſt.* Hæc Caluinus, totã Chriſti doctrinã funditus ſubuertens. Chriſtus *flumina aquæ vitæ de ventre credentiũ fluentia* promittit. Caluinus *non niſi guttatim in nobis Spiritus gratiã diſtillare, inopes ac ieiunos ac propè inanes bonorũ ſpiritualium iacere* affirmat. Chriſtus de regeneratione in nouam creaturã loquitur. Caluinus reliquias peccati veluti mortis materiam adhuc nos circumferre aſſerit. Chriſtus denique *de Spiritu gratiæ quẽ credẽtes accepturi erant*, interprete Euãgeliſta, loquebatur. Caluinus *de fidei mẽſura vel anguſtia potius & tarditate* illum loqui exponit. Denique ſenſus Caluini eſt, totam hanc Spiritus Sancti virtutem

Chriſti doctrinam Caluinus funditus euertit.

ac gratiam nihil aliud esse quàm quòd Christum omnibus Spiritus donis refertum fide apprehendimus: (ait enim hoc loco, *in Christum nos credere dum eum amplectimur omnibus Spiritus donis refertum:*) vt habere Spiritum Sanctũ, eiúsque dona nihil sit aliud quàm fide Christum apprehendere, qui Spiritum habet, eiúsque dona. Quam eius sententiam rectè hìc & obscurè insinuatam suprà in lucem eduximus. Cæterùm noua in Christo creatura, quæ per Spiritus Sancti dona efficimur, vt ipse hìc Caluinus agnoscit, non est fides Christũ cum suis donis apprehendens, sed est (vt Paulus definiuit) *fides per dilectionem operans:* quæ vt per dilectionem operetur, accipitur à credente Spiritus Sanctus, non pro mensura fidei, sed *pro mẽsura donationis Christi*, qui tribuit vnicuique prout vult & quantum vult.

Gal. 5. *Ephes. 4.*

Gratiarũ Dei flumina. Sanè quum de illa virtute Spiritus Sancti Christus loquatur, non quæ momentanea esset, & ad prima fidei rudimenta commendanda daretur, sed quæ credentibus in eum perpetuò largienda esset, & quam filij Dei sitiunt, (præmiserat enim, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*) sitiunt autem filij Dei nõ dona illa miraculosa, sed iustitiam & sanctitatem, iuxta illud Christi, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, extra omnem controuersiam esse debet, *per flumina aquæ viuæ* hoc loco illa gratiarum Dei fluenta intelligi, quæ in Christum credentes & in eo regenerati, ad vitæ nouitatem induendam, largiter & copiosè accipiunt, *effuso Spiritu S. abunde, & per abundantiã gratiæ & donationis & iustitiæ*, vt Paulus loquitur. Hæc flumina aquæ viuæ designauit Esaias, quum diceret. *Aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.* Et iterum. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Sunt promissiones gratiarum, quas Spiritus Sanctus credentibus in Messiam & nouo populo infundet. De quibus iterum idem Propheta dixit, *Omnis vallis implebitur:* quia sicut ad valles & loca depressiora copiosissimè aqua defluit, sic *in humiles & trementes sermones Dei*, quales credentes sunt, *captiuantes intellectum in obsequiũ Christi*, Spiritus Dei largissimè sua dona infundit, ita vt (iuxta Pauli verbum) *impleantur in omnem plenitudinem Dei.* Quam plenitudinem per fructus Spiritus Sancti in credentibus idem Paulus aliqua ex parte commemorat. *Fructus* (inquit) *Spiritus est, charitas* (quasi omnium aliorum radix) *gaudium,*

Matth. 5. *Tit. 2.* *Rom. 5.* *Cap. 41.* *Cap. 44.* *Cap. 40.* *Luc. 3.* *Esai. 44.* *2. Cor. 10.* *Ephes. 3. 19.* *Gal. 5.*

dium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continētia, castitas. Hæc sunt *flumina aquæ viuæ*, dona & gratiæ Spiritus Sancti, fluentia de ventre credētium, id est, cor & interiora hominis replentia, indéque ad opera cuiusque virtutis promanantia. Atqui si hæreticis horum temporum credimus, qui omnia opera hominis regenerati & credentis in Christum immunda & peccato contaminata esse affirmant, adeóque *peccatis magis quàm virtutibus accensenda* (vt impius Caluinus scribit) profectò de ventre credentium in Christum non fluunt flumina aquæ viuæ, sed flumina aquæ fœtidæ, obscœnæ, & turbidæ: & manet super eos maledictio Prophetica. *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Volunt isti hæretici, homines iam in Christum credentes, & ex Spiritu Dei regeneratos, quasi in captiuitate adhuc vel Aegyptiaca vel Babylonica, id est, in Diaboli captiuitate adhuc constitutos, seruos peccati esse, bona opera Deo placentia operari, & legem Dei seruare non posse, nihil nisi peccare. Sic de aqua turbida regeneratos bibere & in illa semper impietate eos manere volunt, de qua Propheta eodem loco dicit, *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Sic mendacem hîc faciunt Christum disertè promittentem, *quòd qui credit in eum, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

Chrysost. hom. 50. in Ioan.

Institut. lib. 3. c. 17. num. 3.

Ierem. 2.

Sed & aliam quoque de hac Spiritus Sancti in credentibus efficacia promissionem propheticam, huic Euangelio conformem, mendaces isti Magistri planè mendacē constituunt. Dicit enim alius Propheta. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum: & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Dicunt hodie hæretici: Homo regeneratus non potest in præceptis Dei ambulare, nec iudicia Dei custodire, nec legem mandatorum seruare, quia impossibilis illa est, ideóque nullis operibus bonis aut ex vlla obseruantia legis possumus Deo placere, aut coram illo iusti censeri: sed sola Christi iustitia, obedientia, sanctitate nobis imputata, & iustificamur & sanctificamur coram illo. At contrà dicit Scriptura, Spiritum Dei in medio credentium *facere vt in præceptis Dei ambulent, & iudicia eius custodiant.* Dicit scriptura, *Dabo vobis cor nouū.* Dicunt hæretici, Manet cor vetus. Dicit Scriptura, *Ponam spiritum nouum*

Ezech. 36.

Scripturis hæretici contradicunt.

Prouer. 5. *in medio vestri.* & iterum, *Bibe fluenta de medio putei tui.* Dicunt hæretici, Spiritus nouus in medio nostri, id est, nobis inhætens nullus est, sed in solo Christo est, *in quo plenitudinem sui Spiritus Pater deposuit,* ait Caluinus, *nobis imputandam.* Dicit Scriptura, *Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum.* Dicunt hæretici, Manet adhuc cor lapideum, ad omne opus bonum durum, & ineptum, & inflexibile. Quid est enim cor vetus, & cor lapideum, nisi veteris hominis immunditia, & ad omne pietatis opus duritia, difficultas, impossibilitas? Hanc adhuc ponunt in regeneratis hæretici, quoties legem Dei ab illis seruari non posse, neque vnquam ab aliquo seruatam fuisse impiè dogmatizant. Negant igitur prorsus hæc flumina aquæ viuæ, hæc dona gratiarum Dei, de ventre credentium fluentia, id est, cordibus credentium inhærentia, veréque infusa & permanentia. Negant cor nouum, spiritum nouum, spiritum facientem in præceptis Dei ambulare.

Institut. lib. 3. c. 11. num. 12.

48. *Nunquid ex Principibus aliquis aut Pharisæis credidit in eum?*

Caluini axioma quo Synagoga Ecclesiam, Pharisæis Episcopos comparat, refellitur.

AXioma est apud Caluinum, quicquid contra Christum aut Euangelicæ veritatis prædicationem Scribæ, Pharisæi, cæterique Principes sacerdotum & veteris Synagogæ Magistri, calumniando, maledicendo, persequendo, impiè ac nefariè moliti sunt, quicquid in illius temporis Synagogam, cæcitatis, erroris, ignorantiæ, maleuolentiæ cadebat, quocumque tandem modo illius Synagogæ status adueniente Christo corruptus fuit, hoc totum ad Ecclesiam Christi Catholicam, eiúsque Pastores, Doctores, Episcopos, Præpositos transferri debere. Hoc quidem modo quum Historiam Euangelicam passim deprauet atque peruertat, tum hoc imprimis in capite, & ad hanc sententiam. Cuius verbis antequam respondeo, hoc eius generale axioma quanta cum absurditate & impietate coniunctum sit, paucis aperiam. Stante hoc eius axiomate, Caluinus nobis Christus esse debet, & eius doctrina Euangelium. Istud enim nisi admittas ac pro concesso ponas, corruit funditus axioma, & tota huius disputatio extra chorum saltitat. Atqui vt nos illud admittere velimus, contradicent nobis Lutherani omnes, opponent se Anabaptistæ, repugnabunt totis viribus Trinitarij & Ariani noui per Transiluaniam ac Poloniam. Sed & (quod his diffici

difficilius ac deterius est) quælibet noua secta, quocumque tandem tempore exoritura, idem sibi dari atque concedi postulabit: se videlicet Euāgelium prædicare; & quotquot aliarum Ecclesiarum Præpositi illis contradicunt, Scribas & Pharisæos esse, *nec obijciendos esse* (vt Caluinus hîc scribit) *magnificos illos titulos, Principum, Sacerdotum, & Ecclesiæ.* Rursum posito hoc Caluini axiomate, illud etiam vltro dari & concedi debet, vniuersam Christi Ecclesiam, quæcunque his aliquot seculis populi Christiani nomen ac fidem professa est, Christi Euangelium penitus ignorasse, donec id Caluinus suo certo modo illud reformauit, & orbi patefecit. Sed habebit res illa easdem difficultates, quibus altera suppositio laborabat. Si enim tota hactenus Ecclesia Christiana per hæc quindecim secula Christum ignorauit, & qui per tot annos Ecclesiæ præfuerunt, non nisi Scribæ & Pharisæi erant, quos hodie Caluini Euangelium loco & authoritate mouere, taxare, arguere, deiicere debet, sicut eos Christus meritò obiurgauit, & loco mouit, quíque hodie Euangelio Caluini se opponunt, sicut illi Christi prædicationi modis omnibus insidiari sunt; maxima illa difficultas & dubitatio statim occurrit, an non ipse Caluinus hoc seculo cum aliis suis Ministris & Symmistis, Scribarum & Pharisæorum quoque locum non teneant; & an Euangelio necdum inuento, isti homines falsis suis fermentis Dei legem non corrumpant. Quæ enim ratio suadet, aut vnde nobis constabit, hoc potius seculo veros tandem adesse Ecclesiæ Christianæ Magistros, & puros verbi Dei præcones, quâm aliis tot retrò seculis? Cur, inquā, tot secula sub Christiano nomine Christum ignorarunt, & hodie primum hominibus Christianis Christus innotuit? Deinde cùm tot hodie sectæ hoc sibi Euangelium venditent, cur vni Caluino credimus, apud illum esse Euangelium, cæteros verò sectarios omnes non secus quâm veteres Christianos, quos Papistas vocat, Scribas ac Pharisæos esse Christi hostes? Sed & illud quærimus, cur non liceat purius adhuc & verius Christi Euangelium expectare, quod posteris nostris tandem affulgeat, sicuti post tot vnius fidei secula nouum in Luthero, mox aliud in Caluino, rursum aliud in Anabaptistis, & adhuc aliud in Trinitariis nostro tempore affulsit Euangelium? Quomodo tandem certum & exploratum tenemus, non esse qui hodie se nouos Magistros deprædicant, perinde Scribas ac Pharisæos & Euangelij hostes, quàm tot seculorum Episcopi, Pastores, & Doctores (si Cal-

uino credimus) Euangelij hoſtes, Scribæ ac Phariſæi fuerunt? Ad Scripturas & verbum Dei ſcriptum quod attinet, tam tot ſeculorum Epiſcopi & Paſtores, quàm cuiuſlibet hodie alterius ſectæ Miniſtri, non ſecus illis vtuntur, nituntur, & credunt, aut ſaltem credere & obſequi ſeſe profitentur, quàm Caluinus cum ſuis. Cur ergo tandem hoc vnus ſibi arrogat Caluinus, omnes qui ei contradicunt, Euangelij hoſtes, Scribas ac Phariſæos eſſe? Quis non videt dementiſſimum hominem in maximis argumentis nil niſi principium petere, & id ſemper ſumere, quod nec ille vnquam probabit, nec quiſquam ei niſi inſanus concedet?

Caluinus in maximis argumentis non niſi principiũ petit.

Abſurda ſunt hæc. Sed quod ſequitur, omnem impietatem ſuperat. Vt Caluini axioma conſiſtat, dare Caluino debes, nihil eſſe inter Synagogam Iudæorum & Eccleſiam Chriſti, quoad vtriuſque firmitatem, diſcriminis: Non eſſe in melioribus repromiſſionibus hanc ſancitam quàm illam: Non ſecus Eccleſiam Chriſti excidere poſſe, quàm excidit Synagoga. Quod vbi dederis, pariter etiam dare debes figuram à veritate, vmbram a luce, Moyſem à Chriſto nihil differre: æquè inſtabilem ac mutabilem vtrumque eſſe: vt ſicut tranſiit figura ad veritatem, & vmbris rerum lux Euangelica ſucceſſit, & tranſlato ſacerdotio ac lege Moyſes Chriſto locum dedit; ſic iterum veritas per Chriſtum facta, & per eos, quos miſit, toto orbe prædicata meliori ac certiori veritati, lux Euangelica quam ille attulit, nouæ luci quam alij allaturi eſſent, denique Chriſti ſtabilita in terris Eccleſia, totáque hierarchia, nouo Caluini miniſterio atque Euangelio cedant. Poſtremò vt ſicut poſt Moyſen & Synagogam ille & amplius annis in vna Palæſtina florentem Chriſtus Chriſtíque Eccleſia nouũ ſtatum fecit; ſic poſt Chriſtum Chriſtíque Eccleſiam 1500. annis & amplius toto orbe propagatam, Caluinus & Caluinianum miniſterium nouum ac tertium in orbe ſtatum conſtituat. Imò (quod obſeruatione dignum eſt) dare & concedere Caluino oportet, Synagogam Moſaicam verã Dei notitiam & cultum cẽtuplo ſtabilius, purius, ac felicius tenuiſſe, quàm Chriſti Eccleſia hactenus tenuit, quãdo illa Synagoga vtcunque veniente Chriſto fœdè admodum corrupta ac deprauata eſſet, tamen ante eius aduentum multis ſeculis (tametſi per varias eclipſes & defectus) verum Deum vero & legitimo cultu coluit; Chriſti autem Eccleſia (ſi Caluino credendum) non ſolùm veniente Caluino, Propheta nouo, eiúſque affulgente Euangelio, Scribas & Phariſæos Euangelij hoſtes habue

Eccleſiaſtica authoritatũ reiectio quot abſurda ſecum trahit.

habuerit, sed etiam à tot retrò seculis non nisi per Scribas & Pharisæos veritatis aduersarios administrata fuerit. Quæ enim hodie Caluino in Papistis displicent, eadem illi in tota seculorum Catholica Ecclesia,& in veterum Patrum receptissimis dogmatibus displicent. An hoc igitur Caluini axiomate indignius aliquid cogitari potest? Cæterùm ampliores es- 1.
se Ecclesiæ Christi promissiones,quoad eius in fide firmitatẽ
ac stabilitatem perpetuam, quàm Synagogæ Iudæorum fuerunt; ipsius quoque Synagogæ statum in alium mutari de- 2.
buisse, vnde & eius Præpositi ac Magistri errare in fide potuerint, vt *facta cæcitate in Israël plenitudo Gentium intraret*; Rom.11.
& malis malè pereuntibus, vinea eorum alijs locetur agricolis, Matt.25.
idque iuxta veteres de illo populo prophetias; denique trans- 3.
lati illius sacerdotij ac legis, quàm illustria signa, argumenta, vaticinia præcesserint; postremò Ecclesiæ Christianæ sta- 4.
tum sic esse perpetuum ac stabilem tam in populo quàm in Pastoribus ac Præpositis, vt nec illi alius Dei populus, alij Pastores ac Præpositi vnquam succedere debeant, nec à recta fide excidere, aut aliquando deficere, aut etiã obscura atque incognita hęc Christi Ecclesia esse potuerit, alio in loco contra Caluini & aliorum non absurdas modò, sed & impias cauillationes accuratè demonstrauimus. Ex quibus omnibus hoc Caluini axioma, quo perinde disputat ac si iam primum Christiana exoriretur Ecclesia,& vel nullum hactenus in orbe Christi Euãgelium propagatum fuerit, vel Christi Euangelio extincto aliud Caluino proprium propagãri debeat, quàm sit detestabile & impiũ, cuilibet lectori cõstare potest. In Princip. fid. doctri. lib.2.c.12. & 13. Lib.5.cap. 15.& 16.

Nunc quæ sit eius hoc loco disputatio, expendamus. *Videtur* (inquit) *hæc Iudæorum obiectio, Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? aliquid habere coloris. Nisi enim Præfectis & Ecclesiæ rectoribus sua constet authoritas, nihil vnquam ritè poterit constitui nec status etiam bene compositus poterit diuturnus esse. Scimus quanta sit vulgi intemperies. Quare deformis confusio mox sequatur necesse est, vbi cuique quod libet licet. Est igitur ad moderandum Ecclesiæ ordinem necessarium frenum, eorum, qui præsunt, authoritas. Atque ita Dei lege cautum erat, vt si qua excitata esset quæstio vel controuersia, eius cognitio penes summum Sacerdotem foret.* Hæc obiectio & hæc tota ratio bona ac firma est: sed à Iudæis istis prolata ideò non iam erat bona aut firma, quia hæc Principum & Pharisæorum cæcitas in reprobando lapide angulari, Christo, singulariter fuit à Prophetis prædicta: à Præpositorum Ecclesiæ necessaria authoritas.

Hiere

Hierem. 4. Hieremia, *In illa die peribit cor Regis & cor Principum, & obstupescent Sacerdotes:* ab Ezechiele, *Lex peribit à Sacerdote &* Ezech. 7. *consilium à Senioribus:* à Michæa, *Nox vobis pro visione erit, &* Mich. 3. *tenebræ pro diuinatione:* transferendi quoque sacerdotij legalis, & intraturæ plenitudinis Gentium, consequens quoddam ex hypothesi necessarium erat. In huiusmodi ergo certissimè excęcandis Synagogæ Principibus, & Christo veniente excæcandis, illa obiectio & ratio de necessaria Præpositorum Ecclesiæ authoritate, ad punctum temporis cessauit. In Act. 20. Ecclesia *Christi sanguine acquisita, ad vltimum terræ* propa- Act. 1. ganda, cum qua *vsque ad consummationẽ seculi omnibus die-* Matt. 28. *bus* se affuturum promisit, *contra quam portæ inferi non præ-* Matt. 16. *ualebunt,* vt nulla sacerdotij translatio expectatur, nec vlla futura cæcitas prædicitur, sic illa ratio de necessaria Præpositorum Ecclesiæ authoritate nunquam cessare, perpetuò vigere debet. Hæc igitur causa est, cur in ore Iudæorum illo tunc tempore hæc ratio & obiectio firma non erat, nunc autem in ore Ecclesiæ Christi firma ac valida semper esse debet. At aliam causam comminiscitur Caluinus, vt sophistam agẽs lectori imperito illudat.

Sed (inquit) *in eo peccant isti, quòd summum ius sibi arrogantes Deo subesse nolunt. Detulit quidem Deus summo Sacerdoti iudicium: sed non nisi ex lege sua pronunciare eum voluit. Quicquid ergo authoritatis habẽt Pastores, sub Dei verbo subsidit, vt omnibus in ordinem coactis, à summo vsque ad infimum solus Deus emineat. Si Pastores officio suo probè & sincerè fungantur, authoritatem sibi vendicant hæc erit sancta & legitima gloriatio. Sed vbi absque Dei verbo nuda hominum authoritas effertur, euanida est ac futilis iactantia. Sæpe autem contingit impios in Ecclesia dominari. Ita cauẽdum est ne quid tribuatur hominibus simulatq; à verbo Dei discedunt. Hac molestia videmus Prophetas ferè omnes fuisse vexatos. Nam ad obruendam eorum doctrinam subinde obyciebantur magnifici illi tituli, Principum, Sacerdotum, & Ecclesiæ. Iisdem hodie armis instructi Papistæ non secus ferociunt quàm olim Christi &* Exceptiones hæreticorum, rebellis voces sunt. *Prophetarum aduersarij.* Hæc ille. Tota hæc Caluini oratio, sub imagine pietatis, non nisi rebellis ac perduellis vox est, qui vt obedientiam Regi aut cuilibet magistratui debitam subterfugiat, excipit: Quicquid authoritatis habent Reges aut magistratus, sub Dei verbo subsidit, vt omnibus in ordinem coactis, à summo vsque ad infimum solus Deus emineat. Nam vt de summo Sacerdote in veteri lege dictum est,

Facies

Facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq́, sententiam Deuteron. 17. 10.
eorum; sic eodem in loco de Rege dicitur, quòd *describere* Vers. 18.
sibi debet Deuteronomium legis illius in volumine, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & caremonias eius: & inferioribus iudicibus suis pius Rex Iosaphat dixit,
Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed 2. Par. 19.
Domini. Rursum in literis Apostolicis sicut qui Ecclesiæ præficiuntur *Ministri Christi* vocantur, *tanquã legatione pro Chri-* 2. Cor. 4.
sto fungentes; sic qui ciuilibus rebus præsunt, *Ministri Dei vo-* Rom. 13.
cantur, & potestatem à Deo accipere docentur. Sic vtraque potestas sub Dei verbo subsidit. In vtraque potestate sæpe cõtingit impios dominari. Neutri potestati aliquid tribuendum est, simulatque à Dei verbo discedunt, vel aliquid iniquum Deique legibus contrarium præcipiunt. Nihilominus sicut in ciuili potestate non est cuiusuis è plebe contra Regũ authoritatem excipere, quia Dei potestas maior est, sed Regibus debetur obediẽtia, & eorum authoritas sarta tecta Reipublicæ salus est; vbi autem in tyrannos vertuntur, non priuata sed publica aliqua authoritate, aut totius cõmunitatis, aut Principum regni, aut ipsius Senatus, iuxta cuiusque regni ac Reipublicæ leges & consuetudines in ordinem coguntur: ita omnino in Ecclesiæ Præfectis ac Præpositis, non est huius aut illius hominis priuati, seu de plebe, seu de clero contra Præpositorum authoritatem excipere (vt hîc vnus è plebe Caluinus facit) quia sub Dei verbo subsidit, sed Præpositis ac Prælatis Ecclesiæ debetur obedientia, & eorum authoritas debitè conseruata totius Ecclesiæ salus est; vbi autem Pastores aliqui in lupos vertuntur, nõ priuata cuiusuis nouelli magistri, superbi & garruli hæretici, sed publica authoritate vel proximi superioris, vel alicuius Synodi Pastorum, vel ipsius capitis Ecclesiæ, summíque Pontificis, huiusmodi lupi à caulis abarceri, & in ordinem cogi solent ac debent. Est autem Ecclesiæ authoritas hac in parte tãto firmior ac certior, quàm vlla ciuilis potestas esse potest, quanto hæc certius & infallibilius de fidei doctrina iudicat. Habet enim hæc diuini Spiritus assistentiam specialem & infallibilem, quam illa non habet, nec vt habeat necesse est, quum ea tractans quæ solo rationis lumine animaduerti & ordinari possunt, communi tantùm Dei auxilio circa huiusmodi indigeat. Quare in vtraque potestate *obedire sanè oportet Deo plusquam hominibus,* Act. 4.
& contra Dei verbum neutra potestas audienda est. Sed Ecclesia

clesiasticæ potestati tanto certius & firmius creditur, quanto mihi certius & exploratius est Deum per illam loqui. Christus de Ecclesiæ suæ Præpositis dicens, *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit:* nostrum esse voluit simpliciter audire & obedire, nulla apposita conditione; suum esse voluit Ecclesiam suam perpetuò docere, cum illa esse omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, illi Spiritum veritatis dare, qui maneat cum ea in æternum, ne simplex obedientia nostra periculo vnquam aut fraudi nobis esset. Hæc cuiusque Christiani fides esse debet, *ne circumferatur vento cuiusuis doctrinæ.* Ad hoc enim datos esse Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores, ipse nos Apostolus docuit. Verbo igitur Dei Ecclesia subiicitur, regitur, firmatur, nec aliquid contra Dei verbum definiens audienda est. Sed an ex Dei verbo loquatur nec ne, & an hæc ab illa conditio seruetur, non est cuiusuis iudicare. Magis Christi promissionibus & prouidentiæ credere debemus quàm iudicio nostro. Quid enim? Tibi Caluine, videtur Ecclesia contra Dei verbum docere. Idem de te Ecclesia iudicat. An non æquius est homini Christiano Ecclesiæ Præpositorum iudicium sequi quàm tuum; Ecclesia promissiones à Christo accepit, tu nullas. Ecclesiæ authoritas omnia hactenus Christiani orbis loca & tempora occupauit: tu homo nouus nihil authoritate dignũ profers. Profero (inquis) Dei verbum, Scripturas diuinas adfero. Quasi verò idem Dei verbum, easdem Scripturas Ecclesia Catholica non proferret. Sed hoc sanè discrimen est, quòd Ecclesia sicut prudens paterfamilias & fidelis profert de thesauro suo noua & vetera, & pro accepta diuinitus non solùm legitima potestate, sed & infallibili facultate, verbum veritatis rectè tractat, fideliter dispensat, sapienter administrat; hæretici verò & vnus omnium maximè Caluinus, nec vlla accepta à Deo potestate; nec à Spiritu sancto ad hoc munus vnctus, diuinas Scripturas incredibiliter deprauat, vt hæc nostra Antidota toti orbi (fauente Deo) patefacient. Hic ergo Caluini fucus de verbo Dei retinendo nihil planè impedit quo minus omnibus hæreticis necessarij illi tituli obiiciantur, Pastorum, Doctorum, Sacerdotum, Ecclesiæ.

Luc. 10.

Ephes. 4.

Sed conqueritur bonus Caluinus *hac molestia Prophetas ferè omnes fuisse vexatos, quòd illis obijcerentur Principum & Sacerdotũ magnifici tituli, & eisdem armis instructos Papistas non secus ferocire, quàm olim Christi & Prophetarũ aduersarij.* Quid ergo Caluine? Aut Propheta es tu, aut Christus? Prophe

phetam dices, vt alteram blasphemiam declines. Et quid facilius quàm vt tu te Prophetam dicas? Atqui vt Prophetam te esse demonstres, vt vocationis tuæ signa proferas, vt Prophetarum nunc in Ecclesia Christi locum & ordinem probes, qualis in veteri populo fuit, hoc opus, hic labor est. Cuiuis stultissimo hæretico Prophetã se dicere facile & obuium est. Dicet idem Lutherus, dicet Zvvinglius, dicet Seruetus, dicet quilibet pseudomagister. Sanè *futuros in Ecclesia Christi pseudoprophetas, sicut in veteri populo fuerunt*, apertè D. Petrus affirmat: Christus quoque in Euangelio præmonuit. Atqui constituto Ecclesiæ Christianæ ordine & hierarchia, futuros denuò nouos Prophetas, quales in veteri populo extiterunt, nulla Scriptura docet. Deinde vt illud demus, excitari à Deo in statu noui testamenti Prophetas aliquos extra ordinẽ missos, nec Caluinus tamen, nec quispiam alius nostri temporis Magister nouus eorum se numero accensere potest. Veteris populi Prophetæ nouas doctrinas nunquam inuexerunt, nouum religionis cultum, nouas ceremonias nunquam introduxerunt, obedientiam Synagogæ eiúsque Præfectis ac summo Sacerdoti nunquam denegarunt. Denique si librorum cuiusque argumenta attendimus, nihil aliud tractarunt, quàm vt peccata illius populi post regni Dauidici diuisionem reprehenderent, vt crescentem in illis decem tribubus, posteaq; in reliquis etiam duabus idololatriã reprimerent, vt imminentem Dei vltionem, nisi resipiscerent, prædicerent; ac demum vt in tantis malis spe futurorũ accenderentur, de Christi aduentu & Ecclesiæ post eũ fœlicitate prænunciarent; Iudæorũ postremò indurationẽ & reprobationem futurã cum Gentiũ vocatione coniunctã illis ad terrorem inculcarent. Hæc sunt veterum omnium Prophetarum argumenta. Nec nouam religionem protulerunt, nec Synagogæ Præfectos sedibus suis expulerunt, nec sacramenta olim tradita aboleuerunt: quæ omnia, multáque his deteriora, Caluinus perpetrauit, cæteríque perpetrant noui Magistri. Stultè igitur & ridiculè Caluinus Prophetarum se numero locat: ineptè & impiè Catholicæ Ecclesiæ zelum ac pietatem hæreticos persequentis, cum Synagogæ Sacerdotibus veteres Prophetas vexantibus componit. Sed de hoc prætextu verbi Dei ad Ecclesiæ authoritatem labefactandam, quo tam frequenter Caluinus vtitur, vtuntur & alij horum temporum hæretici, videre studiosus lector poterit quæ olim contra Gulicl. Vvhitakerum, eiusdem farinę hominem, in defensione nostra disputauimus.

2. Petr. 2. Matth. 25.

Prophetarum veterum à nouis hodie Magistris latissimũ discrimen.

Quòd igitur Principes & Pharisæi non crediderunt in Christum,& quòd horum authoritate turbam credentem prægrauare ipsi Pharisæi voluerint, non est argumentum contra Præfectorum Ecclesiæ Christianæ authoritatem ad finem vsque seculi permansuram; sed est documentum ruituræ Synagogæ,totiúsque status eius, vt plenitudo Gentium intraret,Deíque vinea aliis locetur agricolis. Scimus huiusmodi cauillationes Caluinianas, tametsi absurdissimas, plurimorum palato placere,& quasi desertæ Ecclesiæ Catholicæ fundamentum firmum à plurimis auidissimè retineri. Quam ob causam in illis semel refutandis aliquam hîc operam ponere volui.

IN IOANNIS CAP. VIII.

7. *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.*

OMNES hodie hæreticorum & libri & ad populum conciones, cleri Catholici, maximéque Rom. Pontificum vitia & flagitia crepant. Quod vt alibi quauis data occasione impurus Caluinus facit,ita nec in hæc Christi verba temperare sibi potuit,quin eandem suam impetiginem proderet. *Notanda* (inquit) *circunstantia est quæ hîc exprimitur,vt quisque eorum honore alios antecedebat, reatu suo citius tactum fuisse. Audientes quippe quod Christus dixerat:Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat,vnus post alium exibant, incipiendo à senioribus.Atque vtinam saltem in Scribis nostris,qui hodie suam operam ad Christum oppugnandum* (id est, ad Caluinum, & alios eius farinæ homines,horum temporum hæreticos refutandos) *Papæ venditant* (id est, Ecclesiæ Dei conferunt, quorum maxima pars Papam non vidit vnquam,nec aliquod ab eo beneficium vel accepit,vel expectauit) *tantum esset verecundiæ. Sed adeò ipsos depuduit,vt flagitijs omnibus infames eo ipso glorientur quòd probrosis impunè esse liceat.* Hæc hoc loco Caluinus, non S. scripturarum interpretem, sed veteris comœdiæ scurram agens. Eadem modestia in sua Institutione vsus, de toto ordine Ecclesiastico scribit. *Nihil hodie fingi potest hoc ordine magis effrene ac dissolutum,ac eò licentiæ prorupit,vt totus orbis vociferetur.* Cæterùm qui non in vnum hominem,sed in totum ordinem Ecclesiasticum nō lapidem mit

In cōment. in hunc locum.

Lib. 4. ca. 12. nu 22.

mittit, sed tam ingentia saxa deuoluit, an ille sine peccato est? an ita castus & putus vt nullo incontinentiæ vitio tactus fuerit? Inspiciantur etiam adhuc hodie ciuitatis Nouiodunensis in Picardia scrinia & rerum gestarum monimenta. In illis adhuc hodie legitur, Ioannem hunc Caluinum Sodomiæ conuictum, ex Episcopi & Magistratus indulgentia solo stigmate in tergo notatum, illa vrbe excessisse, ac Geneuam profugisse. Nec eius familiæ honestissimi viri adhuc superstites impetrare hactenus potuerunt, vt huius facti memoria, quæ toti familiæ notam aliquam inurit, è ciuicis illis monimentis ac scriniis eraderetur. Sed & quum Geneuæ dominaretur Caluinus, (adeò sanè vt aliquot annis vrbis claues penes illum essent,) Adonidem quoque suum eum habuisse, & occultis libidinibus operam dedisse, testatur pueri ex domo Caluini fuga, tota argentea Caluini supellectile onusti, quem nec ex fuga retrahere, nec vllo modo inuestigare Caluinus voluit, vt in eius vita scribit Bolsecus. Vbi & alia huiusmodi commemorantur impuri huius & improbi nebulonis insignia stratagemata. Quæ vt apud illum Lector inquirat malo, quàm nostras chartas talium turpitudinum commemoratione fœdare. De Theodoro Beza, qui Caluino successit, & in totum clerum Catholicum persæpe debacchatur, multos & magnos in eum lapides mittens, atque incontinentiæ redarguens, vnicum ipsius Bezæ de sua turpitudine præconium subiiciam. Est quippe in tanto Hæresiarcha affectatæ turpitudinis sempiternum testimonium. Sic suos amores decantauit.

Bolsecus de vita Caluini.

THEODORVS BEZA DE SVA IN Candidam & Audebertum beneuolentia.

Abest Candida, Beza quid moraris?
Audebertus abest, quid hic moraris?
Tenent Parisij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores,
Et tu Vezelijs manere pergis,
Procul Candidulâque, amoribúsque,
Et leporibus, Audebertulóque?
Immò Vezelij procul valete,
Et vale pater, & valete fratres,
Namque Vezelijs carere possum,
Et carere parente, & his & illis,
At non Candidula, Audebertulóque.

Sed vtrum rogo præferam duorum?
Vtrum inuisere me decet priorem?
An quenquam tibi, Candida, anteponam?
An quenquam anteferam tibi, Audeberte?
Quid si me in geminas secem ipse partes,
Harum vt altera Candidam reuisat,
Currat altera versus Audebertum?
At est Candida sic auara, noui,
Vt totum cupiat tenere Bezam,
Sic Beza est cupidus sui Audebertus,
Beza vt gestiat integro potiri;
Amplector quoque sic & hunc, & illam,
Vt totus cupiam videre vtrumque,
Integrisque frui integer duobus.
Præferre attamen alterum necesse est,
O duram nimium necessitatem!
Sed, postquam tamen alterum necesse est,
Priores tibi defero, Audeberte:
Quòd si Candida fortè conqueratur,
Quid tum? basiolo tacebit vno.

Quid hoc nefario homine aut impudentius aut impurius? Audet tamen & ille omnes qui cælibatum vouent, infamis incontinentiæ arguere. *Nullum* (inquit) *est tam horrendum libidinis genus, quo non sese mutuò polluant, qui voto continentiæ sese astrinxerũt.* Hæc ille. Impurissimus nebulo suam scabiem aliis affricat, &, vt alter Nero, neminem putat castè viuere, quum sit ipse libidinosissimus: quod præter infame carmen superius positum, aliis adhuc suis elegiis obscœnissimis de sua Publia & Candida toti orbi testatum voluit. Meminisse debet hircus iste & pe ulcus nequam huius Euãgelij documentum: *Qui vestrum sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Iam verò non vnius aut alterius Magistri, sed totius in Anglia nunc Ministerij quanta sit turpitudo, quàm fœda & procax incõtinentia, tametsi coniugibus copulentur Ministri (quorum cõciones in veteris cleri & Curiæ Romanæ reprehensione vt plurimũ totæ versantur) ex eorum numero quidam edito libello euulgauit, & vernaculo sermone scribens, prælaturæ Anglicanæ maculatorem sese inscribit. Maximas quippe & turpissimas illi maculas inspergit, factorum species ita enumerans, loca & personas ita designans, vt nihil esse illo Anticlero & coniugato Ministerio fœdius aut impurius demonstret: siue incõtinentiam, siue auaritiam

Confess. fid. cap. 5. sect. 39.

Eleg. 3. & 4.

Martin Marprelat.

& rapi

& rapinas, siue omne immanitatis genus spectes.

Sed nihil à veterum hæreticorum more atque vsu Caluinus & Beza faciunt, qui omnium impurissimi quum essent, Ecclesiæ semper Catholicæ Episcopis ac Presbyteris incõtinentiæ crimen impingere modis omnibus studuerunt. Apud Victorem Vticensem Episcopum in Vandalicę persecutionis historia legimus, Vãdalos illos Arianos correptis sanctimonialibus, & sacris omnibus in vnum congregatis virginibus, *postquam eas cremantes graui suspendio atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorso, ventri, mammillis, & lateribus apposuissent, inter tormẽta illis dixisse, Dicite quomodo Episcopi vestri vobis concumbunt, & Clerici vestri. Quæ tamen quum fierent, nihil inuestigari potuit vnde Christi Ecclesia macularetur.* Hæc ibi. Athanasius, maximus & potentissimus Arianorum Antagonista, inter cæteras calumnias quas illi grauissimas machinabantur Ariani, etiam hæc vna erat, mulierem à se muneribus corruptam, vt suam cum ipsa libidinem expleret: noctúque præterea inuitam compressisse. *Sed vbi mulier coram Episcopis Arianis in iudicium vocatis hæc obijceret, Timotheus presbyter Alexandrinus qui astabat Athanasio (sic enim inter eos clàm conuenerat.) ita affatur mulierem: Egóne te per vim compressi? Tum illa, An non tu, quæso, inquit? tempúsque, & locum in quo compressa fuerat, ostendit.* Sic ridicula calumniæque plena deprehensa accusatio est. Similibus calumniis multi sancti Episcopi à veritatis hostibus vexati sunt, Chrysostomus, Panisius, Brixius, vt in eorum viris apud Surium videre est. Nec moderna desunt exempla, siue quæ Hugonotica rabies in Gallia patrauit, siue quæ Anglicana iam 30. & amplius annorum persecutio contra Catholicos machinata est, in memoriam reuocentur.

Hæreticorum veterũ praxis ad clerum Catholicũ diffamandum.

De persecut. Vandal. lib. 2.

Sozomen. lib. 2. c. 24.

Iam verò quid Caluino in mentem venerit vt hoc in loco Catholicæ Ecclesiæ theologis impingeret adulterij impunitatem, ne ipsos quidem Caluinistas aut scire aut coniicere posse arbitror. Sic enim scribit. *Hæc Papalis est theologia, Christum hoc loco legem gratiæ attulisse, qua detur adulteris impunitas.* At quis vel idiota vel simplicissima anus in Ecclesia Catholica Romana nescit, adulterium grauissimis pœnis tam Ecclesiasticis quàm humanis puniri? Eadem impudentia dicere potuisset, iuxta Papalem theologiam, Christum gratiæ legem attulisse, qua totius decalogi transgressoribus impunitas detur. Sed videamus an theologia Caluiniana hoc ipsum non doceat. Si enim nullis legibus nec humanis nec

Caluini putida calumnia in caput suũ redũdans.

Caluiniana theologia quod

lex gratiæ adulteris impunitatem dedit. diuinis Christianos in conscientia obstringi, libertas Euangelica patitur; si ideò sumus sub gratia, non sub lege, quia legis rigori, quæ transgressores acerbè punit, obnoxij non sumus, sed sub gratia quæ nos à lege manumittit; si mandatorum Dei obseruatio (inter quæ est, *Non mœchaberis*) ad obseruandum impossibilis est; quæ omnia Caluinus & Caluinistæ omnes constantissimè docent; ad quæ autem non astringimur, quarum legum rigori obnoxij non sumus, quæ præcepta seruare non possimus, eorum haud dubiè transgressio pœnam non meretur: an nō luce meridiana clarius est, Caluinianam theologiam esse, quòd Christus legem gratiæ attulerit, qua detur adulteris impunitas? Dicit quidem hoc loco Caluinus. *Nos tenemus sic remitti à Christo hominibus peccata, vt politicū tamen ordinē non subuertat, iudicia & pœnas legibus constitutas non aboleat.* Atqui impunitatem adulterij hoc non adimit, quando adulteria occulta sunt, & politico magistratui incognita, qualia haud dubiè pleraque & maxima ex parte sunt. Ergo ex ipsa Caluini confessione, coram Deo & in occulta scortatione datur adulteris impunitas. Clarum igitur & perspicuum est, non Papalem sed Caluinianam theologiam esse, quòd Christus legem gratiæ attulerit, qua detur adulteris impunitas. Ita (vt dixit) quid Caluino in mentem venerit vt tam fœdam & infamem doctrinam Ecclesiæ Catholicæ impingeret, quæ ex ipsius propriæ doctrinæ principiis necessariò consequitur, nullum arbitror Caluinistam coniicere posse: nisi quòd iusto Dei iudicio cæcitate mentis percussus, ea contra Christi sponsam exspuerit, vnde suam ipsius turpitudinem propalandi iustā aliis occasionem daret.

Caluinus & Beza circa scriptura partes dissentiunt. Illud postremò in hoc Euangelio animaduersione dignum est, circa totius huius historiæ veritatem canonicam duo præcipua Caluinistarum capita penitus dissentire. Caluinus enim ita in hunc locum scribit. *Satis constat historiam hanc olim Græcis fuisse ignotam. Itaq; nonnulli cōiiciunt aliunde assutam esse. Sed quia semper à Latinis Ecclesiis recepta fuit, & in plurimis vetustis Græcorum codicibus reperitur, & nihil Apostolico Spiritu indignum continet, non est cur eam in vsum nostrum accommodare recusemus.* Ab altera parte Beza in hunc modum. *Ad me quod attinet, non dissimulo mihi meritò suspectum esse, quod veteres Græci vel reiecerunt vel ignorarunt. Deinde quòd narrat Iesum solum fuisse relictum cum muliere in templō, nescio quàm sit probabile:* (Ex eadem præpostera suspicione totam Christi cum muliere Samaritana

Ioan. 4. apud

apud puteum disceptationem, vbi solus cum sola agebat, homo impius improbabilem quoque poterit asserere) *& quòd scribit Iesum digito scripsisse in terra, nouum mihi & insolens videtur, nec possum conijcere quomodo possit commodè explicari:* (explicauit tamen ipse Caluinus satis commodè) *tanta denique lectionis varietas facit vt de totius istius narrationis fide dubitem.* Hæc illa bestia. Sed postrema coniectura quam adfert, multas alias Euangelicæ historiæ partes, quas duo aut tres Euangelistæ aliter atque aliter referunt, in dubium quoque vocabit: verbi gratia, totum sermonem Domini, in monte, vt apud Matthæum videtur, vel in loco campestri, vt Lucas narrat, aliis quoque atque aliis verbis habitum. *Matth. 5. & seqq. Luc. 6.* Item de Centurionis puero sanato, quem ad Christum accessisse Matthæus, non venisse, sed alios misisse Lucas narrat. *Matth. 8. Luc. 7.* Ipsam denique resurrectionis Dominicæ historiam quoad ipsum quo surrexit tempus, & varias primi diei apparitiones, in quibus varia videntur dicere Euangelistæ: & alias adhuc partes quàm plurimas, in quibus tanta varietas & apparens dissonantia est, vt S. Augustinus duos libros integros de consensu Euangelistarum scripserit, & alij multi Scriptores in Concordia Euangelica concinnanda plurimum & piè sudauerint. Sed hæc est hæreticorum hodie petulantia, vt multorum iam seculorum fide firmata, pro suo cuiusque cerebro etiam circa ipsas diuinæ Scripturæ partes, in dubium de nouo reuocare audeant. *Hæreticorum hodie petulantia.* Admittit Caluinus: reprobat Beza. Cur ita? Quia pro suo libito vterque decernere, neuter Ecclesiæ docenti aurem præbere vult. Docet hoc exemplum, quàm sit detestanda Nouatorum hodie petulans arrogantia.

36. *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis.*

QVæ sit ista humani generis liberatio Christo propria, quam hîc iterum atque iterum inculcat Christus, rectè & orthodoxè tenere operæpretium est. Liberatio ista siue libertas per Christum nobis data, erat triplex; prout seruitus qua partim Iudæi partim cæteri mortales omnes tenebantur, triplex erat. *Libertas per Christum data triplex.* Vna erat seruitus legalis Iudæis propria, qui in statu seruorum sub legalibus ceremoniis & timore seruili viuebant, tanquam veteris testamenti filij, magis ex timore quàm ex amore legem seruantes, idcóque non verè eam seruantes, quanquam hoc posterius nec solis Iudæis propria

erat, sed omnibus veteris testamenti filiis, & iuxta veterem hominem adhuc viuentibus; nec in omnibus Iudæis locum habebat, sed carnalibus tantùm. Hanc vtramque Paulus docuit ad Galat. 4 & ad Rom 8. Altera seruitus peccati est, qua homo suis cupiditatibus & instigatori Dæmoni seruit. Rom. 6 *Serui fuistis peccati.* Tertia seruitus corruptionis pœnalis est, cui corpora etiam iustorum in hac vita subiiciuntur. Romanorum octauo. *Creatura liberabitur à seruitute corruptionis*, &c. Ab his tribus Christus omnes in ipsum credentes liberauit. A prima ponens nos in statu filiorũ adoptionis, quoad legalia; ad Gal. 4. *Non sumus ancillæ filij, sed liberæ:* quoad seruilem timorem; ad Rom. 8. *Accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater.* A secunda partim per remissionem peccatorum gratuitam, partim per gratiæ suæ auxilia & dona, siue per spiritum regenerationis. Rom. 6. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Peccatum vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, sed sub gratia* Rom. 5. *Vt sicut peccatum regnauit per mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* De hac potissimùm loquitur Christus, vt exponit Augustinus. Verba eius paulò pòst proferemus. A tertia. Romanorum octauo. *Liberabitur à seruitute corruptionis*, scilicet in altera vita.

Caluini corruptela. Impius Caluinus hanc totam liberationem per Christum factam in vna & sola fide ponit, qua Christum in Euangelio cum suis promissionibus de gratuita remissione peccatorum, & cum donis iustitiæ ac sanctitatis illi inhærentibus, apprehendimus & amplectimur. Sed ita hoc docet, vt facilè Lectorem nisi valde attentum fallat. Quædam enim vera præmittit, vt postea incautum opprimat. Primum ad illa verba, *Veritas liberabit vos*, v. 32. *Tenendum* (inquit) *est, qualis hic libertas à Christo notetur.* Optimè sanè, & vt bonum interpretem oportuit. Audiamus quæ illa sit. *Nempe* (inquit) *qua nos à Satanæ, peccati, & mortis tyrannide manumittit.* Rectè etiam ista dicuntur, tametsi non plenè. Sed videamus cætera. *Quòd si eam consequimur Euangelij beneficio, hinc constat peccati nos omnes natura seruos esse.* Transeat interim ista propositio, donec, quid illa velit magis nobis aperiat. Alioqui quum vox Euangelij latissimè pateat, in aliquo sensu vera esse potest. *Porro* (inquit) *simul tenendus est liberationis modus.* Hîc ergo aliquid expressius dicet. Audiamus. *Quamdiu enim* (inquit) *sensu ac ingenio nostro regimur, peccato sumus mancipati. Quum autem nos Dominus suo Spiritu regenerat, simul liberos*

esse

efficit,vt miseris Satanæ laqueis soluti, spõte iustitiæ obediamus. Videbitur hîc fortasse aliquibus sanam & orthodoxam doctrinam tradere: sed fallit imperitos. Ponit libertatem per Spiritum regenerationis effectam, in eo, vt sponte iustitiæ obediamus. Quum dicit *sponte*, tollit obedientiæ mandatorum Dei necessariam obligationem, de qua Paulus dixit, *Liberati à peccato* (supple per Spiritum regenerationis) *serui facti estis iustitiæ.* Iterum quũ dicit *sponte*, negat liberam electionem in operibus iustitiæ. Quare quod dicit nos *Satanæ laqueis solutos*, non veram solutionem intelligit, quoad peccatum, ad quod Satanas instigat, sed imaginariam solutionem de non imputato peccato, quod regenerati semper & necessariò perpetrant; in quos diabolus tametsi peccantes potestatem nullam habet, quia fide Christum tenent. Hæc eius impia doctrina ex sequentibus magis elucescet. Sic enim prosequitur. *Atqui ex fide regeneratio: vnde apparet ex Euangelio esse libertatem.* Hîc sua cornua nonnihil exerit. *Ex fide* (inquit) *fit regeneratio*, & hanc ex Euangelica prædicatione concipimus, ergo ex Euangelio est nostra libertas. Tota ergo hominis resolutio est, credentes qui audito Euangelio de Christi promissionibus, beneficiis, ac donis iustitiæ, quibus ipse plenus erat, hæc omnia sibi fide applicant, & Spiritum sanctificationis, qui in Christo abundabat, simul quoque apprehendũt, illos libertatem in Christo esse consequutos, & hoc esse in illis Spiritum regenerationis, vt non amplius sub diaboli potestate aut dominio positi, sponte iam obediant iustitiæ, si id libuerit; obedire non teneãtur, nisi libuerit. Sed sequẽtia adhuc in eo verba hoc latens venenum clarius in lucem educent. *Eant nunc* (inquit) *Papistæ, & liberum arbitrium fastuosè extollant: nos autem seruitutis propriæ conscij, nonnisi Christo liberatore gloriemur.* Ecce apertis verbis liberi arbitrij facultatem ad bene iustéque operandum à Christo dari negat. *Nos* (inquit) *seruitutis propriæ conscij*, id est, nos iam fide ex Euangelio regenerati (quis enim dubitat eorum se numero Caluinum æstimasse quum hæc scriberet?) *seruitutis propriæ conscij*, id est, adhuc in seruitute peccati manentes, *non nisi Christo liberatore gloriemur*, quatenus videlicet fide illum in Euangelio apprehendimus, vt nobis imputetur quicquid in illo est. Dicit se Christo liberatore gloriari, & tamen liberum arbitrium ad bene iustéque viuendum fastuosè & indignabundus reiicit (*Eant nũc Papistæ*, &c.) simúlque se *propriæ seruitutis adhuc conscium esse* profitetur. Gloriatur igitur in liberatore imagi

Latens Caluini venenum aperitur.

Liberatorem esse

Christum Caluinus negat. nario, non vero: imò verbo gloriatur, reipsa negat verum liberatorem Christum esse. Nō enim aliter liberatorem Christum agnoscit, nisi quatenus fide eum apprehendit, omnia quæ ipse habet nobis imputantem, sed nihil re vera & actu largientem. Hanc ob causam ad sequētia adhuc statim subiungit. *Nam & hoc nomine Euangelium quasi manumissionis vindicta censeri debet, quòd nos Christo offert ac tradit à peccati iugo liberandos.* Et paulò pòst ad alia adhuc sequentia Christi verba, *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis*, ita scribit. *Quod natura Filius proprium habet, nobis adoptione communicat, dum fide inserimur in eius corpus, ac efficimur eius membra. Ita memoria repetendum est quod prius dixi, nos Euāgelij vindicta ab eo manumitti. Christi ergo beneficium est libertas nostra: sed eam fide consequimur: quæ etiam facit vt nos Christus Spiritu suo regeneret* Hæc ille. Impiam suam doctrinam vtcumque in lucem eduxit. Christi beneficium est libertas nostra, quam fide consequimur, vt sic Euangelium (quatenus, dum prædicatur & creditur, nos Christo offert à peccati iugo, id est, à pœna & imputatione peccati liberandos,) nostræ manumissionis seu libertatis vindicta censeri debeat: id est, modus ac ratio qua in libertatē asserimur. Tota hæc prophana oratio nihil aliud docet, quàm totam nostram libertatem, qua Christus nos liberauit, ipsummet esse Christum nobis in Euangelio oblatum, & fide apprehensum. Manemus nos quales eramus, *propriæ seruitutis conscij*, peccatores & impij, nec legem implere nec mandata seruare possumus; sed in Christo manumittimur per fidem inserti in corpus eius, eúmque totum fide complectentes ac certissimè tenentes. Hæc imaginaria, falsa, & impia Caluiniana libertas est, quam nulla Scriptura docet. Nos fide regenerari, nos fide libertatem consequi, nos per Euangelium Christo offerri ac tradi, denique Euangelium esse manumissionis nostræ vindictam, prophanæ sunt Caluini voces in nulla scriptura positæ, ab Ecclesia Christi hactenus inauditæ: denique mādata & traditiones hominū. Qua libertate Christus nos liberauerit, iam ex Scripturis nos ostendimus: quibus conformiter S. August. ita scribit. *Natura humana diuina indiget gratia dicente Domino, Si Filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis, vtique liberi ad bene iustéque viuendum:* quod multis postea verbis prosequitur. Rursum alio in loco. *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitiis peccatísque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest.*

Cont 2. Epist. Pelag. lib. 1. cap 2.

De Ciuit. Dei lib. 14 cap. 11.

test. Vnde veritas dicit: Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Hæc ille. Eat nunc Caluinus, & liberum arbitrium ad benè iustéque viuendum in iis qui per Christum regenerantur ac liberantur, non contra Papistas, sed contra doctissimum Augustinum, diuinæ gratiæ assertorem maximum, fastuosè reiiciat. Sanè homo impius ita Christi verba deprauauit, vt eum esse verum liberatorem (quod verba clarissimè dicunt) astutè & vafrè negauerit.

39. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

Docet hic locus non secus necessariam esse operũ Abrahæ imitationem, vt filius Abrahæ, & amicitiæ fœdere Deo coniunctus aliquis dicatur, quàm est necessaria fidei, quę in Abraha fuit, imitatio, quam ad Rom. 4. Apostolus contra Iudæos necdum in Christum credentes vrgebat. Probat enim hîc Christus, Iudæos non esse filios Abrahæ, sed filios diaboli, quia non opera Abrahæ faciunt, sed opera diaboli; sicut Apostolus probat, Iudæos non esse filios Abrahæ, quatenus ex circuncisione sunt, sed quatenus sectantur vestigia fidei quæ fuit in Abraham. Non secus ergo ad bonorum operum necessitatem hæc Christi doctrina valere debet, quàm ad fidei necessitatem Pauli doctrina valet. Caluinus hoc in loco reluctatur vt potest aliquantulum, tandem tamen vi veritatis victus, veritatem inuitus prædicat. *Christus* (inquit) *de origine carnali non disputat, sed tantùm inter Abrahæ filios coram Deo censeri negat qui fide non retinēt gratiam adoptionis. Nam quum Dominus Abrahæ semini pollicitus esset se fore in Deum, increduli omnes, hac promissione abiecta, se abdicabant ex genere Abrahæ.* Ecce vellet hîc Christum disputare de fide & de semine Abrahæ per fidem, quum Christus hoc loco disertissimè loquatur de semine Abrahæ per opera bona. Nõ enim de iis qui fide adoptionis gratiam non retinent, sed de iis qui opera Abrahæ non imitando nec faciendo eam gratiam reiiciunt, loquitur: nec denique soli increduli abdicant se ex genere Abrahæ, abiecta promissione semini Abrahæ facta; sed impij, legis trãsgressores, maleuoli, & persecutores iustorum, quales isti Iudæi erant, quos Christus hîc alloquitur, abdicãt se prorsus ex genere Abrahæ, abiecta promissione semini Abrahæ facta. Hactenus ergo reluctatus est Caluinus apertæ veritati, & lectoris animum aliò abducere totis viribus conatur. Loci tamen euidentia eum pungente, hæc verba sub-

Rom. 4.

iunxit. *Status ergo quæstionis est, an reputandi sint Abrahæ filij qui oblatam sibi in verbo benedictionem abijciant, vt nihilominus sint gens sancta, peculium Dei, & regale sacerdotium.* De abiecta benedictione in verbo oblata, nulla hîc quæstio est, nec de ea Christus loquitur: & aliud hoc est Caluini somniũ, quod illi necdum expergefacto toties recurrit, de quo alio loco diximus. Transeat igitur hæc eius suppositio. *Hoc* (inquit) *negat Christus & meritò: quia Spiritu renasci oportet qui filij sunt promissionis: & nouas esse creaturas quicunque locum appetunt in regno Dei.* Vide quàm ægrè aliquid tandem præter fidem à Christo requiri fateatur, & bonorum operum necessitatem non quidem apertis verbis, inuolutè tamen & cõsequenter in verbo *noua creatura* agnoscat. *Noua enim creatura, & fides per dilectionem operans,* synonyma sunt apud Paulum ad Gal. c. 5. 6. & cap. 6 15. Si ergo nouas creaturas esse oportet qui filij promissionis esse volunt, & locum in regno Dei appetunt, profectò sola fides non facit filium promissionis, nec dat ei locum in regno Dei, id est, corã Deo iustum, aut Dei filium non facit, sed illa demùm fides hoc totum præstat quæ per charitatem operatur atque perficitur, vt posset iustificare, futura ad iustificationem prorsus inanis & inutilis, nisi charitas veluti forma & perfectio eius accedat. Et valet huc plurimum quod subiungit hoc loco Caluinus. *Non erat quidem inutile ac nullius momenti carnale Abrahæ genus, si quidem accederet veritas. Residet enim Dei electio in semine Abrahæ: sed libera, vt hæredes vitæ reputentur, quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Eodem quippe modo residet Dei electio in semine Abrahæ spirituali, in iis qui imitantur vestigia fidei patris sui Abrahæ, qui credunt Christum resurrexisse à mortuis ad iustificationem nostram, sicut ille credidit corpus suum emortuum posse ad generationem reuirescere, in quo vno articulo imitationem fidei Abrahæ signanter ponit Apostolus. Sed hæc Dei electio in credentibus residens libera est, vt hæredes vitæ reputentur, non qui credunt tantùm, fidéque promissiones gratuitas apprehendunt, *sed quos Deus Spiritu suo sanctificat,* vt facti noua creatura, opera Abrahæ faciant sicut fidem imitantur, ac sic demum filij Abrahæ reputentur. Et hæc est tota ac plena Christi hoc loco sententia, qua bonorum operum ad salutem necessitas efficaciter probatur, & sola fides saluificans perspicuè euertitur.

In Prompt. Cathol. par. Quadrages. fer. 5. in capite Ieiunij.

Rom. 4.

Operũ bonorum necessitas.

39. *Pater noster Abraham est. Nos ex fornicatione non sumus nati.*

41. *Vnum patrem habemus Deum.*

OCcasione accepta ex illis Christi verbis, *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, quæ verba quibusdam Iudæorum in eum credentibus dixerat; alij increduli & inflati Iudæi, *responderunt ei; Semen Abrahæ sumus, nemini seruiuimus vnquam, quomodo tu dicis: Liberi eritis?* id est, quomodo tu loqueris de vindicando nos in aliquam libertatem? non intelligentes Christum loqui de libertate alia longè meliori, quæ esset à seruitute peccati, vt suprà contra Caluinum ostendimus. Christus igitur volens eos in meliorem viam reducere, & de qua libertate loqueretur, plenius docere, ait, *eum qui facit peccatum, seruum esse peccati*, seruum autem *manere* quidem *in domo* ad tempus, siue ciuiliter seruum intelligas, qui domino suo in eadem domo cum filiis familias ad tempus seruit, siue seruũ spiritualiter & peccatorem, qui ad tempus in Ecclesia Dei cum iustis & filiis Dei Sacramenta participat, sed non in æternum, filium autem manere in æternum & esse hæredem: móxque infert, *Si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis:* liberationem illis quandam adhuc necessariam esse demonstrans. Illi in sua arrogantia impiáque & vana iactantia persistentes, *Responderunt & dixerunt ei*, id est, vt suam nequitiam tegerent, audacter & insolenter dixerunt, *Pater noster Abraham est*, iustus videlicet ac sanctus vir & amicus Dei appellatus. Hanc eorum vanam ostentationem Christus repressit, dicens: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite:* & rursum, *Vos quæritis me interficere: hoc Abraham non fecit:* & adhuc semel, *Vos opera patris vestri facitis*, in omnibus his verbis id vnum docens, eos idcirco de patre suo Abraham inaniter iactare, quia tam sanctum ac iustum patrem minimè imitarentur. Quúmque adhuc semel in vana sua iactatione persisterent, dicentes: *Nos ex fornicatione non sumus nati*, id est, non sumus idololatræ, nec deos falsos sequimur; *Vnum patrem habemus Deum*, vnum & verum Deũ colimus; nec ex carnali solùm generatione, sed & ex fidei puritate liberi homines sumus; eodem ferè rursus sermone & ex vitæ impuritate vanam eorum iactantiam reprimit: *Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me*, quasi diceret: Non satis est credere in Deum, vt filij Dei sitis, sed etiam diligere Deum opor

oportet,& quemcunque mittit ille, maximè filium Dei naturalem. *Ego enim ex Deo processi & veni.* Et paulò pòst, apertissima voce nequitiam cordis eorum patefaciens, ait: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Ita planum ac perspicuum fit, iactantiam Iudæorum quòd Abraham patrem haberent, nec ex fornicatione essent, sed vnum Deum cum patribus suis colerent, hoc solo nomine à Christo reiectam fuisse, quòd patris sui bona opera nō facerent, quòd occidendi eum voluntatem haberent, quòd Deum non diligerent, quòd desideria diaboli facerent, denique quòd homines impij, odio & maleuolentia pleni essent.

Vide nunc vt hoc totum inuertit, & ad Catholicorum reprehensionem, deprauata Scriptura, impiè cōuertit Caluinus. Similem esse vult vnitatis Catholicæ & successionis Ecclesiasticæ contra nouellos hæreticos atque schismaticos iustissimam exceptionem, quæ fuit hoc loco Iudæorum de patre suo Abraham vana iactantia; vt hoc videlicet fuco ad vnitatis Ecclesiasticæ contemptum, homo hæreticus & Ecclesiæ desertor, lectoris animum inducat atque seducat. *Sic* (inquit) *hodie Papistæ verbum Dei, quod lapides mouere posset, tanquam fabulosum rident, & audacter ferro & igni persequuntur, tantùm quia fallaci Ecclesiæ titulo freti, Deo se posse & hominibus illudere confidunt.* Hìc vt comparatio Caluini teneat, concedere illi oportet, quicquid ille & conuenæ ac sodales eius docuerunt, Dei verbum esse; tum ita rutilans, clarum, atque resplendens hoc verbum esse, vt vel lapides illud mouere posset: tandem Catholicos non nisi fallaci Ecclesiæ titulo frui. Hæc nisi omnia concedas, quæ sanus concedat nemo, tota corruit futilis atque insulsa Caluini comparatio. Pergit paulò pòst vt hanc suam comparationem plenius instructam adornet. *Videmus* (inquit) *vt Iudæi isti sanctitatem ex vtero se habere putauerint, quia orti essent ex radice sancta. Denique Ecclesiam Dei se esse contendunt, quia originem ducant à sanctis Patribus. Quemadmodū hodie continua à Patribus successio Papistas inflat & plusquā turgidos reddit. Talibus eos præstigijs eludit Satan, vt Deum à verbo suo, Ecclesiam à fide, regnum cælorum à Spiritu separent. Sciamus ergo, quamuis secundùm carnem spurij non sint, sed plausibili Ecclesiæ titulo se venditent, nihil minus esse quàm Dei filios, qui semen vitæ adulterarunt. Nam per quascunque circumeant ambages, nunquam tamen elabi poterunt quin hac sola iactantia efferantur. Nos sanctis Patribus successimus: ergo sumus Ecclesia. Quòd si refellen*

Vana Caluini iactantia.

Successionis Ecclesiasticæ argumentum inaniter impugnatum.

fellendis Iudæis valuit Christi responsum, non minus hodie ad istos coarguendos sufficit. Hæc est tota à Caluino instructa comparatio, qua veluti erecto, quod sequantur, vexillo suos Caluinistas ad Ecclesiasticæ vnitatis & successionis contemptum bonus signifer deducat. Argumentum & vis tota comparationis hæc est: Christi responsum refellit Iudæos de patre suo Abraham iactantes, ergo & idem responsum ad coarguendos Catholicos sufficere debet Ecclesiasticam vnitatem & successionem sibi venditantes. Videamus ergo quale Christi responsum fuit. Hoc & non aliud erat (vt ex præcedentibus patet) Iudæos Abraham patrem frustra venditare, quia opera Abrahæ non faciebant, sed diaboli, quem ideò patrem habebant, non Abraham. Vt ergo contra Catholicos idem responsum valeat, inferre Caluinum oportuit, Catholicos Patrum suorum, quibus se succedere & quorum se filios profitentur, opera bona non facere, non imitari, sed opera diaboli facere, quem ideò potius patrem habent. Planè hunc in modum ratiocinari oportuit, vt Christi responsum ad Catholicos successionem Ecclesiasticam & Ecclesiæ titulum sibi venditantes coarguendos sufficiat, sicuti Iudæis de patre suo Abraham gloriantibus refellendis idem valuit. Ac per hoc ad Christianorum vitia vitæque impuritatem taxandam, qui optimorum Patrum mali filij sunt, facit haud dubiè hic locus, valétque plurimum. Nunc autem nihil huiusmodi Caluinus infert, quum eadem scabie se ac suos fœdè maculari cerneret, nec bonorum operum causam agere, aut illorum patrocinium suscipere Caluinus soleat. Apparet nunc igitur omniúmque oculis patet putida stulti hominis & insulsa cõparatio. Iudæi homines improbi de patre suo Abraham viro iusto ac sancto gloriari non debuerunt: ergo Catholici eiusdem fidei vnitatem cum Catholicæ Ecclesiæ Patribus tenentes, & illis continua seriè succedentes, de huiusmodi Patribus gloriari, aut huiusmodi veræ Ecclesiæ vnitatem, consortium, titulum sibi venditare non debent. Huius ineptissimæ comparationis turpitudinem, in qua nihil simile, nihil affine, nihil quod comparari queat inuenitur, vel puero cuiuis perspicere facile & obuium est. *Caluini comparatio insulsa.*

Deinde in hac sua fictitia comparatione quàm multa futiliter effutiuit Caluinus! *Deum* (inquit) *à verbo, Ecclesiam à fide, regnum cælorum à Spiritu separant.* Respondeo, Catholicos non Deum à verbo separare, sed Dei verbum in vera Dei Ecclesia quærere; non Ecclesiam à fide seiungere, sed veram *Cauilla Caluini futilia.*

fidem

fidem in sola Ecclesia tenere, denique non regnum cælorum à Spiritu diuellere, sed per opera Spiritus, opera gratiæ, ad regnum cælorum contendere. Caluinus & Caluinistæ illi sunt qui Deum à verbo separant, quando verbũ non à Deo & vbi Deus instituit, sed à suo cerebro suisq; adinuentionibus exquirunt: qui Ecclesiam à fide seiungunt, quia non in Ecclesia fidem addiscere, sed, contempta Ecclesia, fidei dogmata sibimet fabricare volunt: denique regnũ cælorum à spiritu longissimè diuellunt, quia ad regnum cælorum consequendum opera diuini Spiritus nihil cõferre, solam diuinæ beneuolentiæ fiduciam & præsumptionem cum perpetua vitæ turpitudine coniunctam sufficere docent. Rursum hoc in hac comparatione maximè futile & insulsum est, quòd carnalem Iudæorum ab Abraham propagationem, cum carnali quadam à Patribus Ecclesiasticis successione comparat. *Quamuis* (inquit de Catholicis) *secundùm carnem spurij non sint, sed plausibili Ecclesiæ titulo se venditent.* Ergo Ecclesiæ titulus per carnalem successionem à Catholicis venditatur? An aliam à Patribus successionem Catholici venditant quàm quòd eandem cum illis fidem tenent, & tradita ab illis de manu in manum Christianæ religionis dogmata concordes obseruant? *Secundùm carnem* (inquit) *spurij non sunt:* secundùm carnem legitimi sunt. Ergo carnalis hîc statuitur propagatio? Sed sic oportuit eum loqui, vt aliqua fictitiæ comparationis similitudo appareret. Alioqui si propriè loquutus fuisset, tota eius comparatio vel à puero ridenda appareret. Si enim sic dixisset, *Quamuis secundùm eandem cum Patribus fidem spurij non sunt, sed plausibili Ecclesiæ titulo se venditant, nihil minus tamen quàm filij Dei sunt, quia semen vitæ adulterarunt,* prorsus pugnantia, ideóque vel à puero ridenda dixisset Si enim eandem fidem cum Patribus tenentes spurij non sunt, profectò semen vitæ, quod fides & vera doctrina est, non adulterarunt. Enimuerò ita se res habet. Idcirco nos Catholici Dei beneficio Ecclesiam tenemus vnam, sanctam, Catholicam, quia in tota fidei ac dogmatum professione totius hactenus Ecclesię Patribus successimus, & eandem cum illis fidem tenemus. Hæc collectio hac futili Caluini comparatione non infirmatur, sed firma ac valida semper erit, nisi aut nos eandem cum illis fidem non tenere, aut illorum fidem falsam ac vanam fuisse, id est, nullam hactenus in Christiano orbe Christianorum Ecclesiam extitisse demonstretur. Porrò si ideò hæc collectio vana est, & pro mera iactantia æstimanda, *Nos sanctis*

Patri

Patribus successimus, ergo sumus Ecclesia, quia Iudæorum illa collectio vana erat, nec nisi mera iactantia, *Pater noster Abraham est*, ergo liberi sumus; eadem quoq; ex causa & hæc collectio vana ac futilis erit, Nobis est vnus Deus, vna fides, vnū baptisma, vnum Deum colimus, vnum symbolum credimus, eadem Sacramenta tenemus, sub vno capite Christo, in vno Ecclesiæ corpore, eandem doctrinā, eundem cultum retinemus, ergo sumus vera Ecclesia, quia Iudæorum similis collectio vana erat, *Nos vnum patrem habemus Deum, nec sumus ex fornicatione nati*, aut ab idololatris progeniti, ergo sumus filij Dei. Cæterùm vt tales Iudæorum collectiones veræ ac bonæ essent, si cum carnali illa propagatione ex Abraham, & cum externa illa professione cultus Dei vera etiā pietas coniuncta fuisset, si opera Abrahæ fecissent, si Deum Patrem verè dilexissent, eodem planè modo & istæ Christianorū hominum similes collectiones veræ tunc ac solidæ erunt, quando cum eiusdem orthodoxæ fidei vnitate ac puritate, & cum eiusdem puri cultus ac religionis societate, vera etiam vitæ puritas & innocētia coniuncta est, quando Patrum pietatem non secus quàm doctrinam sequuntur, quando Deum purè diligunt, sicut in eum sincerè credunt. Hoc quia non obseruauit odio & maleuolentia excæcatus Caluinus, quod nuda literæ inspectio eum docere potuit, collectiones Iudæorum à Christo reiectas in Christianos impiè contorquet, qui etsi similes propositiones vsurpant, non tamē similes collectiones faciunt. Hæc Caluini hoc loco impietas & impostura à lectore Caluinista ambabus vlnis recipitur, veluti validum & egregium telum contra successionis & vnitatis Ecclesiasticæ argumentum quia aut imposturam non aduertit, aut impietate delectatus aduertere non vult. Sed ea nunc vtraque refutata, cauere sibi à tali impostore potest Caluinista si velit, cauebit Catholicus quia vult.

51. *Amen amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum.*

Obseruandum hoc loco, & propter istius calamitosi temporis hæreticos magna diligentia obseruandum, promissionem vitæ æternæ non secus in his verbis mandatorum obseruationi à Christo fieri, idque cum magna asseuerantia (*Amen amen dico vobis*) quam aliis in locis similem promissionem fidei in Christum fieri legimus. *Non videre mortem æternam*, perinde esse ac *videre & habere vitam æternam*, nemi

Mandatorum obseruationi vita æterna promittitur.

nemini dubium esse potest; quando qui non videt mortem, necesse est vitam videat. *Sermones Dei seruare*, iuxta perpetuam Scripturæ phrasim nihil aliud esse quàm mandata Dei opere complere, nemo quoque dubitare poterit: quando & sermo mandatum significat, & non nisi per operis executionem mandata seruantur. Iam huic mandatorum obseruationi promittitur vita æterna. In aliis huius Euangelij locis dicente Christo, *Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam:* *Qui credit ei qui misit me, habet vitam æternam:* & rursum, *Qui credit in me, habet vitam æternam:* & adhuc semel, *Omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum*, promissionem vitæ æternæ fidei, & quidem vni fidei, à Christo tribui obseruant diligenter hæretici. Atqui obseruare quoque eos oportuit, mandatorum obseruationi eandem à Christo promissionem statui, tum aliis in locis permultis, tum in isto. Caluinus vafrè hæc Christi verba ad doctrinā fidei transfert. *Christus* (inquit) *discipulis suis vitam æternam promittit, sed illis qui doctrinam eius seruant non secus ac pretiosum thesaurum. Visuros mortem negat, quia vbi animam hominis fides viuificat, iam mors retuso aculeo, & veneno absterso, lethale vulnus infligere non potest.* Hæc ille: quem hæc impostura nihil iuuabit. Nam vt demus ei de seruanda fidei doctrina veluti pretioso thesauro Christum ista dixisse, nihil tamen iuxta perpetuam Caluini doctrinam hic thesaurus seruatus ad vitam æternam conferet. Fides enim quæ iuxta Caluinum vitam æternam confert, quæ saluificat, quæ iustificat, non est doctrina fidei, aut illa fides qua credimus vera esse quæ Deus loquitur, iuxta veram Catholicæ fidei definitionem, sed est illa quæ solas promissiones gratuitas apprehendit, & diuinæ beneuolentiæ firma persuasio. Talis persuasio, talis fiducia iuxta Caluinum animam hominis viuificat, vt mortis metum ac vim retundit: vnde ad illa Christi verba, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet: Præclarum* (inquit Caluinus) *fidei elogium, quòd Christi vitam in nos transfundens à morte liberat.* Atqui doctrina fidei diligenter asseruata & credita iuxta Caluinum nihil aliud est quàm historica quædam fides quæ nihil ad iustitiam valet. Frustra igitur ad doctrinam fidei hæc verba contorquet Caluinus. Deinde quum Christus infrà hoc eodem capite dicit, *Ego scio Patrem, & sermonem eius seruo*, an de doctrina fidei à Patre accepta loquitur? an non potius dicit quòd Patris sui mādata in omnibus exequitur? Rursum quum iterum dicit, *Si quis diligit me, sermonem meum*

Ioan. 3. 36. *Ioan. 5. 24.* *Ioā. 6. 47.* *Ioā. 11. 26.*

Doctrina fidei.

Fides viuificans Caluini, non est doctrina fidei.

Ad cap. Ioan 11. vers 25.

Ioan. 14. 21. 23. & 24.

meum seruabit: & qui non diligit me, sermones meos non seruat, quid aliud dixisse intelligi potest, quàm quod eodem tempore dixit, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me?* Frustra ergò contra stimulum calcitrat Caluinus; & quod apertè de mandatorum obseruatione dictum est, ad fidei doctrinam contorquet.

53. *Nunquid tu maiores patre nostro Abraham qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt?*

QVia Iudæi increduli Christum vt purum hominem, nec nisi veteribus Prophetis meliorem, ipso verò patre suo Abraham inferiorem existimabant, propterea Christi verbis, *Non morietur in æternum*, de morte temporali nunquam subeunda pessimè intellectis offensi, illum ipsi Abrahæ & cæteris Prophetis præferri, quorum etiam sermones seruabantur, ac nihilominus tam illi mortui sunt quàm qui illa seruabant, ægrè tulerunt. Sic illi pro suo patre Abraham & pro suis Prophetis contra Christum zelabant. Nunc similem præposterum zelum pro Apostolis, Martyribus, aliisque Sanctis contra Christum in hominibus Christianis confingit Caluinus. An verò aut homines Christianos tantum in se nefas admittere, aut hoc illis scelus aliquem Scripturarum interpretem affingere cuiquam credibile est? Audiamus belluæ verba. *Alterum* (inquit) *Iudæorum vitium, quòd splendore Abraham & Sanctorum Christi gloriæ tenebras offundere conantur. Iniquè & præposterè faciunt quòd seruos opponunt Domino. Quinetiam Abrahæ & Prophetis iniurij sunt, dum illorum nomine abutuntur aduersus Christum.* Verè ista & grauiter dicuntur. Nam, vt hîc ait Caluinus, *non secus ac solis fulgor stellas omnes obscurat, ita præ immenso Christi fulgore quicquid gloriæ est in Sanctis omnibus, euanescere oportet.* Sed quid post hæc tam verè & grauiter dicta subiunget? Mel & lac apposuit: nunc sequitur venenum. *Verùm hæc quoque prauitas omnibus ferè seculis grassata est, & adhuc hodie grassatur, vt impij lacerando Dei opera, ipsum sibi quasi contrarium faciant.* Velitatio hæc artificiosa est; & in genere primùm declamat, vt ad speciem post descendat. Audiamus. *Illustrauit Deus nomen suum per Apostolos & Martyres: Papistæ idola sibi ex Apostolis & Martyribus confingunt, quæ Dei locum occupent.* Criminationem audio, qua vix grauior institui potest. Probationem expecto. *Annon hoc modo sibi ex*

Caluini artificiū.

Cōtra Sāctorum cultum clamosa Caluini criminatio.

Dei gratijs fabricant machinas ad diruendam eius virtutem? Hic adhuc nulla est probatio, sed veluti probati aut confessi criminis exaggeratio. Videamus quod sequitur. *Quantulum enim restat Deo vel Christo, si habeant Sancti quod illis prodige largiuntur Papistæ.* Nec hic vlla probatio, aut obiecti in genere criminis vel confirmatio vel specificatio. Expectemus adhuc sequentia. *Proinde sciendum est confundi totum regni Dei ordinem, nisi longe infra Christum subsidant Prophetæ, apostoli, & quicquid est Sanctorum, vt solus ipse emineat.* Nihil quàm in genere declamat, vt criminis intentati grauitatem amplificet. Sed crimen ipsum intentatum non specificat, non probat. Dixit *Papistas idola sibi ex Sanctis confingere quæ Dei locum occupent.* Sed nec hoc probat, nec quem diuinum honorem Sanctis Papistæ tribuant, ostendit, vt sic Sanctos Dei locum apud Papistas occupare lectori constet. Accusat nebulo in genere, & atrociter declamat: nihil prorsus vel probat, vel in specie designat. An fortè adhuc in sequentibus id faciet? Audiamus. *Nec sanè magis honorificè de Sanctis possumus loqui, quàm quum ipsos Christo submittimus.* Verum est, nec aliter Papistæ faciunt. Imò ait Caluinus. *Papistæ autem, vtcunque fucum faciant imperitis, probos se iactando Sanctorum cultores, Deo & illis pariter iniuriam faciunt.* Sed quare? *quòd illis in sublime euectis Christum cogunt in ordinem?* aliquam causam attulisse videtur, sed illam adhuc non nisi in genere. Restat igitur, vt speciem facti designet, & quomodo, quibus verbis quibus factis, *sic Sanctos in sublime euehant Papistæ, vt Christum cogant in ordinem*, demonstret Caluinus. Sequitur. *Ac dupliciter quidem hic peccant, quòd in doctrina Sanctos præferunt Christo: deinde quòd illos vestientes Christi spolijs, eum propè sua virtute exinaniunt.* Hic est accusationis eius finis. Duplex peccatum videtur designare, quum nullum designet, multò minus aliquid probet. Dicit peccare Papistas, *quòd in doctrina præferunt Sanctos Christo.* Sed in quo capite doctrinæ, aut quem tandem Sanctum, aut quo tandem modo, aut vnum aliquem, aut plures, aut omnes Sanctos, Christo Papistæ præferant, nihil ait, nihil designat, nihil explicatè notat. Rursum dicit Papistas *vestire Sanctos Christi spolijs*, idque adeò, vt eum propè sua virtute exinaniant. Sed quæ sunt illa spolia, aut quomodo Sancti illis vestiantur, aut qua tandem ratione Christus per Sanctorum honorem sua virtute exinanitur, nihil ait, nihil designat, nihil explicatè notat. Et vt illa omnia notaret, nihil probat.

Hic

Hic est Caluini ludus, quo suos miseros Caluinistas ludificat, & veluti fungos & stipites inanibus verbis oblectat. Visus fuit Lectori Caluinistæ & Euangelico, Papistas hoc loco egregiè excepisse, & atrocissimi criminis conuictos veluti summo odio dignos traduxisse. Quam ob causam Marloratus totam hanc criminationem, duobus aut tribus vitimis membris exceptis, in suam expositionem (vt vocat) Ecclesiasticam retulit. Sed diligenter inspectus nihil nisi merum nebulonem & sycophantam egisse deprehenditur. Atrociter enim & prolixè accusans, nec crimen aliquod in particulari designat, nec eius, quod in genere declamat, vllam vel vno verbo probationem adfert. Atqui hoc scribendi genere facile cuiuis foret, quosuis seu innocentissimos, seu eruditissimos, seu etiam illustrissimos viros, criminatione generali instituta, cuius nec probatio adfertur, nec species designatur, multis paginis traducere, accusare, & de quouis atroci flagitio, de qualibet crassa ignorantia, de quolibet ignobili & pudendo facinore suspectos reddere. Sed Caluini pruritus aliter leuari non potuit, nisi quoquo tandem modo in hanc Ecclesiæ petram porcus impetiginosus dorsum suum affricaret.

IN IOANNIS CAP. IX.

6. Exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur, missus.

SOlet Caluinus, soléntque alij hodie hæretici Sacramentorum nouæ legis effectus quem ex verbo Dei cum tota veteri Ecclesia in illis agnoscunt Catholici, hoc maximè nomine reprehēdere ac reiicere, quòd hac ratione nescio quam latentem virtutem in ipsis elementis & creaturis ponimus, &(vt scribit alibi Caluinus) *hac superstitione miseras hominum mentes alligamus vt in spectaculo rei corporeæ potius quàm in Deo ipso acquiescant.* Atqui idem Caluinus hoc tam illustri facto Christi admonitus, vbi tam variis adhibitis creaturis per eas maluit visum cæco dare, quàm solo diuinæ suæ voluntatis verbo, aduertere potuit huiusmodi creaturarū vsum, nec superstitionis causam esse, nec à Deo homines abducere, sed contrà Dei potentiam maximè illustrare & religionis incremento subseruire. Sic enim ad hunc locum scribit. *Neq; in luto, neq; in aqua Siloem quicquam ad sanandos oculos fuisse*

Institut. lib. 4. c. 14. num. 14. Sacramentalium elementorū virtus.

In Comment. in c. 9. Ioan.

virtutis certũ est. Sed Christus liberè externis istis symbolis sua miracula non semel ornauit, siue vt fideles assuefaceret ad signorum vsum, siue vt ostenderet suo arbitrio subesse omnia, siue vt testatum faceret tantum esse potentiæ in singulis creaturis quantum ipse dare velit. Pulchrum & præclarum aduersus semetipsum testimonium dedit. Si enim in luto & aqua supernaturalem hanc virtutem visum cæco à natiuitate conferendi collocare Christus voluit, *vt suos fideles ad signorum vsum assuefaceret*; certè in variis Sacramentis suis supernaturalem virtutem ponens, nõ superstitione aliqua eorum mentes alligat, sed suos fideles ad signorum vsum, haud dubiè religiosum ac pium, assuefacit. Rursum si hoc suo facto ostendere Christus voluit, *suo arbitrio subesse omnia, & testatum facere tantum esse potentiæ in singulis creaturis, quantum ipse dare velit*, profectò doctrina Ecclesiæ in Scripturis fundata & tot Patrum testimoniis roborata de Sacramentorum Christi virtute & efficacia, nec magnificentius quàm oportuit de Sacramentis loquitur, nec ad rei corporeæ spectaculum potius quàm ad Deum adducit, sed Dei gloriam amplificat, *Dei arbitrio omnia subesse ostendit*, & creaturarum spectaculo nihil, sed Dei potentiæ totum tribuit, *testatum faciens tantum esse potentiæ in creaturis quantum ipse dare velit*. Voluit Deus, si vera narrat Paulus *per lauacrum regenerationis saluos nos facere*. Credendum igitur, illi lauacro vim regenerandi inesse, tantum scilicet potentiæ quantum ipse dare voluit. Nempe sicut in hoc cæco sanando per lutum & aquam fecit Christus quantum facere voluit, & hoc lutũ & aqua quasi instrumenta à Christo separata cum eius humanitate ac diuinitate cõcurrebant, sicut in scribendo scriptoris manus cum calamo concurrit; sic in omnibus Sacramentis per illas creaturas quas pro earum materia assumere Christus voluit, facit in illis quantum facere vult, tantum illis potentiæ inesse testatur quãtum dare voluit, & creaturæ illæ, aquæ, olei, & cæterarum rerum sacramentalium, quasi instrumenta à Christo separata cum eius humanitate ac diuinitate ad effectus gratiæ cuique Sacramento proprios concurrunt. Sic in multis aliis operibus miraculosis facere Christus voluit, vt hac frequenti creaturarum cooperatione ad Sacramentorum suorum vim intelligendam nos quasi manu duceret, &, vt Caluinus dixit, *ad signorum vsum fideles assuefaceret*. Sic per fimbriam & per corpus & per deitatem Christi mulier illa hæmorrhoissa sanitatem consecuta est. Nam ad tactum fimbriæ, quæ erat instrumen

Tit. 3. *Luc. 8.*

mentalis causa separata, *exiuit virtus* de Christi corpore vt instrumento coniuncto, sed de diuinitate vt principali ac propria causa. Sic in ciuitate Naim vnicum matris filium tactu corporis sui resuscitauit. Sic digitis & sputo loquelam & auditum reddidit dæmoniaco. Sic Archisynagogæ filiã & manus contactu & verbo ad vitam reuocauit. In quibus omnibus, & rebus sacramentalibus, illud obseruare oportet, quòd sicuti per se mota, vel ab alia quapiam creatura agitata, nullum supernaturalem effectum producere possunt; sic tam illæ quàm aliæ quæcunque creaturæ à Deo aut Christo motæ quemlibet effectũ operari possunt, quẽ per illas operari Deus velit: idque adeò vt effectus naturali operationi suæ contrarios, Deo illas applicãte, producant. Nam & in hoc cæco sanando lutum visui cõferendo maximè ex natura sua ineptum erat, sicut aliàs aqua lepræ sanandæ (qua tamen ablutus Naaman Syrus à lepra liberatus est,) & massa ficorum vlceri sanando (qua Ezechias Rex per Prophetam Dei sanitatem recuperauit) prorsus ex sese suáque vi non inepta tantùm, sed & aduersa erant. Hæc igitur explicatio ad omnium hodie hæreticorum incredulitatem conuincendam sufficit, qua pertinaciter negant, ex Sacramẽtorum Christi perceptione vllam fidelibus spiritualem gratiam conferri: eáque ad nihil aliud instituta esse dementissimè asserunt, quàm vel ad testificationem quandam gratiæ cõferendæ, vt Lutheranis placet; vel ad obsignationem gratiæ iam dudum collatæ, vt Caluino libuit; vel ad solam fidem roborandam & confirmandam, vt ferè omnes volunt: de quibus alio in loco diximus.

Luc. 7. Matth. 9. Marc 7.

4. Reg. 5. 4. Reg. 20.

31. *Scimus quia peccatores Deus non exaudit: sed, si quis cultor Dei est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.*

HAbet hîc locus difficultatem non modicam, sit ne vera an falsa hæc cæci restituti propositio: cum si vera, an generaliter vera, vel in certis casibus, & quibus tandem illis. D. August. hoc loco tract. 44. & contra Parm. lib. 2. cap. 8. & ante eum Orig hom. 5. in Isaiam, aiunt hanc sententiam esse falsam, & ab homine nondum per fidem illuminato: quia si Deus peccatores non audiret, aut neminem audiet, quum omnes peccatores sint; aut ipsos impios qui per pœnitentiam ad Deum recurrunt, nunquam audiret. Quare & D. Basilius Constit. monast. cap. 2. docet peccatores in multis exaudiri à Deo, & exẽpla in Scripturis sunt tam de bonis tẽporalibus, vt

An peccatores Deus exaudiat.

Ionæ 1. vbi idololatræ Deum inuocantes à tempestate liberantur; quàm de spiritualibus, vt publicanus Luc. 18. & filius prodigus Luc. 15. & denique de ipsis miraculosis operibus (de quibus hîc specialiter loquutum esse cæcum aliqui existimāt) vt Matth.7. *Domine, in nomine tuo eiecimus dæmonia.* Ex quibus verbis etiam ipsos hæreticos in operatione miraculorum à Deo exaudiri probat Iustinus Martyr in resp.5. ad qq. Gentilium. August. quoque lib. 83. qq. q. 78. & Greg. lib. 9. epist. 58. & Moral. lib. 20. cap. 9. idem docent.

Peccatores quomodo Deus non exaudit.

Vera nihilominus est hæc cæci sententia & magni momenti veritatem complectitur rectè intellecta. Deus nūquam exaudit peccatores, vt ex eorum voluntate & petitione opera mirabilia faciant (quale hîc Christus fecit) sed amicos tantùm suos, iustos, ac sibi gratos. Quamuis enim mali multi, ipsique etiam hæretici interdum signa facere permittantur, tamen nunquam id obtinent aut simplici sua oratione ac petitione, aut vt ipsis seu doctrinæ seu pietatis ratione aliqua commendatio accedat, (hoc enim esset falsitati testimonium perhibere) sed id obtinent partim ex signo aliquo iustitiæ, vt signo crucis, inuocato nomine Iesu, &c. non opere aliquo aut signo proprio (vt docet Augustinus libro 83. qq. q. 79 partim ex eo quòd ad alicuius veritatis confirmationem id signum applicant; sicut ille qui à fide Christi alienus tamen *in nomine Christi eiecit dæmonia*, Marci cap. 9. quem Christus impediri noluit. Sic ergo ratiocinatus est hîc cæcus: Deus peccatores non exaudit conantes suo aliquo opere aut sua virtute signa facere, ídque in suam ipsorum commendationem. Hic autem homo sua voluntate suísque certis operibus facit signa à seculo non audita ídque in testimonium suæ doctrinæ. Necesse est ergo quòd hîc sit à Deo, & non sit (vt vos dicitis) peccator. Deinde peccatorum oratio potest esse impetratoria, tametsi nunquam meritoria. Loquitur autem hic cæcus de illorum oratione quam Deus ex iustitia exaudit. Illa non nisi iustorum est. Rursum peccatorem intelligit hic cæcus non quemlibet, sed impium aliquem, qualem Pharisæi Christum esse blasphemabant, dicentes, *Scimus quia hic homo peccator est* ἁμαρτωλός; quo sensu de Magdalena dixit Lucas, *Fuit in ciuitate mulier peccatrix.* Habet igitur hæc sententia doctrinam illustrem: quam ipse in hunc locum, sed contra caput suum tradidit Caluinus. Sic enim scribit. *Peccator hic impium & sceleratum significat. Est autē hæc perpetua Scripturæ doctrina, quòd Deus non exaudit nisi à quibus vero & sincero corde*

Luc. 7.

vocatur. Nam quum sola fides ianuam nobis ad Deum aperiat, certum est impios omnes ab accessu eius arceri. Imo testatur se abominari eorum preces, sicut ad eorum sacrificia nauseat. Singulari enim priuilegio filios ad se inuitat, & solus est spiritus adoptionis qui in cordibus nostris clamat, Abba Pater. In summa, nemo ad Deum orandum rite est comparatus, nisi qui cor fide purgatum habet. Impij verò sicuti in suis precibus sacrum Dei nomen profanant ita potius huius sacrilegij pœnas dare merentur, quàm vt quicquam in salutem impetrent. Hæc ille, quæ omnia contra alia Caluini axiomata plurimum valent. Si enim peccator hîc impium & sceleratum hominem significat, & impij ac scelerati omnes à Deo arcentur, nec exaudit alios Deus quàm à quibus vero ac sincero corde vocatur, quia singulari priuilegio filios adoptionis ad se inuitat, impiorum autem preces abominatur, & sacrificia nauseat; necesse nunc est vt agnoscat Caluinus, filios adoptionis & Deo gratos non esse in sese impios ac sceleratos, sed esse pios ac bonorum operum executores, habere quoque inhærentem animo puritatem ac iustitiam, quia *vero & sincero corde*, non hypocritico, impuro, ac sordido, *Deum inuocant*. Repugnant ista ex diametro imputatiuæ iustitiæ, quæ hominem ex sese impium haberi pro iusto coram Deo statuit. Infarcit hîc quidem Caluinus aliqua de fide, dicens, quòd *sola fides ianuã nobis ad Deum aperit*; & quòd ad orandum ritè comparatus nõ est, *qui cor fide purgatum non habet*. Sed aut hæc fides omnem cordis impuritatem tollit; & qui eam tenent, puro ac sincero corde Deum colũt, à scelere & flagitio immunes, vt sic à Deo exaudiantur (atque ita manet repugnantia, quam diximus, cum aliis ipsius placitis) aut totam vitæ impuritatẽ hæc fides Caluiniana compatitur, & sic sola fides ianuã ad Deum aperit, vt qui ea sola carent, impij & scelerati censeantur, atque ita egregium fucum lectori fecit; imò perpetuæ Scripturæ doctrinæ fucum fecit impius Caluinus: qui quod contra moribus impios ac sceleratos disputasse v sus fuerat, & quod perpetua Scripturæ doctrina contra moribus impios ac sceleratos apertè tradidit, tales ab accessu Dei arceri, nũc non nisi contra eos qui fide carent, totum dixerit. Atqui verba cæci, quæ non ex vulgi opinione, sed iuxta perpetuã Scripturæ doctrinam vera esse vult, non de sola fide aut de solis incredulis, sed de vitæ quoad mores puritate, & de impiis ac sceleratis loquuntur. Negat impios ac sceleratos à Deo exaudiri. Ait eos exaudiri, *qui cultores Dei sunt* quoad religionis veritatem,

Imputatiua iustitia ex Caluini verbis euertitur.

ac veram fidem, & *qui faciunt voluntatem Dei*, quoad virtutis studium, ac mandatorum Dei obseruationem. Denique opponit illis peccatores, non incredulos.

35. *Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei?*

HOc cæci exemplum à Christo in Sabbato illuminati, illuminationem suam confitentis ac fortiter defendẽtis, eóque nomine à Synagoga eiecti, & per Pharisæos excommunicati, posteáque à Christo quæsiti, inuenti, & fidei lumine donati, existimauit Caluinus ad suam suorúmque causam commendandam peregregiè facere, quì similiter ab Ecclesia excommunicati tunc primum nouo fidei fulgore à Christo illustrati sunt. Sic igitur scribit. *Si retentus fuisset in Synagoga, periculum erat ne paulatim à Christo alienatus in idem cum impiis exitium mergeretur.* Quomodo igitur tam multi Iudæi in Christum crediderunt à Synagoga nunquam eiecti, quum hoc Pharisæorum edictũ, eiiciendum è Synagoga qui Christum confiteretur, non nisi in vltimum prædicationis Christi annum inciderit, & in admodum paucos executioni mandatum legatur? Sed pergat in præclara sua disputatione Caluinus. *Nunc extra templum vaganti Christus occurrit. Eiectum à Sacerdotibus excipit, & amplectitur, erigit prostratum, vitam offert ad mortem addicto.* Quid ergo? An propter hoc exemplum expedit extra templum vagari, expedit excommunicari, vt sic vagantibus, eiectis, prostratis occurrat Christus & manum porrigat? Ergo iuxta Caluini pulchram disputationem id agant sedulò fideles, vt extra sua templa vagentur, vt à suis Præpositis, Pastoribus, Episcopis excommunicentur, vt consistorio à suis Senioribus eiiciantur, ne videlicet tanto bono priuentur, Christíque auxilio & fauore speciali careant, qui sic vagantes excipit, sic eiectos amplectitur, sic prostratos erigit, sic ad mortem addictis vitam offert. Aut igitur in exemplum perpetuum trahi non debet, cuius consequentia tam absurda est; aut distinguere prudenter oportet, quid sit è Synagoga Pharisaica iam abrogationi proxima propter Christi confessionem eiici, & quid ab Ecclesia Christi in perpetuum mansura propter nouitates hæreticas excommunicari; quid vera quid falsa decernit Ecclesia, quid iusta quid iniusta operatur excommunicatio. Caluinus tamen quasi ad omnem pedẽ vnus calceus aptari debeat, pulchre se ratiocinari existimat

Excommunicatio hæreticorum à Caluino ridiculè defensa.

ſtimat à Synagoga Phariſaica ad Eccleſiam Chriſtianam, & à confeſſione Chriſti ad abnegationem eius. Sic enim ad factum ſuum rem adaptat. *Hoc idem* (inquit) *& noſtro tempore experti ſumus. Nam quum Lutherus & alij ſimiles initio craſſiores Papæ abuſus reprehenderent, vix tenuem habebant puri Chriſtianiſmi guſtum: poſtquam in eos fulminauit Papa, ac terrificis bullis à Romana Synagoga eiecti ſunt, manum illis porrexit Chriſtus, ac penitus illis innotuit.* Hæc eſt præclara Caluini pro Luthero & aliis ſimilibus, quin & pro ſeipſo ratiocinatio, & pulchra collectio, quæ ex ipſis Caluini verbis ſtatim ſubuertitur. Si enim Lutherus quum à Papa excommunicaretur, *niſi tenuem habuit puri Chriſtianiſmi guſtum*, & tamen antequam excommunicaretur, editis libris, de libertate Chriſtiana, de captiuitate Babylonica, & aliis, ex quibus articuli illi 40. quos Leo Papa dãnauit, deſumpti fuere, pro Magiſtro fidei ſe geſſit, & de grauiſſimis in fide dogmatibus, quæ illi articuli complectuntur, ſuum iudiciũ interpoſuit, omnes aliter ſentientes clara voce condemnans, abſque vllo dubio meritiſſimè excommunicatus fuit. Quomodo enim verus lupus ac ſeductor nequam & impoſtor populi non erat, ideóque meritò damnatus, *qui niſi tenuem adhuc habens puri Chriſtianiſmi guſtum*, vt Caluinus affirmat, de Chriſtianæ fidei præcipuis articulis tam præſidenter & arroganter decernere auſus fuit? nec arroganter tantùm & temere, ſed etiam ignoranter & mendaciter, nec minus etiam pertinaciter multa docere? Nam quum *niſi tenuem guſtum puri Chriſtianiſmi tunc habuit Lutherus*, vt Caluinus affirmat, hunc tenuem guſtum ille poſtea deponere nunquam voluit aut aliter docere quàm docuerat. *Tenuem Chriſtianiſmi guſtum in Luthero* vocat Caluinus, eò quòd in multis articulis, maximè de Cœna Domini, aliter ſenſit Lutherus quàm Caluinus, tam ante excommunicationem à Papa factam quàm tota vita poſt. Vide nunc igitur collectionis Caluinianæ ſummam ſtupiditatem. Lutherus antequam excommunicaretur, non *niſi tenuẽm habuit puri Chriſtianiſmi guſtum*, quia in multis articulis nec dum totam tenuit veritatem, quam ad purum Chriſtianiſmum pertinere iudicat Caluinus. Sed eundem guſtum etiam poſt excommunicationem perpetuò tenuit, nec puritatem illam Zvvinglianam (quę eadem penè Caluiniana eſt) vnquam guſtare potuit, acerrimè vſque ad mortem contra Zvvinglianos ſcribens & declamans: ergo poſt excommunicationem à Romana Eccleſia non *porrexit illi manum Chriſtus, nec illi penitus innotuit*, vt

Lutherus Caluini iudicio meritò excommunicatus

Caluiniana collectionis alia ſtupiditas.

hîc mendaciter Caluinus affirmat. Ita vel tota corruit Caluini comparatio, vel ipsi certè Caluino Christus nunquam penitus innotuit, qui cum Lutheri placitis nunquã penitus conuenire voluit. Sed hac cæcitate & vertigine meritò feriuntur, vt alios ferire volentes, seipsos grauissime vulnerent, qui contra stimulum calcitrant, & in Ecclesiæ petram sua cornua frustra illidunt: vnde frangantur ipsi, illa manente illæsa, contra quam & portæ inferi non præualebunt.

IN IOANNIS CAP. X.

1. *Amen amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, fur est & latro.*

QVIA cæco restituto propter Christi confessionem è Synagoga eiecto, eo ipso facto Christum esse pseudoprophetam, omnésque illi adhærentes seductos esse Pharisæi publicè declarabant, ad hanc impiam & periculosam sententiam hominum animis eximendam (agebatur enim quasi de summa rei, vbi ipsa docẽtis Christi persona & authoritas in quæstionem vocabatur) docet diligenter & cum magna asseueratione, adeò seductorem se non esse aut pseudoprophetam aliquem à nemine missum, vt ipse sit omnium Prophetarum caput, Pastorum princeps, & ostium ipsum totius ouilis, scilicet per cuius fidẽ intrare semper oportuit in ouile gregis Dominici, ideóque qui per ipsum non intrarunt, sed aliunde quàm per ipsum asceuderunt, vel seipsos ingerendo, vel in eum non credendo, illi demum fures sint & latrones, qui vel ad spoliandum vel ad mactandum veniunt. Quibus verbis etiam ipsos Pharisæos perstringit, qui quum populi doctores essent, Christum repulerunt, per quem tam illi, quàm populus quem regebant, salutem consequi debebat: quod in illis verbis expressit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur.*

Ex hac igitur Christi doctrina cœlesti & saluberrima, qualia & quæ venena exsuxerit Caluinus, vt ab Ecclesiæ vnitate Christianos diuellat, veréque furem & latronem ipsemet agat, aduertere operæpretium est. Multis enim verbis hanc causam tractat, veluti nefarij sui schismatis apologiam, & veluti omnibus lectoribus suis classicum canẽs, vt contra Ecclesiarum Pastores ac Præpositos audacter insurgant. Totam eius disputationem proferam, & breui annotatione singula refutabo quæ refutatione egent. *Quia* (inquit) *negotium*

Christo

Christo erat cum Scribis & Sacerdotibus, qui habebantur Ecclesiæ Pastores; si vellet doctrinam suam recipi, necesse erat illos spoliare huius tituli honore. Errat Caluinus. Christi enim scopus erat, suam authoritatem statuere, & quòd ille esset *ostium ouium* docere; quæ erat doctrina omnibus temporibus necessaria; non Pharisæos suo honore spoliare, quos adhuc in cathedra Moysis sedere & passus & professus erat. Demus tamen hoc Christum quoque respexisse, & aliquo modo huc etiam collimasse, quod non est penitus improbabile. *Poterat etiam* (ait Caluinus) *multum fidei derogare eius doctrinæ credentium paucitas.* Nugæ. Nec de paucitate credentium in hoc capite quicquam disputat Christus, nec eius doctrinæ paucitas credentium derogare potuit, qui Ecclesiam nouam non collegit, sed eius per Apostolos colligendæ semina iecit. *Contendit ergo non omnes in Pastorum vel ouium numero habendos, qui externum in Ecclesia locum vsurpant, sed hac demum nota legitimos Pastores à reprobis, genuinas oues ab adulterinis discerni, si ipse vnus omniũ scopus sit, principium, & finis.* Hìc impostorem agit Caluinus, & oscitantem lectorem in nassas suas facilè pertrahit. *De externo in Ecclesia loco* nihil hìc contendit, nihil disputat Christus. Verum quidem est, legitimos Pastores & genuinas oues Christi, illum pro scopo habere, in illum vnum credere, in illum amando tendere debere. Tales autem Pastores & tales oues profectò externum in Ecclesia locum tenent, & ipsammet constituunt Ecclesiam. De talibus ergo disputat Christus, docens se ostium ouium; sed de *externo in Ecclesia loco* nihil disputat, nec vel docet, vel vllo verbo insinuat, *externum in Ecclesia locum*, vel Pastores vel oues vsurpare, qui tales nõ sunt. Hoc sibi finxit nefarius impostor, vt ab externæ Ecclesiæ vnitate homines diuellat, & Christum à suo corpore seiungat. Est igitur Christus & Pastoribus & ouibus, *vnicus scopus, principium, & finis*, sed in externa & visibili per totum orbem Ecclesia. Est Christus caput, sed *corporis sui, quod est Ecclesia*, eáque externa aliqua, vt locum habere vox illa semper possit: *Dic Ecclesiæ.* In hac impostura tota reliqua fundatur Caluini disputatio, ideóque attentiùs perpendenda est. *Hæc* (inquit) *admonitio cùm omnibus seculis vtilis fuit, tum hodie præsertim necessaria est.* Respondeo: Hæc impostura cùm omnibus seculis aduertenda, & diligenter cauenda est, tum hodie præsertim necessariò aduerti & caueri debet. *Nulla est nocentior Ecclesiæ pestis, quàm dum lupi sub Pastorum larua grassantur.*

Apologia schismatis Caluiniani refellitur.

Caluinus.

Ephes. 1.
Matth 18.

Caluinus.

Caluinus.

Opti

Optima propositio:& ideò nocentissima pestis Caluinus fuit, qui Geneuæ sub Pastoris larua lupis tot annis grassatus est. Ideò vt sub Pastoris larua caueatur lupus, externæ Ecclesiæ adhærendum est,in qua sola veri Pastores sunt à Christo dati,& perpetua ac legitima successione conspicui. *Scimus etiam quàm durum offendiculum sit, quum spurij vel degeneres Israëlitæ se pro Ecclesiæ filijs venditant, & hoc prætextu insultant fidelibus.* Si extra Ecclesiam non possunt esse fideles, meritò & optimo iure Ecclesiæ Catholicæ filij fidelibus Caluinistis insultant:qui se pro Ecclesiæ filiis,quum verè spurij ac degeneres sint,venditare non audent; ideóque desertæ Ecclesiæ sibi conscij durum meritò offendiculum,& magnam conscientiæ carnificinam sentiunt, quando se non Ecclesiæ membra, sed sarmenta præcisa esse,vel ab aliis audiunt,vel nemine loquente ipsimet sentiunt. *Vtrique malo per continuos ferè ætatum successus obnoxia fuit Ecclesia, sed hodie rudes & infirmos nihil magis perturbat quàm quum sanctuarium Dei vident à summis Euangelij hostibus occupari.* Lupi sanè sub larua Pastorum,id est,hæretici magistri & pseudoprophetæ, cum sectariis suis,qui se fideles nuncupabant, per omnes ætatum successus fuere:sed hodie potissimùm maximo numero grassantur. Si huiusmodi interdum aliquo scrupo turbantur, quòd vident se ab Ecclesiæ vnitate recessisse, & nefario schismate à Pastoribus suis sese separasse,ac denique à Christi corpore, quod est Ecclesia,alienos, in maximũ salutis discrimen coniectos esse,non ideò perturbantur quòd *sanctuarium Dei ab Euangelij hostibus occupatur*; sed ideò stimulante conscientia vruntur,quòd sanctuarium Dei ab Euangelij hostibus occupari non posse ex aliqua adhuc relicta fidei scintilla aduertunt,memores verborũ Christi, *Contra Ecclesiam meam portæ inferi non præualebunt*; & eius quod dixit Paulus, *Ecclesiam columnam & firmamentum esse veritatis.* Denique quòd *sanctuarium Dei ab Euangelij hostibus occupetur*, rem ita absurdam esse,vt implicet contradictionem in adiecto. Aut enim sanctuarium Dei est à quo recesserunt,& ab Euangelij hostibus occupari non potest; aut ab Euangelij hostibus occupatur, & sanctuarium Dei non est. Sed non est mirum si ipsa Ecclesiæ lux, quæ *lux mundi* est *super montem posita, & abscondi non potest*, sic in hæreticorum oculos aliquando incurrat,& suo fulgore ita percellat,vt quantumlibet improbi perturbentur interdum, & animo crucientur, quod à sanctuario Dei, ab Ecclesia Christi Catholica, recesserint. *Neque enim*

(ait

Caluinus.

Hæreticorum carnificina de deserta Ecclesia.

Caluinus.

(ait Caluinus) *facilè in animum inducunt, Christi doctrinam esse, cui tam acriter ab Ecclesiæ Pastoribus resistitur.* Meritò id quidem, quando (Apostolo teste) *Christus Ecclesiæ suæ Apostolos, Pastores, & Doctores dedit ad consummationem sanctorum, ad corroborationem fidelium, ad ædificationem,* & collectionem *corporis Christi, vt non circumferamur omni vento doctrinæ.* Iustissimus hic & necessarius scrupus est. Aut enim Christi doctrina esse non potest, quam illi contra Ecclesiæ Pastores tenent, qui à Christo dati sunt vt veram doctrinam perpetuò traderent; aut illi qui sic acriter resistunt, & à quibus sibi metuunt, Ecclesiæ Pastores non sunt, vt ideò ab illis sibi metuere non sit opus. Sed quia nemo repentè fit turpissimus, qui recenter ab Ecclesia recedunt, necdum in hæresi animum obfirmarunt (quos rudes & infirmos Caluinus vocat) hoc acerrimo stimulo pungi & scrupo percelli necesse est. Ephes. 4.

Videbimus statim quod huic morbo remedium Caluinus adferet. Interea quid adhuc speculetur audiamus. *Deinde quia maior pars falsis doctrinis circumducitur per falsos errores, dum singuli alios respiciunt, & exspectant, nemo ferè in rectam viam se patitur adduci.* Hoc schismaticis ac hæreticis omnibus à Catholica Ecclesia egressis accidere facilè crediderim. Tales enim, relicta semel regia & tuta credendi via, omni vento doctrinæ circumferuntur, modò huic modò illi sectæ se addicunt. Nunc hanc nunc illam sententiam tenent. Nunc huic nunc illi Magistro adhærent. Denique qui legitimos Pastores semel contemnere didicerunt, non ita facilè aliis se subiicient. Quod ergo horum malorum remedium? *Ergo* (inquit Caluinus) *nisi lupis & furibus sponte nos exponere libet, ne in laruatis Pastoribus vel ouibus fallamur, imprimis cauẽdum est.* Rectissimè. Sed quæ cauendi ratio? *Magnificum* (inquit) *est Ecclesiæ nomen, & meritò.* In ea igitur manendum; & (vt ait Augustinus) *eius Ecclesiæ gremio nos condere sine vlla dubitatione debemus, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim ipsius plebis iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiã miraculorum maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit. Cui nolle primas partes dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Est igitur in Ecclesia manendum, eáque Catholica & Apostolica, per successiones Episcoporum seriè continua propagata. *Sed* (inquit Caluinus) *quo plus reuerentiæ meretur Ecclesia, eò magis solicitè ad notandum veræ vel falsæ Ecclesiæ discrimen* In libro de vtilit. credendi, cap. 17.

inten

intentos nos esse docet. Verum quoque & istud, atque imprimis necessarium. *Habent enim & vespæ aluearia sua, habent Marcionitæ Ecclesias suas,* ait Tertullianus. Nunc an istud discrimen notare Caluinus queat, attendamus. *Apertè* (inquit) *hic negat Christus pro Pastoribus habendos, qui tales se iactant, vel censendos esse in ouibus quicunque externis insignibus gloriantur.* At vbi, quæso, vel in quibus verbis hoc negat Christus? Fallit lectorem, mentitur. Deinde si non sunt pro Pastoribus habendi qui tales se iactant, ergo & veri Pastores repudiandi sunt. Nam & illi haud dubiè Pastorum nomen, titulum, authoritatem meritò sibi vendicant. Obserua quàm vafrè loquitur Caluinus. *Non sunt* (inquit) *pro Pastoribus habendi qui tales se iactant:* id est, qui toto orbe Christiano pro talibus habentur. Hoc vnum tacitè vrget, & clàm premit: vt qui in Catholica Ecclesia Pastores habentur, ab omnibus repudientur. Et quia tales Pastorum nomen necessariò sibi vendicant, ait negare Christum tales pro Pastoribus habendos. Vnde sanè sequeretur, ipsum Caluinum, & alios omnes tam Caluinicos quàm Lutheranos quàm cuiuscunque sectæ ministros, hoc eodem nomine reiici oportere. Cui enim dubium, quin illi omnes & singuli pro Pastoribus se iactent, Pastorum nomen sibi venditent, veluti Pastores audiri à suis ouibus velint? Sed impostor, si verè ac propriè loqui vellet, hoc dicere debuit: Non esse *omnes* pro Pastoribus habendos qui tales se iactant. Hæc enim vera est propositio, tametsi à Christo hoc loco non affirmata. Sed si ita loqueretur, facilè vidit propositum suum huiusmodi verbis nihil iuuari, & lectorem statim intellecturum, generalem illam propositionem nihil probare, sed probandum superesse, qui tandem veri Pastores censendi forent, ex illis *omnibus* hoc sibi nomen venditantibus. Nunc autem quia non veritati, sed imposturæ studuit, ita loqui voluit, vt Catholicæ Ecclesiæ Pastores qui apud vulgus Christianorum tales habentur, & pro talibus se meritò venditant, non pro huiusmodi habendos esse lectori persuadeat, idque quia Christus hoc negat, atque adeò apertè hoc loco negat. *Apertè* (inquit) *hic negat Christus*, vbi ter mentitur. Nam nunquam hoc negat Christus, multò minus hoc loco negat, & omnium minimè apertè id negat. Hoc verò quod diximus Caluini propositum in sequentibus suadere contendit. *De Iudaica* (inquit) *Ecclesia sermonem habet.* Falsum est istud. Christus de nulla Ecclesia in verbis citatis sermonem habet: sed id vnum ostendit

per

Caluini mendacium.

Impostura.

Figmentũ ridiculum.

Caluini mendaciũ triplex.

Aliud mendacium.

per parabolam pastoris rustici, se esse & *ostium totius ouilis,* vt in eum credere debeant qui in ouili seruari volunt *(Ego sum ostium, si quis per me introierit, saluabitur) & bonum Pastorem: qui autem ante eum venerunt,* seu Iudæos illos pseudoprophetas intelligas, Iudam, Theodam, qui, quod Christo erat proprium, sibi arrogarunt, seu alios quoscunque humanæ philosophiæ magistros, qui ad summum bonum discipulos suos adducere tentabant, *fures fuisse & latrones.* De Iudaica autem Ecclesia, de Synagoga non loquitur, quasi quotquot ante Christum Synagogæ præessent, vel in Synagoga docuissent, fures fuerint ac latrones: quo nihil absurdius dici potest. Prorsus igitur falsum ac futile est, de Ecclesia Iudaica Christum hîc loqui. Audiamus tamen adhuc quid ex eo inferre velit. *Nostra* (inquit) *Ecclesiæ in hac parte non dissimilis est ratio.* At hoc non minus falsum & absurdum est. In more quidem est Caluino aliisque hæreticis, Ecclesiam Christianam, Synagogæ Iudaicæ; Catholicæ Ecclesiæ Episcopos ac Pastores, Pharisæis & Sacerdotibus qui Christi tempore Synagogæ præerant, accomparare. Sed illa comparatio, quàm absurda, insana, & impia sit, iam aliis in locis huius operis nostri satis luculenter ostendimus, vt nihil hîc vel repetere vel addere opus sit. In his igitur duabus propositionibus, præterquam quòd falsæ sunt & absurdæ, aduertat lector nihil attulisse Caluinum, cur pro Pastoribus haberi non debeant qui vulgò tales habentur.

Act.5.

Ad Matt. cap. 21. & ad Ioan. cap. 7.

Iam aliam viam aggreditur. *Spectandus* (inquit) *est consilij Christi finis quem dixi, ne scilicet terreantur vel labascant infirmæ conscientiæ, quum Euangelio infestos vel contrarios cernunt qui Pastorum loco regnant in Ecclesia: ne à fide propterea resiliant quòd paucos ex vulgo Christianorum in audienda Christi doctrina condiscipulos habeant.* Rursum mentitur, fingendo sibi consilij Christi finem, qui in textu Euangelico non comparet. In more hoc Caluino est, audacter fingere vt callidè decipiat. Hoc ipsum quoque quod *consilium Christi esse* homo audax confingit, consilio Christi vero in Scripturis reuelato, & per Paulum asserto (verbis ad Ephes. 4. citatis) ex diametro repugnare, nec fieri posse vt Pastorum loco in Ecclesia regnent qui Euãgelio sint infesti & contrarij, in superioribus ostensum est. Sed nec de paucitate credentium aliquid Christus in hoc capite agit. Promissiones à Christo Ecclesiæ suæ factę multitudinem credentium sonant, & de propaganda toto orbe Euangelij doctrina loquuntur

Caluinus audacter fingit, vt callidè decipiat.

(vt

(vt alibi ex Scripturis ostendimus) non de huiusmodi credentibus, qui *ex vulgo Christianorum paucos habeant in doctrina Christi condiscipulos*, quales hîc suos Caluinus describit, & quæ propria est *Partis* nota, *Catholica Ecclesia*, quæ totum sonat, prorsus contraria. Habere *paucos condiscipulos ex vulgo Christianorum in audienda Christi doctrina*, est omnino tenere partem Caluini, partem Lutheri, sicuti tenebant olim alij *partem Nouati*, vt scripsit Cyprianus; & *partem Donati*, vt scripsit August. Hactenus ergo non nisi sectarium se esse, & veræ Ecclesiæ hostem, veluti suo se sorex indicio, Caluinus prodidit.

De principijs fidei lib. 2.

Videamus adhuc alia eius commenta, quibus nititur à Catholicæ Ecclesiæ vnitate lectores suos abducere, Euãgelicam hoc loco Scripturam deprauans. *Quum* (inquit) *Ecclesiam Christus faciat similem ouili, in quo Deus omnes suos aggregat; se comparat ostio, quia non alius quàm per ipsum in Ecclesiam pateat ingressus. Hinc sequitur, eos demum probos esse Pastores, qui rectà ad Christum ducunt; eos in Dei ouile verè colligi, vt censeantur in eius grege, qui se vni Christo addicunt. Caterùm hoc totum ad doctrinam refertur. Nam quum in Christo absconditi sunt omnes sapientia & scientia thesauri; qui inde aliò deflectit, neque viam tenet, neque per ostium ingreditur.* Sunt hæc omnia verissima. Quid ex istis inferet Caluinus? *Nunc* (inquit) *quisquis monitorem Christum non aspernabitur, facilè se ab ea dubitatione expediet (qua tam multos perplexos tenet) quanam sit Ecclesia, & quinam sint Pastorũ loco audiendi.* Quomodo aut qua tandem via? Attende, Lector, an rem tantam dexterè & aptè doceat. *Nam* (inquit) *si nos à Christo abducere tentant qui Pastores vocantur, fugiendi sunt Christi iussu non secus ac lupi vel fures.* Istud adhuc non docet quæ sit vera Ecclesia, sed aliqua ex parte docet quæ non sit vera Ecclesia. An non verò longè aliud est scire, hanc vrbem non esse Romam, quàm esse Romam? Qui Mediolanum demonstrat, dicens: Hæc non est Roma, an adhuc me docuit, quę aut vbi sit Roma? Sic Caluinus proposita dubitatione quæ sit vera Ecclesia (qua nulla dubitatio maior est, & quæ meritò *tam multos*, vt ipse fatetur, *perplexos tenet*) respondet, *Hac non est vera Ecclesia, qua à Christo nos abducit.* Sed an propterea scire possum vbi vel penes quos sit vera Ecclesia? Iam quidem didici ibi non esse veram Ecclesiam, vbi in Christum nõ creditur, ideóque neque apud Mahometem, nec apud paganos quærendam esse Ecclesiam. Sed adhuc nõ audio vbi vel apud quos

Caluini doctrina de vera Ecclesia inuenienda.

quos illa quæri possit. Sic hactenus nihil dicit, nihil docet. Videamus quod sequitur. *Nec cum alio grege ineunda vel colenda societas, quàm qui in pura Euangelij fide conspirant.* Hic aliquid dicere & docere videtur, vt sciam non solùm quæ non sit, sed etiam quæ sit vera Ecclesia. Sed hoc aliquid nihil est. Si enim omnes qui Euangelium profitentur, in pura Euangelij fide conspirarent, aut si hoc ipsum, *In pura Euangelij fide conspirare*, res esset per se nota, omnibus clara & perspicua, rectè ex eo intelligerem quæ sit vera Ecclesia, & cum quo grege ineunda ac colenda societas esset. Nunc autem quum Euangelium profiteantur, & in Euangelij pura fide conspirare se dicant, contendant, affirment, non solùm sectæ reliquæ omnes haud secus quàm Caluinica secta, sed imprimis ipsa Catholica Ecclesia, illíque toto orbe Pastores qui vulgo Christianorum præsunt; quis non videt, ambiguam, fallacem, incertam, ac nullam hanc notam esse quam Caluinus designat? illámque dubitationem de vera Ecclesia, quæ tam multos perplexos tenet, needū esse sublatam, sed auctam potius, & in maiorē creuisse? Multò enim difficilius est quærenti veram Ecclesiam, & veros Pastores, iudicare ac discernere qui tandem in Euangelij pura doctrina conspirent (maximè in tot hodie sectis adeò non conspirantibus, vt in qualibet secta ipsi inter se sectarij digladientur) quàm talem Ecclesiam cognoscere, qualem in Scripturis Christus promisit, nempe toto orbe diffusam, & perpetuò in terris existentem. *Nota Ecclesia Caluiniana penitus incerta.*

Cæterum hanc suam notam & probare Caluinus vult, & non difficilem ostendere. Expendamus an id efficere queat. Probare eam vult à Christi authoritate sanè maxima. *Hac* (inquit) *ratione hortatur Christus suos discipulos, vt se ab incredula totius gentis multitudine separent, ne impijs Sacerdotibus regendos se permittant, nec sibi fucum ex vanis & ventosis nominibus fieri sinant.* Vbi aut quibus verbis hoc hortatur? Aduerte perpetuā audacis hæretici impietatem. Christo affingit quicquid à Christo dici vellet. Sui cerebri commentum pro Dei verbo obtrudit. Et vide quàm artificiosè fingat. *Hortatur* (inquit) *Christus discipulos suos, vt se ab incredula totius gentis multitudine separent.* Tu iam intellige, non dissimiliter à tota Papistarum multitudine, vtcunque non vnam sed multas gentes occupet, separari te debere. *Hortatur ne impijs sacerdotibus regendos se permittant.* Tu iam intellige, nec Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotibus ac Episcopis regendum te permittere. *Hortatur ne ex vanis & ventosis nominibus fucum* *Caluinus Christo affingit quod à Christo dici vellet.*

sibi fieri sinant. Tu iam intellige, cauendum tibi ne vlla Pastorum, Episcoporum, Conciliorum vocabula te moueant. Sed tota hæc triplex adhortatio in fumum eúmque fœtidum & malè olentem euanescit; quia ad hæc omnia nō Christus sed Caluinus hortatur: nec Redemptoris nostri sed execrabilis impostoris hæc verba sunt. Deficit igitur probātio, & non nisi turpem infamiam impostoris, impij & mendacis Magistri, ex ea consequutus Caluinus est. Nunc vt notam, quam designauit facilem esse doceat, aduertamus.

Tractans illa Christi verba, *Oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius: Notanda est* (inquit) *ratio cur dicantur oues sequi: quia scilicet Pastores à lupis discernere nouerunt ipsa voce. Hic est spiritus discretionis quo electi Dei veritatem à falsis hominum figmentis dijudicant. Ergo in Christi ouibus precedit veri notitia: deinde accedit serium obsequendi studium, vt non modo intelligant quid verum sit, sed etiam ex cordis affectu recipiant.* Hæc est resolutio Caluiniana, planè absurda & impia, vt aliis in locis demonstrauimus. Sed hîc pauca. *Oues sequuntur pastorem, quia nouerunt vocem eius*, à communi & recepta fide, quam dudum didicerunt, & quam in eius voce agnoscunt. Non enim hîc de ouibus in caulas colligendis Christus disputat, sed de iam collectis ouibus & sub Pastore in ouili constitutis. Isti cognoscunt vocem Pastoris à communi doctrina, sicuti non cognoscunt vocem alienorum à doctrina aliena & peregrina. Quando audiunt docentem *aliter quàm acceperunt, anathema dicunt.* Quando audiunt *non afferentem doctrinam illis traditam, nec Aue illi dicunt*, sed fugiunt ab eo. Hic est spiritus non discretionis, quo soli valent Pastores & Doctores, qui *exercitatos habent sensus in Scripturis*, qui sunt *prudentes patresfamilias, scientes dare triticum in mensura*, qui quum *spirituales* sint, *dijudicant omnia*; sed hic est spiritus obedientiæ, quo *Præpositis suis obediunt & subiacent*; est spiritus fidei, quo electi donati, non ipsi veritatem à falsitate diiudicant, quasi *omnes Prophetæ, omnes Doctores* essent, sed obsequenter credant, quod Pastores docent; scientes Christum in Pastoribus suis loqui, & se Christum audire quando Pastores audiunt. Non ergo in Christi ouibus *præcedit veri notitia, ac deinde accedit obsequendi studium* (vt mentitur Caluinus) sed contrà in Christi ouibus præcedit obedientia, vt sic veri notitiam consequantur. *Fides* enim *ex auditu* prædicātis Ecclesiæ, (*quomodo enim credent sine prædicante?*) vt postquam audiendo Ecclesiam cre-

De Princip. fid. lib. 5. & contra Vvhitakerum lib. 3. cap. 15. sect. 17.

Gal. 1.

2. Ioan. 1.

Heb. 5.

Luc. 12.

1. Cor. 3.

Heb. 13.

1. Cor. 12.

Rom. 10.

credunt, tum demum veri notitiam consequantur. *Fides enim præcedere debet intellectum* (ait Augustinus) *vt intellectus sit fidei præmium* Ita omnia inuertit Caluinus: & quia ad hæresim non fidem, ad sectas non ad vnam veram Catholicam Ecclesiam, lectorem trahit, ideò ea via procedit qua fiunt hæretici, non qua iuxta ordinem à Christo institutum fiunt credentes & veri discipuli Christi. Ordo Christi hic est, vt à Pastoribus accipiatur doctrina, & ex Pastorum iudicio pendeant oues. Caluinus contrà ex doctrina vult cognosci à populo Pastores, vt ex ouium iudicio ac veri notitia quam ex proprio discretionis spiritu quisque habet, tota Pastorum authoritas & tota veræ Ecclesiæ notitia dependeat. Sic ab vnitate Ecclesiæ lectores diuellere hoc loco satagit. *De verb. Domini serm. 5.*

16. *Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.*

VEniente in mundum Christo, duo erant ouilia gregis Dominici: vnum speciale & notissimum, Synagoga Iudaica; speciale, quia de venturo Messia expressam fidem habebat, præcepta quoque ceremonialia & iudicialia à Deo tradita, & eloquia Dei illi concredita; notissimum, propter religionis amplitudinem & perfectionem, vnde *notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius*, & propter accepta Dei beneficia *peculium Dei* (*non enim fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis,*) alterum Ecclesia Gentium toto orbe dispersa, quæ propter raritatem & paucitatem ouilis, *mulier sterilis & deserta* in Scripturis vocatur: vbi tamen aliqui erant ad ouile Dei pertinentes, vt Iethro Madianita, Iob cum tota familia sua, Sibyllæ, & huiusmodi, qui in vnius Dei fide & in mandatorum moralium obseruatione cum Synagoga conueniebant, sed ad externum cultum quod attinet, iuxta legem naturæ certis & indefinitis sacrificiis (vt patet in Iob) Deo seruiebant. Qua de re vide latè disputantem August. Nunc autem dicit Christus quòd hæc duo ouilia vnum fient ouile; quod postea aliis verbis Euāgelista dixit, *Christum moriturum non solùm pro gente Iudaica, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum:* & Paulus significauit dicens de Christo: *Qui fecit vtraque vnum, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, euangelizans pacem ijs qui longè fuerunt, & ijs qui propè.* Addit porrò Christus non solùm fore vnū ouile, sed & fore vnum Pastorem, id est, non solùm vnam vniuersalē Catholicā Ecclesiam,

Psal. 76. *Psal. 147.* *Esai. 54.* *De Ciuit. Dei lib. 18. cap. 47. & de præd. sanct. c. 9.* *Ioan. 11.* *Ephes. 2.* *Vnus supremus Pastor in Ecclesia.*

Rom. 2. in qua non erit *distinctio Iudæi & Græci*, non solùm vnum populum, vnam fidem, vnicam religionem, eadem Sacramenta, vnum sacrificium (hæc enim constituunt vnum ouile) sed etiam vnum caput religionis, & vnicum supremum gubernatorem, visibilem & præsentem, qui visibilem & militantem Ecclesiam regat. Sicut enim de ouili visibili & militante Christus hîc loquitur; sic & de vno Pastore seu capite visibili ac militante perpetuò futuro, non de se ad Patrem redituro ac in cælis triumphante, loqui necessariò intelligendus est. Hac de causa post resurrectionem suam, quo tempore hoc ouile colligi debuit per Apostolorum prædicationem in vniuerso mundo, eodem tempore vnum pastorem
Ioan. 21. omnibus præfecit, dicens Petro singulariter, *Pasce oues meas.* Sic in alia Scriptura, vbi hæc vnius ouilis collectio manifestè
Ezech. 37. prædicitur his verbis, *Assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel* (quæ verba Theodoretus his Christi verbis, quæ nunc tractamus, eruditè & verè applicat, nam & alioqui decem tribus cum aliis duabus nunquam iterum sub vno Rege coaluerunt) addit quoque Propheta, *Et Rex vnus erit omnibus imperans.* Hic est vnus Pastor visibilis ac supremus, non ipse Deus, qui manente diuisione Synagogæ & Ecclesiæ Gentium, vnus semper vtrique imperabat, quatenus vnius Dei fidem & mandata vtrumque ouile obseruabat. Sic huius contextus litera bene & diligenter perpensa, non secus vnum totius Ecclesiæ caput visibile quàm vnum corpus visibile efficaciter probat.

Atqui non id admittit Caluinus. *Obserua* (inquit) *modum quo grex Dei colligitur. Nempe quum vnus est omnium Pastor, & vox eius auditur. Qua verba significant, vbi subest vni Christo Ecclesia, eius imperio paret, doctrinæq; auscultat, tunc demum ritè compositum eius esse statum.* Sed non esse hunc totum & plenum verborum Christi sensum, præcedentia monstrarunt. Agit Christus de vno Pastore qui vnum ouile regat, sicut antea duo ouilia varios habebant Pastores; Synagoga vnum certum summum Pontificem (quæ in hoc quoque Ecclesiam Gentium excellebat) Ecclesia Gentium toto orbe dispersa varios & incertos fidei magistros. Denique visibilis Ecclesiæ tam Iudæorum quàm Gentium in vnum visibile ouile colligendæ vnum fore visibilem Pastorem docet. Ezechiel Propheta de eodem vno super totum ouile visibili

Pastore

Pastore prædixit. Christus vnum huiusmodi Petrum constituit. Tum de eo quod futurũ est Christus loquitur, *Fiet vnum ouile, & fiet vnus Pastor.* At ante Christum incarnatum Christus, vt Deus, fuit caput totius Ecclesiæ, & vtrunque ouile habuit semper vnum Pastorem Deum, in quem vtrumque credebat, & cuius mandatis vtrumque obtemperabat. Tandem Christus est vnus Pastor omniũ, vóxque eius auditur, quatenus per visibiles Pastores Ecclesiæ suæ datos pascit, & in illis auditur. *Qui vos audit, me audit. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Pasce oues meas.* Nunc Caluinus, cum cæteris hæreticis, Christi vocem audire volunt non per eos loquentem per quos loqui & se audiri voluit, sed in scripto verbo prout illi volunt intellecto loquentem: hoc est, ita loquentem sicut illi eum loqui volunt. Quum enim non nisi in scripto verbo loquentem Christum audiunt, hoc autem scriptum verbum ita illis sonabit sicut ipsimet pro suo quisque cerebro variè, differenter, ac repugnanter exponunt, sequitur vt non Christum sed seipsos audiant; & sub prætextu audiendi vnum Christum, Ecclesiæ vocem artificiosè reiiciant, per quam solam Christus loquitur, quæ sola verbum scriptum & totam vocem sponsi sui optimè nouit atque intelligit. Tunc igitur ouilis Dominici status ritè erit cõpositus, quando vni quidem Christo subest Ecclesia, id est, populus credentium, sed per eos in Ecclesia loquenti quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiã suam, eiúsque sic loquentis imperio paret, doctrinæque auscultat: non quando reiecta voce vnius supremi Pastoris & aliorum in Ecclesia Pastorum vni Christo in verbo scripto loquenti subest, paret, & auscultat. Sic enim non Christo obeditur, sed variis opinionũ idolis, quæ ex verbo scripto quisque sibi hæreticus fabricat. Ex vno illo verbo, *Hoc est corpus meum*, ferè centum idola horum temporũ hæretici sibi finxerunt: nec ibi subesse Christo volunt, aut vocem eius audire, sed in mille formas verba eius torquere, lacerare, dilaniare, & quiduis potius credere, quàm quod vox illa Christi disertissimè sonat. Imò *ne Christi verbis superstitiosè affixi simus*, omnibus modis contendit impostor Caluinus, vt suprà accepimus. Eadem & hîc vsus impostura, ad vnius Christi vocem specioso & fallaci prætextu lectorem pellicit. Quo blandimento hypocritico vsus, quasi nihil sanctius dici posset, ita mox contra nos inuehitur. *Si quid tale apud se nobis Papistæ obtendant, fiuantur quo tantopere superbiunt Ecclesiæ titulo. Si verò illic silet Christus,*

Luc. 10. *Matth 16.* *Ioan. 21.*

Hæretici seipsos audiunt.

Ad Matt. cap. 26.

pedibus calcatur eius maiestas, ludibrio habentur sacra eius instituta, quid aliud est eorum vnitas quàm diabolica conspiratio, qua omni dissipatione peior est ac magis execranda? Proinde meminerimus semper à capite sumendum esse exordium. Hæc in genere declamatio facilè totidem verbis in Caluinū ac suos retorquetur. Si quid tale Caluinistæ obtenderent, si loquentem per Ecclesiæ vocem Christum agnoscerent, non iniuria vni Christo se subesse, eiúsque vocem se audire profiterētur. Si verò illic silet Christus, auditur Caluinus, auditur Bucerus, Lutherus, & alij quos tacere oportuit ab Christi corpore præcisos; si pedibus conculcatur Christi maiestas, eiúsque sacratissima verba indignissimum in modum lacerantur, torquentur, eculeo subiiciuntur; si ludibrio habentur sacra eius instituta, imprimis venerabilis Eucharistia ad prophanam cœnulā redacta; quid aliud est tota hæc Caluini hypocritica professio, *vni Christo subesse Ecclesiam, eius vnius vocem audiendam, ei vni parendum & auscultandum*, quam hominum rebellium nefaria conspiratio, qui sub prætextu obedientiæ vni Regi præstandæ, locales suos magistratus è gradu deiiciunt; & eorum excusso iugo, in eundem se locum intrudunt, vociferantes se Regis causam agere, se vni Regi parere. *Proinde meminerimus sic à capite sumendum exordium*, vt nec in ciuilibus Regi subordinati duces sua authoritate excidant, nec in sacris Pastores à Christo capite instituti legitimi sua potestate priuentur: sed tūc demū siue Regi in ciuilibus, siue Christo capiti in tota sacra doctrina sacrísque eius institutis nos verè subesse, parere, auscultare, quādo tum ducibus à Rege missis, tum Pastoribus, Doctoribus, & vni maximè Petro a Christo ad pascendam & regendam Ecclesiam suam datis, subesse non recusamus, quando eorum vocem audimus, illis paremus & auscultamus.

Schismatis Caluiniani defensio retexitur.

Subiungit adhuc aliquid de veteris testamenti Prophetis, vt figmentum suum probabile efficiat. *Vnde & Propheta* (inquit) *quum Ecclesia instaurationem describunt, semper Dauidem Regem adiungunt Deo: ac si dicerent, neque Ecclesiam esse vbi non regnat Deus, neque extare regnum Dei, nisi vbi Pastoris honos Christo defertur.* Quòd Prophetæ semper Dauidem Regem adiungunt Deo, contra Caluinum luculenter probat, in causa religionis semper esse Ecclesiam adiungendam Christo, quia neque auditur Christus nisi per Ecclesiam, neque extare regnum Christi potest nisi vbi illis honos defertur, quos ille in honore esse voluit, nisi vbi illi audiuntur,

Ecclesia vox & authoritas necessaria.

quos

quos ille audiri iussit, nisi vbi illis obeditur, quibus ille obedire suos voluit. Caluinus artificiosè totum aut inuertit aut obscurat. Inuertit dicens, *non esse Ecclesiam vbi non regnat Deus*, quum contrà dici debeat, non regnare Deum vbi non est Ecclesia, in qua & per quam, quo ad doctrinæ magisterium, Deus regnat. Per Ecclesiam quippe Deus cognoscitur, & Christus eius, & quicquid ad fidem pertinet: non autem per Deum immediatè & per se loquentem cognoscitur Ecclesia, aut aliquid aliud de fide. Non cognoscitur, inquam, ordinario cognoscendi modo, quem Christus instituit. Rursum obscurat veritatem Caluinus, dicens, *non extare regnum Dei nisi vbi Pastoris honos Christo defertur.* Obscurat inquam, veritatem, quia totum non dicit. Vt enim regnum Dei extet, non satis est Pastoris honorem Christo deferri, tametsi Princeps Pastorum sit, imò quia princeps Pastorum est, & alios Ecclesiæ suæ Pastores dedit, ideoque *vt regant Ecclesiam Christi sanguine acquisitam, quibus etiā obedire & subiacere oportet*, debet præterea & aliis quoque Pastoribus honor deferri, quod qui facere detrectat, Christo iniuriam irrogat, dicenti, *Qui vos spernit, me spernit.* Quod autem de Prophetis Ecclesiam instaurantibus, quibus se ac suos similes esse Caluinus vult, iterum hoc loco suggerit Caluinus, in alio loco explicatum & refutatum dedimus. Manet ergo sana ac firma Christi sententia, *Vnum fore ouile, & vnum Pastorem*, propter vnum primarium in pascendo vicarium, qui pariter cum aliis à Christo datis Pastoribus vnum istud ouile perpetuò pascat ac regat.

Act. 20. Heb. 13.

Luc. 10.

Suprà ad Ioan. cap. 7. ver. 48.

26. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

HOrum verborum intelligentia quam tradidit S August. tract. 48. in hunc locum, videlicet, *idcirco hos Iudæos non credidisse, quia de numero electorum non erant*, nisi dexterè accommodetur, erroris causam dare, & hæresi Caluinianæ patrocinati videbitur. Docet enim Caluinus solos electos fidei donum accipere, & reprobos nunquam credere; ac nec posse credere, non solùm quia efficaciter non vocantur, sed quia nec vocantur à Deo. Sic vniuersalem vocationem negat *Si* (inquit) *diceret Scriptura Euangelium malignè & peruersè cōtemni, quia audire pertinaciter multi recusant, valeret fortè hic color de vniuersali vocatione.* Negat ergo Caluinus causam contempti Euangelij esse hominum pertinaciam credere

Institut. lib. 3. c. 2. num. 10.

nolentium, & causam esse vult, quia Deus eos non vocat, sed solos electos. Hanc suam sententiam ex his Christi verbis eodem loco confirmat. Cæterùm quum passim Scripturæ demonstrent innumeros vocari à Deo qui non conuertuntur (quod multis exemplis ipse Caluinus alibi demonstrat lib. eodem cap. 24. num. 13.) nec minus constet multos efficaciter à Deo vocari, conuerti, & credere, qui tamen electi non fuerunt, sed à gratia postea exciderunt (quam vnam ob causam ad perseuerantiam tot hortantur Scripturæ, nec credentibus simpliciter, sed perseuerantibus in fide vitam æternam promittunt) neque vniuersalis vocatio propter discretionem specialis gratiæ neganda est, nec ipsa specialis gratia vocationis efficacis ad solos electos restringenda est. Vnde etiam constat, causam adæquatam, plenam, & propriã, cur Iudæi Christo non crediderint, hanc esse non posse, quia de electis Christi ouibus non erant, sed propriam causam fuisse, quia vocem Christi audire noluerunt. Sic enim Christus probat illos non fuisse de ouibus suis, *quia oues* (inquit) *meæ vocem meam audiunt*, pulsanti mihi aperiunt, præuenienti gratiæ meæ obsequuntur, hoc vos non facitis. Sic non esse vos oues meas ipsi vestra incredulitate ostenditis. Est ergo Christi demonstratio à posteriori, siue ab effectu Ab ipsa videlicet eorum incredulitate iam per experientiam diuturna & notabili, non ab ipsa reprobatione, probat eos non esse de ouibus suis. Sic alibi D Ioannes. *In hoc cognoscimus Spiritum veritatis & spiritum erroris: quòd ille audit nos, hic non audit.* Hæc igitur Christi verba nec ad omnes non credentes diriguntur (quasi hæc consequentia esset semper firma, Isti non credunt, ergo sunt reprobi, poterunt quippe adhuc postea credere, sicut Saul diu Christo incredulus, adeóque credentium persecutor, postea tamen credidit) sed ad solos obstinatos Iudæos eorúmque similes dirigitur, nec quamlibet incredulitatem notant, sed singularem, & cum magna ac diuturna pertinacia coniunctam. Et sic post longam & infructuosam prædicationem poterit non improbabiliter de incredulis dici, Isti non credunt, quia non sunt de ouibus Christi: id est, ostendunt sua pertinaci incredulitate quia non sunt de numero ouium Christi. Tales enim audiunt vocem Christi, & obsequuntur Ecclesiæ docenti, quam qui audit, Christum audit.

Reprobatio non est propria causa cur quidã non credũt.

1. Ioan. 4.

Illud quoque in hac sententia tenendum est, Christum non excludere à numero ouium suarum nisi eos qui sua propria culpa & malitia oues Christi esse nolunt. Quod ipse Caluinus hoc

hoc loco sibiipsi in loco citato contrarius dissimulare non potuit. Ait enim *causam incredulitatis non residere in Deo, quia homines non nisi voluntaria malitia gratiam reyciunt.* Sic illa consequentia reiicienda est, Ille non credit, quia non est prædestinatus: & vera consequentia hæc est, Ille non credit, quia non vult credere, sed Dei gratiam voluntaria malitia reiecit. In his igitur verbis, *Quia non estis de ouibus meis*, intelligendum necessariò, quia vestra culpa & proprio demerito non estis de ouibus meis. Hoc suprà aliis verbis apertius expressit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* id est, Dei voluntatem non facitis, sed diaboli, vnde prius dixerat: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Vtrobique docet Christus ideo Iudæos non credidisse, quia homines impij & pertinaces erant, ex patre diabolo non ex Deo, ideóque non ex ouibus eius sed ex hœdis & diaboli grege. Hic est horum verborum germanus, plenus, & orthodoxus intellectus. Cap. 8.

28. *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Colligit ex hoc loco Caluinus, semel Christo per fidem incorporatos, à salute excidere non posse. *Incomparabilis* (inquit) *fructus hic fidei est, quòd certos ac securos esse nos iubet Christus, quũ fide in suum ouile sumus aggregati,* & paulò pòst: *Insignis locus, quo docemur non minus certam esse electorum salutem, quàm inuicta est Dei potentia.* Inter has duas Caluini propositiones magnum discrimen est. Posterior quippe propositio vera omnino est, & illa ipsa quam Christus hîc docet, *de ouibus suis*, id est, de electis suis loquens, *quæ audiunt vocem eius, & ille cognoscit eas, ipsæ quoque sequũtur eum.* Tales oues, tales electos, nemo rapiet de manu Christi. Quia nimirum perpetuus eorum custos, adiutor ac defensor Christus est. *Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormẽtum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Habet quidem diabolus varias nocendi artes, habet & mundus: ab vna quidem parte tyrannos armatos, præfectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, virgas, secures, eculeos, exilia, mortes (quæ omnia & singula tormenta experti sunt hodie Sancti in persecutione Anglicana) & quicquid præterea constantibus animis terrorem solet immittere. Habet ab altera parte voluptates, honores, dignitates, & quicqnid animos

Cõtra certitudinem gratiæ ex sola fide.

Sap. 3.

quamlibet incorruptos solet corrumpere De qua mundi corruptela ait quædam Scriptura: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima:* quod alibi latiùs exposuimus. Sed contra hæc omnia, & alia quæcunque electorum saluti insidiantia, stat *turris fortissima, nomen Domini,* & quòd Christus hîc dicit, *Nemo rapiet eas de manu mea.* Itaque posterior Caluini propositio verissima est, & præsenti Euangelio conformis. Sed verò prior Caluini propositio nec cum Christi hoc loco verbis, nec cum tota Euangelica doctrina aliquid commune habet. Nec Christus hîc docet, nec vlla Scriptura affirmat, fidei hunc fructum esse, quòd semel Christo per fidem aggregati certi ac securi esse iubeantur. Imò vna illa Scriptura Apostolica manifestè contrarium docet, qua Paulus Gentiles credentes alloquens dicit: *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time.* Si timere debet qui fide stat, certè cum illa sua fide, qua stat, securus & certus esse non potest. Quid enim securitati magis repugnat quàm timor? Sed quare timere debet? Audiamus Apostolum. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* id est, Si Deus populo Iudaico, qui semel stetit, & propter carnalem propagationem de semine credentis Abrahæ, quædámque fidei principia, & eloquia Dei apud illos deposita, in propinqua potentia ad firmiter standum, Christóque venienti credendum erat (vt sapienter disserit August.) tamen propter incredulitatem non pepercit, vide ne & tibi, vtcunque iam *insertus in oliuam es* per fidem, & *socius radicis ac pinguedinis factus,* id est, omnis diuinæ gratiæ particeps quæ Christo per fidem incorporatis dari solet, propter tuam quoque incredulitatem, si in eam incideris, Deus quoque non parcat. Si enim illi *propter incredulitatem fracti sunt,* tu, qui iam fide stas, *noli altum sapere,* noli tibi hoc nomine placere, noli aliis iacentibus insultare, *sed time,* id est, iterum atque iterũ caue, ne & tu excidas à fide, ac propter incredulitatem frangaris. *Vide ergo* (ait Paulus hanc causam studiosissimè persequens) *bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excidéris.* Quid clarius, quid disertius contra Caluini hoc loco paradoxum, omniúmque hodie hæreticorum communem cum eo in hac parte dementiam, dici aut disputari potuit? Dicit Caluinus: *Qui fide in Christi ouile aggregatus est, certũ ac securũ esse iubet Christus.* Dicit Paulus: *Qui fide stat,* (quod plus est, quàm fide aggregatũ esse) *timeat ne & ille excidatur.* An Paulus Christo cõtrarius est? An facilius

Esai. 38. *In Propt. Moral.* *Rom. 11.* *De doct. Christ. lib. 3. cap. 6.* *Caluinus Paulo cõtradicit.*

lius non est Caluinum mentiri, quàm Paulum Christo contrarium esse?

Atqui Christus dicit de ouibus suis: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Dicit hoc quidem Christus, sed de illis ouibus suis quæ per electionem & prædestinationem æternam tales sunt: non de omnibus Christi ouibus *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis* recedunt, *qui fide stant*, & adhuc *à fide excidere possunt.* Sunt oues Christi, veri credentes, veri coram Deo iusti, & iustificati, & sanctificati, qui postea desinunt esse tales. Non credit quidem hoc Caluinus, & quia certitudinem gratiæ & salutis, quæ ex fide talis sit, ponere vult, talis autem certitudo constare nobis in hac vita non potest, nisi ex fide semel accepta constet (fides enim Caluinica & firma persuasio diuinæ beneuolentiæ ita concipi potest, vt de ea concepta constare videatur) vult omnino hanc fidem semel acceptam excidere non posse, sed ex ea eiúsque beneficio certos ac securos nos esse debere. Sed contradicit illi Apostolus, qui iubet timere; & hoc ipsum timere, *ne & tu excidaris*; & propter hoc ipsum timere, quia fidem deserere aut abiicere quilibet potest. Ait enim: *Si permanseris in bonitate.* Ex quo verbo duo sequuntur. Primùm quòd bonus erat cui loquitur, deinde quòd ab ea bonitate excidere potuit. Neque enim permanet in bonitate nisi qui prius bonus fuit: neque dici alicui nisi admodum ridiculè potest, *Si permanseris*, qui cadere omnino non potest. An dici iam Sanctis in cælo regnantibus nisi admodum ridiculè potest, Videte in vobis bonitatem Dei, si permanseritis in bonitate, alioquin & vos excidemini? Caluinus enim & tota secta Caluiniana tantam in illis, qui semel fidem acceperunt, salutis certitudinem ponunt, vt de ea accepta nunquam excidere queant, non magis sanè quàm beati in cælo de accepta beatitudine. Voluit enim hanc certitudinem de fide esse. Fidei verò tanta certitudo est, vt non solùm falsum illi non subsit, sed nec subesse possit; non solùm non fallat, sed nec fallere queat: ideóque de quo ex fide certi sumus tam certi & securi de eo sumus, quã de sua beatitudine beati in cælo. Hoc suum insanum paradoxum Caluinus, quod in Institutione sua longa disputatione stabilire conatur (quam olim ex parte refutauimus) ex his Christi verbis confirmare voluit: *Oues meas nemo rapiet de manu mea:* quæ verba de solis electis intelligenda sunt, non de quibuscunque & omnibus Christi ouibus: inter quas multæ sunt quæ ex propria incredulitate, excidentes à prima fide

Verborum Christi explicatio.

Matth. 8.

De iustificat. lib. 8. cap. 24. & seqq.

in qua ſtabant, rapi ſe à diabolo paſſæ ſunt, vt iam ex Apoſtolo oſtendimus.

Oues electa vnde conſtare poſſunt. Qui autem oues electæ ſint, qui nō ſint, non ex fide ſemel accepta iudicari debere, ſed ex fidei perſeuerantia conſtare oportere, tum Apoſtolus in verbis citatis, tum Chriſtus apertè docuit, dicens: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* *Matt.24.* Hæc autem perſeuerantia vſque ad curſum conſummatum omnes latet, tam electos quàm reprobos. Propter hoc dicitur. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* *1.Cor.10.* Propter hoc ait etiam ipſis electis Apoſtolus. *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.* *Philip.4.* Quis enim dubitat, quin inter Philippenſes, ad quos ſcribit, aliqui electi fuerint? Propter hoc rurſum ad Hebræos idem ait Apoſtolus. *Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe.* *Hebr.4.* Hortatur ne quum Iudæi per incredulitatem perierint in deſerto, nec in terram promiſſionis introire potuerint, vt nos quoque timeamus & ſoliciti ſimus (quod Caluinianæ ſecuritati ex diametro contrarium eſt) ne *relicta*, id eſt, neglecta & obliuioni tradita vitæ cæleſtis *promiſſione, exiſtimetur aliquis deeſſe*, id eſt, ita ſe gerat vt videatur deficere aut defecturus in via. *2.Petr.1.* Hanc enim ob cauſam dixit B. Petrus eodem Spiritu quo Paulus: *Cui præſto non ſunt hæc*, id eſt, qui cum fide & cognitione Chriſti varias illas virtutes non habet quas ibi enumerauerat, *cæcus eſt, & manu tentans*, id eſt, verè adhuc Chriſtum neſcit, per incerta & vaga ſeu mundi ſeu carnis deſideria ambulans, *obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum*, id eſt, accepti in baptiſmo beneficij, & hæreditatis cæleſtis, in quam ibi adoptatus fuit, penitus oblitus. *Quapropter, fratres, magis ſatagite*, id eſt, in hoc imprimis & diligenter incumbite, *vt per bona opera*, fidei & vocationi veſtræ adiuncta, *certam veſtram vocationem & electionem faciatis*, id eſt, vobis ipſis & aliis quaſi certum & firmum appareat, vos à Deo ad fidem vocatos, & ad gloriam electos eſſe. *Matt.22.* Nam & *inter multos verè vocatos pauci electi*, & ipſa aliquando vocatio non niſi ficta & hypocritica fuit. Sed bonorum operum ſtudium fidei adiunctum vtrique certitudinem adfert: ſtudium inquam, perſeueranter adhibitum, vt aliæ ſcripturæ docent. De qua perſeuerātia quum nemo adhuc in curſu ſuo certus ac ſecurus eſſe poſſit, impiè affirmant hæretici, & hoc loco Caluinus, *ſolius fidei hunc fructum eſſe, vt illa nos certos ac ſecuros reddat.*

Subiungit paulò pòſt, non tam contra Catholicos hodie, quàm

quàm contra doctrinam Apostolicam iam prolatam, & ait: *Hinc etiam colligimus, quàm insana sit Papistarum fiducia, quæ in liberum arbitrium, in virtutem propriam, & operum merita recumbit.* Vocat nefarius impostor *liberum arbitrium, & virtutem propriam*, quæ nec liberi arbitrij solius nec virtutis propriæ opera, sed liberi arbitrij diuina gratia adiuti, & virtutis non humanæ, sed diuinæ opera sunt. Talia bona opera, & talium operum merita ponunt Catholici. Nec tamen sic ponunt, *vt in illa recumbant*, quod iterum impostor mendax affirmat, sed vt iuxta D. Petrum *per bona opera certam suam vocationem & electionem faciant*. Non confidunt in meritis Catholici, sed *in Domino cōfidunt, qui operatur in illis & velle & operari pro bona ipsius voluntate*, sanctóque beneplacito. Insanam illam fiduciam qua in solam fidem recūbit Caluinus, & quam ex hoc Euangelio, veluti ex dulci flore venenū, haurire voluit, Scripturæ à nobis citatæ luculenter refutarūt.

Impostura mendax & duplex.

2. Petr. 1.

Philip. 2.

Imò si rectè aduertimus, in hoc quoque Euangelio Christus illam refutat. Ait enim de ouibus suis. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Audire Christum hoc loco est ei credere & obedire. Alioqui audiebant illi externo auditu, qui oues eius non erant. Has oues cognoscit Christus, id est, amat & gratos habet. Istæ quoque oues sequuntur Christum: id est, mandatis eius obediunt. *Qui enim sequitur me* (ait alibi Christus) *non ambulat in tenebris*, id est, non facit opera tenebrarum, quæ sunt opera diaboli principis tenebrarū. Aliud enim est, esse in tenebris, quod illorum est qui Deum ignorāt, & fide certa carent: aliud ambulare in tenebris, quod operationē significat malam & impiam. *Qui enim malè agit, odit lucem*; amat tenebras, & ambulat in tenebris. Qui autem oues Christi sunt, & sequuntur illum, tanquam *filij lucis ambulant in dilectione: fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia & veritate. Abijciunt opera tenebrarum, & induunt arma lucis, sicut in die honestè ambulantes.* Oues igitur Christi & sequentes illū optimè sciunt, non ex sola fide certos & securos de salute se esse posse, sed totius vitę puritatem præterea etiam amplectendam, vt *si cor eorum eos non reprehenderit, habeant fiduciam apud Deum.* Non satis habent fide fuisse aggregatos ad Christum, vt securi sint de salute, sed ad tantam fiduciam concipiendam, se qui se Christum debere, opera tenebrarum fugere, cor irreprehensibile habere, *ambulare in iustificationibus Domini sine querela*, optimè norunt. Neque ita tamen certos & securos de fide,

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Ephes. 5.

Rom. 14.

1. Ioan. 3.

Luc. 2.

fide, sed fiduciam bona spe plenam concipere se posse ex Scripturis didicerunt. *Domus Christi sumus nos* (ait Paulus) id est, ad Christi ouile pertinemus, si *fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.* Sed hæc fiducia & gloria spei in quo fundetur, paulò pòst aperit dicēs: *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substātiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.* Neque verò hæc eò tantùm dicta sunt, vt tanquam boni filij Deum patrem non offendamus, nósque non ingratos acceptis beneficiis demonstremus, per quā rimam elabi conatur Caluinus; sed præterea, ne Deum patrem offendentes à salute promissa vel etiā dari cœpta excidamus. Quod his verbis D. Petrus docet, *Si Patrem inuocatis Deum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini.* Docet Deum Patrem non secus filios castigare quàm seruos, & à prima vocatione relapsos sine acceptione personarum iudicare, ideóque cum timore diuini iudicij in hac peregrinatione nostra viuendum esse. Hæc omnia fiduciam Caluinianam, quam ex hoc Euangelio stabilire voluit, penitus subuertunt.

Hebr. 3.

Instit. lib. 3. cap 2. num 26.

1. Petr. 1.

Certitudinis Caluiniana impietas.

Cap. 4. sect 20.

Et videte quàm hæc Caluiniana doctrina scelerata & impia est. Theodorus Beza, Caluini Geneuæ successor, in sua fidei confessione, quam vocat, ita scribit: *Affirmo eum qui vel semel tota sua vita senserit certum veræ fidei testimonium, securum esse debere de ea non modò permanente, sed etiam permansura ad finem vsque, tum quoque quum ea tempora inciderint, quibus abesse penitus veræ fidei testimoniū videatur.* Hæc ille. Veræ fidei testimonium vocat, bona opera sanctificationis nostræ per Spiritus sancti effectus. Hoc testimonium penitus abesse censet, quando in horrenda peccata incidunt electi, sicut Dauid adulterium atque homicidium perpetrans, ac Petrus Christum negans, quos pro exemplo in medium adfert, & ait illos, *quum sic fœdissimè lapsi essent, incubuisse veluti anchoræ illi testimonio quod Spiritus sanctus testabatur ipsorum spiritui: eos nimirum quamuis fœdissimè lapsos, tamen in numero filiorum Dei censeri, ac proinde remissa esse illis peccata.* Hæc ille ibidem. Hæc est ergo fides & fiducia Caluiniana; vt certus & securus sis te ouem esse Christi, & ex numero electorum, quos nemo rapiet de manu eius, satis esse, si semel in tota vita veræ fidei testimonium, videlicet bonum aliquod opus & sanctificationis effectum in teipso sentias; talis enim vera fides, qua sola iustificaris, ad finem vsque permanebit,

Beza doctrina execrabiliter impia.

nebit,etiam tùm quando fœdissimè lapsus fueris. Adhuc enim testabitur tuo spiritui Spiritus sanctus, quia semel hoc testatus est, te esse filium Dei, & proinde remissa tibi esse peccata. An vlla esse potest magis epicurea, magis impia, & athea sententia quàm hæc est? Si enim vel semel in tota vita cum recta in Christum fide, eiúsque erga te beneficia ac promissiones suauiter recolens, aliquod opus bonum ac sanctum præstiteris, putà semel orationem Dominicam deuotè recitaueris, aut vnam pauperi eleemosynam propter amorem Christi erogaueris, omnia tibi salua ac tuta sunt, nisi salua esse possunt. Tametsi cum Dauide adulteres, aut cum Petro Christum neges, aut cum Beza Candidam simul & Audebertulum in tuo sinu foueas, certus es de salute, certus es de remissis tibi peccatis, certus es te esse filium Dei, & hoc Spiritus sanctus tuo spiritui testatur. Te adulterum Spiritus sanctus filium Dei esse dicit. Te Christum negantem Spiritus sanctus filium Dei esse dicit. Nec gemitus Dauidis, nec lacrymæ Petri necessariæ tibi sunt. Semel fuisti filius Dei per fidem & Spiritum sanctificantem. Dubitare non debes, quin huiusmodi semper permaneas, etiam fœdissimè lapsus. Hoc certè iam nō mysterium iniquitatis est, sed voces illius sunt qui hoc mysterium operatur, qui *homo peccati & filius perditionis* ab Apostolo vocatur, voces Antichristi sunt. Quid enim ille homo peccati ad peccati regnum stabiliendum aptius & accommodatius adferre poterit, quàm hæc doctrina adfert? Quid filius ille perditionis ad perdendas animas efficacius proferet, quàm quod iste Caluinista protulit? *2. Thess. 2.*

Bellis tamen vt sibi videtur similibus doctrinæ suæ turpitudinem fucare, & imprudentis lectoris oculos perstringere conatur. *Qui colligunt* (inquit) *falsam esse fidem nostram, quia certo tempore eius effectus non apparent, perinde argumentantur, ac si quis colligeret nullum esse verum ignem, vbicunque nulla flamma collucet; vel hyeme non viuere arbores, quoniam nec folia, nec fructus edunt.* Atqui non hîc agitur de effectis fidei aliquando non apparentibus, sed de effectibus veræ fidei in sensu Bezæ, id est, fidei cum vitæ sanctitate coniunctæ planè contrariis, eámque penitus tollentibus. Ignis ardere potest sine flamma, sed non ardet extinctus. Arbor in hyeme viuit sine foliis & fructu, sed non viueret si stirpitus euulsa iaceret. Adulter, homicida, abnegans fidem, dum hos actus exercet, Spiritum S. in se penitus extinxit. *Neque enim habitat in corpore subdito peccatis;* est arbor radicitus euulsa, *Vbi suprà.* *Sapient. 1.*

quia

quia charitatem non habens, quę radix salutis est, apud Deum
1.Cor.13. nihil est, dicente Apostolo: *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Deinde non de momentaneo bonorũ operum defectu, aut etiam in graue crimen prolapsu hîc agitur, sed de perpetua (vnico tantùm per totam vitam excepto pietatis actu) flagitiosæ vitæ impuritate. Cum illa enim stare salutẽ posse ac certò stare Beza vult.

Alia adhibet similia non minus inepta, vel insana potius. Nam post illa fœdissima verba primo loco à me citata subiungit. *Neque enim infans recèns natus idcirco non est praditus anima rationis participe, quòd nullum eius vsum, experiatur: neque ebrium hominem dicimus ratione & intelligentia spoliatum, etiamsi neque mens neque pes in eo officium facit: neque vitalis omnis facultas eum deseruit, qui est ad tempus mortuo quàm viuo similior.* Hæc ille, quasi de eo fideli ageretur, qui ab opere bono interdum cessaret, nullum interea crimen perpetrans: in quem tamen nec ista similia per omnia quadrarent, quod latiùs hîc explicare extra propositum esset. Atqui Beza suum electum fidelem qui semel tantùm in vita veræ fidei testimonium in se senserit, nec vt infantem sine vsu rationis fingit, nec vt hominem ebriũ ponit, qui ad tempus nescit quid faciat, nec vt aliquem qui apoplexia tactus mortuo similior quàm viuo ad tempus appareat, describit (nec enim in tota vita tanto stupore suos electos affici dicere volet) sed in suo fideli & electo ponit fœdissimos lapsus, quales Dauid & Petrus perpetrarunt, qui bene vigiles suique compotes ea commiserunt, & quales tota vita homines scelerati committunt, nec veluti ebrij, nec veluti infantes, nec veluti mortui, sed ad actiones impias, quas proferunt, vigilantissimi, astuti, seduli, viuaces. Nec in eis ad tempus, sed per totam vitam (vnico excepto pietatis actu) persistere ponit.

Caluinistæ quales filij Dei. Nempe volunt Caluinistæ electi Dei, quum eos rapere, furari, sacrilegia, rapinas committere videmus, quum scortari, inebriari, occidere, mentiri, fallere, omnem denique siue in Deum impietatem, siue in homines iniustitiam exercere cernimus, vt toto illo tempore eos pro filiis Dei iustis & sanctis coram Deo nihilominus habeamus; ea verò quæ perpetrant, quasi somno cuidam, & apoplexiæ qua correpti interea sunt tribuamus. Lepidi homines dum opera diaboli faciunt, filij Dei esse volunt. Vnum adhuc simile profert Beza quod dissimulandum non est. *Sciant* (inquit) *isti qui hanc doctrinam oppugnant, quasi aditum patefaciat ad peccandi licentiam, se*

non

non aliter id colligere, quàm si dicerent homines instrui ad abstinendum à cibo & potu, vel ad otium instituí, quum certum esse ac præfixum vitæ nostræ terminum affirmamus, qui præteriri non poterit. At verò quàm ista collectio alteri sit dissimilis, statim apparebit. Qui dicit certũ esse cuique vitæ suæ terminum à Deo præstitutum, non docet eum à cibo & potu abstinere, quia media illa nota & necessaria, quum hoc dicit, non tollit. Imò quia terminus cuique talis vitæ est, nec sine cibo & potu transigi vita potest, certum & indubitatum est, eum, qui vitæ terminum præscripsit, pariter factur ũ vt vsque ad illum terminũ alimentum victuro non deficiat. Sic dicunt sanè Catholici, omnes saluandos, ad ipsam salutem ab ipso Deo infallibiliter prædestinari. Sed dum hoc dicunt, pariter docent huius diuinæ prædestinationis effectum non solùm vitam æternam, sed ipsa quoque media esse quibus ad eam peruenitur: nempe fidẽ, charitatem, aliáque pietatis opera, sine quibus vita æterna adultis, & operandi tempus habentibus, non datur. Docent quoque impios in impietate finaliter perseuerantes de numero huiusmodi prædestinatorũ esse non posse. Et ad hanc quidem sanam & orthodoxam doctrinam similitudo à Beza allata optimè quadrat: neque ad peccandi licentiam illa aditum patefacit, sed totius pietatis ac sanctitatis necessitatem in omnibus prædestinatis ponit. At verò Bezana doctrina à simili proposito longissimè abest: & vt in eadem materia maneamus, hæc eius recta & genuina similitudo est. Quemadmodum qui alicui diceret; Charissime, vitæ tuæ terminus à Deo præscriptus est, qui præteriri non poterit; quare siue cibo & potu continuo vtaris, siue non vtaris (modò semel in vita illis vsus fueris) ad illum vitæ terminum certissimè peruenies; iste haud dubiè eum ab abstinentia cibi & potus reuocasse, & interitus corporis, qui inde necessariò sequeretur, causa fuisse, meritò iudicaretur: sic omnino Theodorus Beza & tota schola Caluiniana, quæ sic Christianum alloquitur; Dilecte frater, si vel semel in tota vita tua senseris te vita gratiæ viuere, & veræ fidei testimonium habere, opera videlicet bona, & sanctificationis tuæ fructus, certus sis & securus te illam fidem perpetuò habiturũ vsque ad finem vitæ, ideóque saluandum, vtcunque illius fidei fructus & testimonia per reliquam vitam non appareant; per hanc impiam doctrinam ad peccandi licentiam aditum patefaciunt, & electorum suorum peccata nihil illis ad salutem obesse, quia vel statim remittuntur, vel non nisi quasi dor-

Epicurea Bezæ doctrina ad oculũ demonstratur.

mientes illa perpetrarunt, impiè docent: ideóque illis, qui hanc eorum doctrinam amplectuntur, æternæ perditionis causam dedisse meritò censendi sunt.

Et ad hoc quidem certissimum æternæ perditionis præcipitium Caluiniana ac Bezana præsumptio necessariò trahit. Cuius tamen apertam temeritatem, ipsius Caluini alia disputatio manifestam facit. Disputans ille contra fiduciam specialis auxilij diuini in his qui castitatem vouent (quos ideò ait temere vouere, quia de dono illo certi & securi esse non possunt) sic scribit. *Non est quòd causentur se non nisi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare. Quum enim Deus non omnibus dare pronuntiet*, (hoc enim ex eo consequi putat quod Christus dixit, *Non omnes capiunt verbum hoc*) *fiduciam specialis doni concipere nostrum non est.* Atqui eodem modo multóque verius contra hanc certitudinem peculiaris electionis, quam statuit Caluinus, nos arguimus. Non est quòd causetur Caluinus, Beza, aut alius quiuis illorũ pessimo fermento deprauatus, se non nisi diuinæ beneuolentiæ promissionibus fretos, *indubitatam salutis expectationem præsumere* (sunt verba Caluini) & hanc *electionis suæ particularis certitudinem audacter sibi vendicare*, vt Beza loquitur. Quum enim disertè dixerit Christus, *non omnes vocatos esse electos, nec omnes ingredi angustam portam quæ ducit ad vitam*, imò contrà paucos tales esse; hanc indubitatam salutis expectationem præsumere, aut hanc particularis electionis fiduciam animo concipere, nec concipere tantùm, sed & firmissimè sibi persuadere, profectò multo minus nostrum est. Hæc, vt dixi, Caluini disputatio certitudinem hanc, quam ponit, manifestè subuertit.

Caluiniana certitudo ex ipso Caluino refutatur. Institut. lib. 4. c. 13. num. 17.

Institut. lib. 2. c. 2. num. 16. Matth. 20. & 7.

Est tamen longè alia ratio in concipiendo fiduciam doni castitatis, quàm in præsumendo donum electionis particularis. Ratio enim cur omnes non capiunt donum castitatis, ex bona parte in nobis ipsis est, quia nolumus hoc donum habere; non adimus Dominum precibus vt illud nobis largiatur, non alia media adhibemus, quibus illud vel impetrari vel conseruari potest; vt ad illa Christi verba alibi contra Caluinum disputauimus. Ratio cur non omnes electi sint, in solo Deo est, qui pro suo beneplacito elegit quos ipse voluit ante constitutionem mundi; nec in nostra potestate vllo modo est, vt de numero electorum simus, si ex eo numero in diuina electione non sumus, tametsi vt inter electos eius deputemur, & cum electis ab eo coronemur, nostrum omnino sit omnem

Castitatis donum non vanè præsumitur.

operam

operam legitimè certando dare,& *noſtrã electionem per bona opera certam facere*, certam dico non Deo, ſed nobis: quia certum ex diuinis Scripturis eſt, eos *qui mala agunt, regnum Dei non poſſidere*,& niſi *qui legitimè certauerit, neminem coronari*. Quæ tamen tota certitudo noſtra, ſpei eſt, nõ fidei. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*: quæ gloriatio tunc firma & certa eſt, quando id quod ſequitur in nobis locum habet. *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus. Si enim compatimur, & cõglorificabimur*. Sed nullas cõditiones admittunt hæretici. Certi & ſecuri eſſe volunt. Non eſt illis ſatis anchoram ſpei firmam tenere, quam Deus propoſuit timentibus eum. Nouos ſibi certitudinis fidei funes fabricauere: ſed quibus ſuffocantur, non ſuſtentantur; & qui laqueus ad ruinam ſint, non ſolatia ad ſalutem. Diuinæ electionis certitudinem & nullam eſſe in hac vita,& optimis ex cauſis nullam eſſe debere, ſapienter docet his verbis S. Auguſtinus. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Satanæ angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus. Hinc & Apoſtolis dicebatur, Si manſeritis in me, dicente illo qui vtique illos ſciebat eſſe manſuros. Et per Prophetam, Si volueritis & audieritis me, cùm ſciret ipſe in quibus operaretur & velle. Et ſimilia multa dicuntur propter huius vtilitatem ſecreti, ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiã qui bene currunt timeant, dum occultum eſt quò perueniant. Propter huius ergo vtilitatem ſecreti credendum eſt, quoſdam de filijs perditionis, non accepto dono perſeuerandi vſque ad finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter ac iuſtè viuere, & poſtea cadere, neque de hac vita, priuſquam hoc eis contingat, auferri. Quorum ſi nemini cõtigiſſet, tam diu haberent homines iſtum ſaluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, qua piè viuitur, peruenirent: deinceps iam ſecuri nunquam ſe ab illa caſuros. Quæ præſumptio in iſto tentationum loco non expedit, vbi tanta eſt infirmitas, vt ſuperbiam poſſit generare ſecuritas.* Hæc Auguſtinus. Quæ omnia contra Caluinianam præſumptionem plurimum valent. Tametſi enim Caluiniana ſecuritas ſuperbiam non generat, de qua Auguſtinus loquitur, nempe de vitæ puritate & ſanctitate, quam Caluinus non requirit, tamen aliam ſuperbiam generat multo deteriorem, nempe qua præſumit homo totus impius ſe eſſe filium Dei propter

2. Pet. 1.
Gal. 5.
2. Tim. 2.
Rom. 5.
Rom. 8.
Salutis cõditiones nullas admittunt hæretici.
De corrept. & grat. c 13.
Electionis certitudo in hac vita nulla.

ſolam fiduciam diuinæ beneuolentiæ. Si enim ad elationis vitium opprimendum neceſſarius eſt perpetuus timor, & peculiaris electionis ignoratio; quanto magis ad tam impiam præſumptionem opprimendam idem neceſſarium erit! Si quos certò conſtabat Chriſto electos eſſe, eoſdem ad perſeuerantiā fidei & charitatis hortatur Chriſtus, (hoc eſt enim *manere in Chriſto*) quanto magis quos ex nulla reuelatione conſtat electos eſſe, ſeipſos perpetuò hortari, & ſolicitè contendere debent, vt maneant in Chriſto, non fide tantùm & fiducia, ſed charitate, & faciendo voluntatem eius! Sed contra hanc execrandam ſecuritatem & certitudinem electionis particularis quam ex hoc Euangelio ſtabilire Caluinus voluit, propter illa Chriſti verba, *Nemo rapiet oues meas de manu mea*, quum alia innumera vtiliter dici & adferri poſſent, his paucis contentus ero: tum quia hæc pauca præſenti inſtituto ſufficiunt, tum quia de hoc argumento latiùs alibi diſputauimus.

In opere de Iuſtificat. lib. 9.

30. *Ego & Pater vnum ſumus.*

Ariana hæreſi reſuſcitandæ feneſtram Caluinus aperuit.

QVum hæc verba tum ex ipſa contextus conſequentia, tum ex doctiſſimorum & vetuſtiſſimorum Patrum expoſitionibus, vnitatē ſubſtantiæ & exiſtentiæ diuinæ in Chriſto cum Deo Patre luculenter doceant; impius Caluinus & rem ipſam hoc loco negat, & veteres Patres diſertè reprehendit. Sic enim in hunc locum ſcribit. *Abuſi ſunt hoc loco veteres, vt probarent Chriſtum eſſe Patri ὁμοούσιον conſubſtantialem. Neque enim Chriſtus de vnitate ſubſtantiæ diſputat, ſed de conſenſu quem cum Patre habet; quicquid ſcilicet geritur à Chriſto, Patris virtute confirmatum iri.* Sic iterum quum Iudæi propter hæc Chriſti verba melius intellecta quàm intelligere voluit Caluinus, dicerent *eum blaſphemare, quia cùm homo eſſet, faceret ſeipſum Deum*, Chriſtus eorum intelligentiam non corrigeret aut reprehenderet, ſed comprobaret & confirmaret dicens, *Si mihi nō vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre,* (ad quæ verba ſtatim quærebant eum apprehēdere, quaſi iterum repetentem ſe Patri æqualē eſſe) hæc rurſum verba luculentiſſima in fauorem Arianæ hæreſis, iterum deprauat Caluinus dicens. *Idem repetit Chriſtus quod ſuprà alijs verbis dixerat: Ego & Pater vnum ſumus. Pater (inquit) in me eſt, hoc eſt, diuina virtus ſe in me profert: Et ego in Patre ſum, hoc eſt,*

Ioā. 10. 38.

est, nihil ago nisi auspicijs Dei: ita vt mutua sit inter me & Patrem coniunctio. Neq; enim hic de essentia vnitate sermo habetur, sed de manifestatione diuinæ potentia in Christi persona, vnde constabat diuinitus missum esse. Hæc ibi. Eodem adhuc modo, eadémque impietate, eadẽ Christi verba in postremo ante passionẽ sermone studiosè repetita, vt discipuli eum id crederent esse quod erat, Deum verum Deo Patri æqualem, deprauat iterum Caluinus. Dicenti enim Philippo, *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, respõdit ei Iesus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quòd ego in Patre & Pater in me est?* & rursum: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter ipsa opera credite. Hæc verba* (ait Caluinus) *non ad diuinam Christi essentiam refero, sed ad modum reuelationis. Nec simpliciter disputat Christus quid sit in se, sed qualis debeat agnosci à nobis. Virtutis potius quàm essentiæ elogium est.* Hæc ille ibi. Luculentissima diuinæ Scripturæ verba, quibus Christus verus Deus, & Patri, quoad substantiam, æqualis probatur, & contra impios Arianos à doctissimis Patribus probari semper solet, homo procax & superbus, vel vt Arianæ hæresi fenestram aperiret nouam, vel vt præter ac supra veteres eruditissimos ac sanctissimos Patres aliquid singulariter sapere videretur, penitus deprauat. *Ioan.14.*

Et primùm quidem ex ipso contextu, de vnitate substantiæ, & non voluntatis, Christum dixisse, *Ego & Pater vnum sumus*, ipsa causa dicendi manifestè docet. Quũ enim electos vocasset *oues suas*, & se *eis vitam æternam dare* affirmasset, addens quoque *quòd nemo raperet eas de manu eius*, quia hæc omnia diuinæ solius potestatis essent, ideóque Iudæis hæc à Christo nimis arroganter dicta videri possent, duplici argumento potestatem suam confirmat. Primùm, quia vt homo à Deo Patre summam potestatem ipsámque diuinitatem naturæ suæ humanæ hypostaticè coniunctam accepit, *Pater meus*, inquit, *quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris*: vbi intelligitur conclusio, Ergo nec de mea. Alterum argumentum est, quia ipsemet Deus quoque est, & eiusdem cum Deo naturæ ac potestatis: propter quod dicit, *Ego & Pater vnum sumus*. Sic hunc locum tractat D. Basil. lib. 1. contra Eunomium. Eodem modo interpretatur Ambrosius lib. 3. cap. 18. de Spiritu S. & de fide lib. 1. cap. 1. Chrysostomus quoque homil. 60. in Ioannem, vbi notat optimè inferri. *Si vnius sunt* *Arianismus Caluini refutatur.*

potentia & virtutis, esse etiam vnius & eiusdem substantia. Quare hunc imprimis locum opposuerunt Patres Arianis, vt Filium Patri nec ὁμοιον, nec συνσιον, sed ὁμοόσιον: id est, nec similis tantùm naturæ (vt olim Eunomius) nec simul habentem essentiam, quasi radicalem ac primitiuam à seipso, vt hodie Caluinus) sed consubstantialem, siue eiusdem planè substantiæ cum Patre, id est, à Patre, non à seipso, quia Dei filius est. Sic Athanasius serm. 4. contra Arianos, & aliis multis in locis, & Hieronymus ad Esa. cap. 6. Glossa autē Caluini, quòd de consensu voluntatis, non de vnitate essentiæ Christus illa verba dixit, ipsissima fuit Arianorum euasio, vt refert S. Augustinus, eámque refellit contra Maximinū Arianorum Episcopum lib. 1. ca. 12. & lib. 3. cap 22. Hāc sanè ob causam noui hodie Ariani in Transsiluania & Polonia, in publica disputatione cum ipsis Lutheranis & Caluinistis habita, circa huius loci sententiam Caluinum iudicem appellarunt, & ab ipso Caluino Arianam se accepisse doctrinam professi sunt. Quare in Transsiluania sicuti ex Catholicis fiunt Lutherani, ex Lutheranis Caluinistæ, sic ex Caluinistis fiunt noui Ariani: & sicut Caluinistæ multa à Luthero se accepisse ostendunt, propter quę deserto Luthero sua singularia dogmata ipse Zvvinglius ac Caluinus orbi obtruserunt; sic Ariani multa se tam à Luthero quàm à Caluino accepisse profitentur, propter quæ desertis vtrisque Ariani esse malunt quàm Catholici Christiani. Inter cætera autem hic vnus locus & alia à me citata tanto studio à Caluino deprauata, hanc audacibus & impiis hominibus occasionem dedere. Quo nomine rectè & meritò Caluinistas accusat primarius quidam Lutheranus, Iacobus Andreas Smidelinus, Tubingēsis Academiæ, vt seipsum scribit, Doctor & Cancellarius. *Minimè* (inquit) *mirandum est, ex Caluinianis in Polonia, Transsiluania, & Hungaria, aliisque in locis, quamplurimos ad Arianismum, quosdam etiam ad Mahometismum accessisse, quorum impietati hac Caluiniana doctrina viam parat.* Hæc ille, citatis quibusdam Caluini in Christum blasphemiis, & diuinæ Scripturæ deprauationibus. Vix enim apud Ioannem (qui diuinitatem Christi maximè astruebat, propter ipsum Cerinthum qui eam negabat) vllus locus est qui Christum esse Deum doceat, quem suo fermento Caluinus non corrumpat. Præter loca superius citata pauca adhuc adiiciam. Ad illa Christi verba, *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit,* Patres reprehendit, qui ex his verbis Christi diuinitatem astruunt. Dicitur enim

Caluini glossa Arianorum euasio.

Vide Antoniū Posseuinū de atheismis hæreticorum.

In Præfat. refutat. blasphema Apolog. Danæi, an. 1583.

Ioan. 5

enim Pater demonſtrare Filio omnia quæ facit, quia cognitionem quam habet Filius, Pater dat. Communicat enim Pater Filio ſcientiam cum eſſentia, & hoc eſt demonſtrare: ſicut Filium diſcere à Patre, ſeu videre facientem Patrem, eſt accipere cognitionem à Patre ſicut & naturam. Sic hæc verba exponũt doctiſſimi Patres, Cyril. Alexand. & S. Auguſt. in ſuis ad hunc locum commentariis. Sed hic bonus Caluinus, magis Arianis fauens quàm doctiſſimis Patribus deferens, ait. *Quàm dura ſit & coacta veterum expoſitio, nemo non videt.* Quod autem illic adfert, ita durum & coactum eſt, vt Chriſti diſputationem, qui ſe hîc Deo æqualem oſtendere voluit, prorſus inanem faciat. Simili arrogantia & impietate vtitur in illis Chriſti verbis: *Hunc enim Pater ſignauit Deus.* Cauſam illic reddit Chriſtus non ſolùm cur filius hominis cibum vitæ æternæ dare poſſit, ſed etiam cur caro iſta ſecundùm quam erat filius hominis, cibus poſſit eſſe vitæ æternæ: quod vtrũque in præcedentibus dixerat. Nempe quia *hunc Pater ſignauit Deus:* id eſt, huic homini Pater velut ſigillo diuinitatem impreſſit & vniuit. Sic hunc locum exponunt S. Auguſtinus, S. Hilarius, & S. Cyrillus Alexandrinus, omnes hæreticorum ſui temporis antagoniſtæ fortiſſimi, & Scripturarum interpretes diligentiſſimi. Sed horum ſententiam in fauorem Arianorum rurſum taxat Caluinus. *Perperam hunc locum veteres ad diuinam Chriſti eſſentiam torſerunt, quaſi ſignatus dicatur, quia character eſt & expreſſa imago Patris.* Hæc eſt rurſum hominis arrogantia qua Patres taxat, & impietas qua Catholicos contra Arianos exarmat, & fortiſſima diuinarum Scripturarum tela è manibus eripit. Sed non eſt hic impietatis eius finis aut arrogantiæ modus. Quum illa Chriſti verba, *Non poſſum ego à meipſo facere quidquam*, ſtudioſè admodum exponant SS. Patres, vt diuinæ eius naturæ nihil præiudicent, ideóque tam ſecundùm diuinam naturam quàm ſecundùm humanam illa intelligi poſſe doceant; ſecundùm diuinam quidem, quia ſicut eſſentiam ſic omnem operationem à Patre accepit, cuius filius naturalis eſt, (in quem modum Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Cyrillus hæc verba interpretantur,) ſecundùm humanam verò, quia iuxta illam à Deo totum accepit quod habuit, ſicut & nos, vt idem Cyrillus & D. Hieron. lib. 2. aduerſus Pelagianos accipi poſſe iudicant, totam hanc SS. Patrum diligentiam & iudicium Caluinus pro more ſuo flocci faciens, magíſque Arianis patrocinari, quam doctiſſimis Eccleſiæ luminibus ſubſcribere

Cyril. lib. 2. cap. 137. in Ioan.
Auguſt. tract. 21. in Ioan.
Ioan. 6.
Auguſt. tract. 25. in Ioan
Hilar. lib. 8. de Trinitate.
Cyril. lib. 3. cap. 29. in Ioan.
Ioan. 5.
Serm. 20. in Pſalm. 118.
Tract. 22. in Ioann.
Homil. 38. in Ioan.
Lib. 2. cap. 14. in Ioan.

volens, ad eundem locum ita garrit. *Superuacuum foret hic subtiliter disputare, à seipsóne an aliunde possit filius Dei, quod ad æternam eius diuinitatem spectat. Neque enim talibus argutiis nos occupare voluit. Proinde nulla erat causa cur se tam anxiè torquerent veteres in repellenda Arij calumnia.* Hæc idcirco homo impius facit, vt suam peculiarem & nouam αὐτοθεότητα in filio Dei, qua vult filium Dei à seipso Deum esse, non à Patre, aliquo modo stabiliat. Quam eius nefariam hæresim, vt & alias permultas, circa Beatiss. Trinitatis ac Christi diuinitatis mysteria, ex ipsius Caluini scriptis diligenter collegit, doctéque refutauit, Franciscus Feuardentius Gallus, vir de fide Catholica præclarè meritus.

Caluini propria hæresis circa filiū Dei.

In Dialogis contra 174. hæreses Caluini

Vnum adhuc exemplum adiiciam, quo Caluini impietas luculentior apparet. Celebris est ille sermo quo Christus dixit, *Pater maior me est*, nec in ore Arianorum aliquid frequentius. *Illi enim* (ait ad hæc verba Caluinus) *vt Christum probarent quendam esse secundarium Deum* (sic ille Arianorum sententiam refert, quasi ideo hęresis damnati essent, quòd filium Dei à Patre, & ex Patre esse, ac ratione originis secundam in diuinis personam dicerent, quod reuera Caluinus negat, vt modò dictum est; quum potius ideò hæretici fuerint, quia Christum esse Deum omnino negabant, & creaturam esse, quamuis non sicut cæteras creaturas, impiè asserebant) *obijciebant minorem esse Patre. Patres orthodoxi, vt tali calumniæ ansam præciderent, dicebant hæc verba debere ad humanam naturam referri. Atqui vt impiè* (nempe in sensu Caluini iam explicato) *hoc testimonio abusi sunt Ariani, ita nee recta nec consentanea fuit Patrum solutio. Hic enim neque de humana Christi natura, neque de æterna eius diuinitate sermo habetur.* Hæc ille impius: quasi Christus hoc loco disertissimè de sua exaltatione non sit loquutus. *Vado* (inquit) *ad Patrem, quia Pater maior me est*, id est, vado exaltandus & glorificandus, deposita iam exinanitione ac humilitate mea, completa dispensatione quam suscepi. Patres tamen diligentissimè hæc verba expendunt ac trutinant, & vel ratione originis Patrem se vt Deo maiorem vocasse Christum exponunt (vt aliquando Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Hilarius, Origenes) vel ratione humanitatis, quod clarum ac perspicuum est, vt idem Hilarius lib. 9. & D. Augustinus tract. 78 & Leo Magnus sermone 3. de Pentec. idem quoque Athanas. in disputatione contra Arianos in Conc. Nicæno, & coram Probo Iudice, ac demum Cyrillus in Ioan. lib. 10. cap. 9. Neutrum tamen admittit

Ioan. 14.

Orat. 2. cōt. Arianos.

Lib. 4. cōtra Eunomium.

Orat. 4. Theolog.

Lib. 9. & 11. de Trinitate.

Homil. 2. in diuersos.

mittit Caluinus, magis eligens Arianorum causam in medio relinquere, quasi necdum satis refutatam, quàm grauissimorum Patrum iudiciis sese accommodare. Minus nunc miretur quisquam si in dogmatibus hodie controuersis tam procaciter Caluinus cum suis vniuersæ Antiquitatis testimonia ac iudicium reiiciat, postquam in eo dogmate quod nobiscum amplecti videri vult, Patrum tamen expositiones penitus negligit atque contemnit. Sic nempe nouis Arianis latissimam fenestram aperire Caluinus voluit. Idem in Iudæorum gratiã quàm diligenter præstiterit, ex multis diuinæ Scripturæ testimoniis insigniter è Caluino deprauatis luculenter ostendit Aegidius Hunnius in Academia VVitebergensi Professor. *In libello, Caluinus Iudaizans an. 1593.*

IN IOANNIS CAP. XI.

Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.

DOCET apertè hic locus, docéntque doctissimi Patres, turbationem hanc, quam Christus hîc ostendit, non fuisse in eo, sicut in nobis frequenter est, inuoluntariam, sed liberam, liberéque pro tempore & loco à seipso certa deliberatione assumptam. Dicit enim textus: *turbauit seipsum.* Non dicit, turbatus est. Sic instante passione, *cœpit contristari & mœstus esse:* id est, quando voluit, & ante vllam iniectam necessitatem, liberè suos affectus ad tristitiam & dolorem voluntarium, proposito sibi imminentis passionis obiecto, excitauit. Quare D. Hieronymus ad illum locum. *Aliud est contristari, aliud incipere contristari: quia propassio in Domino erat, passio humana non erat.* Sic D. Augustinus in hunc ipsum locum. *Turbaris tu nolens, turbatus est Christus quia voluit: Esuriuit Iesus, sed quia voluit: Dormiuit, sed quia voluit: Contristatus est, sed quia voluit. Mortuus est, sed quia voluit. In illius potestate erat, sic vel sic affici vel non affici. Anima & caro Christi cum verbo Dei vna persona est, vnus Christus est. Ac per hoc vbi summa potestas est, ibi secundùm voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbauit semetipsum.* Hæc Augustinus. Et adhuc alio in loco. *Ipse Dominus Iesus in forma serui agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, affectiones humanas adhibuit, vbi adhibendas esse iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus.* Cùm

Christus humanos affectus liberè suscepit.

Matt. 26.

In Com. ad cap. 26. Matth.

Tract. 49. in Ioan.

De Ciuit. Dei li. 14. cap. 9.

ergo eius in Euangelio ista referuntur, quòd supra duritiam cordis Iudæorum cum ira contristatus sit, quòd dixerit, Gaudeo propter vos vt credatis, quòd Lazarum suscitaturus etiam lacrymas fuderit, quòd concupiuerit cum discipulis suis manducare pascha, quòd propinquante passione tristis fuerit, non falsò vtique referũtur. Verùm ille hos motus certæ dispẽsationis gratia, ita, cùm voluit, suscepit animo humano, vt, cùm voluit, factus est homo. Et paulò pòst. *Habemus nos humanas istas affectiones ex humanæ conditionis infirmitate. Non autem ita Dominus Iesus, cuius & infirmitas fuit ex potestate*, id est, ex libera illarũ assumptione quoties voluit, sicut ex libera naturę nostræ assumptione factus est homo quãdo voluit. In hãc quoque sententiã scribit D. Gregorius. *Non sicut nos qui puri homines sumus, irruente sæpe tentatione concutimur, ita Redemptoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Qui & si quando turbatus spiritu infremuisse dicitur, ipse tamen diuinitus disponebat, quantum ipse humanitus turbaretur.* Docet cum Augustino, vbi summa potestas erat, ibi secundùm nutum voluntatis tractari infirmitatem: vt videlicet affectiones in Christo tametsi humanæ & veræ essent, non tamen inuolũtariæ & prorsus per modũ naturæ sicut in nobis frequenter, sed semper liberæ & ex certa ac deliberata dispositione fierẽt.

Moral. in Iob lib. 3. cap. 1.

Totam hanc SS. Patrum doctrinam, verbis huius Euangelij, *Turbauit semetipsum*, conformẽ vellicat & impugnat Caluinus. *Absurdum* (inquit) *quibusdam videtur, si Christum dicamus tanquam vnum aliquem ex hominum numero fuisse humanis passionibus subiectum. Nec aliter existimant vel doluisse vel gauisum esse, nisi quia affectus istos, quoties visum est, arcana quadam dispensatione in se recepit. In hanc sententiã Augustinus ab Euãgelista dictum putat quòd turbauerit seipsum, quum alios rapiãt sui affectus. Sensum ergo esse putat, quòd Christus alioqui sedatus, & ab omni passione immunis, fremitum & dolorem vltrò accersiuerit.* Hæc ille. Hæc planè Augustini, hæc Hieronymi, hæc Gregorij, hæc aliorum Patrum & omnium Theologorum de Christo sententia est, ipso Christo digna. Quid ad hæc Caluinus? *Atqui* (inquit) *meo iudicio magis consentanea erit Scripturæ hæc simplicitas, si dicamus filium Dei, quum carnem nostram induit, sponte etiam humanos simul affectus induisse, vt nihil à fratribus, excepto peccato, differret.* Atqui hoc & Augustinus docuit, aliíque Patres docuerunt. Sed humanos affectus non eodem modo induit, quo nos eos aut habemus aut exercemus. Habet eosdem affectus, sed

Caluini proprium iudicium contra Patres.

ſed liberos,& cum plena deliberatione,liberáque diſpoſitione elicitos,quos nos frequenter planè inuoluntarios patimur magis quàm exercemus:ideóque in nobis paſſiones ſunt vitioſæ (vt loco poſterius citato docet Auguſtinus)in Chriſto non ſunt paſſiones inuoluntariæ,ſed affectiones liberæ, ſicuti Chriſti gloriæ & puritati conueniebat.*Imò* (ait Caluinus) *hoc modo nihil derogatur Chriſti gloria, quum voluntaria tantùm dicitur fuiſſe ſubmiſſio, qua factum eſt vt in anima affectibus nobis ſimilis eſſet. Cæterùm poſtquam ab initio ſe ſubmiſit, non putandum eſt ab illis vacuum fuiſſe aut immunem.* Idem Patres docent, quòd humanæ infirmitatis affectibus ab initio conceptionis ſuæ voluntariè ſe ſubmiſit,ſed non inordinatis aut inuoluntariis,verùm quos liberè exerceret,nō quos contra voluntatem pateretur,vt nos illos patimur. Quia, vt ſapiéter dixit doctiſſimus Auguſtinus,*Vbi ſumma poteſtas erat, ibi ſecundùm nutū voluntatis tractari infirmitas debuit.* Hunc liberum in Chriſto voluntatis nutum, & hos liberos affectus negat contra Patres procaciter Caluinus, ſed vno verbo non refutat; ſatis habens ſuam ſingularem & arrogantem opinionem,quam ſimplicitatis vocabulo veſtit, abſque vllo argumento aut ratione opponere.Quare quod in ſequentibus addit Caluinus, *paſſiones in Chriſto vitioſas non fuiſſe ſicut noſtræ ſunt, eò quòd neque intemperanter ferebantur & vltra modū, neque abſque iuſta & legitima cauſa in illo oriebantur*, hoc totum nec Patrum ſententiam refutat de libera affectuum noſtrorum ſuſceptione Chriſto propria,neque Chriſti puritatem & gloriam ſatis defendunt. Vitioſæ quippe paſſiones ſunt, non ſolùm quæ modum excedunt, & ſine iuſta cauſa exercentur; ſed etiam quæ inuitis nobis erumpunt, quæ ſæpe,quum nolumus,inſurgunt, & ſæpe,quum volumus, deficiunt;quæ tota vitioſitas originalis peccati corruptio eſt: à qua quum Chriſtus prorſus immunis fuerit,non poteſt puritati eius congruere,huiuſmodi paſſionibus ſubiectum fuiſſe. Ita Caluinus abſque vlla ratione,cauſa,argumento, ſolùm vt ſingulariter ſapere videatur, doctiſſimorum Patrum conſentienti iudicio arroganter & petulanter contradicit:ac ſententiam ſuſtinet,non ſolùm Chriſti gloria indignam, ſed & eius puritati repugnantem. *Paſſiones vitioſæ quot modis fiunt.*

Sed quid ad Scripturam præſentem huius Euangelij reſpondet,quæ dicit:*Turbauit ſemetipſum*, vnde colligit Auguſtinus quòd liberè & voluntariè hanc turbationem in ſe admiſit? Ad hanc Scripturam hoc ſolùm reſpondet. *Turbauit qui*

Scriptura verba eluдit Caluinus. *quidem seipsum Christus, & vehementer commotus fuit, sed ita vt se continuerit sub Patris voluntate.* Hoc quidem verum est, sed hoc nihil contra S. Augustini & aliorum Patrum expositionem facit: hoc etiam non explicat, cur dixerit Euangelista, *Turbauit seipsum,* non autem dixerit, turbatus fuit. Nam vt homines boni ac prudentes omnes tametsi turbentur interdum ex improuiso, & inuoluntariè, per motus obreptitios vitiosos, frequenter tamen sub Dei voluntate se continent, & motus illos ad pietatis & rationis nutum refrenant. Nec tamen de huiusmodi dici possit, *Turbauerunt seipsos.* *Caluini arrogantia & imperitia.* Petulans ergo iste & audax hæreticus nec Scripturarum sensum à Patribus vult discere, nec quod Patres docent potest refutare. Ita & doctissimos Patres arroganter contemnit, & diuinas Scripturas legitimè non exponit. Hæc eius temeritas & arrogantia & inscitia (quam in aliis locis quàm plurimis etiam circa dogmata non controuersa exercet, nouásque interpretationes indesinenter affectat) obseruatione digna est, vt à tali impostore quàm diligentissimè sibi omnes caueant, verásque & orthodoxas Sanctorum Patrũ expositiones, propter eius singulare iudicium, nulla ratione, nullo argumento communitum, nequaquam reiiciant.

44. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire.

EST hic sanctorum Patrum pia & legitima applicatio à Caluini cauillis eximenda & asserenda. Sic enim in hæc verba garrit. *Ter ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ, qui auricularem confessionem inde eliciunt. Christus, inquiunt, postquam Lazarum vitæ reddiderat, à discipulis suis solui voluit: Ergo* *Papistarũ nomine Patres taxat Caluinus.* *non satis est reconciliari nos, nisi Ecclesia quoque peccata nobis remittat.* Hæc ille. Nam quum Papistas propter hanc applicationem de absolutione per Ecclesiam necessaria (ad peccatorum quippe confessionem auricularem hæc verba Catholici non applicant, mendacium id Caluini est) ter ridiculos vocat, antiquos & doctissimos Patres hac fœda labe adspergit, & per Catholicorum hodie latera illos transuerberat. Sic *Tract. 49. in Ioan.* enim in hunc locum scribit S. Augustinus. *Processit Lazarus, & adhuc ligatus est, adhuc inuolutus, tamen iam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus iaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo te manifestare? Sed vt confitearis, Deus facit, magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideò cùm*

processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: Soluite illum,& finite abire. Quid est,Soluite, & sinite abire? Quæ solueritis in terra,soluta erunt & in cælo. Hæc hactenus Augustinus. Non ausus est Caluinus Augustinum ter ridiculum vocare:vocauit Papistas. Vnde aut Augustinum inter Papistas numerat,aut, quod hodie Papistæ docent, ab Augustino eos accepisse ignorauit. Similem applicationem videre est apud Cyrillum Alexandrinum lib.7. in Ioan.cap.vltimo. Sed & Gregorius ille magnus Pontifex, & Doctor Ecclesiæ celeberrimus,in huius Euangelij verba ita scribit. *Causa pensandæ sunt, & tūc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Quod bene quatriduani mortui illa resuscitatio significat,quæ videlicet demonstrat,quia prius mortuum Dominus vocauit & viuificauit, dicens: Lazare veni foras: & postmodum is qui viuus egressus fuerat, à discipulis est solutus: sicut scriptum est: Cumq; egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis: Soluite eum,& sinite abire. Ecce illum discipuli iam viuentem soluunt,quem Magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fætorem magis ostenderent quàm virtutem. Ex qua consideratione intuendum est,quòd illos nos debemus per Pastoralem authoritatem soluere,quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare.* Hæc Gregor. Et hunc doctissimum Pontificem ac virum sanctissimum ter ridiculum vocare Caluinus non verebitur. Sed moriatur ânima mea morte horum iustorum, & sit pars & hæreditas nostra in terra viuentium, in consortio Sanctorum in cælo regnantium. Lupus Caluinus abducat discipulos post se quos potest:vt *cæcus cæcum ducat, & ambo in foueam cadant.* Verè enim post se abducit discipulos,qui suum proprium iudicium sequutus, sanctos Patres non solùm non audit, sed & ter ridiculos vocat. Verè cæcus est & nihil videns, sed in media luce palpans, qui lumina Ecclesiæ, quos *Lucem mundi* Christus vocat, veteris Ecclesiæ Pastores celeberrimos penitus despiciens,suam propriam lucem, id est, tenebras deprauati cerebri sui, in omni Scripturarum interpretatione sequitur.

Homil.26. in Euang.

Matth.15. Act.20.

51. *Hoc autem à semetipso non dixit; sed cùm esset Pontifex anni illius,prophetauit.*

Pontificum vitia obseruāt hæretici.

SOlent hodie hæretici more veterum omnium,vt Catholicam doctrinam in odium atque inuidiam vocent,in eius mini

ministros ac doctores quæcunque vel fingere vel amplificare libet, crimina coniicere. *Non nisi hominum crimina* (ait Augustinus de sui temporis hæreticis) *colligere affectant: & ea ipsa plura falsissimè iactãt: vt quia ipsam diuinæ Scripturæ veritatem, qua vbique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quicquid in mentem venerit, possunt.* In hunc finem colligunt & corradunt summa diligentia hæretici hodie, quicquid de malorum Pontificum ac Sacerdotum vita, seu verum seu falsum, vel à posteriorum temporum historicis memoriæ traditum, vel incerta & mendaci fama relatum inuenerunt. Nec ad populum seducendum, qui illorum primarius scopus est, validiora afferunt argumenta quàm quæ ab huiusmodi criminationibus petunt. Cæterùm *nec paucorum crimina orbis Christiani crimina sunt, cui nos communicamus* (vt eisdem hæreticis respõdet Augustinus) *& ad quosdam illa crimina pertinent, non ad vniuersum orbem Christianum*; nec in quibus illa vera sunt, authoritate propterea legitima, aut veritatem Euangelicam docendi firmitate exciderunt. An fortè inter illos magis impius quisquam fuit quàm Caiphas ille Iudæorum Pontifex, qui vnus consilium dedit perdendi Christum, idque non ob doctrinæ virium quam docuit, *sed ne venirent Romani, & tollerent locum eorum & gentem?* Per os tamẽ huius impij Pontificis prophetare, maximúmque fidei mysterium pronunciare Spiritus sanctus voluit. *Prophetauit* (ait D. Euangelista) *quòd Iesus erat moriturus pro gente*, scilicet Iudaica, *& non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, in vnum congregaret.* An non hoc maximum fidei nostræ ac diuinissimum mysterium est, totius mundi redemptorem esse Iesum Christum? illum esse *pacem nostram, qui fecit vtraque vnum, vt medium parietem maceriæ soluens, duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso?* At hoc totum prophetauit Caiphas. Dicente quippe illo, *mori pro populo*, Iudaici populi salutem per Christi mortem Spiritus sanctus insinuauit: addente, *ne tota gens pereat*, Pontifex impiissimus & prophetauit, & prophetiam diuinissimam ore licèt impuro eructauit. Sed quare hoc ille, & non alius quàm ille homo totus politicus & impius? *Quia erat Pontifex anni illius*, ait Euangelista. *Vides* (ait Chrysostomus) *quanta sit Pontificalis potestatis virtus? Os tantùm*

Epist. 137.

De vnita. Eccles. c. 2.

Põtifex impiissimus de summo fidei mysterio prophetauit.

Ephes. 2.

Homi. 64. in Ioan.

gratia, non etiam sceleftum cor attigit. Hoc quippe (ait D. Auguftinus) *in eo egit propheticum chrifma vt prophetaret, hoc impia vita vt nefciens prophetaret.* Et in hunc ipfum locum. *Quòd prophetauit impius Caiphas, diuino facramento tribuit Euangelifta, quia Pontifex fuit.* Aliud quippe dixit & fenfit Caiphas, aliud per illum dicere & docere voluit Spiritus fanctus. Et quare hoc aut quomodo? Rationem reddit D. Ambr. *Alia funt verba delictorum, alia facramenta falutis. Non praeiudicant verba virtuti. Suis viribus fubftantia diuina fulcitur. Homo auditur, Deus in operibus agnofcitur.* Idem docet D. Chryfoftomus. *Quicquid concreditum habet Sacerdos, folius Dei donum eft; & vbi humanam exercet fapientiam, minor illis gratia apparet. Deus omnia facit, Sacerdos linguam & manus praebet.* An verò illi quos Paulus dixit *per occafionem & per inuidiam adeoq; per contentionem Chriftum praedicaffe, exiftimantes fe preffuram fufcitare vinculis eius*, impij planè & fcelerati homines non erant? De eorum tamen praedicatione ait Paulus, *In hoc gaudeo, fed & gaudebo:* non fanè gauifurus, fed quantum in ipfo erat modis omnibus reftitutus, fi homines impios veritatis Euangelicae miniftros effe non poffe iudicaffet. Hominum ergo crimina, Pontificũ & Sacerdotum vitam interdum parum laudabilem, vitiofam, cõtaminatam, contra ipfius, quam praedicant, doctrinae veritatem fruftra & inaniter ventilant haeretici. Aduertere debuerunt, Deum, qui per Ecclefiam docentem loquitur non folùm per bonos, fed etiam per malos miniftros, non quae ipforũ, fed quae fua funt loqui, nec propter illos (quorum ibi caufa nõ agitur) fed propter fidelem populum, quorum faluti aliorũ minifterio Deus profpicere voluit, veritatis doctrinam tradere. Facilè hoc vident & aduertunt haeretici, quum fui minifterij dignitatem tueri volunt: idque fibi perneceffariũ agnofcunt, quum ipforum hodie miniftris nihil iam fit ferè foedius, nihil in omni vitiorũ genere cõtaminatius. Sed in Catholicae veritatis doctoribus hoc aduertere nolunt, videre & agnofcere detrectãt.

Cõtra Fauftũ lib. 16. cap. 23.

Tract. 49. in Ioan.

In Pfal. 39.

Homil. 85. in Ioan.

Philip. 1.

Reluctatur hoc loco Caluinus defenfioni noftrae, quam in fuis non minus libenter quàm neceffariò admittit. *Plufquam ridiculi* (inquit) *funt Papiftae, qui ex hoc Caiphae exemplo colligunt habendum effe pro oraculo quicquid Romano Pontifici effutire libuerit.* Sanè plufquam ridiculus eft Caluinus, qui talem Papiftis fententiam affingit. Non id ex hoc loco colligunt Catholici, Pontifici Romano aut cuilibet Epifcopo feu Paftori credendum effe, *quicquid effutire libuerit.* Putida haec

Caluini tergiuerfationes refutãtur.

hæc Caluini calumnia est, quam illi plusquam ridiculè effutire hoc loco libuit. Quod Catholici ex hoc loco colligunt, istud est: Nec Romani Pontificis nec cuiusli bet alterius Episcopi aut Sacerdotis vitam impuram impedire, quo minus cathedram & potestatem docendi legitimè occupans, veram doctrinam tradat, Christúmque verè & vtiliter prædicet. Nunc totam inuertit cauillator Caluinus, vt putidæ calumniæ locum faciat. Addit huic putidæ calumniæ argumentationem insulsam. *Primùm (inquit) vt illis demus Prophetam semper esse quisquis est summus Sacerdos, probare tamē necesse habebunt Romanum Pontificem Dei mandato creari. Nam Sacerdotium vnius hominis Christi aduentu abolitum fuit; neque vsquam legimus diuinitus præscriptum fuisse, vt vnus quispiam toti Ecclesiæ præesset.* In hac insulsa argumētatione tam multa propemodum sunt vitia quot verba.

Caluiniana argumentationis vitia.

1. Primùm, summum sacerdotem Prophetam semper esse (quod ille se nobis dare dicit) nemo Catholicus à Caluino sibi dari postulat, quia & nemo Catholicus hoc asserit. Summum Ecclesiæ Christianę Sacerdotem in doctrina fidei non errare asserimus; Prophetam semper esse, vt videlicet quicquid libuerit affirmet (quomodo Caluinus loquitur) non dicimus. Nec ipse Caiphas, quamuis vt Pontifex prophetauit, Propheta tamen fuit, vt semper vera diceret, qui, nisi hoc fortasse temporis articulo, prophetauit nunquam.

2. Deinde *Romanū Pontificem Dei mandato creari* probare necesse non habemus, nisi apud hæreticos: apud quos etiam Christum esse verum Deum probare necesse est, quando negare id volent, vt olim Ariani, hodie in Transsiluania Francisci Dauidis & Georgij Blandratæ ministri faciunt.

3. Addit Caluinus *sacerdotium vnius hominis Christi aduentu abolitum fuisse.* De legali sacerdotio, & quoad munus propriè sacrificale, verum est. Non enim vnus iam, sed omnes Sacerdotes idem diuini sacrificij munus ęqualiter peragunt. De Ecclesiastica prælatura, quam nisi Sacerdotes exercent, falsum est.

4. Imò ait Caluinus, *nusquam legimus diuinitus præscriptum fuisse, vt vnus quispiam toti Ecclesiæ præesset.* Opinor sanè Caluinum hoc nusquam legisse; quia quod legerat, intelligere noluit. Eutyches in Scripturis duas Christi naturas se nunquam legisse Concilio Chalcedonensi respondit. *In qua (inquit) Scriptura iacent duæ naturæ?* Alij omnes hæretici nunquam id in Scripturis legunt, quod credere in Scripturis nolunt. Nos verò Catholici hoc perspicuè in Scripturis legimus, Sanctíque ante nos Patres legerunt, dicente

Concil. Chalced. Act. 3.

Chri

Christo ad Petrum, & ad solum Petrum, præsentibus aliis Apostolis, & ad illum de maiori sua dilectione ter interrogatum: *Pasce agnos meos, Rege oues meas, Pasce oues meas.* βόσκε τὰ ἀρνία μου. ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. βόσκε τὰ πρόβατά μου. Quæ verba tam variè & distinctè à Christo prolata quantum valeant, infrà discuriemus. Sed Caluinus ista non legit; quia quum legeret, ineptissimè maluit ex priuato suo sensu contra illa cauillari (vt eodem in loco ostendimus) quàm apertam & dilucidam Christi mentem cum Catholicæ Ecclesiæ sensu & consensu amplecti. Pergit adhuc ineptire hoc loco Caluinus. *Vt hoc quoque secundò illis demus, ius & honorem Pontificis ad Rom. Episcopum translatum esse, videndum quid Sacerdotibus profuerit quòd Caiphæ vaticinium amplexi sunt. Vt subscribant illius sententiæ, conspirant in mortem Christi. Procul verò à nobis facessat talis obedientia, quæ nos ad horribilem apostasiam, filium Dei abnegando, impellat. Eadem voce blasphemat & simul prophetat Caiphas. Qui eius dicto obsequuntur, contempta prophetia blasphemiam arripiunt. Idem ne cõtingat nobis cauendum, si Romanum Caipham audiuerimus: alioqui similitudo claudicaret.* Totam impostoris sententiam posui, vt ad eius tandem conclusionem peruenirem. Hæc quippe conclusio totam præcedentem disputationẽ vanam & friuolam cõuincit. *Alioqui* (inquit) *similitudo claudicaret:* hoc est, nisi hæc absurda, quæ colligo, in re præsenti locum habeant, *similitudo claudicaret.* Atqui similitudinem claudicare quid, quæso, absurdi est? aut quid necesse est, vt exemplo prophetantis Caiphæ, mali ministri doctrina vera approbetur, ministri doctrinã prophetiæ Caiphæ per omnia similem esse? Ex hoc exemplo nihil aliud aut amplius colligimus quàm quod collegit Euãgelista. *Prophetauit* homo impius, *quia Pontifex erat.* Colligitur inde. Vera docere possunt homines impij, quia Pontifices sunt, quia ministerij Ecclesiastici locum tenent: quia (vt ipse Caluinus hoc loco affirmat) *Deus Sacerdotium à se institutum potius respicit quàm hominis personam.* In hoc tenet similitudo, in hoc non claudicat, sed in causa ministerij Ecclesiastici non secus valet, quàm in veteri illo Sacerdotio vmbratili valuisse videmus. Cætera in facto Caiphę aduenticia nec in exemplum trahuntur, nec ad similitudinem tam ab ipsis hæreticis quàm à nobis collectam vllo modo pertinent. Dicit hoc loco Caluinus. *Eodem modo per os Balaam, quem spiritu prophetiæ Deus donauerat, populo suo benedicere voluit.* An vult Caluinus vt hæc similitudo per

Ad Ioan. cap. 21.

5.

Caluinus ex seipso refutatur.

Num. 23. omnia teneat, nec in vllo claudicet? An vult vt cum ipso Ba-
2. Petr. 2. laam idola colamus, vt vitulos & arietes super aras immole-
Apocal. 2. mus, vt mercedem iniquitatis amemus, vt filios Dei peccare
Iude 11. doceamus? Hæc omnia fecit iste Balaam, etiam cùm populo Dei benediceret. Sed sicut Balaam homo impius populo Dei benedicens, exemplum sanè est eorum in Ecclesia ministrorum Dei, qui impiè viuentes vera docent; ad alia tamen quæ ille fecit ac docuit, quæque ex eius pessima doctrina cõsecuta sunt, similitudo non valet: sic Caiphas homo impius beneficium mortis Christi prophetans, exemplum quoque eiusdem rei est; ad alia tamen quæ vel ille impiè sensit, vel ex eius impio consilio sequuta sunt, similitudo trahenda non est. Nempe prophetauit vt Pontifex consilium interficiendi Christum, quod ceteri sequuti sunt; non dedit vt Pontifex, sed vt homo impius. Atque hîc Caluiniana collectio non claudicat tantùm, sed & penitus deiecta iacet.

Addit adhuc Caluinus modis omnibus satagens, vt hoc exemplum infirmet, hoc est, vt Euangelistæ annotationem inanem ac friuolam esse doceat. *Quæro præterea* (inquit) *an quia semel prophetauit Caiphas, singula Pontificis verba totidem semper sint prophetia. Atqui paulò pòst summum ac præcipuum fidei nostræ caput blasphemiæ damnauit. Vnde colligimus quod nunc Euangelista refert, extraordinarium fuisse, ac præ-*
Caluinus iterum ex seipso refutatur. *posterè in exemplum trahi.* Hæc ille. Quæro & ego à Caluino, an prophetia Balaam, qua benedixit populo Dei, non fuerit extraordinaria? Sanè ita extraordinaria fuit, vt ille nec Propheta, nec Sacerdos Dei, nec etiam de populo Dei, sed idololatra & ariolus fuerit. Si ergo hoc factum tam extraordinarium, in exemplum tamen trahitur, quo docemur Deum per impios ministros loqui (nam & ipse Caluinus hoc loco, *eodem modo,* inquit, *per os Balaam quem spiritu prophetiæ donauerat, populo suo benedicere voluit Deus*) quanto magis Caiphæ prophetia, quantumuis esset extraordinaria, in simile exemplum trahitur! Ille enim & de populo Dei, & summus Sacerdos fuit, nec extraordinario aliquo spiritu prophetiæ donatus, sicut Balaam, sed, vt ipse Euangelista affirmat, *quia Pontifex erat anni illius,* id est, propter ordinariam pontificalis gratiæ virtutem prophetauit. Quare hæc eius prophetia non fuit, vt Caluinus vult, extraordinaria, vel extra ordinem & præter rationem vocationis & muneris eius: sed quod postea fecit, quódque Caluinus allegat, quum præcipuum fidei nostræ caput blasphemiæ damnauit, videlicet de venturo

turo Christo in maiestate sua ad iudicium, hoc planè extraordinarium fuit, & præter ordinem ac dignitatem illius Sacerdotij, ideóque singulariter à Prophetis veteribus prædictum. Quum enim ordinaria veteris Synagogæ institutio hæc esset, *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius*: & iterum. *Qui non obedierit summo Sacerdoti, qui pro tempore fuerit, morte moriatur*: aliaque in veteri Scriptura permulta, quæ Christus ipse in Euangelio confirmat, dicens. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcunque ergo dicunt, facite*: tandem vero veniente Messia, quum translatio legis & sacerdotij veteris abolitio immineret, & ipsa Synagoga suo merito reprobanda esset, Prophetæ hoc ipsum quasi rem præter ordinem, & vt minus credituri Iudæi scandalizarentur, prædixere: idque verbis ordinariæ constitutioni diuinæ contrariis. *Lex peribit à Sacerdote, & consilium à Senioribus*. Et iterum. *In illa die peribit cor Regis, & cor principum, & obstupescent Sacerdotes*. Et adhuc alius Propheta. *Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione*. Hæc omnia valde extraordinaria erant, & præter primam sacerdotij legalis institutionem. Denique *mysterium* hoc vocat Paulus, *quòd cæcitas ex parte in Israel contigit, vt plenitudo Gentium intraret*. Vide nunc ergo impiam & præposteram Caluini disputationem, cui applaudunt Caluinistæ omnes. Caiphæ prophetiam & doctrinam veritatis ordinariam, *quia Pontifex erat anni illius*, tametsi impius ipse erat, nec quod prophetaret intelligeret, ad exemplum trahi Caluinus non patitur, quò ostendatur impios Pontifices ac Sacerdotes veram nihilominus doctrinam tradere, quia cathedram veritatis tenent. Eiusdẽ autem Caiphæ blasphemiam extraordinariam, & Sacerdotum Synagogæ (cadente iam illo statu, vt melior exurgeret) lapsum ac errorem, in exemplum trahi homo impius vult, vt totius Ecclesiæ Catholicæ per aliquot iam secula apostasiam ac ruinam conuenis & sodalibus suis persuadeat. Hoc enim studiosè facit in Institutione sua innumeris mendaciis, paralogismis, blasphemiis referta, quod alio loco protulimus, & refutatum reliquimus. Atque hæc de his Euangelij verbis, impiáque & vana Caluini tergiuersatione hactenus.

Malach. 2. *Deut. 17.* *Matth. 24* *Ezech. c. 7.* *Hierem. 4.* *Mich. 3.* *Rom. 11.* *Præpostera Caluini disputatio.* *Lib. 4. c. 9. num. 7.* *De Princip. fidei lib. 2. c. 11.*

IN IOANNIS CAP. XII.

Maria accepit libram vnguenti nardi pistici, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis.

Templorũ & altariũ cultus atque ornatus defenditur.

NON incommodè docet hic locus placere Deo sumptuosos cultus & ornatum splendidum, quum in Dei honorem & cultum illa impenduntur, siue in templorum ornatu & magnificentia, siue in Sacramētorum administratione solemni. Hoc enim pretiosum vnguentum corpori humilitatis suæ impensum ita probauit Christus, vt apud Matthæum & Marcum contra murmurantem Iudam dixerit, *Opus bonum operata est in me.* Si opus bonum erat, corpus Christi mortale, & quatenus mortale, videlicet propter sepulturam significandam (dixit enim Christus, *Ad sepeliendum me fecit*, id est, meam imminentem mortem ac sepulturā hoc facto significauit tametsi nesciens) pretioso vnguento inungere; quis dubitare potest, opus bonum Deóque gratũ illos operari, qui, optimè scientes quid & in quem finem agũt, vel templa quæ domus Dei in Scripturis vocantur, & in quibus Deus præcipuè colitur, sumptu pretioso ædificant, vel altaria ornamentis splendidis exornant, vbi corpus Christi verũ in passionis suæ sacrosanctæ cõmemorationem & consecratur & administratur? Voluit Christus in *cœnaculo strato grandi*, id est, in loco amplo, & ornatissimo, Cœnā illam suam celebrare, in qua sacrosancta corporis & sanguinis sui mysteria primùm dispensauit. An non satis insinuauit in loco semper decentissimo id fieri se velle, de quo tunc dixit, *Hoc facite in meam cõmemorationem?* Sed vt ad nostri Euangelij textum redeamus, placuit Christo & laudatur à Christo cultus corporis sui morituri & sepeliendi. Quanto magis placebit cultus corporis sui iam glorificati, & in gloriosæ suæ passionis memoriā, nostrámque perpetuam salutem, verè nobis & realiter, tametsi sacramentali modo, administrati! Non obstitit forma serui, & status externus humilis, quo minus hoc pretioso vnguēto vngeretur. Nec obstare debent species sacramentales, res vulgaris, quo minus Christũ in eis velatum veréque cõtentum omni cultu & veneratione prosequamur. Maria vngens nesciebat se ad sepeliendum Christum hoc facere, id est, futurā eius breui sepulturam hoc suo facto significare, & officium illud atque obsequium præuenire quod post mortem frustra tentatura esset; volens enim iam sepultum vngere, eum surrexisse inuenerat. Laudatur nihilominus

Matt. 26. Marc. 14.

Matt. 26.

minus

minùs à Christo, quia ex alia intentione bona hoc fecit, eum videlicet, vt magnum Prophetam & hospitem, omni honore dignum existimans. Quanto magis populus hodie fidelis, optimè sciens quem honorat, & in quem finem honorat, à Christo laudabitur, quum locum illum splendidè exórnat, in quo Christum accepturi sunt, non vt hospitem externis & corporalibus officiis excipiendum, sed vt animarum suarum hospitem dulcissimum, qui carne & sanguine suo illos pascet? Itáne verò Christum in mensa recumbentem pretioso vnguento honorare Maria potuit, & laudatur? Christum in mensa sacra nobis apponendum fidelis populus si pretiosi loci ornatu honorat, vituperabitur? Sed hæc est hodie hæreticorum stupida & crassa inscitia, vt quia interno cultu Deus præcipuè colitur, idcirco externum omnem ab ipso respui & condemnari existiment. Quod perinde est ac si dicerent. Præcipuus honor, qui parenti à filio debetur, est amor & affectus filio dignus: ergo externa aliqua reuerentia parentem prosequi necessarium non est.

Inter alios hæreticos sic in hunc locum garrit Caluinus. *Vnctio quam Iudas culpabat, hoc nomine defenditur, quòd sit sepulchralis. Ergo non probat Christus quasi ordinarium cultum, & cuius communis in Ecclesia esse debeat vsus.* Primum non hoc solo nomine hanc vnctionem probauit Christus quòd esset sepulchralis, sed hanc huius vnctionis mysticam significationem esse docuit. Sanè si nulla alia ex causa eam probasset, Mariæ vngentis (quæ illam significationem non intellexit) nulla laus esset, aut certè non tanta, vt quaquauersum Euangelij prædicatio innotesceret, *diceretur quòd hoc fecit in memoriam eius*: sicuti Christus futurum dixit. Nam eandem fuisse vnctionem, quam in hoc Euangelio Ioannes, & Matthæus, ac Marcus commemorant, ipsemet Caluinus diligenter hoc loco astruit. Laudat autem Christus pietatem Mariæ, & honorem illi exhibitum. Sic enim post murmur discipulorum eam defendit Christus. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.* Hoc opus ex parte mulieris bonum non fuisset, nec illa bonum operata esset, nisi bonam aliquam in hoc opere intentionem habuisset. Aliam verò illam habuisse quàm vt Christũ honoraret (nam & vngere capita Iudæi solebant quum hilariùs excipi volebant. Vnde Simoni Pharisæo hospiti suo exprobrauit Christus, *Oleo non vnxisti caput meum*) intelligi non potest. Deinde illatio Caluini futilis est. Quis enim vnctionẽ

Caluini cauilla diluuntur.

Matt. 26.

Matt. 26.

Luc. 7.

ſimilem quaſi ordinarium cultum aut Chriſto adhibitum fuiſſe dicit, aut nunc adhibet, aut eius in Eccleſia vſum quis vnquam vidit? Quare & id quod aduertit prorſus ridiculum eſt. *Nam ſi quotidie tale ſibi officium præſtari vellet, quidnis potius dixiſſet, quàm hoc ſepulturæ ſuæ datum.* Tale nunc officium nec quotidie, nec vnquam, Chriſto præſtatur; nec ſoli ſepulturæ datum fuit, vt iam dictum eſt.

Externi cultus Deo grati Pergit ineptire Caluinus. *Et certè Deus externas pompas non moratur.* Cultus ergo diuini ignarus erat Dauid, quum diceret: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Sed & tota illa ſplendidiſſima tabernaculi *Pſal. 25.* *Exod. 35. & ſeqq.* *3. Reg. 6.* in deſerto, poſteáque templi *in loco quem elegerat Dominus,* extructio præter Dei voluntatem facta erat. Sanè ita, ſi plus mendaci Caluino quàm Scripturis diuinis credimus. Addit adhuc quaſi bellum Deo indicens. *Imò quum nimis procliue ad carnales ritus hominis ingenium eſſe videat, ſubinde nos in illis parcos & ſobrios eſſe iubet.* Rectiſſimè feciſſet Caluinus, ſi, vbi & quando Deus hoc iuſſerit, alicunde oſtédiſſet. Nunc iubere Deum Caluinus dicit, quod non Deus iubet, ſed Caluinus ſuadet. Hæc eſt proteruia hæretica, ſuis placitis Dei nomen affingere. Deinde vt ad carnales ritus procliue eſt hominis ingenium, ita abſque ritibus & ceremoniis friget hominis in Deũ pietas, quod ex ipſo Caluino ſuprà accepimus. *Ad Ioan. c. 4. v. 23.* Adde quòd ritus & ceremoniæ Chriſtianorum carnales ritus non ſint, quum neque ad carnis iuſtitiam, neque ad vmbratilem ſignificationem, vt olim Iudæorum, ſed ad Dei gloriam, eiúſque nominis honorem, & ad pietatis flammas magis accendendas (quod ipſa pios experientia docet) inſtituantur. Concludit tandem Caluinus. *Quare præpoſteri ſunt interpretes qui ex Chriſti reſponſo inferunt placere Deo ſumptuoſos & magnificos cultus: quum potius Mariam excuſet, eò quòd extraordinarium ſibi officium præſtiterit, quod ad perpetuam colendi Dei normam exigi non docebat.* Non eſſe præpoſteros ſed legitimos interpretes qui ex Chriſti reſponſo inferunt placere Deo ſumptuoſos & magnificos cultus, diſputatio noſtra præcedens demonſtrauit. Nec Mariam Chriſtus excuſat de officio extraordinario ſibi præſtito; ſed poſtquam eius opus bonum, quatenus ipſa operata erat, laudaſſet, extraordinariam eius ſignificationem explicauit; vt eò magis Diſcipulorum murmur compimeret, & de inſtanti ſua paſſione doctrinam inculcaret.

Abſterſa nunc & diluta tota Caluini in hunc locum cauillatione,

latione, non nisi inanibus paralogismis (qualia eius sunt omnia), referta, de re ipsa quam hoc exemplo astruimus, de templorum magnificentia, & eorum quæ ad externum cultum pertinent splendore in Ecclesia Catholica perpetuò approbatis contra nouatores istos pauca in medium antiquitatis testimonia proferemus. Sanè vt creuit ac floruit magis Christiana religio, ita templorum decor & magnificentia. Tempore Constantini Magni, qui primus Christianam religionem publicè professus est, oratoria Christianorum à tyrannis destructa clariora & celsiora resurgebant, & pro humilibus conuenticulis excelsa templa eleuata sunt, idque cum maxima Christianorum lætitia, vt narrat Eusebius testis oculatus. Quo in genere Constantij eiusdem Constantini filij pietatem laudat Athanasius, de extructa Alexandriæ tam ingenti Basilica, vt ea sola capere posset populum, quē aliæ omnes prius capere non poterant. Quum autem eodem tempore à Gallo & Iuliano Basilica S. Martyri Mamæ maximis sumptibus extrui cœpisset, Greg. Nazianzenus scribit, *munus id Galli* (nam Iulianus non nisi hypocriticè & politicè ad idem opus concurrebat) *Deo acceptissimum fuisse, vt quondam fuit sacrificium Abel.* Eodem tempore Gregorius Nyssenus templum S. Theodori Martyris magnificentissimum, variisque picturis & sculpturis ornatissimum describens, apertè laudat hoc genus pietatis in erigendis magnificis templis. Sed & Reginas Theodosij iunioris matrem & coniugem hoc nomine eximiè prædicat Cyrillus Alexandrinus, quòd sumptuosissima Christo templa erigerent, & hoc illarum animabus à Deo concessum gratulatur. Sed & alter Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus de Regum sui temporis pietate ita scribit. *Isti qui nunc sunt Reges pietatis ergo argento induentes & auro sanctam hāc Ecclesiam Resurrectionis, in qua nunc sumus, extruxerunt, & argenteis monimentis splendidam effecerunt.* Porro de Apostolorum templis & Martyrum Basilicis magnificentissimis ita meminit S. Chrysostomus. *Seruorum Crucifixi sepulchra regiis aulis sunt clariora, non magnitudine & pulchritudine ædificiorum (nam & in hoc superant) sed, quod multò maius est, conuenientium studio.* De ipsis fortasse Antiochenis templis (nam Antiochiæ ista dicebat) loquitur, quorum sacra vasa Iuliani apostatæ quæstor olim diripiens, *eorum magnificentiam conspicatus dixit, Ecce quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur.* Tantundem cum suis Hugonotis, qui Ecclesias Gallicanas diripuerunt, dicturus haud dubiè Caluinus erat,

Templorū cultus antiquitatu testimoniis comprobatur.

Hist. eccl. lib. cap. 1

In Apol. ad Constantinum.

Orat. 1. in Iulianum.

Orat. in S. Theodorū.

In lib. de recta fide ad Reginas, in principio.

Catec. 14.

Hom. 66. ad pop. Antioch.

Theodoret. lib. 3. ca. 1.

qui contra ſumptuoſos & magnificos Dei cultus tam accuratè diſputauit. Hæc pauca, ſed ſummæ antiquitatis & doctiſſimorum Patrum teſtimonia, contra prophanam hoc loco Caluini ſententiam ſufficere poſſunt. Vnum adiiciam D. Auguſtini, cuius eruditionem & pietatem præ cæteris venerari ſolet Caluinus. Diſputans ex inſtituto Auguſtinus contra ſimulachra Gentium, & ornatum eorum, quo in loco externam iſtam in templis Chriſtianorum pompam reprehendere & culpare potius debebat quàm laudare, ſi aliquid reprehenſione dignum in illis eſſet, de illa externa & ſumptuoſa pompa, à cultu carnali diligenter eam diſtinguens, ita ſcribit. *Simulachra Gentium argentum & aurum: ſed Deus fecit argentum & aurum. Ipſa tamen ſimulachra opera manuum hominum. Hoc enim venerantur homines quod ipſi ex auro argentóque fecerunt. Sed enim & nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex eiuſcemodi materia vel metallo habemus in vſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata, Sancta dicuntur, in eius honorem cui pro ſalute noſtra inde ſeruitur. Et ſunt profectò etiam iſta inſtrumenta vel vaſa quid aliud quàm opera manuum hominum. Veruntamen nunquid os habent, & non loquentur? Nunquid oculos habent, & non videbunt? Nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo?* Hæc Auguſtinus, quem fideliſſimum vetuſtatis interpretem vocare Caluinus ſolet. Docet & teſtatur ex more Chriſtianorum eſſe, vt in templis ſuis habeant inſtrumenta & vaſa aurea atque argentea. Non ad vſum prophanum, ſed *ad vſum celebrandorum Sacramentorum*, baptiſmi imprimis & venerabilis Euchariſtiæ. Non niſi enim hæc duo ab Auguſtino pro Sacramentis haberi, dicere ſolent hæretici. Et certè illa frequentiſſimè commemorat, de aliis tamen aliquando etiam mentionem faciens. Sed ad horum maximè vſum vaſa & inſtrumenta aurea atque argentea (quæ quid aliud eſſe poſſunt quàm ad baptiſmi quidem vſum baptiſterium ipſum, aut peluis aliqua, vel vrceoli, ad venerabilis autem Euchariſtiæ celebrationem calices, altaria, candelabra, patinæ, vrceoli, thuribula, & ſimilia) in templis haberi affirmat. Docet hæc ipſo miniſterio conſecrata Sancta vocari, *nempe ab hominibus laicis non contingenda*, vt magnus ille theologus Gregorius Nazianzenus ſcribit; *nec niſi in ſumma Eccleſiæ neceſſitate profananda*, quod Ambroſius piè ſe feciſſe commemorat; & extra neceſſitatem factum Patres Arelatenſes anathemate notant. Docet porro Auguſtinus, *in Dei honorem, cui pro ſalute noſtra inde*

Enar. in Pſal. 113. Conc. 2.

In orat. ad Arianos, & de ſeipſo: & in Apologetico.

Ambroſ. offic. lib. 2. cap. 28.

Concil. Arelat. 1. cap. 13.

inde seruitur, hæc in Ecclesiis haberi: ac denique nos *per illa Deo supplicare.* Non dissimiliter de vasis & ornamentis Ecclesiasticis splendidis ac sumptuosis, scribunt alij Patres: S.Basilius in regulis breuioribus, Patres Concilij Laodiceni, Optatus libro sexto contra Parmenianum, Theophylactus in caput 14. Marci, vbi & Iudæ similes eos esse docet, qui, vt sacra Ecclesiæ vasa viliora sint, pauperum curam prætexunt; Prudentius in hymno de Sancto Laurentio, vt in hoc opere ad ipsum diem Sancti Laurentij recitauimus. Quæ omnia antiquitatis testimonia ad prophanam hodie hæreticorum ἀσέβειαν refutandam sufficiunt: qui nudis parietibus & sellis ligneis Deum suum colunt, quasi aut non maiori honore dignus ille foret, aut ad honorem domus Dei externus decor & apparatus nihil faceret. Quem animi sensum tota hactenus Christi Ecclesia, vt excitatis testimoniis vetustissimísque adhuc extantibus templis patet, penitus condemnauit. Ita quantum distat cœlum à terra, tantum Ecclesiæ hactenus Christianæ cogitationes à cogitationibus hæreticorum hodie distant.

Ad quæst. 310. c. 21.

8. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.*

Abutuntur his verbis hæretici, vt Christi iam in cœlos assumpti non aliam in terris præsentiam quàm spiritualem, qua Spiritus sui gratia credentibus adest, probent: & consequenter in Sacramento corporis & sanguinis sui, quod instituit, eum realiter & verè præsentem esse non posse confirment. Nec ab hoc stupore vel ineptia ipse Caluinus abstinet. Sic enim in præclara sua Institutione scribit. *Disertè exprimit Christus se cum discipulis non semper fore in mundo.* Vbi notatur in margine, Matth.26.b.11. Cuius loci hæc sunt verba quæ tractamus. Affingit autem statim solutionem quam conuellat, & dicit. *Hoc autem dictum pulchre sibi diluere videntur, quasi neget Christus se pauperem & miserum semper fore, vel necessitatibus caducæ vitæ obnoxium.* Atqui non est hæc plena & integra Catholicorum solutio. Respondent Catholici Christum hæc verba dixisse de corporali sua præsentia in corporali & visibili forma, qua tunc conuersatus cum discipulis fuit, quæ humanæ vitæ necessitatibus obnoxia foret, & illis officiis humanitatis ac honoris indigeret. Nunc quid Caluinus replicet videamus. *Atqui* (inquit) *circumstātia*

Christi præsentia realis in Venerab. Sacramēto defenditur.

Lib. 4. c. 17. nu. 26.

Cathol. responsi manscam allegat.

loci palàm reclamat; quando non agitur de egestate & inopia, vel misero terrenæ vitæ statu, sed de cultu & honore. Vnctio Discipulis non placebat, quòd putarent superuacuum & inutilem esse sumptum, & luxuriæ affinem: ideóque in pauperes impensum maluissent pretium. Respondet Christus, se non semper fore præsentem, vt tali honore colatur. Hæc ille, non soluens sed firmans quod Catholici responderunt. Agitur enim sanè hîc de cultu & honore quem sibi deinceps exhibendum Christus negat, sed agitur (vt Caluinus contra seipsum benè conclusit) *de tali honore*, quo videlicet corpus eius visibile pretioso aliquo vnguento amplius vngatur. Negat igitur Christus cùm sui præsentiam tum honorem & cultum. Sed sicuti negat præsentiam non omnem, verùm in visibili & mortali forma; sic negat honorem & cultum sibi deinceps impendendum, non omnem, sed qualis visibili & mortali corpori impendi solet. Quare hæc verba nec sacramentalem Christi præsentiam excludunt, nec honorem tam venerabili Sacramento debitum remouent. Solutionem tamen suam ex D. Augustino confirmat Caluinus, qui hæc eadem verba tractans ita scribit. *Quum diceret Christus, Me non semper habebitis vobiscum, loquebatur de præsentia corporis.* Et paulò pòst. *Secundùm præsentiam maiestatis semper habemus Christum, secundùm præsentiam carnis rectè dictum est, Me autem non semper habebitis. Habuit eum Ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt.* Quæ postrema Augustini ab ipso Caluino citata, docere Caluinum poterant quo sensu Augustinus corporis & carnis Christi præsentiam his verbis negari doceat. Negari docet illam præsentiam carnis *quam paucis diebus Ecclesia habuit*, visibilem videlicet & mortalem, vt Catholici respondent. Rursum negat iam *oculis videri carnem Christi*: quia videlicet sub visibili specie amplius non conspicitur. Ocularem carnis præsentiam negat, non sacramentalem; quæ etsi vera & realis & corporalis sit, non tamen modus existẽdi est corporalis, sed spiritualis; ideóque fide non oculis etiam in hoc Sacramento tenet Christum Ecclesia. His igitur Christi verbis contra veram & realem Christi in Sacramento præsentiam frustra Caluinus in sua Institutione abusus est, frustra abutuntur & alij horum temporum hæretici.

Caluinus ex seipso refutatur.

Tract. 50. in Ioan.

Augustinus à Caluino citatus Caluinum refutat.

Quod ita verum est, vt ipsemet Caluinus, vel suorum mendaciorum parum memor vel mutata in melius sententia, hæc ipsa verba hoc nunc loco exponens, contra Christi præsentiã in Sa

Caluinus ex seipso refutatur.

in Sacramento illa non valere disertè doceat. Sic enim scribit in hunc locum. *Quòd se negat Christus cum discipulis semper fore, ad genus præsentiæ referri debet cui carnalis cultus & sumptuosus honor conueniat. Nam quòd Spiritus sui gratia & virtute nobis adest, quòd habitat in nobis, quòd nos etiam carne & sanguine suo pascit, nihil ad corporeos cultus.* Hæc ille. Fatetur illam sui præsentiam à Christo hoc loco negatam non obstare quo minus carne & sanguine suo nos pascat. Non obstat ergo quo minus in illo venerabili Sacramento, in quo solo nos ita pascit, sacramentali modo præsens sit, vt pascat. Sic autem præsens quum sit, corporeo cultu & externa omni veneratione Christum esse prosequendum, honorãdum, adorandum (quod & Lutherani cõtra Caluinistas rectissimè sentiunt) in Promptuario nostro Catholico ostendimus. Bene ergo se res habet. Ridiculum Caluini argumentum, ex his Euangelij verbis desumptum, ipsemet Caluinus refutauit. *In festo venerabilis Eucharistiæ.*

13. *Benedictus qui venit in nomine Domine.*

Admonet nos ipse Caluinus valere hunc locum contra hæreticos omnes & pseudoministros verbi, qui nõ veniunt in nomine Domini, sed in nomine suo. *Hæretici veniunt in nomine suo.* *In nomine Domini venit* (ait in hæc verba Caluinus) *qui non temerè se ingerit, neque honorem falsò vsurpat, sed ritè vocatus Deum habet actionum suarum ducem & authorem. Competit elogium hoc in omnes legitimos Dei ministros.* Et paulò post. *Iam quia pseudoprophetæ superbè nomen Dei iactant, & fallaci hoc prætextu se venditant, quum tamẽ diaboli impulsu ad perdendam Ecclesiam ferantur, subaudienda est antithesis, vt Dominus eos dissipet, ac in nihilum redigat.* Probè sanè hæc omnia, & in caput suum egregiè Caluinus disputauit. Quis enim Caluinum misit vt Geneuæ Dei nomine doceret, & pro legitimo Dei ministro se venditaret? Cui Episcopo successit? Aut quis illi Episcopus manus imposuit? Cuius ille cathedram, nisi vnius Farelli, tenuit? Ipse Farellus cui successit? Nónne eiecto eodem die & Episcopo ciuitatis illius, & Principe loci legitimo Sabaudiæ duce, tam in cathedram Episcopalem Farellus se ingessit, quàm in loci principatũ rebellis populus se intrusit? Quàm pulchre igitur Caluinus & seipsum & alios omnes huius ætatis hæreticos, qui legitimam vocationem suam hactenus probare nunquam potuerunt, hac sua annotatione maledictos, à Deo dissipandos, & in nihilum redigendos, *Caluinus ex seipso refutatur.*

do

In festis S. Andreæ & S. Marci, & fr. 3. Pentec.

docuit! Hanc enim antithesin subaudiri vult. Iam dudum in Promptuario nostro Catholico luculenter ostendimus, hæreticos horum temporũ vocationem suam legitimam probare non posse; eorum missionem non nisi imaginariam esse; eos non intrasse per ostium, sed aliunde. Cur igitur hoc loco crimen illud taxare & exaggerare voluit Caluinus, quo ipse maximè tenetur reus? An vt de illo minimè suspectus haberetur? Sanè hic textus nullam huiusmodi suspicandi materiam suppeditabat, qui ita propriè ad Christum pertinet, vt ad alium transferri nequeat. Clamabat enim populus: *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël:* quod soli Christo competit. Cæterùm quia illa sententia ex Psalmo desumpta Regis Israël mentionem non facit, ideóque ad alios Prophetas, Pastores, Reges à Deo missos accommodari potest, Caluinus suæ sibi vsurpationis conscius, propter antithesin quam includi videbat, iuxta rudem illum, sed verum versiculum, *Conscius ipse sibi de se putat omnia dici,* ex aliorum accusatione hanc à se amoliri suspicionem voluit. Nec eo contentus, etiam in alios idem crimen contorquet. Addit enim

Caluini maledicentia in summum Põtificem.

præcedentibus verbis. *Ita benedicere Christo non possumus, quin maledicamus Papæ, & sacrilegæ tyrannidi quam aduersus Christum erexit. Sua quidem anathemata, nõ secus ac fulmina, magno impetu in nos vibrat, sed quæ securè contemnere velut inanes ampullas licet. Ex aduerso autem Spiritus sanctus horribile anathema hic nobis dictat, quo vsque ad vltimos inferos cum toto suo splendore & pompa mergatur.* Hæc Caluinus. Quis hìc Caluinum disputare, & sacrum Dei Euangelium explicare, ac non potius rabulam aliquem indoctum ac bene potum in medio foro debacchari existimet? *Spiritus sanctus* (inquit) *horribile anathema hic nobis dictat, quo Papa vsque ad vltimos inferos mergatur.* Vbi verò aut in quibus verbis hoc horribile anathema continetur? In illis, inquit: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* At quis non iudicaret beatam potius & optabilem benedictionem illa verba pronunciare? *Sed subaudienda est* (inquit) *antithesis, pseudoprophetas omnes qui superbè iactant Dei nomen, à Domino dissipari, ac in nihilum redigi.* Esto: sit ita, demus hanc antithesin subaudiri, ne singula excutiendo nimis in Caluinum rigidi videamur. Quomodo Papa in hac antithesi includitur? aut quid ad eum hæc antithesis? Hic vt procedat Caluini disputatio, rursum subaudiendum est, Papam esse pseudoprophetam. Atqui non debemus tam liberales esse, vt hoc quoque

illi

illi concedamus. Postulamus igitur vt hoc doceat. Sed quid ab illo hoc præstari postules quod ille nunquam præstando erit? quod ille supponit semper, probat nunquam? quod hoc in loco ne vno quidem verbo ostendit? Qualis igitur ista conclusio est, quàm furiosa, quàm absurda, quæ Spiritum sanctum id dictare affirmat, quod nec apertè dicitur, nec tacitè insinuatur, nec nisi ex duobus præsuppositis infertur; quorum vnum si des, causam nihil iuuat; alterum nec dari debet, nec probari potest? Itáne verò, Papa pseudopropheta erit, quia Caluinus hoc præsupponit? Rogo igitur Caluinum & Caluinistas hodie omnes, quis iste Papa est quem pseudoprophetam vocant? Norunt hoc non personæ, sed officij nomen esse. Designent ergo in hoc officio quam personam intelligant. Si omnes qui eo officio functi sunt, ergo & ipsum diuum Petrum, omnísque eius in sede Romana successores, *in hoc horribili anathemate, quo vsque ad vltimos inferos mergantur*, includere debent. Si eò vsque insanire velint, soli (opinor) insanient: nisi fortè Turcam aliquem Mahometanum, aut paganum Barbarum, aut Iudæum insaniæ suæ comites nanciscantur. Si non omnes, sed aliquem aut aliquos; hos vbi designauerint, ostendant necesse est quomodo piis antecessoribus succedere pseudopropheta potuerit. Aut enim talis successor populum sibi subditum, omnésque alios illi sedi adhærentes, nouis hæresibus seduxit, & huius seductionis, quæ sine tumultu esse non potuit (nisi in gratiam hæreticorum dicamus, totum Christianum orbem, quasi vno momento attonitum, de repentè relicto Christo, Antichristo manus dedisse) aliqua apud historicos memoria, aliqua vestigia necessariò superesse debent; aut solus in sua dementia manens alios seducere non potuit: & quomodo aut qua mente fingere hæretici possunt, talis seductoris & pseudoprophetæ tot alias per totum orbem Ecclesias communionem tenuisse, eíque vnitas, adeóque subditas fuisse? Hæc & his plura longè absurdissima & fingere & asserere hæretici debent, vt Papam esse pseudoprophetã probent. Quare *horribile anathema*, de quo Caluinus loquitur, non est à Spiritu sancto dictatum, vt ille dicit; sed est à spiritu nequam, à spiritu mendacij, à Satanico Caluini cerebro adinuentum, vt res ipsa loquitur. Hanc hominis furiosam impietatem lectori patefacere, & sedem Apostolicam Ecclesiarum omnium matrem ac matricem, à tam furiosi nebulonis rabida calumnia paucis asserere ac tueri, operæpretium duxi. Nam & quòd

Caluini consecutio furiosa & absurda.

Papã non esse pseudoprophetã.

In respons. ad Balduinum. *sacrilegam tyrannidem* Papæ affingit, quid aliud quàm rabulæ de turba vociferantis vox est? *Vetus scurrarum Rhetorica est* (ait ipse alibi Caluinus) *aut potius virulenta dicacitas, omnem virtutu splendorem tyrannidis nomine fœdare.*

27. *Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora.*

Christi puritas contra Caluini corruptelas defenditur.

NOn diuina hæc tantùm Scriptura, sed & Christi Redemptoris puritas, à corruptela & blasphemia Caluiniana vindicanda est. Caluinus quippe siue ex veræ theologiæ ignorantia, siue ex innata quadam illi impietate, totum hunc locum perperam admodum exponit, & Christo indigna, eiúsque puritati ac sapientiæ nullo modo conuenientia, Christo attribuit. Ait enim ad illa verba, *Et quid dicam? in vltimas angustias redactum Christum, neque verba inuenisse, quibus exprimat doloris vehementiam, neque consilium secundùm hominem.* Deinde ad sequentia verba, *Pater, saluifica me ex hac hora*, ait, *votum Christo inconsideratè fluxisse, cui statim renunciandum erat, vt Patri obediat.* Sic ponit apertè in Christo motus inuoluntarios qui rationem præueniant, passiones, & desideria inconsiderata, quæ postea corrigi debeant. Atqui ista solis peccatoribus cõueniunt, qui peccati originalis corruptionem pœnalem circumferunt. Ait quidem Caluinus ad superiora illa verba, *Nunc anima mea turbata est, voluntariam hanc fuisse turbationem*; sed addit, *quia non coactus timuit, sed timori sponte se subiecerat.* Sic voluntarium vocat quatenus spontaneum, & quatenus coactioni opponitur, quale sanè voluntarium etiam brutis conuenit: negat verò affectus istos in Christo, turbationis & timoris, propriè voluntarios fuisse & liberos, liberéque ab ipso quando voluit, & quantum voluit, susceptos, sicuti contra Caluinum veteres Patres magno consensu docuisse, suprà in hoc Euangelio ostendimus. Quare illa superior ratio, vtcunque honesta videatur, has eius posteriores assertiones nihil excusar. Impium est in Christo ponere, vel consilij defectum secundùm hominem, vel vota inconsiderata quæ corrigi debeant. Caluinus tamen non hoc tantùm in loco ita loquitur, sed & alibi. Tractans enim Christi orationem in horto habitam, vbi dixit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, primùm dicit, *abruptum hoc fuisse votum*, móxque docens *fidelium*

Ad Ioan. cap. 11. vers. 33.

lium preces non semper æquabile temperamentum seruare, sed implicitas & perplexas secum aliquando confligere, de Christo quoque affirmat, *sic hoc loco metu perculsum & anxietate constrictum fuisse, vt necesse illi foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare.* Addit demum, *quòd votum suum subitò elapsum castigat ac reuocat.* Tandem concludens dicit. *Non fuit igitur hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio.* Et paulò pòst. *In primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi: quia mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat.* Ponit ergo in Christo, desideria inconsiderata, vota abrupta, eadémque alternantia ac vacillantia, subitò erumpentia, quæ corrigi debeant, denique orationes non meditatas, sed impetu doloris extortas, ac placidæ postremò moderationis vacuas. Sed hæc omnia Christi puritate indignissima, & quæ in solos peccatores, peccato originali corruptos ac deprauatos, cadunt, ex veræ theologiæ ignorantia, & animi contumacia, Caluinus negat: nolens videlicet in Christo agnoscere humanorum istorum affectuum, gaudij, timoris, &c. liberam susceptionem, quam disertè Patres docent. Quum enim liberè mortis horrorem ante oculos suos proposuerit, liberè quoque & meditatè dixit. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Nullum hîc votum inconsideratum, nullum abruptum, nullum subitò elapsum fuit: vota Christi & oratio meditata erant, cum placida moderatione coniuncta. Sed hæc vota erant naturalia, ex libera illa susceptione affectus naturalis, id quod naturale erat, spectantia. Voluntas quippe humana in Christo quum vna esset potentia seu facultas sicut in nobis, ratione tamen diuersorum obiectorum duplex erat, modò naturalis, modò deliberata. Naturalis voluntas dicitur, quæ fertur in rem aliquam secundùm seipsam consideratam: deliberata verò quæ fertur in rem non solam, sed cum circunstantiis suis per intellectum propositam. Et vt in præsenti materia maneamus, mors ipsa & passio cōsiderari dupliciter potest. Vno modo in seipsa simpliciter considerata, & sic habet rationem mali: est enim quoddam pœnæ malum, nec secundum se appetibile est. Vnde de ipsa morte aliísque rebus aduersis aptè dicit S. Augustinus: *Iubes nos, Domine, ea tolerare, non iubes amare. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat.* In hac consideratione voluntas humana auersatur mortem, & renuit eam. Alio modo considerari potest mors

In Harmo. Euange. ad Matth. ca. 26. ver. 39.

Caluini varia in Christum blasphemia.

Voluntas humana in Christo duplex.

Confess. lib 10. cap. 28.

mors apposita circunstantia, nempe hanc mortem secundùm diuinam voluntatem, eámque vel mūdi esse redemptionem, vt in Christo; vel ad Christi gloriam fideíque professionem, vt in martyribus; vel vt materiam meriti, ac ianuam melioris vitæ, vt in iusto quolibet patienter eam sustinente: & hac ratione habet rationem boni, & voluntas ordinata eam acceptat. Illa dicitur voluntas naturalis, quia rem in sua natura considerat: hæc deliberata, quia per discursum considerat circunstantias adiectas. Christus igitur, vt in affectu suo non tantùm sensitiuo (de facto tolerando pœnas) sed etiam rationali (eas præmeditando) pro nobis pateretur, & vt timorem ac tristitiam propter nos in seipso excitaret, vtebatur hac voluntate naturali, id est, liberè & præmeditatè proponebat animo res eas quæ timoris & tristitiæ causæ atque obiecta erant: & hac ratione *contristabatur, turbata est anima eius,* voces naturales emisit, *Saluifica me ex hac hora:* & alibi, *Si possibile est, transeat à me calix iste.* Vt autem Patri se per omnia conformaret, vtebatur voluntate deliberata. Verba igitur huius Euangelij, sunt hominis positi in hac agonia, qua seipsum turbare Christus voluit. Verbum quidem illud, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis,* verbum est hominis positi inter duas voluntates quæ in contraria tendunt (naturali enim voluntate mortem auersabatur, deliberata eandem acceptabat) sed non *inter violentos tentationum fluctus positi,* vt ait Caluinus, & *alternis votis vacillantis.* Nullam tentationem à seipso passus est Christus, vt vacillaret ac dubitaret circa mortem & passionem suam, subiréne eam deberet, an non. Sed adhuc inter duas illas voluntates hærebat hinc inde agitatus. Vox autem illa Christi, *Transeat à me calix iste,* vox est ex naturali voluntate procedens, non, vt absurdè & impiè Caluinus dicit, qua *mediatoris officio defungi, quantum in se erat, renueret ac detrectaret.* Mediatoris quippe officiū mortem dicit cum suis circunstantiis consideratam, mortem videlicet quæ esset redemptio mundi. Hanc autem ita consideratam quia bonum erat, Christus, quantum in se erat, renuere non potuit. Sed est vox qua mortem & passionem acerbam in seipsis consideratam auersabatur. Voluntas autem Christi deliberata illa erat, quam subiunxit hoc loco. *Sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica nomen tuum.* Similiter in verbis in horro prolatis, prius votum erat vox voluntatis naturalis: *Transfer à me calicem istum,* id est, mortem. Posterius votū erat voluntatis deliberatæ: *Verumtamen non*

Caluini vox impijssima in Christum.

non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Vtrumque votum meditatum erat, & libere ſuſceptum: prius illud vt in parte rationali pateretur, ſéque ipſum ipſa mortis præmeditatione turbaret: poſterius, vt diuinæ voluntati humanam ſuam per omnia conformaret. Hæc neſciens diſtinguere Caluinus ea de Chriſto pronunciat, quæ in ſolis peccatoribus reperiuntur, & Chriſti puritate ſunt indigna.

Vidit Caluinus hanc ſuam doctrinam non ſolùm veterum Patrum & omnium Theologorum, ſed & ſuæ ipſius doctrinæ aliis in locis traditæ penitus aduerſari. *Quum nuper* (inquit) *dictum fuerit rectè compoſitos fuiſſe omnes Chriſti affectus* (ſic enim ad Matth. cap. 6. dixerat, *Chriſtus communem nobiſcum habuit ſenſum, non autem appetitus incompoſitos*, & ad Matth. cap. 26. ver. 37. *Chriſtum ait manſiſſe compoſitum ad veram temperantiæ regulam*) *quomodo nunc ſeipſum corrigit?* Hanc obiectionem, quam contra ſeipſum mouet, vt verè pugnantia docentem, ſic ſoluere conatur. *Reſpondeo* (inquit) *non poſſe in hac natura noſtra corruptione perſpici affectuum feruorem cum temperie qualis in Chriſto fuit: ſed hunc dandum eſſe honorem filio Dei, ne eum æſtimemus in nobis.* Atqui hæc reſponſio nulla eſt. More ſuo poſtquam pugnantia dixit, quæ ſimul eſſe vera impoſſibile eſt, ait rem à nobis intelligi non poſſe. Quod autem intelligi non poteſt, niſi de fide credendum proponatur, affirmari non debet. Caluinus verò ſuas contradictiones, quum intelligi nequeant, recipi tamen & credi vult. Sic in aliis dogmatibus, maximè quum Deum authorem peccati ſtatuit, lectores ludificat. *Affectuum feruor cum temperie à nobis perſpici non poteſt*, ait Caluinus. Ita ſanè, calidum cum frigido, album cum nigro, motus cum quiete, ſimul & ſemel in eodem conſiſtere, à nobis intelligi non poſſunt, ideóque à nemine ſanæ mentis affirmantur. Ipſa ergo Caluini reſolutio ſuam abſurditatem prodit. Quid enim abſurdius quàm pugnantia docere, móxque ipſam repugnantiam, quia intelligi nequeat, credendam obtrudere? Hic eſt Caluini ludus. Sic quod ex ſuo cerebro commentus eſt, vt ſibi fallacem ex verbo Dei prætextum conciliet, corrũpit ac lacerat Scripturã, ac indignis eam ludibriis exponere non dubitat. Hi ſunt audaciæ hæreticæ fructus, poſtquam ſemel extra Eccleſiaſticæ doctrinæ metas vagari ſibi permittit. Tenendum interea eſt, Chriſtum Redemptorem noſtrum, nec aliquod inconſideratum votum emiſiſſe, ſic enim ſapiens non fuiſſet; nec correctione dignum aliquid dixiſſe, ſic enim peccaſſet;

In Harm. ad Matth. cap. 26. 39.

Caluinus ſuas cõtradictiones defendit, quia intelligi non poſſunt.

4. nec preces non meditatas Deo obtulisse, sic enim temerarius
5. foret; nec voces vi doloris extortas protulisse, sic enim appetitui suo dominari nequiuisset; nec postremò placida vnquam moderatione caruisse, sic enim passionibus vitiosis, quæ rationem præueniunt, subditus fuisset: ac propterea Caluinum, qui illa omnia de Christo Redemptore nostro pronunciauit, hominem impium, nec fide sed furca dignum, omnium piorum iudicio pronunciandum esse.

31. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.*

Diabolus quomodo Princeps mundi huius.

Diabolum in his verbis notari, omnium est concors sententia. Sed cur princeps mundi, & quomodo foras eiici dicatur, non omnes eodem modo docent. Princeps quidem potissimùm dicitur ratione peccati, ad quod homines tentandi, inducendi, adeóque pertrahendi potestatem à Deo accepit, eámque iustam; non sanè ex se, sed quatenus homo, à dæmone se vinci passus, ipsius potestati iustè à Deo traditus est, vt docet August. de lib. arb. lib. 3. cap 10. & Gregor. Mor. in Iob lib. 18. cap. 3. Ratione autem peccati eum mundi principem esse, idem docuit August. in lib. de agone Christ. cap. 3. & Basil. in homil. quòd Deus non est author malorum. Mundi vocabulo non hæc machina vniuersi (vt veteres quidam hæretici somniarunt, teste Irenæo lib. 3. cap. 24. & August. de hæres. hær. 46.) sed homines mali in peccato nati, & in peccato viuentes, intelligendi sunt, vt August. tract. 95 in Ioan. exponit. Ab hoc autem suo principatu ac potestate per Christi mortem (in qua iudicium fuit mundi, id est, nō damnatio mundi, vt vertit Beza, sed, sententia lata pro mundo contra diabolum) diabolus eiicitur, non solùm quia exterius tantum tentare nunc potest, voluntatem autem ad peccatum impellere non potest, vt rem exposuit August. tract. 52. in Ioan. & Gregor. Moral. lib. 17. cap 20. sed quia potestate quidem sua super homines in vniuersum eiectus est, possessione verò ex parte. Possidet quippe regnum tyrannus, ad quod tamen non nisi verus Rex potestatem habet. Eiectus est autem per Christi mortem omni sua potestate diabolus tam in fideles & iustos (à quorum etiam possessione excidit) quàm in ipsos infideles & peccatores quos adhuc possidet, quia per Christum facta est potestas & libertas cuilibet peccatori & infideli a statu peccati emergendi, & diabolo tentanti resistendi, ipsúmque vincendi, (vnde Iacobus: *Resistite diabolo,*

Diabolus quomodo à suo principatu a Christo deiectus.

& fu

& fugiet à vobis) quia virtus & gratia liberationis omnibus planè hominibus saluari volentibus oblata est, nec sub iugo peccati iam sunt nisi qui volunt. Imò ab origine mundi dæmonis potestas destructa est propter Christum venturum. Dicitur tamen nunc eiectus diabolus in aduentu & morte Christi; partim vt intelligamus, Christum esse veram causam, propter quam diaboli potestas à principio contracta sit, partim quia quantum ad possessionem multò nunc latius & efficacius eiiciendus erat diabolus per Euangelij toto orbe prædicationem, multóque vberior Christi gratia omnibus offerenda & impertienda erat. Denique quia seclusa Christi gratia homo sub diaboli & peccati iugo necessariò tenetur, vt nullis suis viribus peccato carere possit, imminente Christi morte quæ Spiritum gratiæ omnibus adferret, meritò dicitur princeps mundi nunc foras eiici, eiúsque potestas ac principatus penitus destrui. Simile est si supremus aliquis Princeps subditos suos ab inferioris magistratus aut gubernatoris obedientia absoluere vellet. Sic enim inferioris potestas penitus destructa verè diceretur, tametsi subditorum multi ex propria proteruia ac libidine inferiori magistratui adhuc obedire vellent.

Caluinus totam hanc gratiæ Christi efficaciam & liberationem paucis & obscuris verbis vafrè inuoluit. Perspicuam veritatem nec negare audet, nec aperire & confiteri vult. *Si quis* (inquit) *roget quomodo deiectus in morte Christi fuerit Satan, qui assiduè bellare non desinit, respondeo eiectionem hanc non restringi ad exiguum aliquod tempus, sed describi insignem illum mortis Christi effectum qui quotidie apparet.* Hæc ille. Quis autem hic mortis Christi effectus sit, *qui quotidie apparet*, ne vno quidem verbo explicat; atque ita quæstionem propositam de quotidiano Satanæ bello, quum tamen deiectus & foras eiectus dicatur, non resoluit. Voluit quæstionem proponere quam videbat esse necessariam. Noluit eam apertè soluere, quia eius solutio aliis eius impiis dogmatibus apertè aduersatur. Solutio est, Diabolum quidem à bello & pugna non desinere; eiectum tamen foras esse, quia hac sua pugna nocere amplius homini non potest nisi homo ipse velit, propter Christi gratiam (qua Diabolus vincitur) per Christi mortem omnibus expositam & paratam. Hæc peccati victoria, & diuinæ gratiæ efficacia, Caluino non placuit, qui omnes homines, etiam in Christo regeneratos, peccatores & impios esse, Dei mandata seruare

Vafer Caluinus sensum Scripturæ inuoluit, non aperit.

non posse; habere quidem desideria bona, sed illa effectum non sortiri; ideóque nullam nisi aliunde imputatam in filiis Dei iustitiam esse. Noluit igitur hanc Diaboli eiectionem, quæ nihil est aliud quàm peccati victoria, hoc loco à Christo assertam, vel vno verbo attingere. Voluit apertam veritatem obscuris & generalibus verbis inuoluere. Planè enim, iuxta hæreticorum hodie placita, non est Diabolus foras eiectus, nec eius potestas sublata; sed manet non secus potestas eius quàm possessio, non secus dominium & imperium quàm iniusta vexatio, non secus victoria quàm pugna. Denique iuxta illos, *Non venit Dei filius vt dissoluat opera Diaboli*, quod D. Ioannes affirmat, sed venit tantùm vt non imputet peccatoribus opera Diaboli; ideóque non foras eiectus Diabolus est, sed intus manens veteri potentia fruitur, quæ tamen victis ab eo non imputatur. Atqui nos Christo credimus, non Caluino, eiectum esse foras Diabolum, nec in filios Dei vllam potestatem habere, vt ad peccatum illos inducat; dissoluta quoque & fracta esse opera Diaboli, quia peccandi necessitas sublata est. *Qui enim facit peccatum, ex Diabolo est:* & in eo vigent opera Diaboli, non sunt dissoluta. Hunc in Scripturis, quæ eius placitis repugnant, ludum ludit Caluinus. In his quoque Christi verbis altum silentium tenet Beza. Propter sensum autem quem diximus, subiecit Christus, *Ego quum exaltatus fuero, omnia* (seu vt in Græco textu habetur *omnes*) *traham ad meipsum*, id est, beneficio & virtute mortis meæ fiet, vt sublata Diaboli potestate ac seruitute, omnes mortales (nisi per ipsos stet) mihi ac meo nomini seruiant; & qui antea penes Diabolum principatus fuerat, nunc penes me sit. In hoc sensu infrà dicitur, *Dedisti ei potestatem omnis carnis*, vt sit videlicet omniũ hominũ Redemptor, Dominus, & Iudex, quia *sicut in Adam omnes moriũtur, sic in Christo omnes viuificabuntur.*

Diabolus iuxta hæreticos hodie non est foras eiectus. *1. Ioan. 3.* *Ioan. 8.* *Caluini ludus.* *πάντας ἑλκύσω.* *Ioan. 17.* *1. Cor. 15.*

39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.

Tres difficultates soluuntur.

TRes difficultates habent hæc verba, quæ explicatione indigent. Prima est, quòd dicitur, *Non poterant credere.* Secunda, quòd dicitur, *Quia dixit Isaias.* Tertia, quòd Deus dicitur, *excæcasse & obdurasse* Iudæos. Prima difficul-

cultas ex vna pulcherrima distinctione soluetur, quam tradit Gregorius Nazianzenus oratione quarta de theologia, vbi sex modos annotat, quibus aliquid posse, & non posse fieri, tam ex communi loquendi modo quàm in ipsis Scripturis dicitur. Primus modus est, secundùm defectum aliquem, non perpetuum, sed certi temporis; nec generalem, sed certæ personæ: vt quòd puer luctari non possit aut catulus cernere. Poterunt enim suo tempore. Sic 1. Ioan.3. *Non potest peccare qui ex Deo natus est.* & Matth.7. *Non potest arbor mala fructus bonos facere*, id est, nempe dum talis est. Secũdo modo, quia sæpenumerò ita contingit: vt Matth.5. *Non potest ciuitas abscondi super montem posita.* Poterit enim à maiori aliquo monte abscondi, sed hoc rarò cõtingit. Tertio modo, quia minimè æquum aut rationi consentaneum est vt fiat: vt Matth.9. *Non possunt filij thalami ieiunare quamdiu præsens est sponsus.* Quarto modo, secundùm voluntatis auersionem. Quod enim abhorremus facere, ideóque non nisi difficulter facimus, dicimus non posse nos facere. Sic Matth.12. *Quomodo potestis loqui bona, quum sitis mali?* & Ioan.6. *Non potest mundus odisse vos.* Quinto modo, quòd secundùm naturæ potentiam fieri non potest, etsi Deo sit possibile: vt Matth.19. *Non potest camelus transire per foramen acus.* Sexto modo, quando nulla ratione fieri potest, quia naturæ repugnat, vel implicat contradictionem. Sic Ioan.5. *Non potest facere Filius nisi quod viderit Patrem facientem:* Deus non potest esse malus: & similia. Hæc Nazianzen. D. August. in hunc locum sentit Iudæos non potuisse quidem credere quia nolebant, noluisse autem quia non poterant velle, negante illis Deo auxilium necessarium, ídque ex iusto iudicio propter eorum præcedentem malitiam, vt sic ad quintum modum referri debeant hæc verba, *Non poterant credere.* Sed parum probabilis sententia est, aliquem in hac vita sic excæcari & obdurari, vt omni auxilio diuino destituatur quo conuerti possit, vel vt ipsa conuersio sit ei absolutè impossibilis. Melius & diuinæ bonitati ipsíque veritati conuenientius est, Iudæos *non potuisse credere* propter maximam prauæ suæ voluntatis auersionem, vt ad 4. modum hæc verba referantur, quod mox in 3. difficultate explicanda luculentius apparebit. Hunc sensum sequitur Chrysost. hom. 67. in Ioannem, & Euthymius. Secunda difficultas vno verbo soluitur; illud, *Quia dixit Esaias*, non causaliter, sed consecutiuè accipiendo. Tertia difficultas nõ tam facilè explicatur.

Posse vel non posse fieri, sex modis dicitur.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
Tract. 63.

Notandum tamen tam iuxta communem vsum loquendi quàm iuxta Scripturas effectum aliquem causæ attribui tribus modis. Primo modo, quando non impeditur effectus ab eo qui impedire potuit & debuit. Sic apud Prophetam. *De manu speculatoris, qui videns gladium venientem non sonuit buccina, sanguis populi exquiritur* qui gladio hostili ceciderit. Secundo modo, quando occasio data est præter intentionem dantis. Hoc modo dixit mulier Eliæ Prophetæ. *Ingressus es ad me vt rememorentur peccata mea, & interficeres filium meũ.* Tertio modo, quãdo est vera causa effectus, vt qui gladio occidit; ad quem modum reducitur, qui iuuat, qui consulit, qui mandat bonum aut malum. Deus, ex sententia Augustini in hunc locum, dicitur excæcare & obdurare quia nõ prohibet, cùm possit, ne homines excæcentur vel obdurentur, sed obdurat eos deserẽdo & non adiuuando. Vera est hæc sententia, & Deum à vera causa excæcationis liberat propter duo. Primùm, quia non tenetur Deus impedire hominum obdurationem, ideóque iustè posset omne prorsus auxilium hominibus improbis denegare; nec nisi mera gratia est, quando aliquos illuminat & emollit. Secundò, quia Deus reuera non ideò dicitur non prohibere vel non impedire hominum excæcationes & obdurationes, vel improbos deserere & non adiuuare, quia nihil prorsus facit, aut nihil prorsus adiuuat quominus excæcentur & obdurentur (omnibus enim id præstat gratiæ quo possint videre & conuerti si velint, & omnes improbos *benignitas Dei ad pœnitentiam adducit*) sed quia maiora & efficacia auxilia gratiæ non præstat. Qui autem ad cauendum malum quod satis est præstat, causa mali nullo modo dici potest. Sic Deus *intentator malorum, & neminem tentare* verè dicitur. Dicit tamen Scriptura hoc loco de Deo, *Excæcauit oculos eorũ, & indurauit eos*, propter duo. Primùm, vt Dei iudicia timeamus (vt loco citato docet Augustinus) qui propter peccata præcedentia maiora & congrua denegat auxilia quibus fiat conuersio. Secundò, quia ea facit quæ reuera hominibus improbis excæcationis & obdurationis maioris per occasionem causa sunt, quum eadem aliis facta cooperentur ipsis in bonum. Quod D. Hieron. apto exemplo demonstrat, in sole; cuius calor ceram emollit, lutum indurat. Sic enim eadem Christi prędicatio in quibusdam Iudæis fidẽ, in aliis incredulis & improbis maiorem incredulitatem per occasionem operata est. Sic *mandatum sanctum & bonum, quod erat ad vitam, inuentum est esse ad mortem, quia peccatum, occasione*

Effectus causæ tribus modis tribuitur.

1. *Ezech 33.*

2. *3. Reg. 17.*

3. *Tract. 53. in Ioan.*

Deus quomodo excæcat.

Rom. 2.

Iac. 1.

Cur dicitur excæcare.

Epist. ad Hedibiam quæst. 10.

Rom. 7.

occasione accepta per mandatum, seduxit me (ait Paulus) *& per illud ipsum mandatum occidit me.* Sicut igitur in impiis peccatum, vt appareat peccatum, per bonum mandatum operatur mortem; sic incredulis & obstinatis Iudæis ipsa incredulitas, vt appareat incredulitas obstinata, per bonam Christi prædicationem operata est excæcationem & indurationem. Hoc ergo sensu *excæcauit Deus oculos eorum, & indurauit cor eorum,* partim non succurrendo efficaciter, partim per occasionem. Vera autem & propria causa excæcationis huius sola erat Iudæorum malitia propria. Quod vt certissimum nobis fieret, Spiritus S. per Matth. & Paulum hæc eadem Isaiæ verba alio modo protulit; videlicet hoc modo: *Incrassatum est cor populi huius, auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, nequando videant oculis,* &c. Matth. 13. & Act. 28. *Excæcationis causa vera, malitia cæcorum propria.*

Impius Caluinus etiam hoc tertio modo Deum illos excæcasse, & veram excæcationis causam fuisse, hunc in locum blasphemat. *Hic* (inquit) *non tam præscientiæ Dei quàm iudicij & vindictæ habenda est ratio. Deus enim quid ipse facturus sit per Prophetam pronunciat. Nempe quòd stupore & vertigine percutiet impios, vt de ipsorum malitia vltionem sumat. Nam hic notatur causa propinqua & inferior cur verbum suum, quod natura salutare est, Deus exitiale Iudæis ac mortiferum esse velit, nempe quòd sua malitia ita meriti essent. Hanc pœnam illis impossibile fuit effugere, quum semel Deo statutum esset ipsos in reprobum sensum conijcere, & verbi sui lucem illis vertere in tenebras.* Et paulò pòst. *Notandum est Dominum aliquando per seipsum excæcare hominum mentes, quum iudicio & sensu eos priuat, aliquando per Satanam & pseudoprophetas, quum eorum fallaciis illos demētat, aliquādo per suos ministros, quum illis noxia ac lethalis est salutis doctrina.* Hæc ille. Ponit in Deo excæcationem actiuam, *quòd stupore & vertigine percutiat*; eámque immediatam, *quum per seipsum excæcat*; idque in Deo deliberatam, quia *verbum suum Iudæis mortiferum esse voluit:* denique eo sensu non potuisse credere, quia *impossibile illis erat hanc pœnam effugere,* id est, non excæcari. Hæc apertè impia & blasphema sunt, quæ Deum faciunt veram causam peccati actiuam & proximam, non per occasionem tantùm, aut aliquo modo non impedientem. Vnus Christi sermo hāc blasphemiam refutabit. *Arbor bona non potest malos fructus facere.* Si ergo quod nisi participatione bonum est, voluntas hominis bona, malos fructus facere non potest, *Caluini impia sententia de excæcatione actiua.* *Deus causa peccati actiua iuxta Caluinum.* *Matth. 7.*

quomodo fons ipse bonitatis malos fructus faciet? Atqui causa peccati actiua, immediata, voluntaria, est haud dubiè fructus malus, imò pessimus; qui & in hominibus seuerè punitur, & in diabolo damnatur. Hanc infernalem Caluini sententiam, quam quauis data occasione lectori obtrudit, olim latè refutauimus, in opere de Iustificat. lib. 11.

IN IOANNIS CAP. XIII.

1. *Ante diem festum Paschæ.*

Quo die mensis Christus vltimam cœnam celebrauit.

CVM quod hîc Ioannes narrat, in vltima nocte quæ passionem Domini proximè præcesserat, factum fuisse certum & indubium sit, qua videlicet agnum Paschalem comedit Christus; debuit autem agnus Paschalis in decima quarta lunæ ad vesperam comedi, quæ etiam vespera ad sequentem diem pertinebat, (iuxta legem quæ à vespera in vesperam solennitates computat) ideóque erat ipsa vespera diei festi Paschæ seu solemnitatis Paschalis quæ 15. luna celebranda erat: magna hîc difficultas est quomodo dicat Ioannes, *Ante diem festum Paschæ* ista contigisse. Videtur enim insinuare quòd non in vespera diei festi Paschæ, sed alia vespera ante dictum diem, videlicet 13. luna agnum Paschalem comederit, & 14. passus fuerit. Et hinc error Græcorum natus erat qui luna 14. Christi passionem accidisse pertinacissimè sustinuerunt, & alios tres Euangelistas à Ioanne correctos fuisse, impiè asseruerunt: nempe quòd scripserant, *Prima die azymorum* agnũ Paschalẽ Christum comedisse. Hic enim primus dies azymorum (aiũt illi) incipiebat ad vesperam 14. lunæ, & erat ipsius diei festi Paschæ prima vespera, ac per hoc non ante illum diem, sed illius diei. Pro hac difficultate tollenda notandum est, tametsi solemnitates apud Iudæos à vespera in vesperam semper celebrabantur, tamen non semper dies ipsi eodem modo numerabantur: sed eadem vespera aliquando cum sequenti die iuxta solemnitates legales, aliquando cum præcedenti die iuxta naturalis diei cursum, computabatur. Huius posterioris exemplum habes Exod. 12. *Primo mense, quarta decima die mensis, ad vesperam comedetis azyma. Immolabitis 14. die, & nocte illa comedetis.* Ecce nox prima azymorum tribuitur diei 14. iam finitæ. Sic hoc loco D. Ioannes, *Ante diem festum Paschæ* dicit, id est, ante decimum quintum diem, nocte proximè præcedente, coniungens illam noctem diei præcedenti

Concordia Euangelistarum.

non,

non ſequenti:cuius obſeruationis ignoratio Græcos fefellit. Sic alij tres Euangeliſtæ vocabant eundem diem 14. lunæ *primum diem azymorum*, non quia toto illo die comedebantur, ſed per Synecdochen, quia ad veſperam illius diei comedi cœperunt. Rurſum Hebræi quando diem nominant, non computant illum cum nocte, ſed ſeorſim à nocte, ſicut ſuprà Chriſtus, *Nónne duodecim ſunt horæ diei?* ideóque ab ortu ſolis vſque ad occaſum diem computant. Sic Ioannes hoc loco dixit, *Ante diem feſtum Paſchæ*, id eſt, ante ortum ſolis ſolemnitatis Paſchalis. Sic cæteri Euangeliſtæ intelligi poſſunt dixiſſe, *Primo die azymorum*, id eſt, in ipſo die quo azyma præparabantur. Addunt enim Marcus & Lucas, *In qua neceſſe erat occidi paſcha*: hoc autem erat 14. luna, nam illo die ante veſperam ſeu ante ſolis occaſum immolari debebat, & eadem nocte poſt ſolis occaſum comedi oportuit. Sic cum cæteris Euangeliſtis concordat ad amuſſim D. Ioannes. *Ioan. 11.*

8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.*

QVid Chriſtus his verbis ſignificare voluerit, difficile eſt certò intelligere. Nam aut de reali pedum ablutione loquebatur, & ſic videtur vel quaſi Sacramentum quoddam eſſe neceſſaria pedum ablutio, vt putauit D. Bernar. in ſerm. de cœna Domini; vel certè ceremonia neceſſaria ante vener. Euchar. ſumptionem, vt cenſuit D. Ambroſius de Sacram. lib. 3. cap. 1. & de iis qui initiantur myſteriis cap. 6. qui & in ſua diœceſi hoc obſeruabat: aut de ſpirituali aliqua ablutione ſeu ſanctificatione, vel venialium, quorum munditiès neceſſaria eſt, vt ingreſſus pateat ad regnum cœlorum, quem ſenſum tradit Auguſt. tract. 56. & Cyrill. lib. 9. cap. 5. in Ioan. vel etiam mortalium, vt putabat Cyprianus in ſerm. de ablutione pedum. Sed hic ſenſus poſterior eo verbo refellitur: *Qui mũdus eſt, non indiget niſi vt lauet pedes*, &c. Prior ſenſus non videtur ad literam eſſe, quum Chriſtus ad realẽ ablutionem Petrum inducebat, & de reali comminabatur. Iam vt realem ablutionem intelligamus, aut eſt comminatio generalis, aut ſoli Petro propria. Si generalis, prior Bernardi aut Ambroſij ſententia ſequenda videbitur. Neutram tamen tenuit Eccleſia. Eſt ergo realis ablutionis mandatum ſoli Petro proprium. Sed tunc quæritur cur ſub tanta comminatione præcipitur. Chryſoſtomus homil. 69. putat propter *Verborum ſenſus examinatur.*

humilitatis documẽtum in hac ablutione significatum, quam nisi Petrus teneat, non habebit partem cum Christo. Sed hic iterum realis ablutio, quam Christus vrget, deseritur. Optima igitur est D. Basilij expositio. *Si non lauero te, id est, si mihi volenti tuos pedes lauare non obedieris, propter hanc tuam inobedientiam à meo consortio separaberis.* Sic ille appositissimè exponit in oratione de peccato: & in regul. breuioribus ad interrogat 60. & ad interrogat. 133. in moralibus quoque reg. 12. cap. 2. Neque hic sensus reiici debet, quia Christi comminatio non ad ipsam inobedientiam sed ad ablutionem refertur. Non enim Christus ablutioni pedum promittit partem secum aut aliquam gratiam, sed negatæ ablutioni, quæ erat inobedientiæ actus, comminatur gratiæ negationem. Sic ad literam seruantur Christi verba: quod Petrus bene intelligens promptissimè obediuit.

Obediẽtia necessitas.

14. *Si ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.*

AD hæc verba Caluinus præclaram sibi occasionem dari ratus, in Ecclesiasticam hodie consuetudinem, qua in quinta feria hebdomadæ sanctæ pauperum aut inferiorum pedes à Prælatis Ecclesiasticis lauari solent, impotenter incurrit. Sed vt ad eam accusationem descendat, aliam præmittit. Totum insulsi cauillatoris delirium proferemus. *Notandũ est* (inquit) *quòd Christus se exemplum dedisse admonet. Neque omnia eius facta promiscuè ad imitationem trahi conuenit. Papistæ se Christi exemplo quadragesimale ieiunium seruare iactant. Atqui videndum in primis erat, an exemplum prodere voluerit, ad cuius normam se discipuli formarent. Nihil verò legitur tale. Quare non minus peruersa est æmulatio, quàm si in cœlum volare tentarent.* Hæc prior accusatio est, cuius plenam refutationem videre licet suprà ad Matth. cap. 4. & in Promptuario nostro Catholico. Summa est, tum alias esse ieiunij Quadragesimalis graues causas præter exemplum & imitationẽ Christi, tum quia nec omnia Christi facta in exemplum trahenda sunt, nec nullum: quid autem eius generis sit, vt in exemplum trahi possit ac debeat, Ecclesia Catholica mater fidelium, *columna & firmamentum veritatis,* docere nos debet, non superba & garrula hæresis. Posterior accusatio, & huic Euangelio propria, apud Caluinum

In com. ad c. 13. Ioan. ver. 15.

Ad Matt. cap 4. 2. Dom. 1. Quadr.

his

his verbis sequitur. *Adde quòd vbi Christum sequi decebat, simiæ fuerunt magis quàm imitatores. Quotannis theatricam pedum lotionem instituunt, ita inani nudaq; ceremonia se pulchre defunctos esse putant. Defuncti sibi permittunt fratres contemnere. Neque id modò, sed postquam duodecim hominibus lauerunt pedes, omnia Christi membra crudeliter lacerant: adeoq; in faciem Christi ipsius cōspuunt. Quare nihil quàm fœdum Christi ludibrium est comica illa pompa. Nec certè Christus hic anniuersarium ritum commendat: sed nos tota vita paratos esse iubet ad lauandos fratrum pedes.* Hæc ille. In his verbis vnum est quasi à ratione ductum argumentum; cætera hominis sunt non ratiocinantis, sed furentis ac debacchantis. Argumentum quod aliqua ratione niti videtur, istud est: Christus lauans pedes discipulorum suorum, posteáque dicens: *Exemplum dedi vobis*, &c. non commendat anniuersarium ritum; ergo simiæ potius quàm imitatores sunt, qui ad eius exemplum pedes fratrum lauant. Sed accidit huic hæretico, quod aliis hæreticis accidere solere scribit diuus Iudas. *Quæcunque autem ignorant, blasphemant.* Non enim ideò Prælati Ecclesiastici aliíque superiores pauperum aut subditorum pedes lauant, quasi his verbis talem anniuersarium ritum Dominum præcepisse intelligerent (humilitatis enim hoc esse documentum, non externum ritus præceptum, Catholici semper intellexerunt) sed ideò hunc ritum celebrant, vt tantæ humilitatis Christi exemplum renouent, & ob oculos ponant, deuotéque colant, & ad humilitatem omnium animis fortius imprimendam, non verbo tantùm ac prædicatione, sed facto etiam ipso adhortentur. Nam & ideò Christum hanc actionem externam adhibuisse intelligunt, vt ea ob oculos posita, discipulis suis Ecclesiarum Præpositis futuris humilitatis virtutem imprimis necessariam, certiori documento & validius commendaret. Quem Christi finem & scopum hoc loco fuisse, docet vno atque altero in loco Basilius. Non tam igitur factum, quàm finem & intentionem Christi circa factum, proposuit sibi in hoc ritu Ecclesia. Nam & hîc verum est illud quod ex naturæ lumine Poëta cecinit:

Ceremonia abluendi pedes contra Caluinum defenditur.

Capite vnico.

Mora. lib. Regu. 70. cap. 10. & 24.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Sed Caluinus nō tam hospes & aduena, quàm hostis & alienigena ab Ecclesiæ Christi cōsortio sese abdicās, nihil mirū si mysteriorū Ecclesiæ ignarus, & ea tantùm quę ante oculos sunt vidēs, de iis quę

igno

ignorat perperam iudicat; & inde calumniæ materiã struit, vnde disciplinæ Christianę documentum haurire debuit. *Propria enim Christianorum disciplina humilitas est*, ait August. quam quia superba hæresis capere nõ potest, eius documentum libentius carpere quàm amplecti & imitari contendit.

Epist.56.

Furentis hîc & debacchantis Caluini verba nec refutatione egent vlla, nec reprehensione nostra. Suam ipsa turpitudinem & furorem clara voce loquuntur. *Prælatos quippe Ecclesiæ postquam duodecim hominibus pedes lauerunt, omnia Christi membra crudeliter lacerare*; nec membra tantùm, sed, *omnia membra*; nec lacerare tantùm, sed, *crudeliter lacerare*, ac deinde *in faciem Christi ipsius conspuere*; nihil aliud quàm spiritum nequam, qui in Caluino loquitur, quique illum captiuum tenuit ad voluntatem suam, palàm demonstrant, quasiq; in theatro conspiciendum ante omnium oculos sublimem ponunt. An experimentum quærimus eius qui in Caluino loquitur, Belial? Hîc illud habemus luculentissimum. Hîc furit, hîc debacchatur, hîc tragico correptus œstro, ipsa Ecclesiarũ Christi capita, ipsam pupillam oculi eius, non tangit modò temerè culpando (nihil veritus vel illud Prophetæ, *Qui tangit, vos, tangit pupillam oculi mei:* vel illud Dauidicum, *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*) sed, quantum in ipso est, atrocissimè criminando iugulare, confodere, transuerberare cõtendit. Hîc ille Caluini spiritus se prodit, non quo aguntur filij Dei, sed quo agitantur filij diaboli, cuius summa voluptas est, Pastores à Christo datos, quia Christum ipsum non potest, mentiendo, criminando, calumniando, in odium & contemptum adducere, omnibus non deridendos modò, sed & conculcandos ac proterendos obiicere. Sed periit cum suis furiis Caluinus. Viuit, viuétque in æternum sponsa Christi Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, cuius vt fidem tenemus, ita honorem & debitam ab ouibus Christi reuerentiam ab omnibus tenendam, libenter docemus.

Caluini declamatio bacchica.

Zach. 2.
Psal. 104.

18. *Ego scio quos elegerim.*

HÆresim suam de vnica & sola fide electorũ ex his verbis probare vult Caluinus. *Reprobos* (inquit) *ornat interdum Deus Spiritus sui donis ad exequendum quod illis iniungit munus. Sic regiæ in Saule virtutes ad tempus refulgent: sic & Iudas egregijs dotibus pollebat, quales Apostolum Christi decebant. Sed alia longè est Spiritus sanctificatio, qua Dominus* non

Vnica electorum iustificatio iuxta Caluinum.

non nisi filios suos dignatur. Nam eos mente & corde renouat, vt in eius conspectu sancti sint & irreprehensibiles. Deinde viuam in illis radicem habet, quæ euelli nunquam potest, quia pœnitentia caret Dei adoptio. Hæc ille. Docet esse in reprobis gratias quasdam gratis datas; gratiam verò gratum facientem, gratiàm coram Deo iustificantem, cordis munditiem, & renouationem mentis internam quam nunc tradit (suorum placitorum oblitus de perpetua cordis immunditie, & sola Christi iustitia imputata suos electos mundante) in solis electis ponit: idque propter Christi verba, *Ego scio quos elegerim. Non tantum* (inquit) *perseuerantia in his verbis electioni accepta fertur, sed etiam pietatis initium. Vnde enim fit vt vnus magis quàm alter se verbo Dei addicat? Nempe quia electus est. Vnde fit rursum vt pergat in recto piæ vitæ cursu, nisi quia propositum Dei stabile est vt inchoatum manu sua opus absoluat?* Hæc ille. Quum ergo Christus Apostolis suis omnibus dixerit, *Si hæc scitis, beati estis si feceritis ea,* móxque subiunxit, *Non de omnibus vobis loquor, ego scio quos elegerim,* sensus iuxta Caluinum est: Non omnes beati eritis faciendo ea quæ docui, quia nō omnes electi estis. Perniciosa hæc & falsa doctrina est. Tametsi enim concedatur Christum hîc de electione æterna loqui, quod D. Augustino in hunc locum placet, non tamen docebit Christus vel solam electionem æternam pietatis & obseruationis mandatorum Christi causam fore, vel solos electos ad gloriam pietatis interdum cultores esse, & Christi mandata ad tempus obseruare: quod vtrumque Caluinus docet. Sed stante sensu electionis æternæ, docebit Christus electionem illam vnam esse & altissimam causam pietatis iustorum, & perseuerātiæ eorum. Non euertet proximas in quoque pietatis & perseuerātiæ causas, quòd *gratiam Dei in vacuum non acceperit*, sed, pulsante ostium Deo, *ianuam aperuerit cordis sui, & fecerit sibi cor nouum,* vt Scripturæ loquuntur: videlicet, diuinæ gratiæ liberè cooperando: sicuti reprobatio impiorum non euertit proximam in vnoquoque impio causam, propriam animi malitiā ac prauitatem, vt ipse Caluinus passim agnoscit. Rursum stante sensu electionis æternæ, non docebit Christus solos ad gloriam electos mente & corde renouari, vt Caluinus hîc docet. Non enim de electione æterna ad gloriam vel Christus hîc loquitur, vel Augustinus exponit, sed de electione ad illam beatitudinem, de qua hîc Christus dixit, *Beati eritis si feceritis ea*: id est, de electione ad gratiā qua fiant Dei præcepta.

Eadem refellitur.

2. Cor. 6.
Apocal. 3.
Ezech. 18.

Talis

Electio ad gratiā reprobu communis. Talis autem electio ad gratiam, seu præparatio gratiæ, multis etiam reprobis concessa fuit, atque inter alios Iudæ & Sauli, quorum exempla Caluinus profert. Nam & Saul quum in Regem vngeretur, *bonus ac iustus erat*, vt docet Cyprianus

1.*Reg*.9.2. lib.1.epist.5.& August.ad Simplicianũ lib.2.q.2. quod & Scri-

1. *Regum* 13.1. ptura disertè docet. *Erat Saul electus & bonus, & non erat vir*

1. *Regum* 15.17. *de filijs Israël melior illo*: & iterum, *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset*, id est, iuxta idioma Hebraicum, *innocens & (vt Samuel postea profitebatur) paruulus in oculis*

Matt.10. *suis*: & Iudas, quum in Apostolum eligeretur, talis erat, vt per eum quoque sanarentur infirmi, & dæmonia eiicerentur, noménque eius in cælo scriptum esset, non secus quàm cæterorum 72. Discipulorum, id est, apud Deum in numero iustorũ

Luc.10. haberetur. Neque enim quum Christus dixit, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo*, omnium illorum prædestinationem illis reuelauit, tum quia hoc non expediebat, tum quia non secus ex illis 72. vnus potuit esse reprobus quàm ex 12. Apostolis vnus reprobus fuit. Deinde Iudas ille erat, de quo Christus dixit: *Pater, quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis*. Ecce Iudas fuit datus à Patre Christo; ergo tunc bonus erat. Rursum periit ex grege; ergo antequam periit, de grege bonorum erat. Stante igitur sensu electionis æternæ, impium Caluini dogma, quòd soli electi verè coram Deo iustificantur, ex hoc loco stabiliri non potest.

Sed non est probabile de electione æterna Christum hîc loquutum fuisse. Talis quippe sententia ad Iudæ emendationem (quam Christus hîc & in toties repetita admonitione spectabat) minus efficax fuisset: imò eum ad suam improbitatem magis irritasset. Diceret enim: Non me elegisti, & ideo talis non sum sicut alij electi, vt tua mandata faciam, & in tui dilectione perseuerem. Sensus ergo literalis est, *Ego scio quos elegerim*, id est, scio qualis sit nunc, & qualis quisque eorum futurus est, quos in meos Apostolos elegi. Et hunc sensum confirmant verba sequentia. Nam ne quis miretur cur in Apostolum elegerim qui proditor futurus erat, quum id ipsum ita fore præcognouerim, sciat me hoc fecisse vt impleretur Scriptura, & consequenter mandatum Patris mei in Scriptura reuelatum, quo prædictum hoc ipsum est; fore vt vnus ex familiarib' discipulis meis *leuaret cōtra me calcaneũ*, id est, me dolo & proditoriè supplantaret. Ita futurum Deus in Scriptura prædixit. Ego propterea etiã illum in familiarem

Aposto

Apostolum elegi,quem huiusmodi futurũ præsciebam. Ego enim scio quos elegerim in discipulos meos,nec ex ignorantia aliqua aut cæco casu talem electionem feci. Hic est literæ genuinus ac germanus sensus,quem meritò obscurum esse annotauit doctissimus interpres Cyrillus Alexandrinus. *Lib.9.cap. 10.in Ioan.*

34. *Mandatum nouum do vobis,vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos,vt & vos diligatis inuicem.*

Dilectionis mutuæ mandatum cur hoc loco nouum dicatur,multi multa dixerunt,& vera,& probabilia,& vtilia,quamuis non omnes iuxta Christi mentem & literæ sensum. Cyrillus exponit nouum vocari propter nouum dilectionis modum,quem illis verbis Christum exprimere putat, *Sicut dilexi vos*, id est,vt bona temporalia ac vitam pro fratrum salute spirituali exponamus , sicut Christus pro nobis semetipsum exinaniuit.Sed hic sensus (quem etiam Euthymius sequitur) nullum nouum mandatum facit,quia quando fratrum salus æterna necessariò hoc exigit , mandatum hoc ab orbe condito piis omnibus iniunctum fuit, & ipsa charitatis fraternæ ratio hoc docet.Chrysostomus propter nouum quoque diligendi modnm, vocari mandatum nouum existimauit ; nimirum vt sicut Christus prior dilexit nos sine vllis præcedentibus meritis, sic nos nihil de nobis bene meritos diligere,& beneficiis eos præuenire debemus. Sed nec hoc nouum erat,quia dilectio proximi propter Deum (quæ semper erat in præcepto) hoc totum à nobis exigit. Si enim propter Deũ diligendus proximus,siue de nobis bene sit meritus,siue non,diligendus est.Augustinus hanc nouitatem ad effectum refert,quia dilectio facit homines nouos,& noui testamenti filios. Verum sanè & hoc est, sed quia hominibus iam nouis & in Christo regeneratis,Apostolis scilicet,omnibúsque Christianis hoc præceptum datur,non videtur Christus hoc respectu nouum mãdatum vocasse. Sunt qui nouum dicunt ab origine sua,quia ex nouo Spiritu procedit,sicut homo vetus spiritu timoris ducitur. Nec alienum à veritate hoc est:sed omnibus quoque aliis mandatis hoc commune est,vt per Spiritum gratiæ impleantur. Alij adhuc nouum vocari volunt, quasi renouatum,& de nouo hîc à Christo inculcatum,quia iam apud Iudæos neglectum quasique antiquatum hoc mandatum erat. Ad quorum sententiam accedit hoc loco Caluinus ; *Scimus* (inquit) *leges initio diligenter seruari, sensim*

Marginalia: 1. *In Ioan. lib.9.c.23.* — 2. *Homil.71. in Ioan.* — 3. *Tract.65. in Ioan.* — 4. — 5.

ſenſim verò labi ex hominum memoria, donec tandem obſoleſcant. Ergo Chriſtus, quo melius infigat ſuorum animis charitatis doctrinam, à nouitate eam commendat, quaſi diceret: Volo huius mandati vos perpetuò eſſe memores, ac ſi lex eſſet recèns nata. Non eſt improbandus hic ſenſus, quia pius, verus, ac laudabilis eſt, tametſi (vt nobis videtur) non ad literam: ſicuti mox ex verborum Chriſti tractatione elucidabimus.

Venenum hoc loco Caluinianum.

Interea veneno hîc Caluiniano, quod more ſuo aſpergit, occurrendum nobis eſt. *Quia difficile* (inquit) *eſt retinere charitatem, homines ea poſthabita nouos ſibi colendi Dei modos fingunt; & Satan multa ſuggerit in quibus ſe occupent. Ita accidit vt fruſtra ſatagendo illudere Deo conentur, ſe autem decipiant.* Quò autem hæc eius oratio collimet, & quos perſtringere velit, paulò pôſt in ſequentibus aperit. *Quum* (inquit) *hac mutua dilectionis nota diſcernat ſuos Chriſtus ab alienis, fruſtra ſe fatigant, qui relicta charitate, nouos & commentitios cultus ſuſcipiunt, qualis hodie vanitas in Papatu regnat.* Hæc futilis & inſulſa cauillatio, quem (quæſo) hîc locum habet, aut Chriſti hoc loco doctrinæ quo tandem modo affinis, aut ad eam conſequens eſt? Quis non videt impotentem hæreticum carpendi cauſas quærere, & in Eccleſiam Chriſti Catholicam cæco odio, cæca rabie ac furore, quauis data imò non data cauſa ferri? Tametſi enim eſſent in Eccleſia Catholica, quam Papatus nomine ſemper deſignat, noui & commentitij cultûs; quis tamen illos ex relicta charitate naſci niſi inſanus dicat? Superſtitio, quæ nouos & commentitios vel adinuenit vel ſuſcipit, non ſanè ex defectu charitatis proximi, qui ſemper adiunctum habet defectum charitatis in Deum, ſed ex feruenti quodam, præpoſtero tamen & inordinato colendi Deum ſtudio propriè naſcitur: quo ſtudio qui feruent, eiuſdem ſuperſtitionis ſocios & cultores maximè & ardenter amare ſolent: adeò vt in illis charitas non quaſi relicta & poſthabita negligatur, ſed malè collocetur.

Impotens Caluini calumnia diluitur.

Mādatum dilectionis mutua cur nouum.

Et propriè Chriſtus hoc loco dilectionis mandatum, quod nunc dat, ideò nouum vocat, quia de ea dilectione loquitur quam Chriſtiani inter ſeipſos eo quòd Chriſtiani ſunt, eiuſdem religionis cultores, ſub vno capite Chriſto, & eiuſdem corporis membra, tenere debent. Hoc eſt enim, *Vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos*, id eſt, vt diſcipulus diſcipulum, Chriſtianus Chriſtianum diligat; ſicut ego vos omnes meos diſcipulos, quaſi de meo corpore, ſingulari amore complexus ſum. Et hoc eſt verè mandatum nouum quod Chriſtus

ex

ex hoc mundo discessurus suis dedit, vt Christiani Christianos singulari amore se mutuò complecterentur, se mutuò iuuarent, se mutuò consolarentur, se mutuò sustinerent: quod à primis Christianis cumulatissimè præstitum fuisse Acta Apostolica demonstrant: ad quod Paulus in suis Epistolis frequenter hortatur, quasi ad proprium & nouum mandatum Christi. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Gal. 5. *Charitas fraternitatis maneat in vobis:* Heb. 13. & ad Romanos plenius. *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes: τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι.* Rom. 12. id est, Ad hunc amorem fraternum, quo vos mutuò diligere debetis (scilicet ex Domini mandato nouo) sitis feruidi & admodum propensi, vt eum nullo modo intermittatis. Quare & D. Ioannes in 1. sua Epistola in hoc vno mandato, veluti Christianis hoc sensu proprio, inculcando totus versatur; & vsque ad vltimum spiritum, etiam cum nausea ac fastidio discipulorum, idem perpetuò inculcauit, rationē reddens, *Quia Domini præceptum est; & si solum fiat, sufficit.* Hieron. in Catalogo. Hoc itaque mādatum quasi Christianis proprium, quo eiusdem religionis socios omnibus amoris officiis complectebantur, per aliquot secula ita retinuerunt Christiani, vt Tertullianus de suo tempore, commemoratis Christianorum collectis pecuniariis, & in quos vsus illa collecta pecunia distribueretur, ita tandem cōcludit. *Eiusmodi vel maximè dilectionis operatio notā nobis inurit penes quosdam. Vide (inquiunt) vt se inuicem diligant, & vt pro alterutro mori sint parati.* In Apolog. c. 39. Hæc ille. Denique propter hanc mutuæ dilectionis notā proprio vocabulo Christiani fratres vocabantur. Hæc ergo mutua Christianorum charitas, qua se quatenus Christianos inuicem singuli diligunt, vbi refrigescit, vbi deseritur & negligitur, non illi ad nouos & commenticios cultus dilabuntur, sed ab omni Dei cultu cessant, nec superstitionis affectum, sed religionis contemptum induunt. *Charitas relicta non generat superstitionem, sed Dei contemptum.* Quum enim proximum, quem vident, non diligunt, quomodo Deum diligent, quem non vident? Deum autem quo minus diligunt, eo minus colunt. Deinde quum Christiana hæc propriè charitas propter Christum & propter communem religionem Christianam assumatur, ea neglecta & reiecta, iacet quoque consequenter religio. Nam & ideò via ad hæreses schisma est, quia violatum charitatis fraternæ, qualis hîc præcipitur, vinculum, dogmatum quoque & totius cultus Christiani violationem inducit. Sic neglecta

& reiecta charitas non nouos & commentitios cultus introducit, sed omnem Dei cultum abolet. Adeò præposterè suo hîc stomacho indulsit Caluinus.

Papatus nullos habet nouos cultus. Deinde quos ille potest nouos & commentitios cultus in Papatu designare? quorum omnia sunt antiquissima, & à multis retrò seculis vsurpata, & non nisi à primis Ecclesiæ Magistris accepta, & antiquitatis nomine ita commendata, vt propter ipsam vetustatem hæreticis nouatoribus displiceant; nec quicquam magis in Papatu reprehendant, quàm quòd consuetudinū & traditionum antiquissimarum ita tenaces sunt. Vnde ergo hæc insolens cauillatio, *nouos & commentitios cultus in Papatu vbique regnare?* Si noui sunt, originem eorum ante annos paucissimos ostēdere Caluinus debuit: si cōmentitij, authores eorum proferri oportuit. Quod ille non præstitit, præstet qui potest Caluinista: aut nefarium impostorem, qui talia mentiatur, fuisse Caluinum agnoscat.

Dilectionis mandatum solam fidem euertit. Sed profectò *mandatum hoc nouum vt diligamus inuicem sicut Christus dilexit nos*, Caluinum solius fidei præconem malè habuisse videtur, vt propterea animi sui ægritudinem hac importuna Catholicorum accusatione subleuare, & bilem eiicere voluerit. Sanè si mandatum hoc Christi est, eo defungi necessariò oportet. Hoc Caluinus non abnuere videtur. Ait enim hoc loco. *Quisquis verò Christi esse & à Deo agnosci cupit, totam vitam cōponat & dirigat ad amandos fratres, & huc se assiduè solicitet.* Ex hoc igitur Christi mandato, & his Caluini verbis, ita contra Caluinistas arguo: Dilectio fraterna est mandatum Christi, & propria nota hominis Christiani, vt absq; ea nemo sit verè Christi, aut à Deo agnoscatur: ergo sine ea nemo apud Deum iustificatur, nemo iustus censetur. Iustificari quippe & iustus censeri apud Deum non potest, qui à Deo non agnoscitur, qui verè Christi non est, & propria nota, proprio charactere hominis Christiani caret. Ita non solùm fides quæ iustificat, nō est sola, quia cum charitate cōiuncta (qua rima elabi Caluinus solet, etsi frustra, quum id vnum solam fidem efficaciter destruat) sed ita est cum charitate coniuncta, & ita charitas cum fide ad iustificationem necessaria est, vt ipsa quoque per se hominem Dei filium constituat, Deo gratum ac iustum coram Deo efficiat. Quæ enim propria filij Dei nota est, propria ratio, & nota non libera sed necessaria, atque intrinseca, illa filium Dei propriè facit atque constituit, non quidem sola, facit tamen vt vna necessaria subiecti forma & pars iustitiæ integralis. Ita hic

hic locus non sine causa Caluini animum malè vexauit, vt aliquid extra rem impotenter effundere debuerit.

IN IOANNIS CAP. XIIII.

1. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

COMMVNIS est & consentiens omnium veterum Patrum doctrina, Christum hoc loco mansionum æternæ beatitudinis non multitudinem tantùm, sed & diuersitatem docere: vt sicut meritorum in hac vita imparitas magna est, aliúsque alio coram Deo iustior ac sanctior inuenitur, sic præmiorum magna quoque in cælo imparitas ac diuersitas reperiatur. Patrum quorundam sententias integras in Prompt. nostro Catholico produximus, D. Augustini tract. 67. in hunc locũ, D. Hieronymi lib. 2. contra Iouinianum, Gregorij Magni Moral. lib. 4. cap. vlt. & lib. vlt. cap. 24. & dialog. lib. 4. cap. 35. Accedunt ad illos & alij Patres. Irenæus affirmans *sic esse multas mansiones apud Patrem, sicut sunt multa membra in corpore:* quorum magnam esse diuersitatem nemo dubitat. Hilarius his verbis. *Plures mansiones diuersæ dignitati habitantium præparantur. Sed licèt diuersa sit dignitas (differt enim stella stellæ in gloria) tamen quotquot habitationibus (varijs licet) digni habebuntur, fidei fructum & honorem cælestis gloriæ sortientur.* D. Basilius in hæc verba. *In splendoribus sanctorum mansiones multæ sunt apud Patrem, hoc est, dignitatu discrimina. Sicut enim stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum.* Sed & iterum D. Augustinus acerrimè contra Iouinianum disputans, qui disparitatem meritorum in coniugio & virginitate negabat, ex hoc loco pugnat. *Quia in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impare non viuet alius prolixius, in multis autem mãsionibus honoratur alius alio clarius.* Hæc rursum ille. Iam verò omnes hos Patres ex alto despiciens Caluinus ita scribit. *Perperam tractus hic locus fuit in alium sensum, quasi doceret Christus distinctos esse honoris gradus in regno cælesti.* Sed quare perperam? *Multas enim* (inquit) *mansiones dicit Christus, non varias aut dispares, sed quæ pluribus sufficiant: ac si diceret, non sibi vni, sed omnibus etiam discipulis locum illic esse.* Atqui hæc obseruatio friuola planè atque inanis est. Nam, vt rectè disputat D. Gregorius, *si dispar*

Meritorũ & gloriæ disparitas.

Lib. 2. cap. 21.

In Psal. 64

In lib. de Spiritu S. cap. 16.

In lib. de S. virgin. cap. 26.

Caluini friuola probatio contra Patrum consensum.

Dialog. lib. 4. c. 35. *retributio in illa beatitudine non esset, vna potius mansio quàm multæ essent.* Mansio quippe cælestis non locum circunscriptum quo veluti certo ac definito animæ & corpora beatorum concludantur, sed requiem & gloriam beatis præparatam denotat. Hæc gloria quum non vna sit, sed multæ; varia quoque & dispar necessariò erit. Sed & ipsa Caluini expositio hanc disparitatem probat. Quum enim idcirco multas esse mansiones Christus dixerit, vt doceret non *sibi vni, sed omnibus etiam discipulis locum illic esse*, Christi autem mansionem à discipulorum mansionibus magna disparitate differre negari non possit, necessariò hæ multæ mansiones dispares quoque & diuersas significare debent. Ita Caluini cauillatio tot Patrum consentienti expositioni præponderare non potest.

Miretur fortè quispiam, cur ita proteruè doctissimis Patribus obsistat Caluinus, vt ab illis omnibus perperam hunc locum tractum affirmet. Vidit doctrinam meritorum & iustitiam ac retributionem bonorũ operum ex hoc loco iuxta Patres intellecto necessariò stabiliri, suam autem imputatiuam iustitiam (quæ nullam disparem retributionem patitur, quum Christi iustitia omnibus æqualiter imputetur) penitus subuerti. Hac de causa ausus fuit communem Patrum expositionem reiicere, & vnum suum friuolum argumentum omnium illorum iudicio anteponere. Hæc eius insolentia ac improbitas est.

3. *Etsi abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum.*

Limbus Patrum contra Caluinum defenditur. HOc iterum loco veterum Patrum sententiam ac fidem taxat Caluinus. Quum enim Christus hic doceat se redeundo ad Patrem per corporis sui ascensionem & glorificationem, parare suis omnibus locũ, quo & illi ad Patrem conscendant, & cælesti gloria fruantur, patetur autem hic locus Christo glorificato, quia ille omnibus ianuam cæli aperuit, quod ante eum glorificatũ nulla beata anima ingredi potuit, quia (vt Caluinus hic agnoscit) *ille vnicus hæres cæli possessionem nostro nomine adijt, vt per ipsum accessus nobis pateat*, &, *Heb. 9.* vt Apostolus docet, antequam Christus ingrederetur sancta sanctorum, *nondum propalata erat sanctorum via*, mouet hic quæstionem Caluinus, & ait. *Exoritur tamen quæstio, qualis fuerit Patrum veteris testamenti conditio post mortem, antequam*

quam Christus in cælū ascenderet. Vulgo enim colligunt, fideles animas in limbo fuisse inclusas: quia dicat Christus suo in cælū ascensu paratum iri locum. Vera est hæc collectio, & cōmunis Catholicæ Ecclesiæ & veterū Patrum sententia, vt alibi contra Caluinum ostendimus. Sed displicet illa huic nouatori, & collectionem firmissimā infirmare conatur. *Sed responsio* (inquit) *facilis est, quòd locus hic parari dicatur in diem resurrectionis.* At hæc responsio nulla est. Christus quippe in diem resurrectionis parat beatis locum quoad corporum glorificationem. Animas tamē interea Dei visione frui post Christi ascensum, qua visione veteris testamenti Patres defuncti non fruebantur, huiusmodi præparationi non repugnat. Vnum igitur ex altero infirmari non potest, & quod concludit Caluinus, *vtrisq; pariter*, tam Patribus olim defunctis quàm iustis post Christi ascensionem ad alterā vitam translatis, *Christum parare locum in quem extremo die omnes recipiet*, huic discrimini nihil obsistit, quò dicitur, Christo in cælū assumpto iustorum animas tam veterum Patrum quàm aliorum post Christum in cælum assumi, & Dei visione frui, sed ante Christum in cælum assumptum Patrum animas in limbo detentas, & Dei visione in cælesti gloria necdum gauisas fuisse. Quæritur igitur à Caluino, quo tandem loco erant Patrum veteris testamenti animæ ante Christum glorificatum, postquam nec in cælo fuisse fatetur ipse, nec in limbo fuisse cum Ecclesia Catholica fateri vult? Vidit hoc ab ipso necessariò quærendum. Ait igitur. *Ante reconciliationem peractam fideles animæ, velut in specula, erāt intentæ ad redemptionem promissam: & nunc beata quiete fruuntur, vsq; dum compleatur redemptio.* Erant (inquit) intentæ ad redemptionem promissam velut in specula. Verum quidem hoc est, sed vbi, in quo loco, in quibus receptaculis erant? Neque enim nusquam erant, si erant. Nec infinitæ sunt animæ, sicuti Deus est, vt ideò vbique sint. Perpende igitur, lector Christiane, Caluini pertinaciam. Agnoscit *animas fideles nunc quidem beata quiete frui, vsque dum compleatur redemptio*, per corporum glorificationem: ante reconciliationem autem à Christo peractam, ad redemptionem promissam fuisse intentas, & illas veluti in specula expectasse: quod totum Catholica agnoscit Ecclesia. Sed in certo receptaculo, quod limbum Patrum vocauit antiquitas, illas hanc redemptionem expectasse proternè negat. Ita nec locum ipse designat, nec agnitum ab Ecclesia locum recipit. Hæc est mera hominis

In Trīpt. Cath. parte Quadrag. fer. 5. hebd. 2.

Caluini proteruia reuincitur.

improbi proteruia, & contradicendi libido. Idcirco autem limbum Patrum negat Caluinus, negant & alij hodie hæretici, ne præter cœlum & damnatorum infernum, medium aliquem locum, qualis purgatorius nunc locus est, agnoscere cogantur. Quàm autem proteruè & insulsè Caluinus id faciat, hic vnus locus ad oculum demonstrat.

12. *Maiora horum faciet.*

Opera maiora per Christianos quàm per Christum quomodo.

VAria redditur à sacris Doctoribus huius promissionis expositio. Origenes homil.7. in Numeros ideò per Apostolos aliósque Sanctos maiora facta esse opera quàm Christus ipse fecit, exponit, quia plus est Christum per alios mundum & Diabolum vincere quàm per seipsum. Vincit autem per alios, quando per eius gratiam spiritualia fiunt opera à filiis Dei, quibus caro, mundus, Diabolus vincuntur. Hæc expositio non videtur literalis, quia cõparatio Christi circa eiusdem generis opera versari debet. Loquitur autem de suis miraculosis operibus, quorum maiora per alios facienda prædicit. Eadem ex causa nec illa expositio ad literam erit quam idem tradit Origenes homil.6. in Esaiam, & similiter S. Augustinus tract.72. in hunc locum, videlicet quò l per maiora opera intelligatur conuersio Gentium & totius mundi facta per Apostolos, quum Christus nisi paucos Iudæos conuerterit. Hæc enim conuersio effectus potius est operum miraculosorum, quàm opus per se tale, nec comparatio Christi de eo genere loquitur. Tertia est magis ad sensum Christi, quã idem quoque tradit S. August. loco citato, & Chrysost homil. 12. in Acta, quod quædam miracula Sancti fecerunt in fide Christi maiora quibusdã miraculis à Christo factis: vt quod Petri vmbra sanauit infirmos, maius videtur quàm quod cõtactu fimbriæ Christus sanauit, quo exemplo Chrysost. vtitur. Nec enim generalis hæc promissio est, vel de omnibus miraculis, sed de quibusdam; nec de omnibus Sanctis, sed de quibusdam, quum ad fidem Christi comprobandam (qui finis est miraculorum) sufficiat in eius nomine quædam à quibusdam maiora fieri miracula quàm ille aliquando fecit. Caluinus ad totius mundi conuersionem hanc promissionem refert, vt illud *facere* nec solis Apostolis nec singulis piis commune sit, sed ad totum Ecclesiæ corpus spectet. Atqui in conuersione totius mundi, totum Ecclesiæ corpus nihil facit, sed fit potius, ædificatur, colligitur. Ergo illud *facere* non potest ad

Caluini sensus refellitur.

totum

totum Ecclesiæ corpus, quatenus in fidem colligitur, spectare, sed ad quosdam pertinere debet, qui opera maiora faciunt quàm Christus aliquando fecit. Frustra Caluinus nouellum hoc glossema adinuenit, ne aliquid à suis maioribus didicisse videatur.

15. *Si diligitis me, mandata mea seruate.*

21. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*

23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

24. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.*

CHristus Redemptor Apostolos propter magistri sui recessum, quem iam eis prædixerat, ex eiusdem amore vehementer contristatos, seriò & subinde monet, vt hunc in eum amorem aliò conuertant; vt non de eius recessu tristentur, sed de eius seruandis mandatis, quæ tam multa eis dederat, soliciti essent. Sic enim demum fore, vt suam in eum dilectionem ostenderent & comprobarent: vt illi vicissim à Deo Patre atque ab ipso diligantur: vt ipse quoque post recessum suum adhuc seipsum eis manifestaret, siue post mortem rediuiuum; siue per gratiæ spiritualis perfectionem, siue denique per gloriæ manifestationem in beata vita. Denique vt tam ille quàm Pater non tantùm ad eos, sed ad omnes qui eũ diligerent, & mandata eius seruarent, venirent, & mansiones suas apud eos facerent: quod postremum quantum valeat, in Prompt. nostro Catholico latiùs olim diximus. In hac tota oratione partim charitatis vim, virtutem, efficaciam (quæ videlicet facit seruari mandata) partim obseruationis mandatorum amplissimum fructum, vtilitatem, premium Christus nos docuit. Priorem doctrinam agnoscit aliquo modo Caluinus. Ad illa enim verba, *Qui habet & seruat mandata mea, ille est qui diligit me*, ita scribit. *Iterum repetit superiorem sententiam, quòd certa amoris erga ipsum approbatio in eo sita sit, si præcepta seruemus.* Mox Paulum hortari fatetur, *vt simus noua creatura in Christo.* Addit quoque *iubere hic Christum, vt in doctrina sua obseruantiã & pietatẽ incumbant: sic enim rectè*

Charitatis efficacia & vtilitas.

1. 2. 3. 4.

In festo Ascens. Domini.

obediri Euangelio, quum officia nostra & externa actiones ex Christi amore nascuntur. Hæc tametsi totam Christi sententiã plenè non referant, (docet enim Christus, sine dilectione seruari mandata non posse, vt ver. 24. apertè loquitur, & illum demum diligere qui seruat eius mandata, ver. 21. vt mandatorum obseruatio dilectionem Dei necessariò consequatur) veram tamen sententiam habent.

Cæterùm ne hæc veritas Euangelica suum fructum referat, ne charitatis & obseruationis mandatorum existimatio lectoris animum occupet, denique ne quid detrimenti capiat sola fides iustificans, occurrit quàm primùm Caluinus, & saluberrimam hãc doctrinam suo veneno asperso inutilem reddit. *Iam* (inquit) *quum certum sit nos seruare Christi præcepta, quatenus ipsum amamus, sequitur nullibi posse reperiri in mũdo perfectum eius amorem: quia nemo est qui perfectè seruet eius mandata.* Totam Christi doctrinam inuertit & eludit. Ponit Christus, quod verum erat, se ab Apostolis suis diligi, & ab aliis postea in eum credituris diligẽdum fore. Hoc enim totum in cordibus suorum per Spiritus sui gratiam effecturus erat, non solùm *fide purificans corda eorum*, sed & *diffusa charitate in cordibus eorum per Spiritum Sanctum quem daturus erat.* Iam huius dilectionis hunc esse fructum, hoc argumentum, hanc vim ac virtutem fore dicit, vt *qui eum diligunt, mandata eius seruent.* Sic ex dilectione, quam certissimè præsupponit Christus, mandatorum suorum obseruationem infert atque concludit. Inuertit Christi argumentum Caluinus: Tu ex dilectione Dei mandatorum obseruationem concludis. At ego probo nullam esse talem dilectionem, quia nulla est mandatorum obseruatio. Nulla, inquam, est perfecta mandatorum obseruatio; ergo nullus est perfectus amor. Aut igitur de perfecta hîc mandatorum obseruatione loqueris, vt amorem quoque perfectũ præsupponas, & sic ex priori posterius destrue: aut de imperfecta mandatorum obseruatione disputas, vt amorem quoque non nisi imperfectũ quendam præsupponas, & sic mandatorum obseruatio, quam hîc doces, vera non erit. Non enim verè lex mandatorum seruatur, nisi tota & perfectè seruetur. Hæc est Caluini contra Christum disputatio. Verba Christi de perfecta dilectione & perfecta mandatorum obseruatione exponit, qualem videlicet ipse sibi finxit, nemini in hac vita possibilem: quod aliis in locis explicatum dedimus. Illa prima astutia est, vt exclusa perfectæ obseruationis possibilitate, totam quoque

Christi doctrinam Caluinus euertit.

Act. 15. Rom. 5.

Caluini cõtra Christum disputatio.

possibi

possibilem obseruationem, vt rem ad salutem nec necessariam nec vtilem, pariter excludat. Tum Christi consequentiam euertit ex destructione consequentis. Dicente Christo: *Si quis diligit, seruat mandata*, resistit Caluinus: Nemo seruat mandata; ergo nemo diligit. Nequitia hæc & impietas est cum summa stoliditate coniuncta. Quid enim stolidius, quàm, vt argumentum eludas, conclusionem negare? Quid magis impium, quàm, quod Christus ex altero concludit, falsitatis arguere? Concludit & colligit Christus ex dilectione Dei, mandatorum Dei obseruationem. Negat hanc posteriorem Caluinus; Christúmque falsitatis arguit, vt collectionem Christi infirmet. Postquam Christi collectio Caluino displicuit, medium probationis negandum erat, non ipsa conclusio. Sublato quippe probationis medio, deficit conclusio, non econtrà. Hæc est hoc loco Caluini & stoliditas, & impietas maxima. *Caluini maxima impietas & stoliditas.*

Sed quid tandem Caluini iudicio docebit hîc Christus, si mandatorum Dei obseruationem non docet; aut si talis nulla est? *Gratum tamen* (inquit) *Deo est eorum obsequium qui ad hûc scopum vero conatu aspirant.* Hoc est totum quod à Christo his verbis doceri Caluinus patitur, conatum quendam ad Dei mandata obseruanda, non ipsam mandatorum obseruationem. Atqui Christus non dixit, Si diligitis me, verum conatum habete, vt mandata mea seruetis; sed dicit, *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Rursum non dicit, Qui verum conatum habet seruandi mandata mea, ille est qui diligit me; sed dicit, *Qui habet mandata mea, & seruat ea*, id est, vt ipsemet hoc loco exponit Caluinus, *qui in mandatis meis rectè est institutus; qui se & vitam formMat ad eorum regulam*, ille est qui diligit me. Adhuc iterum Christus non dicit, Si quis diligit me, verum conatum habebit seruandi sermonem meum; sed dicit, *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* In omnibus suis verbis Christus ipsum opus prædicat, non conatum, ipsam obseruationem, non obseruandi studium, denique actū ipsum & effectum, non desiderium inefficax, quale Caluinus ponit. Nos igitur Christi verbis credimus, non fermento Caluini verba Christi tenemus, non commenta & traditiones Caluinianas. Perpetuum est autem hoc Caluini commentum & fermentum, vt opera destruat, conatum inefficacem substituit, vt ipsam mandatorum obseruationem tollat, desideria boni, quæ effectum non sortiuntur, supponit: quod in epist. ad Rom. clariùs elucescet. *Christi verba contra Caluini fermenta.* *In cap. 7.*

Sed & alia Christi verba hoc loco non de vero tantùm conatu, sed de ipsa mandatorum vera obseruatione & adimpletione Christum loqui iuxta ipsius Caluini interpretationem docent. Quod enim Christus inter hæc verba dixit, *Ego rogabo Patrē, & alium Paracletum dabit vobis, vt apud vos maneat in æternum*, hoc de spirituali gratia, quæ facit seruari mandata, exponit Caluinus. Sic enim ad illa verba scribit. *Promittit Christus se præceptis seruandis vires daturum. Nam alioqui parum efficax fuisset exhortatio, qua dixit, Mandata mea seruate. Ergo in tempore occurrit, docétque, vtut absit ab illis corpore, non tamen se passurum vt auxilio destituti iaceāt, quia per Spiritum suum illis aderit.* Ecce agnoscit Spiritum Sanctum credentibus à Christo promitti, vt det vires præceptis seruandis, & futuram alioqui Christi exhortationem parum efficacem. Seruantur igitur de facto per has vires gratiæ Dei mandata, & efficax est illa Christi exhortatio: *Si diligitis me, seruate mandata mea.* Non est tantùm in credentibus *verus conatus*, quo aspirant ad obseruationem mandatorum, sed est in illis verus effectus ipsius obseruationis. Hæc Caluini confessio ad ipsum Caluinum refutandum satis efficax est, & principale eius dogma de obseruatione mandatorum impossibili efficaciter subuertit. Ad quod enim præstandum vires accepimus, illud nobis impossibile non est: & quum ad faciendum exhortatio efficax est, illud profectò fit ad quod exhortatio prouocat. Sed magistri mendaces mendaciorum suorum parum sunt memores.

Caluinus ex seipso refutatur.

Est adhuc aliud quod ex his Christi verbis cauillandi Caluino causam dare potuit. Dixit Christus, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo:* & rursum, *Si quis diligit me, Pater meus diligit eum.* Ad hæc verba Caluinus. *Perperam ex hoc loco eliciunt Papistæ duplicem amorem quo Deum prosequimur. Fingunt Deum naturaliter à nobis diligi, priusquam nos Spiritu suo regeneret: & hac etiam præparatione nos mereri regenerationis gratiam.* Hæc ille. Duplici mendacio Catholicam doctrinam grauat. Falsum est, duplicem amorem, quorum alter sit naturalis, ex hoc loco Catholicos colligere; quum nemini dubium sit de illa sola dilectione Christum hîc loqui, quæ Dei donum sit, quæ sola facit seruare mandata, quæ sola facit filios Dei, quæ sola causa est vt semel dilecti magis à Deo diligamur, quatenus huius dilectionis beneficio Dei mandata seruantes ad maiorem erga nos dilectionē, ad maiora & ampliora gratiæ beneficia nobis cōferenda Deum prouocamus.

Caluini duplex mendacium.

Hæc

Hæc est Catholicorum interpretum hoc loco sententia. Naturalem quandam Dei dilectionem, vt est author naturæ, & quatenus per ea quæ facta sunt naturaliter cognosci potest, etiam in non regeneratis agnoscunt Catholici Doctores: sed ex hoc loco eam non colligunt: neque de naturali dilectione Christum hic loqui vlli exponunt. Iam verò dicere Catholicos quòd huius naturalis dilectionis præparatione meremur gratiam regenerationis, mendacium quoque est multò luculentius. Proprium hoc erat Pelagij dogma, mereri hominem primam gratiam, quia prius homo naturaliter Deum diligit & colit. Vt huiusmodi absurda atque impia Catholicis impingeret Caluinus, authorem proferre debuit, saltem ex tam innumeris vnum. Sed dolosus versatur in generalibus: & solemne hoc improbis ac maledicis est, vt in genere arguāt, quum in specie probare non possunt. Est & istud Caluiniani toxici vna dosis apud illum satis frequens ac vulgaris. Caueat emptor, ne apud talem φαρμακοπώλην medicamenta quærat. *Naturalē Dei dilectionē quomodo & quatenus agnoscunt Catholici.*

26. *Ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.*

Dvplex hic Spiritus sancti officium à Christo designatur. Vnum docendi in perpetuum omnia quæ ad Ecclesiæ ædificationem & instructionem faciunt: alterum ad ea suggerenda atque in memoriam reuocanda quæ Christus viua voce docuerat. Qualia in hoc Euangelio suo quædam D. Ioannes annotauit. De Christo super pullū asinæ sedente: *Hæc non agnouerunt discipuli eius primùm; sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia hæc scripta erant de eo, & hæc fecerunt ei.* Recordati sunt Spiritu sancto suggerente. Rursum, de Christi resurrectione à mortuis, quam toties eos docuerat. *Nondum sciebant Scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere.* Posterius hoc officiū agnoscit Caluinus, prius negat; quia illud prius ad hoc posterius restringi vult, vt Spiritus sanctus sicut illa suggerit quæ Christus dixerat, in memoriā reuocando, sic & illa doceat quæ Christus docuerat, eadem repetendo, & eorum intelligentiam subministrando. *Illa* (inquit) *restrictio attentè notanda est, vbi partes Spiritus sancti assignat, suggerere quæcunque antè ore docuit.* Sed hæc restrictio in Caluini cerebro nata est, in Christi verbis non inuenitur. Neque enim dicit Christus, Non docebit vos alia, vel non suggeret vobis alia quàm quæ ego ore vos

Spiritus sancti officium duplex. *Ioan. 12.* *Ioan. 20.* *Instit. lib. 4. cap. 8. num. 8.* *Spiritus sancti munus Caluinus impiè restringit.*

vos antè docui. Non sic Christus loquitur, vt iuxta Caluini restrictionem loqui debuit. *Docebit quidem omnia* (ait Christus) *& suggeret omnia quæcunque vobis dixi.* Non dicit, Docebit illa sola & suggeret illa sola quæcunque dixi. Omnis homo currit: &, Solus homo currit, longè diuersam significationem adferunt: verum illud, falsum hoc. *Obserua* (inquit) *quænam sint illa omnia quorum doctorem fore Spiritum promittit. Suggeret, inquit, vel reducet in memoriam quæcunque dixi. Vnde sequitur non fore nouarum reuelationum architectum.* Vana & futilis est hæc consequentia; quia suggeret quidem illa omnia, sed non illa sola. Annon verò clarissimis verbis

Cap.16. paulò pòst Christus hoc ipsum docuit? *Multa* (inquit) *habeo vobis dicere quæ non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, quem mittet Pater in nomine meo, docebit vos omnem veritatem.* Annon apertissimè docet, se hactenus omnia quæ dicenda erant, ore proprio non dixisse? Annon apertissimè addit, ea quæ ipse ore proprio non dixerat, Spiritum sanctum docturũ, quia omnem docebit veritatem; quam ille omnem adhuc non docuerat, quia omnem portare & cum fructu audire discipuli needum poterant? Annon denique commentitiam Caluini restrictionem Christus ipse verbis clarissimis refellit? Deinde si ad hoc restringitur Spiritus sancti officium, vt non nisi ea suggerat quæ Christus prius ore docuit: aut ostendendum est vbi Christus ore do-

Act.15. cuit, *abstinendum esse ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato:* aut dicendum mentitos esse Apostolos, quum mandatum illud promulgantes dixerunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis:* aut denique in illo mandato Apostolis suggerendo officij sui limites & restrictionem datam veluti *nouarum reuelationum architectus* excessit Spiritus sanctus. Rur-

1.Cor.7. sum quum Apostolus de vidua dixit, *Beatior erit si sic permanserit secundùm meum consilium; puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam:* aut ostendendum vbi Christus hoc ore docuit, aut dicendum à Spiritu Dei Paulum hoc non didicisse, aut denique in tali doctrina Paulo suggesta officij sui limites Spiritum sanctum veluti *nouarum reuelationum architectum* excessisse. Idem de innumeris D.Pauli & reliquorum Apostolorum sententiis à Spiritu sancto suggestis & in epistolis suis Canonicis ad Ecclesias Dei conscriptis, quorum nihil Christũ ore proprio docuisse constat (maximè in sensu Caluini & aliorum hæreticorum, qui quæcunque Christus ab omnibus credenda docuit, à quatuor Euangelistis comprehen

prehen

prehensa esse volunt) dici & concludi potest.

Quæ omnia quum tam liquida & manifesta veritate subsistant, vide tamen quid ex suo figmento & quanta audacia concludat Caluinus. *Hoc vno* (inquit) *verbo refutare licet quæcunque sub prætextu Spiritus in Ecclesia figmenta ab initio huc vsque Satan inuexit.* Ergo & eodem verbo refutare licet quæcunque Apostoli ipsi (locis à me citatis) authore Spiritu sancto Ecclesiæ Dei documenta tradiderunt. Eodem quoque verbo omnia veterum Conciliorum decreta refutare licet, quæcunque totius Christiani orbis Episcopi authore Spiritu sancto contra veteres hæreses definierunt. Illa omnia nominatim reiicienda sunt fidei vocabula, Christi ore nunquam prolata, sed in Conciliis authore Spiritu sancto definita: Trinitas personarum in vna natura diuina: Tres hypostases: Filius Dei Christus Patri consubstantialis: Spiritum sanctum procedere à Filio: Duas esse naturas in vna persona Christi. Et sanè non desunt hodie hæretici, qui ex his Caluini principiis illa omnia cum veteribus hæreticis negant & reiiciunt penitus, non secus quàm posteriorum Conciliorum decreta & vocabula recepta, Transsubstantialitatem, & huiusmodi, procaciter Caluinistæ reiiciunt. Ad Atheismum quippe, totiúsque Christianæ religionis interitum, impij Caluini principia ducunt.

Audax Caluini impietas.

Caluini principia omnes veteres hæreses restaurant.

Nefariis istis suis collectionibus atrocem calumniam subtexit. *Mahometes & Papa commune habent religionis principium: Non contineri in Scriptura perfectionem doctrinæ, sed quiddam altius reuelatum esse à Spiritu.* Addere debuit Caluinus: Mahometes & Papa & Apostoli & Paulus, commune habent religionis principium, non contineri in Scriptura doctrinæ perfectionem, sed quiddam altius reuelatum esse à Spiritu. At hoc si fecisset, eius blasphema vox statim reiiceretur. Iam enim ostendimus iuxta Apostolos & Paulum non omnia contineri in Scriptura, sed quædam illis à Spiritu esse reuelata. Quod autem Caluinus scripsit, *Papæ principium esse, quiddam altius reuelari à Spiritu*, schema Caluinianum est, purum mendacium, & solemnis illi obiecti criminis exaggeratio. Non enim *aliquid altius* reuelari à Spiritu quàm habet Scriptura aliquis docet Papa, aut vsquam docent Catholici; sed *aliquid aliud* reuelari à Spiritu quod nec Christus ore docuit, nec habet Scriptura, docet Papa; docent Patres Ecclesiæ Christianæ vetustissimi & doctissimi; docet tota Ecclesia Catholica; docuerant suo exemplo Apostoli; docuit

Mendaciũ Caluini infame & insulsum.

Paulus; docuit denique id futurum Christus ipse in verbis citatis. Cæterùm eiusdem esse altitudinis & excellētiæ quod docet Scriptura, & quod docet Spiritus; vel quod ore docuit Christus, & quod postea docuit Spiritus sanctus ipse Christus

Ioan 16. nos docuit, dicens de Spiritu sancto. *Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Sed & quæstio ipsa inter Catholicos & hæreticos hodie de perfectione Scripturæ, non in eo versatur, an aliquid altius reueletur à Spiritu quàm in Scriptura cōtineatur, sed an aliquid aliud doceat Ecclesiam Spiritus sanctus quàm in Scriptura cōtinetur. Adeò nihil quàm fallit ac mentitur Caluinus.

Iam quòd Mahometem in hac causa Papæ adiungit Caluinus, alterum est schema Caluinianum, purum mendacium, & obiecti criminis futilis aggrauatio. Quis enim nescit Mahometem adeò Spiritus sancti reuelationes Scripturę non anteponere, vt vtrumque pro fabulis habeat? Sed hoc est artificium Caluinianum, Dei & diaboli ministros connectere, vt qui diaboli ministrum exhorret, Dei quoque ministrum fugiat. Sanè Mahometes & Caluinus quàm communia habent religionis principia, facilè intelliget qui Analysim religionis Caluinianæ à doctissimo viro D. Gulielmo Reginaldo elaboratam inspexerit. Homo impius, sui sibi fortè Mahometismi conscius, idem sacrilegium in Papam reiicere voluit.

Caluini artificium.

Adiungit eodem schemate Anabaptistas & Libertinos qui de Spiritu gloriantur. At ille spiritus, priuatus spiritus est, ideóque impostor, qui nihil commune habet cum Spiritu Dei, qui per os Ecclesiæ loquitur: quando non nisi Ecclesiæ suæ Præpositis ac Magistris, quales Apostoli futuri erant, hūc Spiritum veritatis, qui doceret eos omnem veritatem, promisit Christus. Illi habent hoc donum Spiritus Dei, vt alios doceant suggerente Spiritu sancto vt sint *idonei ministri noui testamenti, non litera sed Spiritu:* vt sint *Pastores ac Doctores in ædificationem corporis Christi, in opus ministerij,* &c. Alij habent quoque Spiritum Dei, non vt doceant, sed vt discant, & dociles fiant discipuli veritatis, *obediendo Præpositis animarum suarum, & subiacendo illis.* Anabaptistæ & Libertini nec hoc Spiritus donum habere volunt, vt Ecclesiam Dei audiant, nec aliud donum Spiritus habere possunt, quia Ecclesiarum Pastores non sunt, sed à tota Dei Ecclesia alieni & exsortes.

2. Cor 3. Ephes. 4.

Hebr. 13.

Conclusit tandem Caluinus. *Atqui* (inquit) *impostor est spiritus, non Christi, qui extraneum aliquid ab Euangelio commen*

mentum ingerit. Verissimum hoc est, si extranei commenti vocabulo, dogma Euangelio contrarium & repugnans intelligimus: quo nomine maximus impostor Caluinus est, qui in tam multis iam à nobis refutatis, extranea ab Euangelio commenta in his suis quos vocat commentariis ingessit. At extranei commenti vocabulo quid intelligi velit Caluinus, postremum nunc quod sequitur, demonstrat. *Spiritum enim* (inquit) *Christus promittit, qui Euangelij doctrinam quasi subscriptor confirmet:* id est, qui ita Euangelio subscribit, vt nihil aliud doceat aut suggerat quàm quod Christus in Euangelio ore docuit. Hunc enim esse Caluini sensum, antegressa eius disputatio declarat. Atqui hoc ipsum quod narrat Caluinus, extraneum commentum est, quod nunquam Christus ore docuit, vt iterum impostorem esse Caluinum, Caluini verba conuincant. Nulla quippe Scriptura docet Spiritum à Christo promissum, *vt Euangelij doctrinam quasi subscriptor confirmet.* Hæc, inquam, subscriptio & confirmatio Euangelicæ doctrinæ, quam Spiritus sanctus facere debet, in Scriptura non legitur. Commentum hoc cerebri Caluiniani extraneum est, etiam eo in loco vbi contra extranea commenta disputat. Nempe, vt impostorem esse Caluinum, ipse Caluinus probet. Docet Scriptura Euangelica Spiritum sanctum à Christo missum, vt *doceret nos omnia, vt doceret omnem veritatem, vt suggereret quæcunque Christus dixerat.* Hoc Scriptura nos docet. Hîc nulla subscriptio, nulla confirmatio legitur, ac neque intelligitur vt vnicum & totum Spiritus sanctus officium. Docet quippe omnem veritatem, siue in Euangelio comprehensam, siue non; siue à Christo pronunciatam, siue non. Qui omnem veritatem docet, ad textum Euangelicum non restringitur. Et ne quis restringi posse aut debere existimet, disertè dixit Christus se *non omnia docuisse, quia non omnia poterant Apostoli portare:* & addit de Spiritu sancto. *Ille vos docebit omnia:* cui dubium, quin ea omnia quæ Christus non docuerat, nec in Euangelio, vbi Christi doctrina legitur, continentur? Hoc non est Euangelio subscribere, sed hoc est alia præter Euangeliũ docere: hoc non est quę solum Euangeliũ habet confirmare, sed hoc est alia quæ Euangelium tacuit reuelare. Alia dico, quia plura, quia diuersa, quia explicatiora, non quia contraria aut repugnantia. Sanè quatenus suggerit, & in memoriã reuocat quæcunque Christus docuit, eatenus Euangelicæ doctrinæ à Christo traditæ subscribit, eámque confirmat; sed quatenus docet

Spiritum sanctũ iterũ restringit Caluinus.

Caluinus ex suis verbis impostor probatur.

docet omnem veritatem, adeóque ea quæ Christus non docuit, multò latius eius officium patet quàm vt Euangelij doctrinam quasi subscriptor confirmet. Ausus fuit Caluinus ipsi Spiritui sancto compedes iniicere, eiúsque officium ac munus certis limitibus à se inuentis constringere. Quid nũc miramur si toti Ecclesiæ compedes iniiciat, eiúsque doctrinam ad certos fines à se suísque adinuentos cõstringit? Hæc huius impostoris venenata doctrina est, qua diuinæ Scripturæ fluenta purissima contaminauit.

Spiritui sancto Caluinus compedes iniicit.

IN IOANNIS CAP. XV.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet Pater meus.*

Bonorum operum necessitas ad salutem.

LOCVS hic insignis ac perspicuus est pro bonorum operum necessitate in quolibet credente. Palmes in Christo, id est, Christo veræ viti inhærens non est, nisi qui iam per fidem Christo vnitus est. Incorporamur Christo per baptismum, qui est Sacramentum fidei. *Omnem palmitem in me*, ait Christus, id est, omnem hominem mihi iam per fidẽ nominis mei insitum & incorporatum. Rursum nisi iam per fidem insitus & vnitus Christo esset, de quo loquitur, dici non posset, *tollet eum.* Neque enim tollitur aut resecatur à vite vllus palmes, nisi qui iam prius in vite erat. Dicit autem Christus, omnem huiusmodi palmitem iam ipsi per fidem vnitum, insitum, & incorporatum, *non ferentem fructum*, iustitiæ videlicet ac sanctitatis, *tollet eum Pater meus*, id est, illum à meo corpore separabit, & ponet sortem eius cum impiis. Est igitur cuilibet in Christum credenti, vt in Christo maneat, fructus bonorum operum necessarius, nec absque illo fructu fides saluare potest. Qui enim à Christo tollitur (vt infrà Christus dicit) *mittitur foras, arescit, in ignem mittitur, & ardet.* Annotauit ex his verbis doctrinam hanc optimus huius Euangelij interpres Cyrillus Alexandrinus. *Qui* (inquit) *per fidem Christo solummodò coniungũtur, sola illi confessione inhærentes, nec charitatis vimine se colligantes, palmites quidem sunt, sed non fructuosi. Nam fides absque operibus mortua quædam res est.* Sic & hanc parabolam exposuit Basilius, elegantissimè docens quot modis humana anima quasi palmes in vite fructificare debeat.

Lib. 10. c. 14. in Ioã.

Homil. 5. exameron.

Docet

Docet præterea hic locus fidem esse posse sine charitate, *Fides esse*
palmitem in vite sine fructu. Alioqui de palmite non ferente *potest sine*
fructum disserere Christus non potuisset. Quorsum enim de *charitate.*
tollendo palmite infrugifero comminatur Christus, si nullus palmes infrugiferus est? si nullus Christo per fidem adhæret, qui fructum non faciat?

Caluinus hoc istud ipsum aduertens, & paradoxum suum de fide semper fructuosa his verbis labefactari cernens, mouet ea de re quæstionem. *Sed quæritur* (inquit) *an fructu possit carere qui in Christo insitus est.* Audiamus nunc quid respondeat vt suum paradoxum tueatur. *Respondeo* (inquit) *multos in vite censeri opinione hominum, qui reipsa radicem* *Christi pa-*
in vite non habent. Aduerte, lector, quomodo Christi para- *rabolam*
bolam mendacij arguat, vt suo paradoxo succurrat. Quum *Caluinus*
enim Christus dixerit, *Omnem palmitem in me*, id est, qui *mendacij*
verè mihi vt viti vnitus & insitus est, contradicit Caluinus, *arguit.*
& ait huiusmodi palmites non ferentes fructus, non esse in Christo re vera, nec radicem in Christo reipsa habere, sed tantùm opinione hominum. Sic quod Christus dixit, *tollet eum Pater meus*, falsum esse, ait Caluinus. Non enim verè tollitur, sed opinione tantùm hominum tolli videtur. Si enim reipsa radicem in vite nunquam habuit, ab ipsa vite reipsa tolli & resecari non potuit. Sic Caluinus, sic alij hæ-
retici Scripturam reuerentur. Eam potius mendacem fa- *Scripturā*
ciunt, quàm à suis nouis conceptis & portentosis dogmati- *hæretici*
bus vel latum vnguem recedant. *quomodo*
reuerētur.

Sed contradictionem & mendacium suum etiam ex Scripturis Caluinus probare vult. Non est dissimulandum quod
adfert. *Ita* (inquit) *Dominus vineam suam nominat apud* *Caluini*
Prophetas Israel, qui externa professione nomen Ecclesiæ habe- *probatio*
bat. Atqui hæc probatio nulla est. Quæ enim hæc conse- *friuola.*
quentia est? Vocantur aliquando vinea Domini qui externa professione nomen Synagogæ habebāt: ergo hoc loco quum Christus palmites nominat *in se manentes, & à se tollendos* si fructum non faciunt, non alia ratione vocantur palmites quàm quia externa professione & hominum opinione tales sunt? Sanè huic similis consequentia est: Apostolus in illis
verbis, *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argen-* *2. Tim. 2.*
tea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam, de quibusdam loquitur, qui externa tantùm professione in Ecclesia sunt: ergo in aliis illis ver-
bis, *Domus Dei sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque* *Heb. 3.*

ad finem firmam retineamus, loquitur similiter de illis tantùm qui hominum opinione censentur in Ecclesia. Nec enim Christus hoc loco loquitur de tota vinea, nec Paulus in verbis posterius citatis de tota magna domo Dei quasi de externa & generali professione vnius fidei & religionis; sed loquitur vterque de veris & viuis membris Christi: Paulus de domo quam Deus verè inhabitat, Christus de palmite in vite. Palmes autem in vite esse non potest, nisi qui aliquando vixerit in vite. Neque enim palmes aut aliunde inseritur, aut extra suum truncum est; sed vt palmes dicatur, nascitur ex vite, & quidem viuus nascitur, non mortuus; vnde & postea Caluinus dicit, *tunc nos demum incipere palmites fieri, dum nos in Christum coaluimus*. Deinde etiam illa vinea domus Israel non externa tantùm professione, sed & vera fide in vnum Deum & per fidem Deo coniuncta, populus Dei erat; tametsi non faceret vuas, sed labruscas: id est, multis se sceleribus cōtaminaret; quæ Prophetæ in illis acerrimè increpabant. Ex quibus omnibus conficitur, de eo hîc Christum loqui qui semel regeneratus Spiritu Dei verè vixit in Christo, & reipsa radicem in vite habuit, quem etiam tollendum & resecandum comminatur, nisi fructum ferat. Non dixit Christus, Omnem futurum palmitem in me non ferentem fructum tollet, sed *omnem palmitem in me*: id est, qui in me iam est. Non loquitur de eo qui opinione hominum censetur in vite, vt ad vitem accedat, eique verè inseratur; sed loquitur de palmite iam in vite, vt in vite maneat, vt non tollatur à vite: quod ex sequentibus Christi verbis magis adhuc elucescit. *Manete* (inquit) *in me, & ego in vobis.* Ad perseuerantiam hortatur: & addit. *Sicut palmes non potest ferre fructum à seipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.* De palmite loquitur qui iam est in vite, vt maneat in illa. Si non nisi opinione hominum censebatur in vite, ergo aut Christus hortatur vt sola quoque opinione hominum semper censeatur, (manere quippe continuationem notat eius quod prius erat) aut nullo modo dicere debuit, *nisi manserit in vite*, sed, nisi viti inseratur, nisi radicem in vite habere incipiat. Nunc autem de palmite loquitur mansuro in vite, & Apostolos admonet vt maneant in ipso, quia ille est vera vitis, à quo vitalem succum trahere, & per quem fructificare debeant. Manet ergo firmum, aliquos palmites radicem reipsa in vite habere, aliquos fideles Christo reipsa insitos esse, qui tamen fructum

non

non ferant; quos propterea monet Christus vt fructum adferant, & ad bene fructificandum in ipso vt maneant, alioqui tollendos ac resecandos esse.

Ex qua etiam Christi doctrina, tertia quædam Caluini & aliorum hæresis refutatur, qua docent solos electos iustificari & inseri Christo, qui nunquam tollendi sunt, aut a vite resecandi, quia electi sunt. Quam insanam & penè propriam Caluino hæresim nec hoc loco tacere Caluinus voluit, quia eam hîc periclitari aduertit. *Vitæ (inquit) naturam nemo sapit, donec in Christum fuerit insitus. Atqui hoc speciali gratia datur solis electis.* Hæc ille. Rursum postea ad illa verba, *Si quis in me non manserit, tolletur,* &c. ita scribit *Non quòd ex electis aliquem contingat vnquam exsecari, sed quia multi hypocritæ in speciem ad tempus florent & virent.* Sic nullos nisi hypocritas resecari, & qui electi sunt nunquam vel ad minimum tempus à Christo diuelli tradit. Sed Christi verba luce meridiana clarius contrarium docent. Ponunt enim *palmitem in Christo, qui tollendus est* nisi fructum ferat. Et Christus Iudam haud obscurè designabat, sicuti quum de manendo in vite hortatur, Apostolos præcipuè alloquitur, ne Iudæ exemplo à Christo recedant; tametsi generalis sit quoque Christi doctrina, & ad omnes æquè pertineat. Deinde hæc insana & perpetua Caluini doctrina ex aliis Scripturis luculentissimè euertitur. *Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Ecce habuit iustitiam, & iustus erat, qui eam deserere potuit, & in sua iniquitate mori, quod electis accidere non potest. Rursum. *Refrigescet charitas multorum.* Habuit igitur charitatem, quæ sine fide non habetur, fuitque Christo semel insitus, in quo charitas postea extinguitur, idque interdum finaliter. Nam ideò adiecit Christus. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Habent igitur aliqui charitatem, qui non perseuerant vsque in finem, id est, qui non sunt electi. Deinde an mentitus est Paulus, quum diceret quosdam *circa fidem naufragasse*, alios pecunias appetentes *errauisse à fide?* Denique in nouissimis diebus *multos recessuros à fide?* An patitur naufragium qui in naui nunquam erat? An errat à fide aut recedit à fide qui eam nunquam habuit? Tale est hoc Caluini portentosum dogma, quod hoc loco luculenter euersum, hoc tamen loco lectori suggerere non est veritus.

Vnica electorum fides refellitur.

Ezech. 18.

Matt. 24.

1. Tim. 1.

5. *Quia sine me nihil potestis facere.*

ANtegressam exhortationem suam vt maneant in ipso Discipuli sui, hoc fortissimo argumento confirmat Christus. Quum enim ad eam rem multis hîc argumentis
1. vtatur Christus; vt ab vtilitate, *Qui manet in me, hic fert fru-*
2. *ctum multum*; à pœnis eos consequentibus qui in eo non manent, *Si quis in me non manserit, mittetur foras, & arescet,*
3. *& colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*; rursum à beneficiis quæ manentes in eo consequuntur. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis*
4. *petetis, & fiet vobis*; deinde à Dei glorificatione, quam illi qui manent in Christo procurant, *In hoc glorificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis*, sup. manendo in me,
5. vt priùs dixerat; ac postremò à dilectione & charitate qua eos prosequitur, quasi per eam illos obtestando, *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea*;
6. vnum ad hanc rem argumentum à rei necessitate proponit Christus. Antea dixerat. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.* Nunc idem planius & plenius repetit. *Quia sine me nihil potestis facere*, id est, nullum planè fructum iustitiæ, siue magnum, siue paruum, nihil quod ad vitam æternam conferat, facere aut conferre potestis, *sine me*, sine meo adiutorio, sine mea virtute, gratia, auxilio, *nisi in me manseritis*, nisi mihi per fidem adhæreatis, quia vitalis gratiæ succus non nisi à me promanat, idque in palmites mihi insitos, in solos credentes in nomen meum, mihique vnitos & incorporatos. Hæc est Christi verborum vis, hæc sententia.

Gratia Dei necessitas.

Quid nunc in hunc locum Caluinus? *Clausula* (inquit) *est & applicatio totius parabolæ, quàm diu extra Christum sumus, nihil boni fructus & Deo grati proferre, quia ad bene agendum minimè sumus idonei.* Vera est hæc senteñtia ex Christi verbis collecta, si de illo bono fructu loquamur, quid ad vitam æternã & verã pietatem spectat, de quo hîc Christum loqui dubitari non potest. De eo enim loquitur fructu, quem ille solus facit qui in Christo manet, & per quem in Christo manemus, denique per quem Deus glorificatur in nobis. Inuenit tamen hîc aliquid vnde Catholicã Ecclesiã accusaret. *Hanc* (inquit) *sententiã Papistæ non extenuant modò, sed eneruant imò prorsus eludunt.* Grauis accusatio, quã an grauiter & solidè probet aduertamus. *Etsi enim* (inquit) *verbotenus fatentur*

tur nos sine Christo nihil posse, aliquid tamen facultatis suppetere nobis somniant, quod per se quidem non sufficiat, Dei tamen gratia adiutum cooperetur. Neq; enim hominem ita exinaniri sustinent, quin aliquid ex se conferat. Catholicorũ sententiam frustra taxat Caluinus. Non docent quidẽ Catholici *aliquid facultatis*, aliquas vires naturales, *suppetere homini*, quæ ex se aliquid conferant operando aliquod opus pietatis sine gratię auxilio: admittunt tamen easdẽ vires naturales aliquid conferre cooperando gratiæ qua adiuuãtur. Agnoscunt ad omne opus pium ac spirituale exequendum, siue in prima peccatoris conuersione, siue in operibus iustitiæ quæ ad Deum conuersi operantur, nouas à Deo vires, nouam facultatem ac vim suppeditari, quam ex se homo lapsus non habet, nec habere potest, vt vel ad Deum conuertatur, vel iam conuersus fructum iustitiæ ferat. Hanc nouam facultatem has nouas vires ponunt in nouo Dei dono quo vel intellectus ignorantia corrigitur, vel voluntatis infirmitas roboratur. Illud fidei donum, hoc charitatis esse intelligunt; vtrumque à Deo datum, inspiratum, infusum. His donis, his nouis gratiæ viribus, hac noua iam facultate credendi & operandi quod coram Deo rectum & iustum est, naturales hominis vires intellectum & voluntatem adiuuari dicunt, & gratiæ diuinæ cooperari; ita vt vnum idémque opus non solum gratiæ, sed etiam virium naturalium gratiæ cooperantium sit effectus: neque enim sola gratia influxum actiuum seu efficientem præbet in opus bonum sed etiã vires naturales: quod necessariò Caluino fatendum est, nisi cum Luthero dicere velit vires nostras in opere pietatis præstando se merè passiuè habere & *hominem ita à Deo trahi, vt sine motu cordis quasi extraneo impulsu feratur:* quod alibi expressè negat Caluinus; docétque *hominem vltro pergere & propensum esse ad sequendam gratiæ actionem.* Quare hæc Christi verba infirmitatem naturæ humanæ ad opus pietatis demonstrãt, cooperationem non destruunt. Docent, vires humanas non sufficere ad opus pietatis, nec plenam & integrã causam esse; sed causam esse partialem & boni operis concausam, adeò non negant, vt id docere videantur: quia non dicit Christus, Sine me nihil potest fieri, quasi eius gratia totum & sola faceret; sed dicit, *Sine me nihil potestis facere:* satis insinuãs nos quidem facere opera pietatis, *sed non sine illo*; id est, cum eius gratia & auxilio: quod est ei cooperari. Quapropter sicut idem intellectus est principium cognitionis naturalis & fidei; sic eadẽ voluntatis facultas est

Gratia Dei quomodo homo cooperatur.

Institut. lib. 2. c. 3. num 14. & 11.

principium omnium affectionum naturaliũ, & ſpiritualium; & piarum quibus in Deum tendimus. Sed vt ad fidem capeſſendam, & ad ea quæ fidei ſunt credenda, dono fidei purificatur intellectus; ſic ad affectiones pias ac ſpirituales à voluntate eliciendas dono amoris diuini accenditur & corroboratur voluntas; nouáſque vires, nouam facultatem (quam à ſe & ex ſe nunquam habere potuit.) à Christo accipit, ſine quo nihil in hoc genere boni facere poteſt. His viribus adiuta voluntas humana diuinæ gratiæ liberè cooperatur. Hæc vera & integra eſt Catholicorum ſententia. Agnoſcimus habere nos aliquid ex nobis, id eſt, ex natura intellectus ac voluntatis noſtræ, qua gratiæ Chriſti cooperemur, adeóque aliquam naturalem facultatem ad cooperandum gratiæ, quam bruta & ſaxa non habent, quæ vt cauſa partialis valeat ad bonum opus. Hinc tamen non ſequitur poſſe nos aliquid ſine Chriſto facere: quia hæc naturalis facultas ſine Chriſto verè nihil facit, nihil operatur. Nihil, inquam quod ad ſalutem valet: Chriſto tamen cooperatur. Sine lumine non poſſumus videre quicquam. Habemus tamẽ naturalem facultatem ad cooperandum lumini ad opus viſionis. Confundit Caluinus operari & cooperari, quaſi ad cooperandum vires non haberemus, quia ad operandum non habemus: aut quaſi gratiam Chriſti operantem negaremus, quia cooperantem ſtatuimus. Nos verò operantem Dei gratiam multiplicem ponimus: quatenus ſua gratia præuenit, excitat, & vires naturales in opus trahit, quatenus ſui Spiritus communicatione renouat, ſua miſericordia peccata remittit, atque iuſtificat: quatenus iuſtificatos dirigit, corroborat, flectit, & inclinat ad boni perſeuerantiam. His omnibus modis operatur Deus in nobis, vt nos illi cooperemur.

Habet homo ex ſe quo cooperetur, non quo operetur.

Operari & cooperari confundit Caluinus.

Nunc quæ in Caluino ſequuntur, videamus. *Verùm tam clara Chriſti verba eludere, non ita promptum eſt.* Non Chriſti verba Catholicorum doctrina eludit, ſed Catholicorum doctrinam Caluinus abſque cauſa taxauit. *Tale (inquit) eſt Papiſtarum commentum: Nos ſine Chriſto nihil poſſe: ab eo tamen adiutos habere aliquid ex nobis præter eius gratiam, Chriſtus verò contrà pronuntiat: Nos nihil poſſe ex nobis. Palmes (inquit) non fert fructum à ſemetipſo. Ergo non tantùm cooperantis ſuæ gratiæ auxilium hic commendat, ſed nos penitus priuat omni virtute, nisi quam ſuppeditat ipſe nobis. Ergo hæc particula, Sine me, ſic reſoluenda eſt, non niſi ex me.* Vera eſt hæc tota verborum Chriſti explicatio, loquendo de virtute, efficacia, facul

Mendaciũ Caluini.

cultate, aut viribus quibus homo aliquem bonum fructum, qui ad vitam æternam conferat, operari & facere potest. Sed falsa est hæc tota criminatio, qua dicit sententiam nostram hanc esse, *Habere nos aliquid ex nobis à Christo adiutis præter eius gratiam.* Falsa, inquam est, si per illud, *aliquid ex nobis,* aliquam facultatem & vim operandi & faciendi intelligat, nullam enim sanè vim operandi opus pietatis habet homo sine Christo, sed habet vim cooperandi cum Christo. Verè enim diuinæ gratiæ cooperamur, & gratia Christi, sine qua nihil possumus, adiuuat vt possimus (non sola sine nobis totum facit) quia est in nobis præter gratiam Christi naturalis facultas intellectus & voluntatis, quæ cum virtute, facultate, & efficacia gratiæ Christi in opere bono concurrit. Hanc si negat Caluinus, humanam naturam, qua sola à brutis animantibus differt, pariter tollit.

Eodem modo hunc locum in Institutione sua ad doctrinæ Catholicæ reprehensionem contorsit, *Nisi obstaret* (inquit) *vecordia, satis luculentum testimonium gratiis suis reddidit Christus, ne malignè supprimerentur. Ego sum, inquit, vitis, vos palmites, Pater meus agricola est. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere. Si non aliter per nos fructificamus quàm reuulsus à terra palmes & humore priuatus germinat, non est amplius quærendum quæ sit naturæ ad bonum aptitudo. Nec ambigua est ista conclusio: Sine me nihil potestis facere. Non dicit nos esse infirmiores quàm qui nobis sufficiamus, sed nos ad nihilum redigendo, omnem vel exiguæ facultatulæ opinionem excludit.* Iterum de facultate & viribus ad bene agendum sic disputat, quasi sine gratia Christi aliquod pietatis opus ipsæ operarentur. Atqui cum S. Augustino & aliis Patribus contra Pelagianos docet Ecclesia Catholica nihil prorsus boni, nec paruum, nec magnum, nec facere, nec perficere, quod quidem Deo ad meritum gratum sit, hominem sine Christi gratia posse. *Institut. lib. 2. c. 3. num. 9.*

Nam quod ex his verbis nullum prorsus bonum, seu morale, seu naturale, sine Christi gratia facere hominem posse Caluinus colligit, absurdius est quã vt vlla refutatione egeat. Clarum est, vt nuper diximus, Christum hoc loco de illo bono opere loqui, qui sit fructus palmitis manentis in Christo, per quem manemus in Christo, & per quem glorificatur in nobis Deus. Quod vt luce meridiana clarius appareat, attende verborum Christi connexionem *Ego sum vitis, vos pal-* *Bonum morale sine Christi gratia fieri potest.*

mites. Qui manet in me, & ego in eo, id est, qui per fidem & charitatem mihi vnitus est, & cui ego spiritum meæ gratiæ communico atque infundo (sic enim manet in nobis Christus) *hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Attende hanc clausulam à Christo inferri, vt probet eos solos, *qui in ipso manent, fructum multum facere.* Nam *sine me*, id est, nisi in me maneant, & ego in eis, nihil possunt facere. Quid nihil, nisi nullum fructum? Et quem fructum, nisi fructum gratiæ, nisi fructum Spiritus Sancti salientem in vitam æternam? Non ergo impediunt hæc Christi verba quo minus *quæratur quæ sit naturæ nostræ ad bonum aptitudo*, vt hîc ait Caluinus, ad bonum, inquam, morale vel naturale in rationali creatura, quod ex his verbis penitus à Christo remoueri, in suis ad hunc locum commentariis docet, affirmans, ex his verbis sequi, *omnis boni hominis vacuam esse naturam.*

Sed vt ad priorem disputationem redeamus, facultatem ad bonum spirituale opere exequendum per hæc Christi verba penitus tolli, nisi Christo priùs homo inseratur, atque in eo maneat, non negant, sed libero ore profitentur Catholici, ab Augustino, immo ab Ecclesia Catholica sic edocti, quæ contra Pelagium definiuit, *habere nos ad non peccandum, id est, ad vincendum ex omni parte peccatum, vt iuxta Apostolum peccatum nobis non dominetur, liberum arbitrium non forte & firmum*, vt ille dicebat, *sed inualidum & infirmum*, quod Christi gratia sanaret, nouis illis viribus atque adeò efficacibus benignè concessis. Absque nouis istis gratiæ viribus nonnullas (vt vult Caluinus) sed *infirmas & inualidas* (vt loquitur Augustinus) id est, insufficientes vires adfert homo vetus, vel vt Christo inseratur, vel vt illi insitus fructum ferat, quia adfert voluntatem infirmam ac debilem & peccato ægram, quæ his gratiæ viribus roborata ac sanata propria sua actione Deo cooperatur, & quidem sine Christo nihil facit, sed cum Christo plurimum facit, quia (vt hîc dicit Christus) *multum fructum adfert.*

Epist. 106. de pecc. mer. & remiss. lib. 2. cap. 5.

Non placet hæc explicatio Caluino, qui propterea Christi verba ad longum recitans, hæc verba in medio posita, immò proximè præcedentia penitus resecauit *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me*, &c. Quare hũc in modum in sua Institutione loco citato adhuc prosequitur. *Si in Christo insiti fructificamus instar vitis, quæ tum à terræ humore, tum à rore cœlesti, tum à solis fomẽto vegetationis ducit*

Scripturã mutilat Caluinus.

energiam, nihil in bono opere restare nobis video si Deo illibatum seruamus quod suum est. Existimat Caluinus sic nos esse palmites in vite, vt ad fructum ferendum nihil ipsi cooperemur, sed Deus totum in nobis operetur, quasi etiam palmes fructificans à seipso ex parte non fructificet, quum verè viuat, & vitam in se habeat, tametsi aliunde acceptam: vt à vite, à terræ humore, à rore cœlesti, à solis fomento, à quibus omnibus vitalem succum accipit. Sed non aduertit similitudinem palmitis in vite, tenere quidem in gratiæ influxũ quem à Christo fideles hauriunt, sicuti succum à vite palmites trahunt; sed non tenere in ipso ligno palmitis, vt cor humanum insensatum sit; sicut illud est. Alioqui Christus ipse sic quoque vera vitis erit, id est, similis veræ viti, quia gratiæ succum in palmites suos deriuat naturaliter, & per modum naturæ, sicut vitis facit. Cæterùm sicut Christus ita est vitis vera, vt non per modum naturæ sed libera voluntate suas gratias palmitibus suis impertiat, quia *Spiritus vbi vult spirat, & cui vult miseretur*, & per electionem gratuitam omnia sua communicat; sic omnino credentes in Christum, & bene operantes per gratiam Christi, ita sunt palmites insiti Christo, & fructificantes in illo, vt non per modum naturæ operentur merè passiuè se habentes, nihílque quàm gratiæ influxum recipientes, sed propria actione Dei gratia vtantur, liberíque arbitrij influxus cum diuinæ gratiæ influxu in omnibus bonis operibus concurrat, & cooperetur. Sic ergo sine Christo nihil facere possumus, vt cum ipso faciamus, adeóque multum fructum afferamus, faciamus, inquam, ipsi opere nostro. Ita *in bono opere multum restat nobis*, quia nos sumus qui facimus, & faciendo meremur; dicente paulò pòst Christo, *Si precepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea:* quæ verba quantum valeant, in sequentibus apetiam. *Deo* quoque *illibatum seruamus quod suum est*, qùia vim ac facultatem bene operandi, in hoc bonorum operum genere, gratiæ diuinæ & nouis viribus ab ea datis tribuimus. Sic & Deus totum facit, quia tales faciendi vires subministrat, vt sine eo nihil faciamus; & homo totum facit, quia viribus istis à Deo concessis naturali sua voluntate per gratiæ vires iam sanata ac roborata cooperatur. Ita Christi hanc sententiam nec extenuat, nec eneruat, nec eludit Catholicorum doctrina, sed Christi mentem ac doctrinam penitus inuertit, eneruat, atque eludit Caluinus.

Palmiti in vite quo sensu comparatur fidelis.

Ioan. 3.
Rom. 9.

9. *Manete in dilectione mea.*

Vnica electorum iustificatio refellitur.

CHristus Dominus postquam variis argumentis (quæ in loco præcedenti enumerata sunt) discipulos suos hortatus esset, vt in ipso manerent, nunc expressiùs dicit, *Manete in dilectione mea*, id est, date operam, vt mea erga vos dilectio firma ac stabilis permaneat, néve eam culpa vestra amittatis. Non enim de dilectione qua discipuli Christi diligebant, sed de illa dilectione qua Christus eos dilexit, Christum in his verbis loqui, post D. August. luculentam expositionem, consentientem in hac parte habemus Caluinum, qui ad hæc verba in hunc modum scribit. *Quidam ita exponũt quòd Christus mutuum à discipulis amorem exigat. Melius alij, qui actiuè accipiunt dilectionem Christi. Nam amore quo nos semel complexus est, vult nos perpetuò frui ac propterea cauendum esse admonet, ne nos eo priuemus. Multi enim oblatam sibi gratiam repudiant, multi abijciunt quod in manibus habebant. Ex quo itaque semel recepti sumus in Christi gratiam, videndum est ne inde culpa nostra excidamus.* Hortatur ergo discipulos suos Christus, & in illis nos omnes, vt iam dilecti à Deo, regenerati & iustificati per Christum, maneamus in illa dilectione qua Deus nos diligit, vt non excidamus à gratia accepta; denique operam demus ne nos ipsos nostra culpa ac negligentia tanto iustificationis accepto bono priuemus. Valent igitur hæc Christi verba tum contra fictitiam electorum fidem quæ amitti nõ potest, tum contra tantam Dei gratiæ efficaciam quæ omnem nostrum concursum & cooperationem excludit; quam vtramque Caluinus perpetuò docet. Ad prius enim quod attinet, ipsos suos Apostolos, qui haud dubiè electi erant, hortatur Christus, vt id agant, ne excidant à dilectione illa quą eos ipse dilexit, nec id inani aliquo terriculamento, quasi reuera excidere nequeant, sed quia, vt ipse hîc Caluinus fatetur, *Multi abijciunt quod in manibus habebant.* Ad posterius quod attinet, quum iubet eos manere, iubet eos id agere, id conari, id videre, ne sua culpa à gratia excidant. *Videndum* (inquit Caluinus) *ne semel in gratiam recepti, inde culpa nostra excidamus.* Est ergo aliquid in nobis positum, vnde id videamus & caueamus. Tametsi enim dilectio Dei, qua nos diligit, in nostra potestate non sit, sed in eius beneplacito qui diligit, tamen in nobis est eam semel acceptã conseruare, quia, vt eam conseruemus ille, qui nos diligit, facultatẽ & media illã conseruandi

Cooperatio cum Dei gratia.

perpe

perpetuò ſubminiſtrat,niſi noſtra ipſorum culpa huiuſmodi media ſubtrahantur. *Deus enim neminem deſerit niſi deſeratur,qui & deſertores ſæpe conuertit.* Præcipitur igitur perſeuerantia,tamẽ ſi Dei donum eſt,tum quia qui ſtat,cadere poteſt,& *Dei dona ſine pœnitentia quidem ſunt*,quatenus Deum nunquam pœnitet de donis ſuis,vt,quæ ſemel dedit,vellet ſe non dediſſe,non ſic tamen ſine pœnitentia ſunt,vt,quæ ſemel dedit,amitti nequeant, *niſi enim permanſeris in bonitate,& tu excidèris*;tum etiam quia ſi excidimus, noſtra id culpa fit; quia rurſum ſine pœnitentia Dei dona ſunt , quatenus per Deum non ſtat quo minus qui ſemel donum iuſtitiæ ab eo accepit,in eodem dono perſeueranter maneat. Monet ſuum Titum Paulus,*Nemo te contemnat*. Sanè non eſt in poteſtate cuiuſquam,vt ab aliis vel in honore vel deſpectui habeatur. Et tamen in poteſtate cuiuſque Prælati eſt, ita ſe gerere , vt honore ſit dignus, & à ſuis ſubditis meritò contemni nõ debeat: quod illic Titum monuit Apoſtolus. Sic dilectio Dei erga nos in noſtra poteſtate non eſt. Eſt tamen in poteſtate cuiſlibet in Chriſto regenerati, & iam à Deo dilecti, ita ſe gerere,ne ſua culpa hac dilectione & gratia Dei priuetur. Accepit iam enim à Deo donum gratiæ,quod non niſi ſua culpa ab eo auferetur; ſicuti talenta Euangelica non niſi ab illo ſublata ſunt,qui ea *in ſudario repoſita oſcitanter ſeruauit*.Accepit,inquam,donum gratiæ quo Dei præcepta ſeruaret (qui eſt bonus vſus talentorum) & per eorum obſeruationem in Dei dilectione maneret , vt in verbis proximè ſequentibus Chriſtus luculenter docet:quæ idcirco mox tractabimus.

Auguſt. de nat. & gra. c.26. & ad articu. ſibi falſo impo. artic. 6. — *Rom. 11.* — *Tit. 2.* — *Matth. 25.*

Interim corruptioni Caluinianæ occurrendum hic eſt. Nam contra hoc poſterius quod aduerſus eius hæreſes annotauimus (prius illud penitus diſſimulans, poſterius diſſimulare non valens) ita diſputat. *Quòd ex his verbis quidam inferunt nihil efficaciæ eſſe in gratia Dei,niſi adiuuetur noſtra conſtantia friuolum eſt. Neque enim concedo Spiritum à nobis tantùm exigere quæ facultatis noſtræ ſunt,ſed oſtendere quid fieri oporteat,vt ſi nobis deſunt vires, aliunde petamus. Sicuti quum hic ad perſeuerantiam nos hortatur Chriſtus,minimè noſtro marte & induſtria nitendum eſt,ſed rogãdus ipſe qui præcipit,vt nos in ſua dilectione confirmet.* Sententiam orthodoxam, quam impugnare contendit , non ponit integram, veram,ac plenam. Reſponſio quam affert, partim eſt aut fallax aut falſa, partim imperfecta. Hæ eius artes ſunt. Contra efficaciam gratiæ à Caluino poſitam , quæ omnem noſtram coope

Caluini artes.

Efficax gratia non adiuuatur à nobis, sed nos ab illa.

cooperationem excludit, non hoc obiicitur, *nullam esse gratiæ efficaciam, nisi nostra constantia adiuuetur*, quum omnibus compertum sit, nostram constantiam seu perseuerantiam à gratia adiuuari, non illam à nobis; sed hoc meritò obiicitur, ad perseuerandum in bono non solùm efficacem Dei gratiam requiri, sed nostram quoque obedientiam, vt gratiæ ductum obsequenter sequamur: (*Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*) & *vt gratiam Dei in vacuum non recipiamus.*

Rom. 8. 2. Cor. 6.

Vide ergo vt totam causam inuertat Caluinus. Dicente & sustinente eo gratiam à seipsa efficacem ita omne bonum opus ipsamque imprimis perseuerantiam operari in nobis, vt nulla sit ex parte nostra cooperatio, nullus liberi arbitrij cõcursus; aiunt Catholici, gratiæ quidem vires esse efficacissimas, sed huic efficacissimæ gratiæ humanam voluntatem liberrimè cooperari, quatenus, vt cooperetur, ab efficaci gratia efficaciter adiuuatur: & hanc ob causam culpa nostra sæpe fieri, quòd gratia, quæ alioquin efficax esset, effectúmque consequeretur suum, nostra negligentia inefficax fiat, nec in bono accepto perseueremus. Sic gratiæ efficaciam statuimus, sed liberæ volũtatis cooperationem adiungimus, quia ab ipsa gratia hæc adiuuatur, vt liberè cooperetur. Iam fingit Caluinus propter liberi arbitrij cooperationẽ omnem gratiæ efficaciam à nobis negari, & ipsam gratiam à nostra voluntate adiuuari. *Inferunt* (inquit) *nihil esse efficaciæ in gratia Dei, nisi adiuuetur nostra constantia.* Imò cõtrarium asserunt Catholici, nullam esse nostram constantiam, nisi gratia Dei adiuuetur: & efficaciam in Dei gratia, non nullam ponunt, sed solam negant. Cæterùm Caluinus cum veteribus Manichæis putat negari gratiam Dei si ponatur liberum arbitrium, sicut illis contrarij Pelagiani putabant negari liberum arbitrium si gratia Dei poneretur. Totam igitur sententiam quam voluit impugnare, vt ad expugnandum facilior esset, sensu contrario, peruerso, odioso, planéque falso, inuertit. Nunc quid respondeat expendamus. *Minimè* (inquit) *nostro marte & industria nitendum est, sed rogãdus ipse qui præcipit, vt nos in dilectione confirmet.* Hæc responsio partim est aut fallax aut falsa, partim imperfecta. In eo fallax est aut falsa quòd ait *nostro marte & industria non esse nitendum.* Aut enim his verbis intelligit, naturæ nostræ viribus absque Dei gratia non esse nitendum, & lectorem fallit, quasi hoc Catholici sentirent, quod soli Pelagiani senserunt; aut negat libera nostra voluntate Deo esse cooperandum, & aliquid à nobis agendum, ne in vacuum

gra

gratiam Dei accipiamus: atque ita non fallit tantùm, sed & falsum narrat. Imperfecta eius responsio est, quòd addit, *rogandum esse ipsum qui præcipit, vt in suâ nos dilectione conseruet.* Nam est hoc quidem maximè verum, sed non est hæc tota veritas. Non solùm rogandus Deus est, vt in sua nos dilectione confirmet, sed etiam ad Dei dona in nobis conseruanda, quibus conseruatis confirmatur dilectio, Dei voluntati nostra voluntas conformanda est; Deo per suam gratiã cor eorum, quos iam diligit, incessanter mouenti, dirigenti, flectenti, obsequi & consentire liberum arbitrium debet. Quod contra Caluinum iuxta apertissimas Scripturas luculenter Augustinus docuit. Qum enim multis Scripturarum exemplis docuisset iuberi quidem homini, vt *ad Deum se conuertat*, vt *intelligat quæ recta sunt*, vt *post concupiscentias suas non eat*, & tamen pro his singulis *rogãdum Deum esse*, iuxta alias Scripturas, *Conuerte nos Deus salutaris noster, Da mihi intellectum vt discam mandata tua*; *Quia nemo potest esse continens nisi Deus det, adij Dominũ & deprecatus sum*; ideóque in his omnibus nihil aliud Deo dici, quàm, *Da quod iubes*, vt intelligamus pro singulis rogandum esse Deum, nec nisi ex Dei munere Dei præcepta seruari posse; tamen ne in hoc precandi studio totum esse positum quisquam existimaret, prouidenter & sapienter idem clarissimus Doctor eodem in loco adiecit: *Non ideò tamen de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur adnitendo etiam nostra efficacia voluntatis. Adiutor enim noster Deus dicitur, nec adiuuari potest nisi qui aliquid sponte conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis; aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemq; non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Hæc ille. Luculenter contra Caluinum docet, non solùm rogandum esse Deum, sed etiam ex parte nostra *adnitendum esse*, id est, nostro marte & industria adnitendum esse, quatenus nixus ille & conatus non vim aliquam aut facultatem naturalem à Dei gratia seiunctam, *sed nostræ voluntatis efficaciam*, id est, cooperationem efficacem significat: quia videlicet, vt Augustinus subiunxit, sic Deus agit & operatur in humana voluntate, vt in subiecto libero, vt in creatura rationali, quæ voluntatem habet & motum proprium; non vt in lapide, qui nullum motum proprium habet, sed mouetur tantùm ab impellente & mouente eum: ideóque sic Deus operari dicitur in nobis, vt nos *adiuuare* dicatur, & *adiutor noster* nuncupetur. Hic ergo vnus modus, hæc vna ratio est, cur manere in dilectione

Liberi arbitrij consensus & cooperatio.
Zach.1.
Psal.93.
Sapient.8.
Psal.76.
Psal.118.
Sapien.8.

De peccat. mer. & remiss. lib.2. cap.5.

ctione Dei & perseuerare iubeamur, quia etsi dilectio Dei in nos eiúsque perseuerantia gratuitum Dei donum sit, à nobis tamen accipitur, & à nobis conseruatur, *nostra voluntatis efficacia* (vt Augustinus loquitur) concurrente, nostróque libero arbitrio cooperante; quod si deficit, dilectio Dei in nos nec à nobis accipitur, nec in nobis conseruatur. Sed nunc alium modum magis particularem magísque expressum conseruandæ in nobis dilectionis Dei Christus docebit. Sic enim præcedentibus verbis subiungit.

10. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in dilectione eius.*

NEc in toto vix Euangelio vllus locus est, qui pro necessitate, virtute, & efficacia bonorum operum luculentius faciat; nec vix vllum textum Euangelicum aut fœdius deprauauit, aut maiori impudêtia tractauit Caluinus. Loci vim & verborum Christi sententiam totam ac plenam priùs exponemus: corruptelis Caluini postea occurremus. Vult Christus his verbis vnum medium, vnam viam, ac rationem manendi in dilectione Dei suos discipulos docere; postquam vt in eius dilectione manerent, multis eos verbis variísque argumentis priùs hortatus esset, vt ex duobus præcedentibus locis patet. Ait igitur: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*: id est, vt in dilectione mea maneatis, vt ego vos perpetuò diligã, sicut hactenus dilexi, debetis mea præcepta seruare; tum quia necessarium hoc est, tum quia hoc maximè modo & hac indubitata ratione, in mea dilectione manebitis. Et ne hæc conditio aut dura vobis aut incerta videatur, duram propter obligationem, incerta propter euentum; scitote me quoque propter hanc ipsam causam, & ex eadem conditione in Patris mei dilectione manere. *Sicut* (inquit) *ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in dilectione eius.* Posset hîc autem meritò duplex quæstio suboriri. Vna, quomodo ad Patris sui præcepta seruanda Christus homo obligatus fuerit; altera, quomodo propter huiusmodi obedientiam Deus Pater eum perseueranter dilexit. Nam ad priorem quæstionem quod attinet, quum præcepta ideò dentur, vt eum cui dantur, vel in officio contineant & coërceant, vnde septis in Scriptura comparantur (*Sepui vineam meam*) vel ad rectè agendum dirigant, vel in studio virtutis exerceant

Bonorum operũ necessitas & efficacia luculenter à Christo docetur.

An Christũ Patris præcepta obligabãt.

Esai. 7.

ceant atque perficiant, atque ita meriti ac mercedis capacem reddant, Christus autem nullo istorum indiguerit, cuius videlicet & voluntas in bono indefectibilis, & intellectus omni scientia plenus erat, qui etiam ab instanti incarnationis suæ perfectus ac beatus quoad animam fuit, videri potest eum proprie loquendo nullis præceptis obligatum & adstrictum fuisse, saltem circa ea quæ ad salutem nostram faciebant, sed omnia huiusmodi ex sola propria voluntate & dilectione generis humani ab eo præstita fuisse. Ad posteriorem quæstionem quod attinet, quum propter vnionem hypostaticam Dei Patris in eum hominem dilectio immobiliter perseuerans & indefectibilis esset, quomodo hîc propter seruata Patris præcepta in Patris sui dilectione se manere asseuerat? Sed ad vtramque quæstionem breuiter respondetur, valétque plurimum pro præsenti causa quod necessariò responderi oportet. Ad priorem respondeo, Christum hominem præcepta & mandata à Patre suo etiam circa ea quæ redemptionem humani generis concernebant, plurima accepisse, iuxta S. Augustini, Cyrilli Alexãdrini, Ambrosij, & aliorum Patrum doctrinam, nõ quidem propter causas antè dictas, sed propter alias non minus graues. Primùm, quia Dei Patris erga nos dilectio hoc modo luculentior apparuit, qui nostram salutem non solùm permittere, aut ordinare, sed etiam sub pręcepto Filio suo incarnato iniungere voluit. *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum filium daret.* Deinde, quia Christo secundo Adamo conueniebat imprimis vt per obedientiam hominem repararet, sicuti per inobedientiam primus homo genus humanum perdidit. *Humiliauit semetipsum factus obediens Patri vsque ad mortem.* Tum, ne in terris conuersatus nullis legibus subesse, aut legum præuaricator impiis Iudæis videretur: propter quod frequenter repetit, *Ego facio voluntatem Patris mei qui misit me.* Tandem, vt Christi exemplo discamus quantũ humana natura Deo subiici debeat ad obediendum mandatis eius, postquam filius eius naturalis obedire debuit. Sicut enim *passus est exemplum nobis relinquens vt sequamur vestigia eius*; sic & obediuit seruans mãdata Patris sui, exemplum nobis relinquens similis obedientiæ necessariò præstãdæ. Postremò, vt intelligeremus quanti Deus faciat præceptorum suorum diligentem & studiosam obseruationem, quàm strictè id exigat, quàm necessarium & efficax medium id esse voluit, ad eius dilectionem perpetuò retinendam, postquam ipsi Christo præcepta dare voluit. &

Præcepta Dei quomodo Christũ obligabãt.

Tract. 82. in Ioan.

Lib. 10. c. 2. in Ioã.

Lib. 5. c. 6. de fide.

Ioan. 3.

Philip. 2.

Ioan. 4. 5. 6.

propter illorum obseruationem suam erga Christum dilectionem firmam ac stabilem retinere. Quod postremum Christus in his verbis nos docuit: *Sicut ego præcepta Patris mei seruaui, & maneo in dilectione eius.*

Quomodo propter obedientiam perseueranter Christus dilectus à Deo fuit.

Ad posteriorem quæstionem respondeo, vnionem quidem hypostaticam vnam & primariam causam fuisse immobilis dilectionis diuinæ erga Christum hominem: aliam tamen eiusdem rei causam præterea fuisse Christi obedientiam, qua Patris sui præcepta seruauit, sicuti hoc loco disertè Christus profitetur.

Filij adoptionis non eo solo titulo manent in dilectione Dei.

Quo in loco notandum diligenter (quia contra hæreticos valet plurimum) filios adoptionis, & per fidem insitos Christo, atque adeò ipsos electos, quales isti Apostoli erãt, tametsi ex illis titulis à Deo diligantur, maneantque in dilectione Dei qua Deus eos diligit, tamen ad eandem dilectionis diuinæ erga eos perseuerantiam alium hunc titulum necessariò requiri, vt seruent mandata, dicente hîc Christo: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Hæc igitur vna conditio est manendi in dilectione Dei, siue propter quam à Deo diligimur, vt seruemus mandata eius. Hæc est vis & sententia huius loci attentè perpendenda, quia pro necessitate & efficacia bonorum operum ad salutem & iustificationem, adeóque ad perseuerantiæ donum conseruandum (quum tota salus ac iustitia nostra eiúsque perseuerantia sit, *manere in dilectione Dei*, siue esse à Deo perpetuò dilectũ) inuictè valet.

Caluinus primo lactat vt postea intoxicet.

Nunc quid ad hæc verba Caluinus disputet, & qua arte vtatur, videamus. Lactat primum lectorem, quasique dulci melle labia perfundit, vt postea incauto atque auido hauriẽdi venenum instillet suum. Lac eius & mel hoc est. *Modum perseuerantiæ Christus ostendit, si sequamur quò ipse vocat. Nam, vt dicit Paulus, Qui in Christo sunt, secundum spiritum ambulant, non secundum carnem.* (*Rom. 8.*) *Hæc enim inter se perpetuò sunt coniuncta, fides & bona conscientia, vitaq; nouitas. Et certè nõ reconciliat Christus Patri fideles, vt impunè lasciuiãt, sed vt Spiritu suo ipsos gubernans sub Patris manu & imperio eos contineat. Vnde sequitur, abijcere Christi amorem nisi qui vera obedientia probant se eius esse discipulos.* Hoc eius lac & mel est, hæc oratio honesta, tametsi à tota Christi sententia longè absit. Nunc venenum propinat. *Si quis obijciat, pendere igitur à nobis salutis nostræ firmitudinem, respondeo perperam trahi in illam partem Christi verba.* Vera Christi sententia, ab obedientia nostra & obseruatione mandatorum Dei pendere, vt in

vt in Dei dilectione maneamus, non ponit *salutis nostra firmitudinem à nobis pendere*, vt rem odiosis verbis narrat Caluinus; sed ponit salutis nostræ perseuerantiam ab operibus bonis pendere, quæ tametsi nostra sunt, tamen Dei quoque opera in nobis sunt, ideóque quorum salus ab illis pendet, eorum salus non ab ipsis, sed ab operibus bonis pendet. Hæc autem duo plurimum differunt. Prohibet quippe Scriptura confidere aut gloriari in seipso : non prohibet confidere in bonis operibus, aut gloriari in Domino: quod vtrumque Paulus fecit, quum diceret, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, &c.* Ita semper vafrè & odiosè, nunquam sincerè & candidè, quæ sibi ex parte veritatis Catholicæ obiicit, proponit Caluinus. Videamus tamen ad obiectionem ipsam quid respõdeat. & quare ad huiusmodi sensum Christi verba perperam trahi affirmet. *Quia* (inquit) *obedientia, quam illi præstant fideles, non tam causa est, cur suum erga eos amorem continuet quàm amoris effectus. Vnde enim fit, vt vocationi suæ respondeant, nisi quia Spiritu gratuitæ adoptionis aguntur?* Aduerte, lector, hominis imposturam, paritérque impietatem. Impostura hæc est, obedientiam mandatorum (tametsi ille ab hoc verbo abhorreat, nec semel hoc loco nominet, Christi diserta verba & Euangeliũ erubescens) quia amoris diuini effectus est, ideò nõ esse causam cur amorem suum Deus continuet. At quis non videt etiam in humana amicitia beneficij accepti gratitudinem, & amoris impensi effectum esse, & eiusdem adhuc magis impendendi causam esse, quando qui beneficium impensum gratanter accepit, amicum prouocat, vt magis benefaciat? Sed vt in diuinæ dilectionis materia maneamus, in illo seruo bono & fideli cui dictum est, *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*, nónne serui fidelitas tum diuini amoris effectus, (ex Dei quippe gratia illa pauca accepit, ipsísque paucis fideliter vsus est) tum maioris amoris causa erat? Sic nimirum charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Bona opera fiunt ex Spiritu gratiæ, & bonis operibus Spiritus gratiæ conseruatur. Præcepta seruantur ex dilectione Dei, & obseruatio præceptorum dilectionem Dei conseruat. De Sapientia dicitur. *Ne dimittas eam, & custodiet te; dilige eam, & conseruabit te.* Quòd quis non dimittit sapientiam quam nactus est, sed diligit eam, ipsius sapientiæ effectus est. At quum eadem sapientia suos dilectores cõseruat, conseruatæ sapientiæ causa eadem sapientia est. Corpus calidum calefacit

Gloriari in seipso non licet, in bonis operibus licet.

Obedientia mãdatorũ diuini amoris tũ effectus est, tum causa.

Matt. 25.

Sap. 4.

vestimenta quibus induitur, & induta vestiměta corporis calorem seruant. Hic vestimentorum calor & effectus est & causa corporis calidi. Frustra igitur & vafiè Caluinus obedientiam mandatorum causam conseruatæ dilectionis Dei esse negat, quia eiusdem dilectionis effectus est.

Caluinus Christo cōtradicit. Hæc eius impostura est. Nunc impietatem vide. Christo apertè contradicit. Dicente enim Christo. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea,* quod est apertè dicere, præceptorū meorum obseruatio causa erit, propter quam & per quam mea dilectio in vobis continuabitur, contrà dicit Caluinus, affirmans, *obedientiam nostram non esse causam cur suum in nos amorem Deus continuet.* At & alia Scriptura hoc eum docere potuit, qua dicitur: *Si volueris mandata seruare, conseruabūt te:* vbi salutis nostræ custodia & firmitudo, mandatorum obseruationi, vt vni causæ ac medio, tribuitur. *Eccles. 15.*

Obedientiam mādatorum non esse necessariā suadet Caluinus. Corrupta semel Christi sententia, & persuaso lectore obseruationem mandatorū nullam esse causam cōtinuati amoris diuini, & efficacia ac virtute obedientiæ nostræ sublata; quia tamen supererat, saltem conditionis cuiusdam & necessitatis vim hæc verba continere, *Si præcepta mea seruaueritis,* nec hanc conditionem admittit Caluinus, sed Christi verba ab illo quoque sensu diuellere, & ea adhuc iterum corrumpere contendit. Mouet igitur aliam difficultatem. *Sed videtur* (inquit) *nimis ardua conditio nobis imponi, vt Christi præcepta seruemus, quibus continetur exacta iustitiæ perfectio, quæ modum nostrum longè superat. Nam inde conficitur, irritùm fore amorem Christi, nisi Angelica puritate præditi simus.*

Obedientia perfecta quæ fraude fingitur. Hanc sibi difficultatem Caluinus mouet ex suæ hæreticæ doctrinæ principiis. Ponit enim mandata Dei secundum *exactam iustitiæ perfectionem, quæ modum nostrum longè superat,* obseruanda esse, idque adeò, *vt Angelica puritate præditi* esse debeamus. Quo posito, quum Dei mandata omnino sic obseruari non posse consequenter docuerit, concludit statim, ad eorum obseruationem neminem obligari. Qua in re perinde facit atque improbus aliquis & proteruus seruus, qui domini sui mandatum exequi nolens, illud sibi impossibile factu esse obmurmuret: quod ille seruus nequam in Euangelio, domini sui talenta in sudario abscondens, fecit, dicens: *Timui te, quia homo austerus es.* Timebat ad opus manum admouere, quia rigidum exactorem Deum sibi fingebat; qui (vt Caluinus hìc loquitur) *exactam illam iustitiæ perfectionem* postularet, *quæ modum suum longè superaret.* Nam & hoc *Luc. 19.* *Caluinus seruus ne-*

signi

significat nequam iste & piger seruus adiiciens, *Tollis quod non posuisti, & metis vbi non seminasti:* id est, tam rigidus exactor es, vt vbi non das auxilium, exigas lucrum; quod humana non potest infirmitas, hoc in præcepto ponas; denique vt ab homine immundo Angelicam puritatem flagites. Hæc est prorsus Caluini hoc loco oratio: hæc eius, quam sibi proposuit, dubitatio: quam ille pro iusta & vera admittens, vide quid respondeat. *Solutio* (inquit) *facilis est. Nam quum de studio rectè sanctéque viuendi agit Christus, quod in sua doctrina præcipuum est caput minimè excludit, nempe de gratuita iustitiæ imputatione, qua fit vt per indulgentiam veniæ Deo placeant nostra officia, quæ mutila per se & impura reiici merebantur. Censentur itaque fideles seruare Christi præcepta quum huc suum studium applicant, etiam si longè à meta distent, quia soluti sunt ab illo rigore legis, Maledictus omnis qui non impleuerit omnia, &c.* Hæc Caluinus hoc loco. Habemus verborum Christi affectatam & studiosam corruptelam, & pertinaciæ hæreticæ illustre exemplum. Disertis verbis affirmauit Christus: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea:* & rem confirmat exemplo suo, *Sicut ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in dilectione eius.*

quam in Euãgelio.

Christi verborum affectata corruptela.

Hìc Caluinus primum cauillatur præceptorum obseruationem non esse causam cur in dilectione Dei maneamus, quia est dilectionis diuinæ effectus. 1.
Deinde nec esse conditionem necessariam seruare præcepta, quia seruari non possunt, quemadmodum ea seruari Deus vult. 2.
Postea non debere hæc Christi verba præiudicare gratuitæ iustitiæ imputationi, quæ caput doctrinæ eius est: id est, non debere aperta Christi verba nouellæ Caluini & suorum imputatiuæ iustitiæ præiudicare, quam nec vlla Scriptura loquitur, nec ante hanc ætatem Ecclesia audiuit. 3.
Ita suis placitis Christi verba subiicere, & ad eorum sensum Christi verba inflectere, imò obtorto collo contorquere Caluinus audet. An huic pertinaciæ & impietati aliquid addi potest? Tandem ipsa Christi verba de textu sacro extrudit, & sua ipsorũ loco in sublimi ponit. 4.
Dixit Christus: *Si præcepta mea seruaueritis.* Non est ita dicendum, ait Caluinus, sed hoc modo: *Si ad seruanda præcepta mea studium vestrum applicaueritis, etiam si longè à meta distetis,* id est, etiã si de facto nulla seruetis. Sic enim in Epistolam ad Rom. hominem iustum in persona Pauli statuit, qui *præsto quidem est, suaq; membra exhibere studet ad præstandum Deo obsequium, quia verò impar facultas est, non reperit quod optandum erat,*

In Comment ad Rom. cap. 7. ver. 19.

nempe boni desiderij effectum. Hęc ille ibi. Tamen hîc, vt lectori fucum faciat, illud *longè à meta distare*, alia ratione confirmat, quia seruari nō possunt omnia. *Quia* (inquit) *soluti sumus ab illo rigore legis, Maledictus omnis qui non impleuerit omnia, &c.* Quorum verborū germanum sensum, suo loco (vita comite) docebimus. Stando igitur in hoc sensu, Christi verba, *Si pr*æ*cepta mea seruaueritis*, iuxta Caluinū sic reformanda sunt: *Si ad seruanda pr*æ*cepta mea studium applicaueritis, etiam si longè à meta distetis, id est, etiam si omnia seruare non possitis, quæ tamen omnia & quidem iuxta exactā iustitiæ perfectionem seruari volo, manebitis in dilectione mea.* An non hæc pulchra reformatio est & correctio egregia? Eius summa turpitudo in alia consimili apparebit. Ponamus patrem ita filium alloquentem: Si decem hæc mea præcepta perfeceris, id est, si ad ea perficienda aliquo studio incubueris, quia omnia te scio præstare nō posse, & tamen omnia exactissimè prę stari volo, manebis in iure hæreditatis paternæ: sin minus, excides ab eo. Quis non videt huiusmodi patrē filio suo illudere, & eum exhæredandi futilem occasionem quærere? Quorsum enim præcipit seruare omnia, eáque exactissimè, qui neutrum fieri posse ne quidem cum auxilio paternæ gratiæ cognoscit? Aut quare seruari iubet, & non nisi studium seruandi intendit? Quod vt in causa præsenti quàm absurdum sit ostendam, hoc dilemma Caluinistis propono: Hoc studium seruandi mandata, quod loco obseruationis realis, quā Scriptura loquitur, adinuenistis, aut ex Deo est, & solius Dei opus in homine regenerato (vt de operibus gratiæ Caluinus semper loquitur) aut est opus ex solis naturæ viribus profectum. Si prius, quàm est absurdum Deum solum studium bene agendi in homine operari, non ipsas actiones bonas, ipsas tamen actiones in mandato ponere? Aut quid impedit quo minus actualem legis impletionem, eámque perfectissimā, Spiritus S. operetur in cordibus filiorum Dei, non secus quàm studiū bene operandi, postquā, quicquid ab illis bene fit, ille solus totum operatur? Imò qua æquitate hoc totū in illis non operatur, postquam hoc totum lex ipsius ab homine postulat? Si posterius, tota igitur hominis regenerati renouatio, tota vitæ nouitas (nam in studio hoc bene agendi illa tota consistit) erit opus merè humanum, & ex naturæ viribus profectum, non opus gratiæ. Hoc dilemma soluat qui potest Caluinista. Iam verò si præcepta Christi seruare nihil aliud hoc loco significat, quàm studium applicare vt ea seruentur, quæro an in sequentibus

Verborum Christi reformatio Caluiniana.

Studium seruandi mandata ineffic ax refellitur.

Alia refutatio

tibus

tibus verbis, *Sicut ego Patris mei praecepta seruaui*, eadem quoque glossa sit admittenda. Si admittenda, ergo Christus Patris sui præcepta verè non seruauit, sed studium suum tantùm impendit vt ea seruaret. Si non admittenda, sed vt apertè blasphema penitus reprobanda est, quomodo ad sui exempli imitationem Discipulos suos Christus prouocat? Quæ similitudo, quæ inductio illa est, Seruate vos sicut ego seruaui, ego quidem verè, vos autem non verè? ego actu ipso, vos non nisi desiderio & studio, eóque inani? An quia similitudo ista per omnia æqualis non est, propterea nulla penitus est, aut propterea falsa est? Dixit paulò antè Christus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* An quia dilectio nostra infra Christi dilectionem plurimum subsidit, propterea nostra nulla dilectio erit, sed studium quoddam & desiderium diligendi inane atque inefficax, veróque proximi odio admixtum, sicuti omnia regeneratorum bona opera peccato admixta, *magisq́ probrum quàm laudem perpetuò mereri, & peccatis magis quàm virtutibus accensenda*, alibi Caluinus affirmat? Sanè aut ita erit, aut hoc quoque in loco non seruandi studium à Caluino confictum, sed ipsa mandatorum Christi vera & actualis obseruatio, qualem Christus circa Patris sui mandata exercuit, in his Christi verbis necessariò intelligenda est. Ita vndique Caluini impietas, impostura, pertinacia retunditur. Prolixius paulò huic loco incubui, quia ad impiam hodie hæreticorum de sola fide & imputatiua iustitia sententiam penitus profligandam, bonorúmque operum certam necessitatem & fructum amplissimum solidè stabiliendum, illustris ac pernecessarius hic locus est. *Institut. lib. 3. c. 17. num. 3.*

14. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.*

Est hic alius & perspicuus locus, quo mandatorum Dei obseruatio medium esse quoddam ad Dei in nos amicitiam ac dilectionem conseruandam docetur. *Si feceritis quæ præcipio* (ait Christus) *estis amici mei.* Mandata mea facere, maximè hoc mandatum meum *vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, (de eo enim in præcedentibus verbis loquutus fuerat) res est mihi tam grata, tam accepta, tanti apud me pretij ac momenti, vt hoc nomine inter amicos meos vos recenseam, & hac maxima dignitate vos afficiam. *Mandatorum obedientia medium ad salutem necessariū*

Sic Abraham *offerens filium suum super altare*, quod Deus ei
Iac.2. præceperat, *amicus Dei appellatus est*, vt deducit D. Iacobus,
Iudith 8. *& per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est*,
dixit Sancta Iudith. Sic quia Moyses fecit ea quæ præcepit ei
Deus, per multas quoque tribulationes probatus, *loquutus est*
Exod.33. *ei Deus facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum*
Luc.12. *suum.* Nec secus in Euangelio, *Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus*, &c. Tanta enim & tam firma voluntate Dei præcepta facere, vt ne illa violentur, quoduis etiam capitis discrimen adire non vereantur, proprium est amicis Christi. Docet igitur & hæc sententia, mandatorum Dei obseruationem tâtam vim habere, vt amicum Dei constituat, & eximiam ac stabilem Dei dilectionem conciliet. Amicum quippe esse, nec vulgarem nec leuem, sed præcellentem & constantem beneuolentiam designat.

Caluini cauilla cōtra Christum. Sed hanc tantam obedientiæ nostræ & bonorum operum commendationem æquis oculis legere Caluinus non potuit. Quare sui veneni aliquid aspergendum censuit. *Non intelligit* (inquit) *tantum nos honoris proprio aliquo merito consequi.* Atqui hæc ipsa Christi verba clarissimè sonant; nisi vel seruare Dei præcepta opus proprium eius non sit qui ea seruat, vel propter huiusmodi obseruationem in Dei amicitiam recipi, talis honoris meritum & præmium non designat: quorum neutrum nisi impudentissimè negari potest. Sed age. Si hoc non intelligit Christus, quid tandem intelligit? *Tantum admonet* (ait Caluinus) *qua lege nos in gratiam recipiat, & censere inter amicos suos dignetur, quemadmodum nuper dixit, Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Atqui tam illa verba quæ nuper dixerat, nósque latè tractauimus, quàm hæc præsentia, non id tantùm docent, *qua lege nos inter amicos suos Deus censet*, id est, non tantùm seruandi præcepta necessitatem docent (quod vnum & solum contra Caluinum sufficit, qui necessitatem seruandi præcepta perpetuò negans, hoc tamen loco profiteri id velle videtur) sed hoc præterea docent, mandatorum obseruationem medium esse vtile & efficax ad Dei in nos dilectionem continuandam, vt firmam nobiscum ac stabilem amicitiam Deus teneat.

Obiectio. Dixerit aliquis: Si obseruationis mandatorum saltem legem & necessitatem Caluinus hoc loco agnoscit, non est eius exagitanda sententia; quando in eum sensum verba Christi
Solutio. verè & commodè exponi possint. Est quidem ita, vt solam necessitatem faciendi præcepta his Christi verbis significari

proba

probabiliter dici possit. Sed neque tota hæc Christi sententia est, vt iam explicuimus; nec Caluinus hoc ipsum quod dicere videtur, verè dicit. Non, inquam, verè agnoscit hac lege nos inter amicos Dei censeri si præcepta eius seruamus, tum quia ad superiora illa verba, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*, lectorem remittit, vbi quibus technis & imposturis vsus sit, & quomodò omnem hãc necessitatem seruandi mandata sustulerit, explicatum dedimus; tum quia in sequentibus ita prosequitur. *Apparuit enim gratia Seruatoris Dei, erudiens nos vt abnegata impietate & mundanis desideriis, castè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Profani autem homines, qui impio Euangelij contemptu aduersus Christum lasciuiunt, eius amicitia renunciant.* Hîc verba Apostoli opportunè sanè & appositè protulit; vt legem illam amicitiæ diuinæ probaret, seruare mandata Dei, castè, iustè, ac piè viuere. Sed clausula subsequens mentem Caluini sectatoribus eius talem aperuit, quæ omnem hanc sobriè, iustè, ac piè viuendi necessitatem sustulit. Ait enim *amicitia Dei renunciare, qui impio Euangelij contemptu aduersus Christum lasciuiũt*, id est, qui facere mãdata impiè contemnunt, qui ad illud profundum venerunt, de quo Sapiens dixit, *Impius, quum in profundum venerit, contemnit.* Caluinus enim (vt in præcedenti sententia aliisque multis in locis tam ille docet quàm nos annotauimus) studium quidem & desiderium seruandi mandata agnoscit, & hoc homini regenerato sufficere vult (quia ipsa præcepta iuxta Dei voluntatem verè de facto, vti ille censet, impleri non possunt) vt aliquo semper studio obediendi ac reuerentia mandatorum Dei teneatur, nec legem contemnat, aut eius doctrinam repudiet. Propterea dixit: *Qui impio contemptu lasciuiunt.* Non dixit, quod dicere debuit, Qui mandata Dei transgrediuntur, qui præcepta non seruant, quo dicendi modo Christus vsus est. Multi quippe absque contemptu Euangelij non obediunt Euangelio, qui videlicet, *concupiscentiis suis allecti & attracti, legem violant*, qui *remissas manus, & soluta genua habentes*, per negligentiam & oscitantiam, legem non seruant, qui denique per huius mundi cupiditates *verbum Euangelij suffocant.* Impius Euangelij contemptus profundum malorum est, quod multa alia mala, scelera, flagitia præcedunt, propter quæ amicitiæ Dei renunciatur, dicente Scriptura: *Qui vult amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur.* Sed iuxta Caluinum præcepta Dei seruat, & amicus Dei est, qui studium bene agendi

Obedientiæ necessitatẽ visus docere Caluinus, nõ docet.

Prouer. 17.

Lex absque cõtemptu violatur.

Iac. 1.
Heb. 12.
Luc 8.
Iac. 4.

habet, & hoc solo Euangelij contemptu caret. Hæc eius hoc loco corruptela est, sic sententiam Christi saluberrimam & maxima consolatione plenam contaminauit.

16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

Voluntatis humanæ cum Dei gratia cooperatio.

TAxat hoc loco Catholicam doctrinam Caluinus de voluntatis humanæ ad suam salutem libera cooperatione, quasi illa cum gratuita Dei electione stare non posset. *Vulgo* (inquit) *mutuum quendam concursum fingunt diuinæ gratiæ & humanæ voluntatis. Sed ista antithesis, Ego vos elegi, non sum à vobis electus, in solidum vni Christo vendicat, quod inter ipsum & hominem partiri solent, ac si dictum esset, non sponte moueri hominem ad quærendum Christum, donec quæsitus fuerit.* Hoc vltimum quod Caluinus ponit, totam eius præcedentem cauillationem subuertit. Verissimum enim est, hominem non moueri ad quærendum Christum nec sponte, nec aliter, donec quæsitus à Christo fuerit, id est, donec Christi gratia eum præuenerit in benedictionibus. Et de hac præueniẽte gratia Christus dixit, *Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos*, siue de vocatione ad Apostolatum (de qua propriè Christum loqui Caluinus ipse agnoscit) siue de communi piorum electione, qua in filios Dei adoptantur, hæc verba intelligas. Atqui in præuenienti gratia, quatenus præueniens est, humanæ voluntatis concursum non ponunt Catholici, eam in solidum soli Christo tribuunt: eam inter Christum & hominem non partiuntur. Quando autem hanc præuenientem & præoperantem gratiam homo accipit, vt quem Deus vocat, ille iustificetur, tunc sanè humana voluntas cum diuina gratia concurrit, & iustificatio ipsa, omnísque actus bonus credendi, sperandi, diligendi ab vtroque perficitur, à diuina gratia & voluntate humana. Totum hoc quod diximus, D. Augustinus gratuitæ electionis Dei assertor maximus, hæc ipsa Christi verba pertractans, luculenter docet. *Ipsi proculdubio Apostoli elegerunt Christum quando crediderunt in eum. Vnde non ob aliud dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, nisi quia non elegerunt eum vt eligeret eos, sed vt eligerent eum, ipse elegit eos: quia misericordia eius præuenit eos secundùm gratiam, non secundùm debitum.* Vtrumque docet Augustinus, tum ex præuenienti gratia Christum eos elegisse, vbi solus Christus elegit, tum Apostolos postea Christum elegisse credendo in Christum. In quo actu credendi non solus

De præd. sanct. cap. 17.

Chri

Christus, soláve Dei gratia, sed ipsa quoque eorum libera voluntas concurrebat. Vnde in eodem opere scripsit Augustinus. *Vtrumque nostrum est (credere & bene operari) propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis.* Concursum igitur voluntatis humanæ cum diuina gratia Caluinus ex hoc loco vel Catholicæ sententiæ ignarus imprudenter, vel eius bene conscius impudenter negauit. *Ibidem cap. 3.*

IN IOANNIS CAP. XVI.

2. *Absque Synagogis facient vos.*

QVOD Apostolis Christus prædixit, fore vt à Scribis & Pharisæis Synagogæ Iudaicæ præfectis è Synagogis eiicerentur, & excommunicationis infamiam subirent, qua tamen iniuria nihil commoueri debeant; hoc Caluinus se ac suos ab Ecclesiæ Christianæ Præpositis & passos esse, & similiter contemnere debere arbitratus, longa oratione ad totius Ecclesiasticæ excommunicationis contemptum suos adhortatur. Quàm id ridiculè ac præposterè faciat, paucis exponam. *Hinc* (inquit) *colligimus, Euangelij ministros non tantùm à professis fidei hostibus malè tractari, sed etiam summa ignominia interdum affici apud eos qui domestici Ecclesiæ videntur, imò etiam columnæ. Scribæ & Sacerdotes, à quibus damnati fuerunt Apostoli, diuinitus se constitutos esse Ecclesiæ iudices iactabant, & certè penes ipsos erat ordinarium Ecclesiæ regimen, & functio iudicandi à Deo erat, non ab hominibus: verùm sua tyrannide totum ordinem à Deo institutum corruperant. Ita fiebat vt potestas, quæ in ædificationem illis concessa fuerat, nihil aliud esset quàm immanis seruorum Dei oppressio: excommunicatio, quæ medicina esse debuerat purgandæ Ecclesiæ, ad pietatem inde exterminandam conuersa foret. Id quum iam suo seculo experti fuerint Apostoli, non est quòd nos hodie magnopere terreãt Papæ anathemata, quibus in nos propter Euangelij testimoniũ fulminat. Neque enim timendum est ne plus nobis noceãt quàm vetera illa Apostolis, imò nihil magis optandum quàm vt alieni simus ab eo cœtu à quo Christus exulat.* Hæc ille. Pulchra & magna animaduersione digna miseris Caluinistis hæc Caluini oratio visa est. Vnde & hanc totam in Ecclesiasticam *Stolida Caluini disputatio pro cõtemptu excommunicationis Pontificiæ.*

(quam vocat) atque Catholicam suam noui testamenti expositionem, sicuti & cætera ferè omnia à nobis hactenus refutata, coniecit Augustinus Marloratus. Sed quàm sit inepta & omni expunctione digna, paucis docebo. Nempe in toto orationis suæ cardine ac fundamento turpissimè errat. *Certè* (inquit) *penes Scribas & sacerdotes erat ordinarium Ecclesiæ regimen, & functio iudicandi à Deo erat, non ab hominibus.* Iam in huiusmodi regiminis & functionis abusu tota reliqua oratio versatur. At in altero horum planè impia ac cæca oratio est, in altero inepta. Cæcus planè Caluinus quadámque vertigine percussus fuit, quum penes Scribas ac Pharisæos, quando Apostolos persequebantur, ordinarium Ecclesiæ regimen, & functionem iudicandi à Deo datam extitisse affirmat. Quid enim? An Euangelio per Apostolos iam propagari cœpto, ordinarium Ecclesiæ regimen penes Scribas ac Pharisæos perdurabat? An sic Iudæus aut malus Christianus Caluinus est, vt prædicantibus Apostolis aliud ordinarium Ecclesiæ regimen aut aliam iudicandi functionem in mundo agnoscat quàm ipsorum Apostolorum & Seniorum? Quādo igitur Scribæ Apostolos prædicantes Euangelium (Christo in cœlos assumpto, de quo tempore Christum hîc loqui nemo dubitare potest) persequebantur, & extra Synagogas suas eiiciebant, nos Christiani penes solos Apostolos alióſque Seniores ac Presbyteros ad hoc munus assumptos, ordinarium Ecclesiæ regimen & iudicandi functionem fuisse credimus. An aliud credidit Caluinus? Quo tempore Scribæ & Pharisæi Apostolos & omnes Christum prædicantes extra Synagogas suas eiiciebant, eodem tempore Petrus Simonem magum, Paulus fornicarium Corinthium, Hymenæum & Alexandrum excommunicabant, & extra conuentus Christianos eiiciebant. Rogo Caluinistas qui pro Caluino respondeant, penes quos tunc erat ordinarium Ecclesiæ regimen, illóſne Scribas, an hos Apostolos? Quis nisi cæcus & impius penes hos tantùm, non penes illos, ordinarium Ecclesiæ regimen & totam illam iudicādi functionem fuisse profitebitur? Cæcus igitur & impius Caluinus qui *nesciens quid loquatur, neque de quibus affirmat* (quam propriā esse eorū pœnam qui *volunt esse legis Doctores*, & non sunt, Paulus adnotauit) profitetur penes Scribas & Pharisæos ordinarium fuisse Ecclesiæ regimen, quando Apostolos Euangelium prædicantes è Synagogis suis eiiciebāt. Hęc quum ita sint, tota eius cōparatio, totáq; reliqua oratio funditus concidit. *Non est timendū* (inquit)

Caluini cæcitas.

Synagoga casus propagato Euangelio

Act.8.
1. Cor 5.
1.Tim.1.

1.Tim.1.

(inquit Caluinus) *ne plus nobis noceant Papæ anathemata, quàm vetera illa Scribarum anathemata Apostolis.* Quare verò? Quia penes Scribas erat tunc ordinarium Ecclesiæ regimen, sicut hodie penes Papam. Sic dum seipsum ac suos Apostolis, Papam Scribis ac Pharisæis comparare vult, non videt cæcus quòd Apostolos omni authoritate, quam à Christo acceperunt, spoliat; & Scribas & Pharisæos iamdudum veteri authoritate spoliatos, quum scisso templi velo tota templi dignitas disiecta iacuit, in integrum restituit. Si enim adhuc ordinarium Ecclesiæ regimen penes illos erat, profectò penes Apostolos non erat; quum duas simul Ecclesias, quarum vtraque ordinarium regimen & iudicandi functionem à Deo concessam haberet, & altera alteram indesinenter persequeretur, Deum in terris habere; tam impium ac portentosum sit, vt de ea re vel cogitare extremæ dementiæ ac stultitiæ vanissimæ esse nemo dubitet.

Ex quibus etiam conficitur, nec Apostolos ab illis persecutionem passos fuisse, penes quos ordinarium Ecclesiæ regimen, aut vlla iudicandi in rebus fidei functio à Deo concessa erat; sed vel à Iudæis, quorum iam Synagogæ omni Ecclesiastico regimine & iudicandi functione exciderant; vel ab Ethnicis Principibus, qui à publicis etiam conuentibus Christianos arcebant; nec Caluinum ac Caluinistas, quando à Papa excommunicatur, ab alia quàm à vera Ecclesia excommunicari. Ab illa quippe excommunicantur, conficente Caluino, quæ ordinarium Ecclesiæ regimen habet, & iudicandi functionem à Deo concessam. Alioqui eius comparatio non subsistit. Conficitur quoque, Caluinistas ad Ecclesiam non pertinere, quum nisi vna in terris Ecclesia sit penes quam ordinarium regimen, & iudicandi functio in causa fidei à Deo concessa reperiatur; illam verò penes Papam esse Caluinus ponit. Hoc enim posito, probare contendit posse innocentes à vera Ecclesia propter Euangelij testimonium excommunicari, sicuti Apostoli à Scribis & Pharisæis excommunicati sunt, quum ordinarium Ecclesiæ regimen penes illos Scribas ac Pharisæos esset.

Caluinum à vera Ecclesia excommunicatū fuisse, ex ipso probatur Caluino.

Quis non videt quantis se absurdis cæcus hæreticus implicauit? 1. Posuit in Scribis ac Pharisæis propagato iam Euangelio ordinarium Ecclesiæ regimen, & functionem iudicandi à Deo concessam. 2. Consequenter Apostolos tota illa authoritate spoliauit. 3. Posuit in Papa nunc ordinarium esse Ecclesiæ regimen, & functionem iudicandi à Deo concessam.

Asinina Caluini stupiditas.

4 Con

4\. 4. Consequenter seipsum ac socios suos extra Ecclesiæ fines constituit,& non nisi à vera Ecclesia excommunicatos fuisse (quum nisi vna in terris Ecclesia tali potestate prædita sit) demonstrat. Ita adeò intentum suum non probauit de contemnenda Papæ excommunicatione exemplo Apostolorum, quum illi non à veræ Ecclesiæ magistris, sed à deiectæ Synagogæ præfectis excommunicarentur,vt planè contrarium ostenderit. Quum enim Ecclesia in quæstione fidei errare nō possit,ideóque quos illi pro hæreticis excommunicant, penes quos ordinarium Ecclesiæ regimen est,& iudicandi functio à Deo data,indubitanter pro huiusmodi habendi sint; necessariò sequitur,Caluinum,qui se à Papa excommunicatum,& penes Papam ordinarium esse Ecclesiæ regimen,& iudicandi functionem à Deo datam,libero ore profitetur, prorsus pro hæretico habendum esse. Ita Caluinus vt propriissimè hæreticus, *proprio iudicio condemnatus est.* Annon pulchre suam & suorum causam egit? Est postremò ineptia ac dementia plenum, quòd supponit *propter Euangelij testimonium* se ac suos excommunicari, & in eo cœtu, *penes quem ordinarium Ecclesiæ regimen,ac iudicandi functio à Deo data est, Christum exulare:* quando in eo solo cœtu Christus regnat cui hoc ordinarium regimen,& hanc functionem concessit; *nec propter Euangelij testimonium,* sed propter Euangelicæ doctrinæ innumeras corruptelas (quod vel hæc Antidota nostra luculenter docebunt) Caluinus cum tota secta sua optimo iure anathematis fulmine percussus fuerit.

Caluinus proprio iudicio hæreticus condemnatus. Tit.3.

Cæterùm docet hic locus,non Apostolos tantùm à Scribis & Pharisæis,sed & eorum successores atque in vniuersum fideles orthodoxos tam ab Ethnicis Principibus multa passuros,quàm à lupis & latronibus,nouorum dogmatum Magistris,qui gregem inuadunt,& cathedram contra cathedram erigunt, excommunicationis sententiam laturos: quod nostra hodie Anglia abundè docuit,vbi pseudoepiscopi, & eorū ministri,censuræ Ecclesiasticæ inuasores & simiæ,non sacerdotes tantùm,sed & laicos nobiles extra Synagogam faciūt, excommunicant,& extremis tandem suppliciis, nisi maturè sibi consulant,tradunt. Quorum è numero quum ante annos iam vndetriginta pater meus D.Gulielmus Stapletonus esset, à Barloo Cicestrensi pseudoepiscopo solemniter excommunicatus, eò quòd sacrilegiis Caluinianis ac Cæcilianis interesse nollet, diuino Spiritu ductus, patria & ampla fortuna relicta,bonísque tandem hæreditariis fisco addict s spoliatus,

Persecutio Anglicana.

volun

voluntarium exilium subiit; quo vndecim annis tolerato, & summa pietate exacto, fœliciter in Domino (me oculos eius claudente) obdormiuit. Quod totum partim ad Dei gloriã, partim ad optimi patris mei memoriam hîc recolo, qui ab ineunte ætate vsque ad maturam in bonis studiis domi forísque (vt Catholicæ Ecclesiæ seruirem) maximis suis sumptibus me liberaliter enutriuit. Sit memoria eius in benedictione.

Moritur Duaci an. 1575. vbi cum memoria perpetua sepelitur.

12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò.*

13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

ACcuratus & prolixus hoc in loco Caluinus est, vt istud testimonium, quo luculenter probatur nõ omnia Christum viua voce docuisse, sed per Spiritum sanctũ tum Apostolos tum Ecclesiam multa didicisse quæ de Christi doctrina scripta non sunt, nobis eripiat. Nihil eorum quæ dicit dissimulabo. *Papistæ* (inquit) *vt sua figmenta pro Dei oraculis obtrudant, hoc loco improbè abutuntur.* A crassa & fœda calumnia orditur. Non enim vt sua aliqua figmenta ab ipsis adinuenta (proprium hoc Caluino aliísque sectariis est) sed vt à maioribus suis tradita & ab Apostolorum tempore per manus accepta dogmata pro doctrina verè orthodoxa atque diuina tueantur, Catholici hoc loco fortiter & constãter vtuntur. Certissimè enim ex eo liquet, Christum Apostolos viua voce omnia non docuisse, quod tamen Christum fecisse Caluinus impudentissimè sustinet, vt suprà explicatum est. Et quum contra hanc præcipuè Caluini sententiam hic locus à Catholicis in medium produci soleat, hanc applicationem altissimo silentio inuoluit. Ita nequitiæ qua falsò calumniatus est, hanc astutiam adiunxit, vt iuxta Apostolum, *in nequitia & astutia circumueniret*, id est, verè & propriè hæreticum ageret.

Christum viua voce omnia non docuisse.

Suprà cap. 14. vers. 26.

Caluini astutia & nequitia.

Ephes. 4.

Illo ergo capite prætermisso, quid nunc in Catholicis impugnet, videamus. *Christus, inquiunt, nouas Apostolis reuelationes promisit: ergo in Scriptura subsistere non conuenit, supra quam ille suos vocat.* Non est hæc Catholicorum ratiocinatio, sed huiusmodi: Christus viua voce Apostolos omnia non docuit, sed quædam per Spiritum sanctũ in cælum assumptus docuit: Ergo in scriptura Euangelica, quæ non nisi Christi

dicta

dicta & facta complectitur, omnia non continentur. Cæterùm nec hanc nec illam argumentationem admittit Caluinus, planéque docere contendit, Apoſtolos à Spiritu ſancto nulla alia didiciſſe quàm quæ Chriſtus viua voce docuerat. *Primùm* (inquit) *ſi cum Auguſtino loqui placeat, ſolutio ad manum erit. Verba eius ſunt: Quum tacuerit Chriſtus, quis noſtrûm dicat illa vel illa eſſe? Aut ſi dicere audeat, vnde probabit? Quis tam vanus aut temerarius, qui, etiam ſi vera dicat, ſine vllo diuino teſtimonio affirmet ea eſſe quæ dicere tunc Dominus noluit?*

Tract. 96.

Reſpondeo Auguſtinum in hac diſputatione excuſandum eſſe, non ſequendum. Sanè apud populum rudem pro concione diſputans, cui altiora myſteria aperire non eſt opus, & quia (vt in ſequenti tractatu diſputauit) multi hæretici huius occaſione ſententiæ audacias figmentorum ſuorum colorare conabantur, aut noluit, aut neglexit illa dogmata perſcrutari quæ à Chriſto ſtudio prætermiſſa Spiritus ſanctus poſtea Apoſtolos docuit; maluit potius curioſorum hominum temeraria iudicia illis ſuis verbis repellere. Alioqui ipſa Auguſtini verba Caluini ſententiam iuuare non poſſe, paucis docebitur. Duo ſunt quaſi Auguſtini argumenta. Primum eſt; *Quum tacuerit Chriſtus* (inquit) *quis noſtrûm dicat illa vel illa eſſe? Aut ſi dicere audebit, vnde probabit?* Rectè dicit, *Quis noſtrûm*, volens auditorum ſuorum & præſentium hæreticorum temeritatem compeſcere. Alioqui aut non ignorauit, aut non eſt tunc recordatus Auguſtinus alios nobiliſſimos Patres, qui ante eum magna gloria in Eccleſia floruerunt, quædam talia diſertè deſignaſſe, & cõtra hæreticos ſuorum temporum probaſſe. Gregorius Nazianzenus luculenter contra Eunomianos, Spiritus ſancti diuinitatem & diſtinctam perſonam negantes, quia eam Chriſtus ita diſertè & expreſsè non docuerat, ſicut ſuam ac Patris perſonam; reſpondet, Spiritus ſancti diuinitatem & perſonam vnam ex illis eſſe, de quibus Chriſtus ad Apoſtolos dixit: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Quo in loco luculentum Vvhitakeri de me mendacium præterire non debeo, quod in diſputatione contra Bellarminum contra me effuuit. *Stapletonus* (inquit) *lib. 12. cap. 5. dicit ὁμοούσιον non poſſe ex Scripturis probari, nec Spiritum ſanctum eſſe Deum.* Atqui mea verba lib. & cap. citatis hæc ſunt. *Credere Filium eſſe Patri ὁμοούσιον, Credere Spiritum ſanctum eſſe Deum, Credere Chriſtum habere duas naturas, &c. in Scripturis expreſſa non habentur, ſed interpretationes Scripturarum ſunt, de fide tamen credenda.*

Tract. 97.

Dogmata quæ viua voce Chriſtus non docuit.

Orat. 5. de Theologia.

Vvhitakeri mendacium.

Diſputat. q. 1. cap. 9. ad 7. arg.

Quan

Quantum hæc verba ab aliis discrepant quæ putidus ille disputator futiliter mentiendo mihi impegit, quis demum non videt? Nego in Scripturis expressa haberi. Non nego ex Scripturis posse probari. Imò quum aio *esse interpretationes Scripturarum*, quis nō videt, apertè me profiteri, ex Scripturis illa probari? Sed cæca carpēdi libido nihil videt. Ad rem præsentem redeo. Iustinus martyr scribit, Apostolos, quàm diu cum Christo conuersarentur, regnum eius spirituale per omnes gentes futurum ignorasse, & regnum aliquod temporale in sola Iudæa per illum restaurandum semper cogitasse (quod vel ex vltimis illorum ad Christum verbis Actor. cap. 1. constare potest) ideoq; doctrinam de regno spirituali vnum ex illis fuisse, de quo Christus Apostolis dixit, *Adhuc multa habeo vobis dicere*, &c. Origenes cessationem legalium ab Apostolis, conuersante cum illis Christo, penitus ignoratam, à Spiritu sancto illis suggestam fuisse probat, atque hoc vnum eorum fuisse quæ Christus habebat illis dicere, sed quia talem rerum vetustissimarum abolitionem adhuc nō capiebant, dicendum Spiritui sancto reliquisse, latè demonstrat. Idem etiā annotauit Didymus Alexandrinus. Hæc ab antiquissimis illis Patribus ante Augustini tempus annotata, & scriptis monimentis tradita, D. Augustinus in illa ad populū concione aut non est recordatus, aut propter causas allatas tacere voluit.

In explica. qq. ad Gentes resp. 112.

Lib. 2. contra Celsum.

Lib. 1. de Spiritu sancto.

Alterum ex Augustino argumentum est: *Quis tam vanus aut temerarius, qui etiamsi vera dicat, absque vllo diuino testimonio affirmet ea esse quæ dicere tunc Dominus noluit?* Hæc haud dubiè August. propter hæreticorum temeritatem dixit, qui sua figmenta propria hoc titulo obtrudebant, quòd ex illorum numero esse dicerent quæ Christus tūc Apostolis loquutus fuerat. Atqui certū Catholicæ fidei dogma, quod Christum ore nunquam docuisse manifestè constat, de illorū numero esse quæ à seipso prætermissa Spiritui S. docenda Christus reliquit, qualia sunt illa quæ antiquissimi Patres asseruerunt, nullius planè temeritatis aut vanitatis est. Nec tā graues Doctores talia asserentes, S. August. summa semper modestia atque humilitas vllius temeritatis arguere voluisset.

Quare hanc Augustini sententiam ad rem suam non adeò multum facere sentiēs Caluinus, ita prosequitur. *Verùm certior nobis ad eos refellendos ex Christi verbis suppetit ratio.* Illam igitur attentè audiamus. *Perfectus (inquit) veritatis magister dicitur Spiritus, quem pollicitus est Apostolis Christus.* Illud omni dubio caret. Quid ex eo inferet? *Quorsum autem*

pro

promissus est, nisi vt acceptam ab eo sapientiam per manus traderent? Neque istud negari potest aut debet. Quid ex vtroque sequetur? *Datus est illis Spiritus, quo duce & directore iniuncto sibi officio defuncti sunt.* Hæc verba rem eandem, quam secundo loco dixit, repetunt. Expectamus vt ad rem præsentem aliquid concludat. *Eosdem* (inquit) *idem ille Spiritus in omnem veritatem perduxerat, quum doctrinæ suæ summã scriptis complexi sunt.* Hic suas partes egit Caluinus, id est, vafrũ & impostorem. Iam enim præsupponit, & pro concesso sumit, quod in quæstionem vertitur. Ponit, inquam, & pro concesso sumit, Apostolos *doctrinæ suæ summam scriptis complexos esse*, quod nunc illi probandum erat; & annectit quod nulla probatione indiget, *Dei Spiritum eos in omnem veritatem perduxisse.* Disputat hoc loco contra Catholicos, qui in sola Scriptura omnem veritatem quærendam negant. Vult ille contrarium ex hoc loco probare. Id vt faciat, postquam de Spiritus sancti vera & perfecta doctrina Apostolis tradita, & vicissim ab Apostolis ad alios deriuata, duo verissima dixisset, concludit eosdem Apostolos ab eodem Spiritu in omnem veritatem perductos fuisse, quando omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt. Atqui non quæritur an absque diuini Spiritus assistentia Apostoli omnia scripserint, sed an omnia scripserint. Nemo dubitat in iis quæ scripserunt, affuisse illis Spiritum sanctum, qui eos in omnem veritatem induxit circa ea quæ scripserunt. Sed an omnia scripserint, & an omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi fuerint, id quæritur, id controuertitur: in eo causa principalis, & τὸ κριτήριον versatur. Nunc Caluinus hoc totũ molliter ponit, & parum attento lectori blandè instillat, quasique rem per se notam suggerit, adiungens in hac scriptione Spiritum sanctum omnem illis veritatem aperuisse: & hoc adiunctum in sequentibus diligenter probat. *Huic* (inquit) *doctrinæ quisquis aliquid addendum putat, ac si mutila esset, & semiplena, non modò Apostolos insimulat malæ fidei, sed in Spiritum blasphemus est. Si doctrina quam literis consignarunt, à tyronibus adhuc & nouitijs profecta esset, non superuacua esset accessio. Nunc verò quum eorum scripta quasi perpetuæ sint eius reuelationis tabulæ quæ illis promissa & præstita fuit, non potest sine atroci Spiritus iniuria quicquam illis addi.* Hæc ille, nec aliud quicquam in hoc genere. Aduerte, lector, Caluinum hoc adiunctum probare, Apostolos (*quando doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt*) habuisse Spiritum sanctum qui eos omnia

Impostor Caluinus ponit quod probare contendit.

Adiunctum probat, rem in quæstionem positam non probat.

omnia doceret, & propter Spiritus Sancti assistentiam, *nec mutilam, nec semiplenam illorum doctrinam fuisse*, ideóque *nihil ei doctrinæ addi posse*, sed esse illorum scripta *perpetuas tabulas reuelationis illis promissæ ac præstitæ*. Et quidem si omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt, hæc omnia quæ de Spiritus S. assistentia dicuntur, nemo non admitteret. Si principale esset verum, adiunctum nemo negaret. Sed hoc principale illud est quod negatur, Apostolos *omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexos esse*. Hoc Caluino incubuit isto loco probandum. Huius causæ principalis probatione penitus dissimulata, aliud adiunctum probat, quod nulla probatione egebat. Sic ille egregiè impostorem & veteratorem egit.

Atqui Apostolos nullo modo omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexos fuisse, sed plurima fidei dogmata & ad cultum religionis Christianæ necessaria, sine scripto tradidisse, ex antiquissimis & probatissimis Patribus, illud disertissimè asserentibus, Dionysio Areopagita, Basilio, Chrysostomo, Eusebio Pamphili, Origene, Augustino, Epiphanio (ad quorum ora vultúsque, hæreticorum omnium frons, si quam haberent, meritò erubescere debuit) alio in loco commemorauimus, multisque dogmatum exemplis demonstrauimus.

Apostoli omnem doctrinã fidei non scripserũt. *Eccl. hier. cap. 1.* *Lib. de Spiritu S. cap. 27.* *Hom. 1. in Acta.*

Nunc Caluinus ad aliud disputandi genus se conuertens, res ipsas, quas sine scripto ab Apostolis tradi Catholici affirmant, admodum putidè & ridiculè impugnat: in quo tamen audiendus est. *Porro* (inquit) *quum ad res ipsas ventum est, plusquam ridiculi sunt Papistæ. Illa enim arcana quibus portandis impares erant Apostoli, pueriles esse definiunt, quibus nihil inanius vel magis fatuum: Descendere scilicet è cælo Spiritum oportuit vt discerent Apostoli quo ritu sacrandi essent calices, cum suis altaribus, benedicendæ campanæ, benedicendæ aqua lustralis, & Missa celebranda. Vnde igitur discunt maiores & pueri qui ad vnguem tenent hæc omnia? Nihil itaque apertius quàm Deo illudere Papistas, quum è cælo prodiisse fingunt quæ tam Cereris aut Proserpinæ mysteria sapiunt, quàm abhorrent à sincera Spiritus sapientia.* Hæc ille. Recordor hîc illud Catonis grauissimi Senatoris verbum. Quum Ciceronem audiret in defensione L. Murenæ viri militaris perorantem, ideóque iuris ciuilis studium quo Murenæ competitor Ser. Sulpitius celebriter floruit, ad summum eius contemptum his verbis exagitantem, *Res sunt paruæ, propè in singulis literis*

Demonst. Euãg. li. 1. *Lib. 1. cõtra Celsũ.* *De bapt. con. Donat. lib. 2. c. 7. & lib. 5. cap. 23.* *Hær. 61.* *De princip. fid. lib. 12. cap. 15.* *Caluini criminationes in re grauissima ridicula.*

atque interpunctionibus verborum occupata: putidis ineptijs fucata sunt omnia. Ego, si stomachum mihi moueritis, triduo me iuris cõsultum esse profitebor in hæc verba Cato erupit: *Quàm ridiculum habemus Consulem!* Causam quippe grauissimam de renunciando nouo Consule agens, suo iam Consulatu propè defunctus, hac oratoria licentia satis ridiculè vsus est. Nos verò in hac Caluini declamatione, bis ridiculum Censorem habemus, qui causam grauissimam tractans, & de diuinis dogmatibus, quæ Spiritus S. assumpto in cælos Christo, Apostolos docuit, disputans, ad summum eorum contemptum res quasdam leuiores proponit, ea quæ grauiora sunt dissimulat ac prætermittit, non vt rerum diuinarum tractator grauis, sed veluti in scena ac theatro rhetorculus leuis & ridiculus histrio. Iam ex grauissimis & antiquissimis Patribus Gregorio Nazianzeno, Iustino Martyre, & Origene tria grauissima fidei capita produximus, quæ à Christo præterita Spiritus S. Apostolos docuit. Multa sunt alia apud Dionysium Areopagitam, Basilium, Augustinum, locis à nobis citatis. Cuius etiam de toto ordine diuini sacrificij celebrandi, quam Cœnam Dominicam vocare malunt nouatores, hæc grauissima & vera vox est. *Saluator quò vehementius cõmendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum.* Hæc Augustinus. Ad hunc autem ordinem pertinent quæ de altaribus, calicibus, campanis, ac demum Missa celebranda, hic histrio tam contemptim loquitur. Qui sanè sic ea ludibrio exponit, vt suam plusquam puerilem fatuitatem ludibrio subijciat. Quid enim? Moriones & pueri Missam celebrare norunt? Sic enim loquitur: *Moriones & pueri ad vnguem tenent hæc omnia.* Quàm hìc ridiculum habemus criminatorem! Nihil apertius quàm Deo & sacris omnibus apertè illudere Caluinum, qui totam Christianorum Liturgiam in qua *offertur quotidie sacrificium pretij nostri*, vt loquitur Augustinus; *litatur hostia & sacrificium consummatur*, vt loquitur Chrysostomus; *imò ipse Christus in sacris mysterijs se ostendit*, vt idem alibi loquitur, & *conspicimus Dominum immolatum. Nam omni die populis immolatur*, ait Augustinus; vbi *in horrendissimis mysterijs* (ait iterum Chrysostomus) *bene precatur sacerdos populo, & bene precatur populus sacerdoti: comprecamur enim tunc omnes* (ait Iustinus Martyr) *conclu*

Epist. 118. cap. 6.

Caluinus histrio ridiculus.

Sacrificij Christiani testimonia.

Confess. li. 9. c. 12.

Hom. 5. in 1. Timo. 5.

De incomprehens. Dei nat. homil. 3. & lib. 3. de sacerd.

Epist. 23.

Homil. 18. in 2. Cori.

Apol. 2.

conclusisq; precibus, panis, vinum & aqua offeruntur; vbi *stamus omnes adorationem* (ait Cyprianus) & sacerdos *ante orationem præfatione præmissa parat fratrum animos, dicendo, Sursum corda, dum respondet plebs, Habemus ad Dominum*: quod ne tunc frustra dicamus, nec *cor in terra ponamus, sed sursum eleuemus*, monet Augustinus: quia *quum centum & sexaginta horas habeat hebdomada, illam vnam & solam sibi segregauit Deus*, ait Chrysostomus, de Missa diei Dominicæ loquens, cui ex præcepto totus populus interesse debet; hanc, inquam, totam Liturgiam, hunc totum Dei cultum, tam Cereris aut Proserpinæ mysteria sapere quàm à sincera Spiritus sapientia abhorrere affirmat. Annon hoc est Diagorâ quendam aut Lucianum agere, totámque Christianorum religionem in quotidiano Missæ sacrificio maximè eminentem, & tot illustrium Patrum testimoniis commendatam, in summum opprobrium atque vilipendium adducere? Sed de his satis. Videamus nunc sequentia. *In Sermo. de orat. Domin.* *De verb. Domini serm 20.* *Serm. de Euchar. tom. 3.*

Nos verò (inquit) *nisi velimus ingrati esse Deo, acquiescamus in ea doctrina cuius authores esse Apostolos scripta eorum testentur: quando summa illic cælestis sapientiæ perfectio nobis prodita est, quæ hominem Dei perfectum reddat: vltra eam progredi fas non esse putemus. Num altitudo nostra & latitudo & profunditas in eo posita est, vt sciamus charitatem Dei quæ nobis exhibita est in Christo. Hæc cognitio omnem scientiam supereminet, vt inquit Paulus: vt quum tradit in Christo absconditos esse omnes sapientiæ & scientiæ thesauros, non aliquem ignotum Christum fabricat, sed quem sua prædicatione ad viuum depinxit, vt cernatur quasi ante oculos nostros crucifixus, quemadmodum dicit ad Galatas.* Huic orationi ad speciem honestæ, sed varia fallacia plenæ breuiter respondeo. Nos nisi velimus non ingrati tantùm Deo, sed & sacrilegi ac rebelles esse, acquiescamus in ea doctrina quam ab Apostolis traditam esse, Ecclesia Dei summa consensione & ab ipsis Apostolorum temporibus nos docuit: quando summa cælestis sapientiæ perfectio ab Ecclesia nobis prodita est, quam *columnam & firmamentum veritatis* idcirco Paulus vocat, & *in quam veluti amplum quoddam & diues depositorium Apostoli omnia quæ sunt veritatis contulerint*, ait Irenæus; qui etiam *accepta* à Christo & Spiritu S. *mysteria partim in sanctis ac theologicis libris commendarunt, partim ex animo in animum medio intercurrente* (prædicationis) *verbo sine literis transfuderunt*, ait Dionysius Areopagita: *Coloss. 1. 28.* *Ephes. 3. 8.* *Colos. 2. 3.* *Gal. 3. 1.* *Ecclesiæ doctrina tenenda.* *2. Tim 3.* *Lib. 3. c. 4. & lib. 5.* *Dionys. Eccle hierarch. c 1.*

quia & ad hoc dati sunt Ecclesiæ Pastores & Doctores, vt occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Extra Ecclesiam aliquid sapere fas non esse putemus. Nam altitudo nostra & latitudo & profunditas in eo posita est, vt sciamus charitatem Dei, quæ nobis exhibita est in Christo. Hæc enim charitas Dei nobis per Christum exhibita hoc imprimis à nobis postulat, vt Deum vicissim diligentes, atque in Deo proximum, maximè domesticos fidei, totam fidelium societatem, eiúsque societatis duces ac præfectos singulari quodam affectu, non amoris tantùm, sed & reuerentiæ prosequamur; quando hæc societas sanctorum Christi corpus & sponsa est, in quo qui cæteris præficiuntur, positi à Spiritu S. vt regant reliquum Ecclesiæ corpus, ipsum Christum referunt; *pro Christo legatione funguntur, & qui eos audit, Christum audit; qui eos spernit, Christum spernit.* Hæc charitatis cognitio non speculatiua sed practica, *omnem scientiam supereminet*, vt inquit Paulus, quia *quantum quisq; diligit Ecclesiam, tantum habet & Spiritum S.* ait sapienter Augustinus. Quare quū Paulus *tradit in Christo absconditos esse sapientiæ & scientiæ thesauros, non aliquē ignotum Christum fabricat*, qualem sibi quisque hæreticus fingit, sed qualis ab Ecclesia prædicatur, qualis in corpore suo apparet; qualiter eum illi describunt, quibus potestatem dedit *docendi omnes gentes; vt ea omnia seruarent ac facerent quæ Christus præcepit*: qualē denique *sua prædicatione ad viuum depinxit Paulus, vt cernatur quasi ante oculos nostros crucifixus, quemadmodū dicit ad Galatas*: quod certè non ideò dixit, quia totam de Christo doctrinam, & omnes illos absconditos in Christo sapientiæ & scientiæ thesauros, per illa ad Galatas verba, Galatis à se explicata & tradita Paulus innuere voluerit; sed ideò dixit, quia veritatem de Christo crucifixo ita firmiter tam dudū Galatæ crediderunt, vt nō secus in Christum pro se crucifixum crediderint, quàm si ante eorū oculos ipsísque videntibus crucifixus fuisset. *Quis vos* (inquit) *fascinauit non obedire veritati*, id est, non manere constantes in fide accepta, *ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est in vobis crucifixus?* Nihil ergo ad rhombum hæc tota Caluini concio. Nos scripturis Apostolicis libentissimè ac tenacissimè adhæremus; sed Ecclesiæ vocem eadem propensione complectimur, ad quam arctissimè complectendam ipsa nos imprimis Apostolica scripta adhortantur. Caluinus cum suis, solis Scripturis acquiescere nos vellet, vt hoc modo tum

Margin notes: *Ephes. 4.* — *2. Cor. 5.* — *Luc. 10.* — *Tract. 32 in Ioan.* — *Matt. 28.* — *Gal. 1.* — *Caluini concio nihil ad rhombum.* — *Solis scripturis cur adhærent hæretici.*

tum Ecclesiam Iudicem magno suo commodo declinaret, tum in deprauandis pro libito Scripturis licenter versatus, omnem de fide quæstionem ad suum arbitrium ac iudicium (maximo totius religionis malo certáque pernicie) reuocaret. Sed has eius fraudes, vt Dei beneficio facilè aduertimus, ita perlibenter aliis patefacimus.

Prosequitur adhuc, vt aliquid demum pro sola scripturarum perfectione conclusisse videatur. *Cæterùm* (inquit) *ne qua maneat ambiguitas, Christus ipse postea suis verbis explicat, quænam illa sunt quæ nondum ferre poterant Apostoli. Quæ ventura sunt (inquit) annunciabit vobis. Hoc quidem nonnulli ad Spiritum prophetiæ restringunt: sed, meo iudicio, potius futurum regni spiritualis statum designat, qualem paulò post resurrectionem eius Apostoli viderunt, sed tunc comprehendere nullo modo poterant. Non ergo vaticinia illis promittit de rebus post eorum mortem futuris, sed tantùm significat aliam fore regni sui naturam, & gloriam longè maiorem quàm nunc animis concipere possint. Cuius arcana sapientiæ (quam per Ecclesiam cœlestes quoque Angeli cum admiratione discunt) thesauros Paulus explicat in Epistola ad Ephesios à primo capite vsque ad finem quarti. Quare non est quòd à Papæ archiuis vel scriniјs petatur.* Hæc Caluinus. Summa est, ea quæ nondum ferre poterant Apostoli, ad futurum regni Christi spiritualis statum, eiúsque arcanam sapientiam pertinere; cuius thesauros Paulus explicat in Epistola ad Ephesios, primis quatuor capitibus. Inuenit nunc ergo ipse Caluinus, quod ex verbis Augustini inueniri non posse voluit, quædam à Spiritu sancto Apostolis tradita quæ docente Christo portare non poterant. Ita aut prorsus ineptè Augustini verba citauit, aut sibi ipsi contradicit. Quod autem nunc agnoscit Apostolos à Spiritu sancto didicisse, statum videlicet regni Christi spiritualis, multò latiùs patet quàm quæ Paulus in Epistola ad Ephesios scribit, & omnia illa complectitur quæ iuxta noui testamenti statum, nouæque Ecclesiæ formam, de Trinitate, de Verbo incarnato, de Sacramentis, totóque externo cultu, vel distinctius & explicatius credenda, vel de nouo in religionis vsum assumenda erant. Sanè *fidem Trinitatis distinctam, fidem esse Christianorum propriam*, sapienter annotarunt sancti Patres, Basilius libro 2. contra Eunomium, & Cyrillus in Ioan. lib. 9. cap. 30.

Status regni Christi spiritualis latè patet.

Paulus in Epist. ad Ephesios, primo quidem capite totum vocationis Christianæ mysterium Christíque Redemptoris

Summa priorũ 4. cap. Epist. ad Ephesios.

gloriosissima merita, & præmia gloriosa verbis magnificentissimis proponit atque enarrat, vt ad fidei profectum Ephesios suos hortetur. In secundo cap. ipsorum Ephesiorum ad fidem Christi vocationem, eiúsque beneficium multis verbis amplificat, partim à statu seruitutis peccati in quo priùs erant, partim à redemptione per Christum facta, & gratia Iustificationis per illum accepta, partim denique ab vnione quæ nunc illis cum Deo est. In cap 3. vocationis Gentium mysterium sibi cæterísque Apostolis reuelatum esse docet: ideóque ne ob eius tribulationes Euangelij causa animos remittant, sed ad omnem potius in fide perfectionem strenuè contendant, sublimi oratione verbísque magnificis hortatur. In 4. cap. ad vnitatem fidei mutuámque charitatem solicitè retinendam studiosè hortatur: ideóque de hierarchica Ecclesiæ potestate ad hanc vnitatem conseruandam à Christo instituta, déque intima omnium fidelium connexione sub vno capite Christo disserit; móxque ad vitæ puritatem exhortationem aggreditur. Hæc est eorum quatuor capitum summa, & hos thesauros arcanæ Dei sapientiæ Paulus in illis aperuit. Sed nunquid propterea omnes arcanæ sapientiæ thesauros, aut omnem statum regni spiritualis Christi in illis 4. capitibus Paulus complexus est? In tot aliis Epistolis eius, & maximè in nobilissima illa ad Romanos Epistola, vbi quasi totum spiritum suum Paulus effudit, nullos præterea arcanæ sapientiæ thesauros exprompsit, nihil præterea de regno Christi spirituali tradidit? Aut si multa in illis eáque amplissima arcanæ sapientiæ mysteria ab istorum 4. capitum materia differentia deprompsit, multáque alia ad Christi regnum spirituale pertinentia docuit, quæ in his 4. capitibus non docentur; quomodo ex tota hac disputatione concludit Caluinus Apostolos omnem doctrinæ suæ à Spiritu Sancto acceptæ summam scriptis complexos fuisse? Aut si hoc non concludit, quorsum hæc omnia afferuntur? An non voluit ex Christi verbis certam rationem inuenire ad nos refellendos, qui in scripturis omnia contineri negamus? Hic illi huius disputationis scopus ac finis fuit. In qua tamen quum præter morem suum prolixus fuerit, nihil conclusit, nihil probauit, sed longa oratione detentum lectorem, attonitum magis reddidit, quàm instructum reliquit.

Catholica sententia frustra à Caluino impugnata.

Manet ergo hæc Christi sententia nobis integra, nequicquam reluctante & recalcitrante Caluino; Spiritum S. Apostolos multa docuisse quæ Christus viua voce eos necdum omnium

omnium capaces non docuerat. Vnde concidit illud Caluini paradoxum quod cap. 14 suadere conatus est, Spiritum sanctum nihil aliud Apostolos docuisse, quàm quod eos Christus antea ore docuerat; & ad hoc restringi Spiritus Sancti officium, quòd suggerat quæcunque Christus dixit, non doceat aliquid de nouo. Quod etiam suum paradoxum infrà iterum hoc eodem capite repetit. *Certè* (inquit) *non alia docuit Spiritus Apostolos, quàm quæ audierant ex ore ipsius Christi.* Ita sua placita mordicus tenet Caluinus, etsi absurdissima, etsi millies refutata. Rursum manet firmum quod Catholici asserunt, non omnia in Scripturis sanctis expressa esse quæ ad fidei doctrinam pertinent; nec illud assertum tota hæc Caluini disputatio vlla ex parte labefactauit. Ingenti visus est hoc assertum ariete concutere. Sed non nisi verborum fumus ac strepitus est quem concitauit. *Ad ver. 15*

Nunc vim verborum Christi veram & orthodoxam paucis exponemus. *Multa* (inquit) *habeo vobis dicere*, id est, multa adhuc supersunt quæ à me veritatis magistro, ipsáque veritate, dicere & audire debeatis, *quæ non potestis portare modò*, quorum needum capaces estis; tam propter debilitatem vestram, quàm propter rerum ipsarum nouitatem, multitudinem, & magnitudinem. Sed tamen ne propterea hac necessaria doctrina mea vos destituendos putetis, *Cùm paracletus ille venerit*, de quo iam dixi vobis, *qui Spiritus veritatis est*, tum ratione originis, quia meus Spiritus est; tum ratione effectus, quia vera sunt omnia quæ docebit; *ille docebit vos omnem veritatem*, siue deducet vos in omnem veritatem. *ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν.* Deducet seu manuducet, quia illi reuelanti mysteria cooperari vos oportet. Ducitur enim ab alio qui etiam opera venit, non trahitur, non portatur. Sic Apostoli *post magnam disquisitionem suámque operam præstitam* deducti sunt in illam conclusionem: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Rursum, *deducet vos in omnem veritatem*, quia non simul & semel vno momento omnem veritatem aperiet, sed paulatim ab vna in aliam deducet. Sic Petrus, accepto Spiritu sancto in die Pentecostes, distinctè tamen adhuc ignorauit an Gentes essent baptizandæ, vt visione de cœlo illa opus fuerit. Deinde *deducet vos*, quia perpetuò nobis aderit hic Spiritus veritatis, vt in fidei dogmate tradendo non possitis errare. *In omnem* porrò *veritatem* deducet multis modis. Primùm quia in memoriam vestram reducet omnia à me dicta ac facta, vt ea vel scripto committere (quod illorum nisi duo fe-

Verba Christi explicantur.

Spiritus veritatis.

Act. 15.

cerunt, Ioannes & Matthæus,) vel absque scripto posteris tradere possitis, quod reliqui omnes fecerunt. Tum ipsa mea dicta ac facta vobis explicabit, suóque lumine efficiet, vt singula intelligatis quæ hactenus non intellexistis. Deinde & *multa* alia quæ ego *habeo* quidem *vobis dicere*, sed nondum dixi, vobis manifestabit, siue quæ ad dogmata, siue quæ ad mores, siue quæ ad Ecclesiæ regimen spectabunt, prout vel populus credentium capere poterit, vel noua aliqua difficultas nouam & explicatiorem doctrinam postulabit. Tandem veteres scripturas, prophetias, figuras de me ac regno meo spirituali idem Spiritus veritatis vobis aperiet, explicabit, claras ac dilucidas efficiet. Sic in omnem veritatem vos deducet. Id autem certissimè fiet, quia *non loquetur à semetipso*, quasi suam aliquam sibíque propriam ac singularem doctrinam adferret, *sed quæcumque audiet, loquetur:* quia videlicet sicuti essentiam sic etiam scientiam omnem aliunde accipit. *Et quæ ventura sunt, annunciabit vobis.* Dono quoque prophetiæ vos donabit, quatenus ad Ecclesię meæ ædificationem vtile ac necessarium fuerit. *Ille me clarificabit:* meam diuinitatem toti mundo patefaciet: ἐκ τοῦ ἐμοῦ, ex illo, inquam, meo, ex mea diuinitate, quatenus à me procedit: non quia non ab æterno eam accepit, sed dico, *accipiet, & annunciabit vobis*, vt intelligatis eum eo ipso tempore de mea diuinitate (de *mea*, non meam, quia totam accipere & audire ab eo non potestis) accipere quæ vobis de illa annunciat: quia quod æternum est, omne tempus complectitur. Nolite igitur anxij esse vel de meo discessu, vel quia non dixi vobis omnia. Per hunc Spiritum veritatis abundè vobis erit prospectum. Hæc hoc loco Christi sententia ac doctrina est.

Summa est, Christum Ecclesiæ suę docenti Spiritum suum sanctum promittere, qui eam omnem veritatem doceat, vt Spiritus sancti doctrinam in Ecclesiæ voce quæramus, in Apostolorum prædicatione de manu ad manum per eorum successores ad nos deriuata, non in solis scriptis Apostolicis & Euangelicis, cùm nec omnes Apostoli scripserint, sed quatuor aut quinque tantùm, nec vt omnia scriberent, vel sibi propositum esse; ij qui scripserunt vsquam insinuant, vel mandatum ea de re vsquam extet, cùm de prædicando & viua voce docendo luculentissimum mandatum acceperint, idémque suis scriptis consignarint.

14. *Ille me clarificabit.*

GArrit iterum & rixatur ad hæc verba Caluinus contra Ecclesiam Catholicam, quasi hoc esset Christum à Spiritu Sancto clarificari. *Multi* (inquit) *Christo valere iusso, ac si regno perfunctus nihil nunc esset, Spiritum in eius locum subrogant. Ab hoc fonte Papatus & Mahometis sacrilegia fluxerunt. Nam etsi inter se multis rebus sunt dissimiles isti Antichristi, commune tamen principium habent, Euangelio quidem nos initiari in rectam fidem, sed aliunde petendam esse doctrinæ perfectionem, quæ nos penitus expoliat. Si Papæ obÿcitur scriptura, illic hærendum esse negat, quia Spiritus superueniens multis additamentis supra illam nos euexit. Mahometes prædicat sine suo Alcorano homines semper manere pueros. Falso itaque Spiritus prætextu fascinatus fuit mundus, vt à simplici Christi puritate discederet. Nam simul ac spiritus à Christi sermone diuellitur, quibuslibet deliriis ac imposturis aperta est ianua.* Hæc est Caluini hoc loco rixa, hoc iurgium, hæc fanatica debacchatio. Cui iustam & solidam hanc accusationem regerimus: Multi hodie nouatores, sectarij, hæretici, *Christo valere iusso, ac si regno perfunctus nihil nunc esset*, ac si amplius per Ecclesiam suam non loqueretur, per quam se vsque ad consummationem seculi locuturum promisit, spiritum in eius locum subrogant, de priuato suo spiritu iactitant. *Ab hoc fonte Caluinismi & Mahometis sacrilegia fluxerunt. Nam etsi inter se quibusdam in rebus sunt dissimiles isti Antichristi*, (in quamplurimis enim maximam inter eos similitudinem esse, Analysis Caluinismi luculenter docuit) *commune tamen principium habent*, à nouo quodam & proprio spiritu duci; totius veteris Ecclesiæ Spiritu, per quam Christus hactenus locutus est, penitus reiecto atque despecto. *Et Euangelio quidem nos initiari in rectam fidem* Caluinus affirmat, sed ex sua Institutione, ex suis Commentariis omni errorum & blasphemiarum turpitudine refertissimis, *petendam esse doctrinæ perfectionem quæ nos penitus expoliat. Si Caluino obÿcitur Scriptura* apertissima, *Hoc est corpus meum, illic hærendum esse negat. Stultè* (inquit) *superstitiosi sunt Papistæ & similes* (Lutheranos notat) *dum verba mordicus arripiunt*, &, vt hîc loquitur, *Spiritus superueniens multis additamentis supra illam scripturam nos euexit.* Nam (vt alibi disertè scribit) *vtcunque verborum Christi reuerentia tangi se quiritentur quominus figuratè intelligere ausint*

Caluini rixa cõtra Ecclesiam.

Hæreticorum priuatus spiritus

Caluinus Scripturã reÿcit. In Harmõ. ad Matth. c. 26. ver. 28. Instit. lib. 4. c. 15. num. 10.

quæ sunt apertè dicta, non est tamen hic satis iustus prætextus cur omnes quas contrà obijcimus rationes respuantur. Nempe quas spiritus superueniens Caluino suggessit. Vnde & eodem in lib. ac cap. num. 25. *Hac Christi voce contentum esse.* Hoc est corpus meum, *fastuosam morositatem* vocat. Hic enim Caluini spiritus nequã *multa illi additamenta* ad illam nobilissimam scripturam suggessit, metonymias, canales, symbola, quibus ipsa Scripturæ veritas penitus opprimatur. Sicut Mahometes sine suo Alcorano, sic Caluinus sine sua Institutione, *Homines semper pueros manere prædicat. Falso itaque prætextu spiritus Caluiniani iam dudum fascinatus fuit mundus, vt à simplici verborum Christi puritate discederet.* Nam simul ac spiritus iste hæreticorũ, Caluini in primis, ab apertis & disertis Christi verbis, *Hoc est corpus meum, diuelli voluit, quibuslibet imposturis & deliriis aperta est ianua.* Adeò sanè vt illorum verborum Christi plusquam octoginta deprauationes ab horum temporum hæreticis adinuentæ fuerint, quas omnes cum suis authoribus enumerauit Claudius de Sainctes in opere suo Eucharistico. Tota igitur Caluini fabula, mutato nomine, de se ipso narrata est: & criminatio in Ecclesiam Catholicam coniecta, optimo iure, verè ac solidè, illustri dato exemplo in ipsum reiicitur.

Repetit. 1. cap. 10. in fine.

Interim criminatio in Ecclesiam Catholicam non nisi generalis est, quia dolosus semper versatur in generalibus. Quòd Mahometem Catholicis adiunxit, accusatio ridicula est, vt alio in loco satis ostendimus, ideóque hîc non repetimus. Sed & hoc loco quàm absurdè, quàm impudenter, quàm proiecto mendacio dicit Caluinus, *Mahometis hoc principium esse nobiscum commune: Euangelio nos initiari in rectam fidem!* An Mahometes Euangelio suos initiari patitur, aut ad rectam fidem Euangelium pertinere vllo modo affirmat? Annon omnem eius lectionem & notitiam suis seuerissimè interdixit, & in solo suo Alcorano omnem religionis ac perfidiæ suæ regulam constituit? Sed bene ac feliciter se res habet. Aliquid Catholicis cum Mahomete commune fingere Caluinus non potuit, nisi quod cum aperto & luculentissimo mendacio coniunctum fuit. Hæc eius hoc loco impudentia, hæc cæcitas, hæc veluti capitis vertigo erat, dum in Ecclesiæ Catholicæ criminationem impotenter irrumpere studuit. Vana est sine viribus ira.

27. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui.*

DOcet hic locus contra Caluinum, omnésque nostri temporis hæreticos, esse in nobis inhærentem quandam nobísque propriam iustitiam, quam Deus in nobis diligit, approbat, & nouis beneficiis remunerat. Amare Deum, & credere Christum esse filium Dei (hoc est enim hoc loco, *à Deo exiuisse*) actus nostri sunt, & potentiarum nostrarum; tametsi non prorsus à nobis, sed à Dei gratia effecti. Dicit autẽ Christus, hos ipsos actus amandi & credendi, causam esse diuini erga nos amoris. *Pater* (inquit) *amat vos, quia me amastis, & credidistis.* Amat autem amore quodam consequente, non antecedente. Alius est amor Dei quo præuenit nos in benedictionibus, quo prior dilexit nos, quo elegit, quo vocauit, quo iustificauit; qui non nisi in ipso Deo eiúsque beneplacito causam habet. Alius quo iam semel dilectos, electos, vocatos, iustificatos, diligit & amat, tum *complacendo in illis, & gratos habendo*, vt D. Augustinus in hunc locum distinguit; tum etiam noua semper & maiora gratiæ suæ beneficia huiusmodi conferendo: de quo genere Christum propriè hîc loqui verba proximè præcedentia conuincunt. *In illo die in nomine meo petetis* (vtique gratiæ beneficia noua & auctiora) *& non dico vobis, quia rogabo Patrem*, id est, non erit absolutè necessarium, vt ego pro vobis in hac causa intercedam, non est opus hac mea præsentia aut intercessione; adite ipsum confidenter, illum rogate, & petite in meo nomine; *ipse enim Pater amat vos, quia me amastis*, &c. *Pater vos amat*, dicit, *quia me amastis*; non dicit, Pater vos amauit, quia vos me amastis. De præsenti & continuato Dei amore loquitur, causam eius reddens discipulorum dilectionem & fidem. Non loquitur de amore Dei præterito, & quatenus inchoatur erga suos. Ille enim (vt dictum est) ex parte nostra nullam causam habet, sed ex solo eius beneplacito, qui prior dilexit nos, promanat.

Iustitia inhærens.

Amor Dei in nos duplex.

Tract. 102. in Ioan.

Nunc vt hæc verba Caluinus inuoluat atque inuertat, videamus. *Monemur* (inquit) *his verbis vnicum esse vinculum nostræ cum Deo coniunctionis, si Christo coniuncti sumus. Coniungimur autem fide non ficta, sed quæ ex sincero affectu nascitur, quem amoris nomine designat. Neque enim purè in Christum credit, nisi qui illum ex animo amplectitur: quare hoc verbo vim & naturam fidei bene expressit.* Hoc est Caluini artificium, hæc eius technologia, qua scripturam Euangelicam

Caluini corruptela.

insigniter deprauare didicit. Quod Christus de amore & fide dixit, ille ad vnam solam fidem artificiosè redegit. Duo Christus posuit: *Amastis & credidistis*. Vnum Caluinus concludit. *Hoc* (inquit) *verbo amoris, vim & naturam fidei expressit: quia fides ex sincero affectu nascitur, quem amoris nomine designat.* Fallit lectorem & mentitur Caluinus. Mendacium est luculentum, verbo amoris, vim & naturam fidei exprimi. Amor Christi à fide in Christum tota natura distinguitur. *Tria sunt*
1.Cor.13. *hac*, ait Paulus, *fides, spes, charitas; maior autem horum est charitas*. Christus hîc quoque vtrumque distinxit: *Quia amastis me, & credidistis, quia à Deo exiui*. Naturam & vim fidei, quam hoc loco Christus commendat, ab obiecto suo commendat, *quia à Deo exiui*, id est, quòd ego sum filius Dei naturalis. Amorem discipulorum adiunxit, vt virtutem à fide toto genere distinctam, & vt amorem ipsorum non humanum quendam aut moralem, quasi eum veluti amicum aut quemlibet magistrum amarent, sed diuinum & in Deo fundatum fuisse doceret; quia illum cum fide amabant; & talem amabant, qualem eum esse crediderunt. Qui sanè amor cum fide coniunctus in discipulis Christi iam regeneratis, causa erat, cur eos Deus vicissim amaret, complacendo se in eis, & ad maiora eis beneficia conferenda ita paratus, vt in nomine Christi Deum petentes, facilè à Deo exaudiendi forent, nec vt Christus singulariter pro eis intercederet, prorsus necessarium esset. Christum igitur amoris nomine, fidei vim & naturam expressisse, luculentum mendacium est, & innumeris scripturis aduersum, quæ charitatem à fide, vt distinctas virtutes, perpetuò disterminant.

Amor ex fide nascitur, non contra. Iam fallit lectorem Caluinus, quòd *ait fidem non fictam ex sincero affectu nasci, quem hic amoris nomine Christus designat.* Neque enim fides ex amore vllo modo nascitur, sed aliquo modo amor ex fide; quatenus natura prior fides est. Non credimus in Deum, quia eum diligimus, sed contrà eum diligimus quia credimus. Notitia præcedit affectum, non affectus notitiam. Amare incognita non possumus; & vt amemus, aliquo modo cognoscere id necesse est quod amare volumus. Quæ causa est cur in hac vita mortali, vbi non nisi per speculum & in ænigmate, prout fides docet, Deum cognoscimus, debilis & imperfectus amor noster in Deum est. Cùm autem fides in ipsam Dei visionem conuertetur, & *facie ad faciem Deum videbimus, sicuti est*; tunc amor in Deum erit plenissimus, inuincibilis, & æternus. Caluinus omnia

omnia confundit, sibíque ipsi ac suis placitis cõtradicit. Alibi enim ex fide amorem nasci, fidémque esse omnium virtutum radicem statuit, vt sic bona opera, *si quam apud Deũ laudem habent, ex sola fide eam accipiant, quia fructus censendus ex arbore est.* Et est quidem fides bonorum operum vera radix, non autem charitatis ipsius. Immò vna radix fides est, quatenus ad bene operandum intellectus purificari debet, vt nouerit quid sit agendum & in quem finem. Altera radix charitas est, quatenus ad bene agendum voluntas accendi atque inflammari debet, vt quod agendum per fidem intelligit, alacriter exequatur. Ex amore igitur nascuntur sanè bona opera, sed non ipsa fides, quæ prima virtutum ordine generationis est, sicut ordine perfectionis prima virtutum charitas est.

In Epistol. ad Rom. c. 4. vers. 6.

Operum bonorum duplex radix.

Omnia confundit Caluinus. *Coniungimur* (inquit) *Christo fide non ficta, quæ ex amore nascitur: nec purè in Christum credit, nisi qui illum ex animo amplectitur.* Hæc non ad vim ac naturam fidei, sed ad eius perfectionem pertinent; nec fidem veram, sed viuam describunt. Qui purè credit in Christum, habet charitatem fidei adiunctam. Qui fide non ficta coniungitur Christo, cum affectu sincero, non simulato, non hypocritico, cum Christo coniungitur; sed hic affectus sincerus actus charitatis est, non fidei; & ex charitate nascitur, non ex ipsa natura fidei. Audi Paulum. *Finis* (inquit) *præcepti*, id est, impletio ipsa & executio legis mandatorum, *est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta:* id est, est illa diuina charitas, non terrena, carnalis, humana, quæ *ex corde puro promanat*, quod nullæ cupiditates vitiosè coinquinant: & *ex conscientia bona*, seu mente nullius sibi sceleris conscia: & *ex fide non ficta*, non hypocritica, non simulata, sed veraci & sincera, quæ, quod ore confitetur ad salutem, hoc intimo corde credit ad iustitiam. In ipsa natura fidei est actus quoque voluntatis, quatenus illis omnibus quæ intellectus à Deo illuminatus apprehendit esse vera, voluntas à Deo quoque mota obedienter acquiescit: ex cuius videlicet imperio non intellectus dictamine nascitur fidei virtus, seu obedientia fidei in scripturis tantopere laudata. Sed hæc voluntatis obedientia & affectio pia plurimum differt ab ipsa charitate, qua Deum diligimus, de qua hîc Christus loquitur. Illa enim affectio nihil respicit quàm obiectum fidei intellectui propositum, vt actus fidei eliciatur. Charitas verò Deum & vltimũ finem ac summum bonum pro obiecto habet, quatenus in illum toto impetu fertur, & eodem impetu tam ipsius fidei

Fides & charitas quomodo se ad inuicem habent.

1. Tim. 1.

quàm

quàm aliorum omnium bonorum actus in Deum rapit, vt sic in Deum omnia relata Deo accepta & grata fiant, verarúmque virtutum rationem, formam, perfectionem adipiscantur. Ideò dixit Paulus, *finem præcepti*, id est, perfectionem seu perfectam impletionem omnium mandatorum, esse *charitatem de corde puro*, &c. Illa enim & ad omne opus bonum extimula, & ipsa bona opera vt in Deum ferantur, ideóque perfecta fiant, sola efficit. Sic iterum dixit Paulus, *fidem per charitatem operari*; quia vt fides in opus ereat, vt, quod fide faciendum nouimus, opere præstetur, vt perficiatur & ad iustificationem in Christo valeat fides, *per charitatem*, Dei virtute, beneficio charitatis id totum fit. Hæc charitas non ad naturam, sed ad perfectionem fidei facit. Hæc charitas non ad actum fidei eliciendum, sed ad actum fidei perficiendum, atque in vltimum finem dirigendum concurrit. Denique non est ille affectus seu obedientia voluntatis, quæ ad actum fidei necessariò requiritur, sed est aliud & distinctum Dei donum, alia & distincta virtus, quæ inchoatam per fidem regenerationem perficit, & vt in nouitate vitæ credentes ambulent, sua peculiari energia efficit. Ista Caluinus confundens, lectorem fefellit, vt in his Christi verbis vnius fidei vim ac naturam exprimi doceret, & ad vnam fidem id totum reuocaret, quod Christus in charitate & fide collocauit.

Quomodo Deus amat, quia amatur. Nunc prætractam à nobis difficultatem mouet, quomodo dicatur Deus ideò discipulos amare, quia illi Deum amabāt; quum ideò potius discipuli Deum dilexerint, quia Deus prior dilexit illos. Ad hanc difficultatem quid respondeat videamus. *Respondeo* (inquit) *homines ante vocationem, si sunt ex electis, arcano modo à Deo amari, qui suos omnes diligit antequam creati sunt: sed quia nondum reconciliati sunt, meritò censeri Dei inimicos, sicut & Paulus loquitur. Secundùm hanc rationem hic dicimur amari à Deo dum Christum diligimus, quia pignus habemus paternæ eius dilectionis, quem antè horruimus vt iudicem nobis infensum.* Iterum Christi sententiam nefariè corrumpit. *Christo Caluinus contradicit.* Christus docuit discipulos suos à Deo amari, ideóque posse ab illo confidenter petere beneficia gratiæ: *Quia* (inquit) *vos me amastis*, &c. vbi manifestè ponit discipulorū amorem causam esse cur hoc amoris genere Deus illos amet. Non est ita (ait Caluinus) nec vlla hìc ponitur causa cur Deus quocunque tandem modo suos amat, sed exprimitur *pignus quoddam paternæ Dei in nos dilectionis*. Deus vos amat, huius enim amoris diuini in vos hoc pignus, hoc

signum

signum habetis, quòd vos ipsum amatis. Atqui si ita licet totam Christi sententiam inuertere, primùm rogo Caluinistas omnes, si amor discipulorum hoc loco non nisi pignus aut signum est dilectionis Dei erga eos, cur etiam & fides eorum pro solo quoquè signo amoris diuini non ponitur? Vtrumque enim Christus dixit: *Quia vos me amastis, & credidistis in me.* Si autem fides nostra in Christum & in diuinam in Christo virtutem, nempe vt esset nobis sapientia, sanctificatio, iustitia, & redemptio (hoc enim totum illis verbis contineri, *Quia à Deo exiui*, Caluinus hîc exponit) non nisi pignus & signum est paternæ Dei in nos dilectionis; non erit amplius magis verum quòd fides nos iustificat, quàm quòd bona opera nos iustificant. Bona enim opera nos non iustificant, iuxta Caluini perpetuam doctrinam, quia notæ, signa, & pignora sunt acceptæ iustificationis, non autem causa illius; Eodem igitur modo fides non iustificabit, quia iuxta Christi hoc loco sententiam non causa, sed pignus & signum est dilectionis Dei erga nos. In summa igitur hoc dilemma contra Caluinum statuo: Illa Christi verba, *Quia amastis me, & credidistis quòd à Patre exiui*, aut causam notant cur Deus Pater discipulos amauit, aut pignus tantùm & signum denotant dilectionis paternæ erga eos. Si prius, charitas non secus dilectionis Dei causa erit quàm fides. Si posterius, fides non magis iustificabit quàm charitas. Veritas autem orthodoxa hoc habet, propter vtrumque, charitatem & fidem, discipulos à Deo Patre dilectos fuisse, & ex vtroque hominem iustificari. Denique hæc verba non signum, sed causam propriè denotare, in superioribus explicatum dedimus. Ita vndique corruptelæ Caluini concidunt.

Iustificationem ex sola fide Caluinus euertit.

IN IOANNIS CAP. XVII.

3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*

Cvm id Patrem rogasset Christus, *vt filium suũ clarificaret*, id est, toti mundo notum faceret, idq; in eum finem, vt *iuxta potestatem omnis carnis à Patre acceptam*, id est, iuxta redemptionis officiũ ei commissum, ad vitam æternam electos omnes à Patre datos perduceret, subiungit nunc huius suæ petitionis causam

impri

imprimis neceſſariam. *Hæc autem* (inquit) *eſt vita æterna*; id eſt, hoc modo ac via ad vitam æternam peruenitur (habent enim illa verba ſenſum cauſalem, vt illud: *Ego ſum reſurrectio & vita*, item illud: *Deus fortitudo mea & patientia*, multáque huiuſmodi; non ſenſum formalem, vt aliqui exiſtimarunt) *vt cognoſcant* per fidem *te ſolum verum Deum*, id eſt, vnum eſſe ſolum Deum, veraciter talem, non multos Deos, vt cæca gentilitas putat; *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*; id eſt, præter vnius Dei diuinitatem, *incarnati filij Dei myſterium*: vt ſic Iudæorum fides perficiatur; non quòd ſola & plena ratio perueniendi ad vitam æternã ſit credere in vnum Deum & Chriſtum redemptorem (vt Brentius in hũc locum colligit; *Fides*, inquit, *eſt vita æterna, quia Chriſtum poſſidet*) aut quòd nihil aliud ad vitæ æternæ conſecutionem neceſſariò credendum ſit; ſed quòd ad hæc duo capita cęteri omnes fidei articuli reducantur, & quòd fides in Deum, ac Chriſtum eius viua eſſe debeat, *per charitatem operans*, qualis in Scripturis deſcribitur. Nec verò hic locus iuuat Arianos, aut nouos, aut veteres, quaſi ita ſolus Pater Deus ſit, vt quem miſit Ieſus Chriſtus non ſit Deus. Nam vt planè annotarunt contra Arianos SS. Doctores, in hac propoſitione illa copula: *&*, Patrem & Chriſtum ſub vna deitate coniungit, vt latè hunc locum tractant, Auguſt. tract. 105. in Ioan. & lib. 6. de Trinit. cap. 9. Ambroſ. de fide lib. 5. cap. 2. & Hilar. lib. 9. de Trin. Gregor. Nazianz. orat. 4. Theolog. & Athanaſ. in lib. de Incarn. Chriſti prope finem, & in diſputatione contra Arium coram Probo iudice. Et Cyprianus lib. 2. contra Iudæos. Secundùm quos omnes hæc eſt verborum Chriſti cõſtructio: *Vt cognoſcant te & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, ſolum verum Deum.* Neque hîc tamen perſona Spiritus ſancti excluditur, ſed tacetur; quia eius perfecta notitia nondum fuit tradita. Alia nihilominus verborũ conſtructio & ſimplicior hæc eſſe poteſt: *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum*, id eſt, nõ alios deos falſos, niſi te vnum Deum, in quo vno Deo omnes perſonæ comprehenduntur (ſic enim ſæpe in Euangelio Patrem alloquitur Chriſtus, non vt perſonam, ſed vt Deum, maximè quando vt homo loquitur, ſicuti hoc loco) & præter diuinitatis notitiam Chriſtum quoque Redemptorem ſeu Filium Dei incarnatũ cognoſcant. Hanc conſtructionem ſequitur Cyrillus lib. 11. cap. 16. in Ioan. Chryſoſtomus homil. 79. in Ioan. Euthymius, Baſilius lib. 4. contra Eunomium. Vtraque conſtructio bona eſt, ſed poſterior magis videtur probabilis, & Arianos ſatis refutat.

[Margin: *Ioan. 11.* — *Galat. 5.* — *Ariani refutantur.*]

6. *Tui*

6. *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt.*

MAnifestus & perspicuus huius literæ sensus, quòd ad solos discipulos Christi pertineat, ex verbis proximè præcedẽtibus apparet, quibus dixit: *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo.* An enim Christus aliis se manifestauit, quàm propriis discipulis suis, quibus dixit, *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum?* Turbas autem in parabolis omnia docuit. Ait igitur Christus Patri: *Ego nomen tuum,* id est, me esse à te missum in hunc mundum, me esse Filium tuum, te Patrem; *manifestaui,* apertè docui, & demonstraui; *hominibus quos dedisti mihi ex mundo,* id est, non omnibus hominibus aut omnibus Iudæis qui me audierunt, sed istis hominibus quos ex hac vita mundana, tua gratia attraxisti, vt mihi adhærerent. Sic enim postea de illis ipsis & solis dicit: *Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo,* id est, quia non eadem sentiunt aut sapiunt cum mundo. Quum ergo dixisset, *quos dedisti mihi*; huius verbi rationem reddens, ait, *tui erant,* scilicet per electionem æternam; *& mihi eos dedisti*; id est, mihi vt homini eos dedisti, vt mihi adhærerent, & meam doctrinam addiscerent; *& sermonem tuum seruauerunt,* id est, omnia fecerunt quæ tuo nomine illis præcepi. Fuerunt mihi & præceptis tuis per omnia obedientes. *Sermonem Dei seruare,* apud Ioannem, hunc perpetuum sensum habet, vt significet non doctrinam tantùm retinere, sed & præcepta Dei facere. *Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum:* & paulò pòst; *Scio eum, & sermonem eius seruo.* Disputat contra Iudæos qui legem Dei non seruabant, & ait se scire Deum, & seruare mandata eius. *Scire,* ad doctrinam Patris; *sermonem seruare,* ad paternæ voluntatis executionem pertinebat. Rursùm: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Nempe quia *dilectio implet legem,* vt Apostolus docet, vnde addit Christus: *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Ioan. 8. 51. Rom. 13. Ioan. 14.

Nunc autem totam hanc Christi sententiam penitus corrumpit, inuertit, & contaminat Caluinus. Vult esse generalem Christi sententiam, quæ ad solos discipulos pertinet, vt inde certitudinem suam præsumptione, & extrema impietate plenam constabiliat. *Certitudo* (inquit) *in eo consistit, quòd Filio Deus tradit in custodiam quoscumque elegit, ne pereant. Et huc conijcere oculos oportet, vt certò teneamus nos esse ex ordine* *Caluini corruptela pro certitudine gratiæ.*

filiorum Dei. Nam in se abscondita est Dei prædestinatio: in solo autem Christo nobis patefit. Hæc ille. Patefieri & manifestam esse cuiusque electionem in hac vita, ex eo esse vult quòd in Christum credant. Atqui nihilominus adhuc incerta est ele-
Matth.22. ctio. *Multi enim vocati*, ad externã fidei professionem: *pauci electi*, ad vitam æternam. Sunt quidẽ in vocatis & iustificatis aliqua signa & indicia electionis ac prædestinationis, sed certitudo nulla. Caluinus ex eo solo quòd in Christũ credimus, nos iam Filio datos in custodiam, & ex eo nos esse in ordine filiorum de certo concludit. Cuius adhuc sententiæ eò maior absurditas est, quòd etiam signa electionis diuinæ, ex quibus coniicere hoc saltem & optimè sperare liceat, è medio tollit, nempe quod Christus de Apostolis adiecit, *Et sermonem tuum seruauerunt.* Seruare enim mandata Dei, & gratiam electionis
2.Pet.1. acceptam conseruare, vel, vt D. Petrus loquitur, *vocationem & electionem nostram per bona opera certam facere*, luculentum prædestinationis est indicium. Hoc ipsum tamen tollit Caluinus. Sic enim illa Christi verba peruertit. *Hic* (inquit) *tertius est gradus. Primus enim est electio gratuita, secundus est donatio illa qua transimus in Christi tutelam. Recepti à Christo per fidem in ouile aggregamur. Reprobis effluit sermo Dei, sed apud electos radicem agit, vnde seruare eam dicuntur.*
Salutis nostra gradus. Ponit tertium gradum in fide, vt eam qui seruet, completam habeat electionis suæ certitudinem. In quo bis fallit ac fallitur. Nam nec tertius gradus fides est, sed secundus; nec seruare sermonem Christi hoc loco, fidei radicem tenere, sed Dei mandata facere significat, quorum posterius iam antea probatum dedimus. Prius refutat Paulus, qui gradus salutis
Rom.8. nostræ aliter enumerat. *Quos*, inquit, *prædestinauit, hos vocauit: quos vocauit, hos iustificauit: quos iustificauit, hos glorificauit.* Quatuor hîc gradus sunt. *Prædestinatio* seu electio gratuita primus gradus est, secundus *vocatio* per fidem, nam absque fide nulla vocatio est: nec vocatus in scripturis dicitur, nisi qui fidem professus fideique mysteriis initiatus est.
Gal. 5. Tertius *iustificatio* accedente ad fidem charitate, vel potius ipsa *fide per charitatem operante*, vt Apostolus loquitur. Quartus & vltimus est ipsa *glorificatio*. Donatio illa qua transimus in Christi tutelam, quam in secundo gradu ponit Caluinus, ad ipsam electionem gratuitam, & primum gradum pertinet. Hoc ipsum quippe eligi seu prædestinari ad gratiam à Deo, nihil aliud est quàm ad Christi gratiæ parti-
Ephes.1. cipationem destinari, (*in quo placuit omnia restaurari*) quod

est

est Christo donari, quatenus illa donatio æternam Dei voluntatem significat. Eadem quippe vt temporalem Christo incorporationē notat, ab ipsa vocatione & fide non distinguitur, Christo enim in tempore & de facto incorporari, nihil aliud est, quàm in Christum credere, & per fidem in Christum ad salutem vocari.

Sic omnia cōfundit Caluinus, vt suam ex sola fide electionem statuat. Sanè non omnes seruari quos Pater Christo dat iuxta donationem temporalem ex fide, ex qua sola suam certitudinem Caluinus colligit, vnius Iudæ exemplum docere potest, de quo Christus infrà dicit: *Quos dedisti mihi custodiui. Nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Quū dicit, *Nemo nisi,* manifestè docet Iudam quoque à Patre Christo datū fuisse. Exceptio enim ab eodem fit genere quo cæteri comprehenduntur. Sed datus erat electione temporali iuxta vocationem ex fide: non erat datus electione æterna, vt iustus ac beatus perseuerans in finem. Ideò notare volens Christus causam ruinæ, vocat eum *filium perditionis,* id est, filium perditum, nequam, voluptatibus suis & peccatis deditum, iuxta phrasim Hebræorum perpetuam, quam & annotauit Basilius in Psalmos. Impius Caluinus vult eum ita vocari, *quasi exitio deuotum,* vt perditionis causam in Deum referat: eámque ob causam illa Christi verba, *Nemo perijt, nisi Iudas,* ait esse *impropriam exceptionem, ad Grammaticam quod attinet.* Ita homo incredibiliter audax & peruicax etiam Grammaticum Christi sermonem corrigit, vt suis horrendis placitis circa reprobationem diuinam locum faciat.

Homil. in Psal. 7. ad ver. 12.

20. *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui per verbum eorum credituri sunt in me, vt omnes vnum sint,* &c. *vt & ipsi in nobis vnum sint.*

ADuertere potuit hoc loco Caluinus, ex hac Christi oratione (in qua haud dubiè & exauditus fuit) Ecclesiæ Christianæ perpetuò docentis ac prædicantis perpetuam quandam vnitatem, firmitatem, ac stabilitatem, necessariò colligi. Quòd enim pro ipsis Apostolis tantùm orauerit, vt ipsi seruarentur in nomine eius, vt sanctificarentur in veritate, vt omnes vnum essent, (quæ omnia fidei ac veræ doctrinæ perpetuò in illis stabilitatem & vnitatem postulant) idem nunc ad omnes docentis & prædicantis Ecclesiæ discipulos extendit, qui ad finem vsque mundi futuri erunt. Docet

Ecclesia Christiana perpetua stabilitas.

ergo hic locus, Ecclesiæ Christianæ, veræque & sanæ doctrinæ penes eam docentem perpetuam stabilitatem, qualem in ipsis Apostolis perdurasse nemo Christianus dubitat: vt propterea horum temporum hæretici, qui à tot sæculis, sanè ab ipsis iam Apostolorum temporibus (quod eum antiquissimi Patres docuerunt, pro doctrina Papistica passim suggillat Caluinus, vt multa in his Antidotis exempla docuerunt) in plurimis & maximis dogmatibus totam, quæ extabat, Christianam Ecclesiam turpissimè errasse dogmatizant, & consequenter hanc Christi orationem penitus inanem & infructuosam reddunt, summæ & apertæ impietatis ex hoc loco

Caluini impostura. conuincuntur. Aduertere facilè potuit hoc totum Caluinus, ideóque vafrè & astutè ab illa cogitatione lectoris animum auocans, ad ipsos Catholicos ex hoc loco accusandos, & ad Ecclesiæ Catholicæ doctrinam exagitandam, stylum conuertit. Sic enim scribit. *Quod proximè sequitur membrum, Per verbum eorum in me, vim ac naturam fidei optimè exprimit: & simul familiariter nos confirmat, quò sciamus fidem nostram in Euãgelio per Apostolos tradito fundatam esse.* Verum sanè istud est, quia . . Apostolica doctrina per totum orbem prædicata, nobísque de manu in manum tradita, quemlibet

Gal. 1. Christianum acquiescere necesse est, illis verò qui aliud, *præterquam* ex Apostolica traditione *accepimus, nobis euangelizant, anathema dicere* oportet. Natura & vis fidei hìc opti-

Rom. 1. mè exprimitur: *Fides quippe ex auditu est, auditus autem per verbum Christi,* quod hìc Christus ipse vocauit, *Apostolorum verbum: Qui per verbum eorum credituri sunt in me.* Vnde

Tract. 109 in Ioan. B. August. ex hoc loco colligit, *verbum fidei, & verbum Apostolorum, credere Deo, & credere Ecclesiæ, prorsus idem esse.* Hactenus ergo & rectè & nihil aduersus Catholicos dixit Caluinus, videamus sequentia. *Ergo vt millies à mundo damnemur, sufficiat hoc vnum, quòd Christus in suo peculio nos agnoscit, & Patri commendat.* Rectè quoque & istud. Nam quicquid hæretici contra Catholicam Ecclesiam obganniant, sufficit nobis quòd Apostolicis traditionibus inhærentes, & doctrinam Apostolicam, quam ab Apostolis acceptam Ecclesiæ prædicauerunt, piè & orthodoxè tenemus. Sed hactenus non nisi velitatus Caluinus, & non nisi generaliter loquens, veluti aërem gladio verberans, nunc cominus

Caluini duplex & putidum mendaciũ. hostem petit. *Væ autem Papistis, quorum tam longè ab hac regula aberrat fides, vt eos non pudeat execrabilem blasphemiam vomere, nihil nisi ambiguũ & flexiloquum haberi in Scriptura.*

Itaque

Itaq; sola Ecclesia traditio illis credendi magistra est. Hæc gladiator iste. Sed totus eius furiosus ictus non nisi aërem verberauit: homines, quos petit, nullo modo attigit. Purum ac putidum mendacium est quod narrat. *Nihil haberi in Scriptura nisi ambiguum & flexiloquum*, non est Papistarum execrabilis blasphemia, sed est Caluini & Caluinistarum execrabilis calumnia. Nec sola Ecclesiæ traditio illis credendi magistra est, sed pariter cum scriptura Ecclesiæ quoque traditio tam illis nunc est, quàm antiquissimis & doctissimis Ecclesiæ Patribus semper fuit Tertulliano, Basilio, Chrysostomo, Augustino, & aliis, vna credendi regula. An quia Catholici omnem scripturam perspicuam & claram esse negant, igitur & nullam esse perspicuam, aut nihil in ea nisi ambiguum & flexiloquum affirmant? Aut quia traditiones amplectuntur non scriptas, idcirco illis solis insistunt? Putidum illud & duplex mendacium vno verbo notasse satis erit. Nos Catholici Scripturas sanctas veneramur, tractamus & earum genuinos ac germanos sensus contra execrabiles Caluini corruptelas, quanto studio possumus, tuemur & propugnamus. *In libro de corona militis. De Spiritu Sancto c.27. In 2.Thess. 2. Epi.119.*

Sequitur adhuc in Caluino. *Sed nos meminerimus solam à filio Dei probari fidem qua ex Apostolorum doctrina concipitur. Porro certum eius testimonium non alibi reperitur quàm in ipsorum scriptis.* Sic quidem tu, Caluine, narras. Sed audi quid aduersum te & hæreticos omnes, doctrinæ & prædicationis Ecclesiasticæ hostes, ab annis iam 1400. doctissimus præscripsit Tertullianus: *Quid prædicauerint Apostoli, id est, quid Christus illis reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicãdo tam viua voce quàm per epistolas postea.* Apostolorum doctrina ab Ecclesiis, quibus illam tradiderunt, discenda est. Illæ Ecclesiæ nõ scripta tantùm Apostolica, sed & traditiones Apostolorum non scriptas, à suis maioribus acceperunt, nobis tradiderũt. Illud imprimis ac disertè Thessalonicensium Ecclesiam docente Paulo. *Tenete*, inquit, *traditiones quas accepistis siue per sermonem* (quod est viua voce) *siue per epistolam.* Censuit ergo Paulus non minus certum Apostolicæ doctrinæ testimonium in traditionibus Apostolicis viua voce datis, quàm in scriptis Apostolicis reperiri. Ita contra Caluinum multò magis præscripsit Paulus. Sed & à filio Dei Iudice illa hoc loco probatur fides, quæ per Apostolos viua voce tradita est, nulla Scriptorum aut mentione facta aut insinuatione data. *Qui per verbum* (inquit) *Apostolorũ doctrina non in solis Scripturis. Tertul in lib. Præscript. hæret. cap. 21. 2.Thess.2.*

eorum credituri sunt in me. Notanda est locutio (ait hoc loco Caluinus ipse) *Credere per sermonem: qua significat fidem ex auditu nasci, quia organum, quo nos ad fidem trahit Deus, est externa hominum prædicatio.* Pulchre admodum, hinc enim liquidò constat illam Apostolicam doctrinam hoc in loco à Christo commendari, quæ per viuam Ecclesiarum Apostolicarum prædicationem ad nos deriuatur, & quam ex tradita viua voce doctrina accepimus, non illam quæ in scriptis Apostolorum reperitur, vtpote quæ nec organum tale est à Deo institutum, nec vel hic vel alibi tanquam vnicum & perfectum credendi medium proponitur.

Caluinus ex seipso refutatur.

21. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

Vnitas fidelium duplex.

PRo duplici hic fidelium vnitate orat Christus: vna quæ ipsorum inter se ipsos est, ratione vnius fidei, eiusdem religionis, & mutuæ charitatis. Hanc expressit in illis verbis: *Vt omnes vnum sint.* Altera quæ cum Deo & Christo est, vt per gratiam, fidem, charitatem Deo vniantur credentes, cum illo coniungantur, in illo maneant, ac denique Deus in ipsis sit, iuxta illud D. Ioan. *Qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo.* Hãc posteriorem vnitatem explanat Christus per illam quę est inter ipsum & Deum Patrem vnionem. *Sicut* (inquit) *tu Pater in me, & ego in te.* Hæc autem explanatio nõ ponit æqualem prorsus inter Deum & nos vnionem, illi quæ Christo cum Patre vnio fuit, sed similem tantùm: quando vnio Christi cum Patre naturalis est, nostra accidentalis, & per gratiæ dona. Quum igitur Ariani ex his Christi verbis non aliam esse Christi cum Patre vnionem, quàm quæ nobis cum Deo est, probare vellent, ideóque aut nos esse Deo consubstantiales, aut Christum Patri consubstantialem non esse: antiquissimi & doctissimi Patres Athanas. Cyrillus Alexandr. & Hilarius, eo modo hanc illorum cauillationem repulerunt, vt agnoscerent quidem vnionem inter Christum & Patrem non nisi naturalem his verbis designari, nostram verò cum Deo vnionem ex similitudine, non ex æqualitate aut paritate, per illam à Christo explanari. Hanc doctissimorum Patrum responsionem ac sententiam in fauorem Arianorum vellicat, taxat, suggillat, ac damnat superbus & impius Caluinus, sic in hunc locum scribens. *Tenendum est, quoties vnum se cum Patre esse in hoc capite pronunciat Christus, sermonem*

1. Ioan. 3.

Sermone 4. cont. Arianos. Lib. 11. ca. 26. in Ioãnem.

Lib. 8. de Trin.

Arianos defendit Caluinus contra vet. Patres.

non

non haberi simpliciter de diuina eius essentia, sed vnum vocari in persona mediatoris (quasi persona Christi esset vnita Patri, cuius nec natura humana vnita Patri est, sed soli Filio, aut quasi ipsi Dei Filio aliqua persona mediatoris Christi vnita esset, ac non sola natura humana in vna & eadem vtriusque naturæ persona) *& quatenus caput nostrum est. Sic quidem præcisè multi ex Patribus interpretati sunt, Christum vnum esse cum Patre, quia æternus sit Deus. Sed huc eos abripuit contentio cum Arianis, vt concisas sententias in alienum sensum torquerent.* Hæc Aristarchus iste & censor superbissimus. Minus nunc miramur si recentiores interpretes Catholicos, Pastores, & Doctores, nouellus Ministellus despiciat, postquam columnas ipsas & potentissimos veterum hæreticorum Antagonistas fastuosus iste & turgidus Gallus sic ex alto despicit, *vt in alienum sensum Christi verba torquere* eos pronũciet ac proclamet. Audiamus tamen Aristarchi (si quas habet) tam arrogantis iudicij causas. *Longè* (inquit) *aliud Christi cõsilium fuit, quàm ad nudam arcana diuinitatis suæ speculationem nos euehere. Siquidem à fine ratiocinatur, ideò nos debere vnum esse, quia alioqui inanis & infructuosa esset quam habet cum Patre vnitas.* Quid ego audio? Nisi nos vnum simus per gratiam, Christi cum Patre vnitas inanis atque infructuosa erit? Quæ, obsecro, Christo cum Patre vnitas alia est, quàm naturæ diuinæ, quæ in Christo erat, cum Deo Patre identitas? An Christus vt mediator & homo Patri fuit vnitus? An Deus Pater humanam naturam assumpsit? Annon solus Dei Filius factus est homo? Christi igitur cum Patre, vt homo est, nulla naturalis vnitas est, sed cum sola persona Filij Dei. Christus cum Patre vnum esse in Euãgelio dicitur quatenus Deus est, non quatenus homo. Hæc vnitas Christi Filij Dei cum Patre in vna & eadem diuina natura, à nostra vnitate siue inter nos, siue cum Deo, minimè pendet. Integra, perfecta, omnibus numeris absoluta ab æterno est, fuit, & erit, siue homines Deo per gratiam vniantur, siue non. Dicet fortè Caluinista aliquis Caluinum hoc non negare, sed de vnitate humanæ naturæ in Christo cum ipsa diuinitate loqui, quam Patris nomine expressit, non personam, sed naturam Patris, quæ cum Filio eadem est, hoc vocabulo denotans. Atqui nec ita excusari potest. Ait enim in sequentibus. *Ita optimè stabit cõtextus, ne irrita sit vel inutilis Filij cum Patre vnitas, eius virtutem oportere in totum piorum corpus diffundi.* Ecce loquitur de vnitate Filij Dei cum Patre. Hæc vnitas est vna & ea-

Caluini matheologia.

Caluini crassa ignorantia.

dem diuinitas, seu vna & eadem essentia ac natura diuina. An hæc in duabus illis personis naturæ vnitas à nostra cum Deo vnitate pendet, vt absque hac nostra inanis & infructuosa illa altera sit? Quid absurdius, quid magis impium dici potuit? quasi Dei perfectio à nostra penderet, aut quasi ante constitutionem mundi, & creatum hominem ad imaginem & similitudinem Dei, Deus ab æterno non foret vnus in tribus personis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Cæterùm demus Caluinum in toto hoc sermone, non quidem absurdè & impiè, sed impropriè tantùm aut parum considerate loquutum fuisse, & hoc eum dicere voluisse; *Nos debere vnum esse, quia alioqui inanis & infructuosa esset*, non sanè Filij Dei cum Patre, sed assumptæ à Filio Dei sibíque vnitæ humanæ naturæ vnitas. Sic enim adhuc prosequitur. *Ergo vt ritè comprehendas quò pertineat istud, Christum & Patrem vnum esse, caue ne Christum exuas mediatoris persona, Sed eum potius considera vt est Ecclesiæ caput, & membris suis coniūge. Ita optimè stabit contextus, ne irrita sit vel inutilis Filij cum Patre vnitas* (dicere debuit Christi mediatoris cum Deo vnitas) *eius virtutem oportere in totum piorum corpus diffundi. Vnde etiam colligimus nos vnum cum Christo esse, non quia suam in nos substātiam transfundat, sed quia Spiritus sui virtute nobiscum vitam suam, & quicquid accepit à Patre bonorum, communicet.* Hæc ille. Hic sanè sensus quòd Christi mediatoris cum filio Dei vnitas, seu vnio hypostatica irrita & inutilis esset, nisi in eum credentes vnum cum Deo essent, probabilis & pius sensus est; quia ideò facta est hæc vnio, ideò *Verbum caro factum est*, vt *quæ dispersa erant, congregaret in vnum, & hospites atque aduenas*, quasíque *homines sine Deo in hoc mundo, sanctorum ciues ac domesticos* faceret; denique vt *pax nostra* esset, *faciens omnia vnum.* Hic, inquam, sensus pius ac probabilis est, quia mundi conciliatio incarnationis dominicæ finis erat. Cæterùm Christus hoc loco non causam vnionis nostræ cum Deo tractat; sed pro illa Patrem orans, qualem & quantam illam esse velit, ex vnione ipsius cum Patre (quæ non nisi naturæ diuinæ vnitas est) exponit. Non dicit, Vt sint vnum, quia tu Deus in me es, & ego in te; sed dicit, *Vt sint vnum sicut tu Pater in me* (Filio) *& ego* (Filius) *in te* Patre sum. Nulla ergo hæc fuit ratio cur Patrum sententiam reprobaret Caluinus. Certum quippe ex his est, sententiam Christi iuxta eius verba optimè illos tenuisse, Caluinum verò à sententia Christi longè recessisse.

Ioan. 1. & 13.

Ephes. 2.

At, inquies, vtcunque à litera receſſiſſe videatur, nec illam vnitatem expreſſiſſe de qua propriè Chriſtus loquitur, ſenſum tamen pium & probabilem ab eo redditum agnoſcit. Senſus ſanè quem ſuprà expreſſi, qui ex Caluini verbis aliquo modo colligi poſſe videtur, pius ac probabilis eſt: verumenim verò in hoc pio ac probabili ſenſu impium nobis & peſtilens toxicum coxit Caluinus. hæc enim Caluini verba, *oportere virtutem Chriſti in totum piorum corpus diffundi, & Spiritus ſui virtute nobiſcum vitam ſuam, & quicquid accepit à Patre bonorum, Chriſtum communicare*, ad imputatiuam Caluini iuſtitiam obiter inſtillandam callidè concepta ſunt. Sic enim, iuxta Caluinum; Chriſti virtus in omnes pios diffunditur, quatenus illi in ſeſe impij atque immundi abſque vlla inhærente ipſi iuſtitiæ qualitate, ſola Chriſti iuſtitia veſtiuntur. Sic rurſum, iuxta Caluinum, Spiritus ſui virtute Chriſtus nobiſcum omnia ſua communicat, quatenus ſuam omnem iuſtitiam ac ſanctitatem nobis imputat, quam eius Spiritus in nobis obſignat, ſuo teſtimonio eiùs nos certiores immò certiſſimos faciens. Hæc eſt vnitas noſtra cum Chriſto iuxta Caluinum, non vera, non realis aliqua donorum participatio, non vera & realis conformatio animorum, aut vera interna renouatio, qua Deo aſſimilemur & vniamur, ſed omnium quæ in Chriſto ſunt per fidem quandam imaginariam fortis apprehenſio, quæ dicit, Crede quod habes, & habes. Sic ille hunc locum veteratoriè tractans, nec vnitatem inter Chriſtũ & Patrem tenuit (veteres Patres circa eius ſenſum ſuperbiſſimè ſugillans) nec vnitatem noſtram cum Deo, pro qua Chriſtus hic orat, piè ac ſalubriter, ſed vafrè ac fallaciter expreſſit. Hæc eſt vnitas noſtra cum Deo, vt per fidem & dilectionem Deo vniamur. *Deſponſaui te fide*, ait vna ſcriptura. *Qui manet in charitate, manet in Deo*, dicit alia; vtrumque coniungens Apoſtolus dicit, *Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris, in charitate radicatis & fundatis.* Sed alia adhuc vnio noſtra cum Chriſto maior atque perfectior eſt, quàm in proxima ſententia à Domino traditam paucis explicabo.

Caluini occultum toxicum aperitur.

Vnitas noſtra cum Deo qualis.

Oſea 2.
1. Ioan. 3.
Epheſ. 3.

Et ego claritatem quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.

POſtquam in proximè præcedentibus verbis rogaſſet Patrem Chriſtus duo; vnum, vt credentes in ſe vnum faceret inter ſe ipſos; alterum, vt in Patre ac Filio ſiue in Deo

vnum essent, sicut ipsi inter se Pater ac Filius vnum sunt: nūc de alia quadam vnitate loquitur, pro qua Patrem non orat, sed quam seipsum suis discipulis iam dedisse affirmat, mediante quadam claritate ab ipso Deo Patre accepta: *Ego* (inquit) *claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt* (hac mediante claritate) *vnum sint, sicut & nos vnum sumus.* Quænam sit ista claritas, & quid huius claritatis vocabulo significetur, non parua quæstio est. Aliqui hoc nomine gloriam corporis futuram designari volunt, & verbum præteriti temporis significationem habere futuri. Sed ista corporis gloria non facit beatos vnum cum Deo, quum nihil in Deo corporeum sit. Deinde illa quoque petenda erat à Patre, sicuti Christus sui corporis gloriam à Patre rogauit in verbis præcedentibus: *Clarifica me, Pater, claritate quam habui antequam mundus fieret.* Petit humanæ naturæ suæ glorificationem Filio Dei dignam, & qualem ipse ab æterno habuit, vt illa in corpus suum redundet. Alij hoc claritatis vocabulo filiationem significari volunt, quam Christus iam suis discipulis dederat, faciens eos filios Dei per adoptionem, sicut ipse erat filius Dei per naturam. Quæ certè expositio probabilis est. Sed quia illa in prioribus verbis expressa erat, vbi orauit Christus, vt vnum essemus in Deo, & hæc adoptio filialis ipsamet vnio nostra cum Deo est, non aliqua claritas quæ facit nos vniri (qualem hîc exprimit) literalem sensum non attingit. Eisdem quoque de causis nec *imaginis diuinæ in nobis reformatio* (quā hîc ponit Caluinus) hæc claritas esse potest: vtpote quæ nostræ vnionis cum Deo non causa, sed effectus est, vel certè ipsa formalis vnio: pro qua & Christus orauit, non quam hactenus dederat. Denique nec glorificationem, nec filiationem nec reformationem nostram, Christus à Deo accepit. De tali autem claritate loquitur Christus, qualem ipse à Deo acceperat. *Claritatem quam tu dedisti mihi.* Inuestiganda igitur claritas, quam & Christus à Patre accepit, & suis discipulis iam dederat, & talis denique sit vt vnum nos cum Christo faciat, sicut Pater & Filius in diuinis vnum sunt. Hæc sanè claritas non est alia quàm ipsa diuinitas Christi, quam ille vt homo à Patre adeóque à tota Trinitate accepit, quia vnio illa hypostatica Dei & hominis in Christo, opus erat totius Trinitatis, tametsi sola persona Filij Dei illum hominem assumpsit, & assumptionis illius terminus fuit. Dicit igitur Christus: *Hanc claritatem* & gloriam, hanc diuinitatem *quam tu dedisti mihi*, id est, carni meæ vnitam, *ego etiam dedi illis*, dando

Claritas Christo à Patre data, & Apostolis à Christo, quæ & qualis.

1. Sensus.

2. Sensus.

3. Sensus.

4. Sensus & verus.

Claritas Christi in Sacramento Eucharistiæ Apostolis data.

dando

dando eandem carnem meam diuinitati meæ coniunctam in cibum & alimentum spiritnale: *vt sint vnum*, non solùm per gratiam,& spiritualem quoad animas, sed etiam per realem quandam & corporalem vnionem; *sicut & nos vnum simus*, non voluntatis tantùm & spirituali consensu,sed etiam hypostatica naturarum coniunctione. *Ego in eis*, videlicet per carnem meam in cibum illis datam; *& tu in me*, quia diuinitas tua est carni meæ vnita; *vt sint consummati in vnum*,id est,vnum quoddam fiant nobiscum profecto modo:dum non solùm vniuntur inter se & cum Deo quantũ ad animos (quod fit per Spiritum sanctum) sed etiam quantum ad corpora ipsa. *Et cognoscat mundus*, id est,ex hac illis claritate data,& hac in illis vnione facta, cognoscant & credant credentes; *quia tu me misisti*, id est,me esse Filium tuum à te missum. Non enim aliter vniri poterant nobiscum, nisi diuinitatem haberem in ea carne quam dedi eis; *& dilexisti eos, sicut me dilexisti*, id est, cognoscant quoque te simili quadam dilectione eos dilexisse qua me dilexeras; quando idem beneficium,eandem diuinitatem tuam,quam mihi dedisti,eis quoque à me dari voluisti. Simili dico, non pari, quia diuinitas carni Christi immediatè coniuncta fuit, nobis autem mediante Christi carne coniungitur.Hęc est hoc loco tota Christi sententia,ex variis membris plenóque sermone à doctissimo interprete Fräcisco Toleto collecta. Sic ipsa Christi verba exactè tenentur,& cum consequentibus aptissimè connectuntur. Nec fuit hic sensus Patribus incognitus. Cyrillus Alexand. aduertens in illis verbis Christi, *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*, maiorem quandam exprimi vnionem, quàm voluntatis & consensus, quia & inter Christum & Patrem maior vnio est, *Considerandum* (inquit) *est, si ad vnitatem consensus & voluntatis, naturalem etiam inuenire possimus, per quam nos inter nos & omnes Deo colligemur.* Tandem post aliquam inquisitionem & disputationem ita concludit. *Vt igitur inter nos & Deum singulos vniret Christus, quamuis corpore simul & animo distemus, modum tamen adinuenit, consilio Patris & sapientiæ suæ congruentem. Suo enim corpore credentes per communionem mysticam benedicens, & secum, & inter nos, vnum nos corpus effecit. Quis enim eos qui vnius sancti corporis vnione in vno Christo vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit?* Hæc ille, multis postea verbis rem eandem confirmans, maximè ex illis Pauli verbis: *Omnes vnum corpus & vnus panis sumus, qui de vno*

Vnio nostra cum Christo corporalis.

In Ioan. lib. 11. cap. 26.

1. Cor. 10.

vno pane participamus. Rursum ad illa ipsa verba quæ nunc tractamus, *Ego claritatem quam dedisti mihi,* &c. postquam claritatem à Deo Christo datam exposuisset,ipsam diuinitatem humanæ eius naturæ coniunctã, quomodo eadem claritas nobis sit data,vt vnum simus cum illa,sicut ille & Pater vnum sunt; hoc iterum modo rem exponit. *Corporaliter Filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur; spiritualiter autem vt Deus, sui Spiritus gratia, nostrum ad nouam vitam & diuinæ naturæ participationem, spiritum redintegrans.* Denique & illa Christi verba, *Vt sint consummati in vnum,* hac eadem ratione exponit. *Consummati sumus redactiq; ad vnionem Dei Patris, mediatione saluatoris, id est, Christi: Filiũ enim Dei natura Patri vnitum, corporaliter substantialiterq; (vt dictum est) accipientes, clarificamur, glorificamurq;, supremæ facti naturæ participes.* Hæc iterum ille, literæ Euangelicæ sensum exactissimè secutus. Sed & B.Hilarius Latinæ Ecclesiæ lumen, vt Cyrillus Græcæ, hanc nostram cum Christo ac Deo vnionem, de qua Christus hîc loquitur, eodem quoque modo intellexit; adeóque ex nostra cum Christo ac Deo vnione plusquam spirituali probat Christũ cum Patre vnum esse non spirituali tantùm, sed & naturali coniunctione. Sic

De Trinit. lib.8. enim contra Arianos disputans scribit. *Eos qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo, vtrúmne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis. Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit. Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est.* Hæc ille. Tenemus nunc quæ & quanta sit hæc vnio nostra cum Deo, non solùm spiritualis, pro qua Christus priùs orauit; sed etiam naturalis & corporalis, quam ipsemet se Apostolis suis contulisse affirmat, *vt sint consummati in vnum.* Impiè igitur Caluinus hoc loco conclusit. *Vnde colligimus, nos vnum cum Christo esse, non quia suam in nos substantiam transfundat, sed quia Spiritus sui virtute omnia nobis bona cõmunicet.* Iam enim didicimus, quòd claritatem quam dedit ei Pater, ipse nobis dedit, suam nobis substãtiam & carnem & sanguinem suum cum diuinitate quam à Patre accepit coniunctam communicando, vt simus consummati in vnum, & vt cognoscant

ſcant omnes credentes, tum Chriſtum Dei Filium eſſe, qui ſua carne communicata, diuinæ naturæ conſortes nos facit; tum maximam in nos Dei dilectionem eſſe, qui tanto & tam diuino Dei beneficio nos donauit. Vtramque hanc fidei & consolationis noſtræ partem, quam Chriſtus Dominus tanto hîc cum affectu commemorat, impius Caluinus, & Sacramentarij omnes nefariè ſuſtulerunt, eáque Eccleſiam Dei, vt robuſti latrones ſpoliarunt, profanato hoc diuiniſſimo Sacramento, & ad vnum panis fruſtulum viuiq; vulgaris hauſtum redacto. De qua impietate plura ſuper Matth. cap. 26. diximus. *Caluiniſtarum impietas.*

IN IOANNIS CAP. XIX.

7. *Nos legem habemus, & ſecundùm legem noſtram debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.*

OBSERVAT hoc loco Caluinus, & in ipſos Catholicos contorquet, in quo ipſe maximè peccauit, & quod vix in quempiam magis quàm in illũ vnum quadrat: *Hac* (inquit) *accuſatio non prorſus carebat prætextu; ſed in hypotheſi grauiter errabāt. Generalis quidem doctrina vera erat, fas non eſſe hominibus, quicquam ſibi diuini honoris ſumere, ac morte dignos eſſe, quicunque ad ſe traherent quod vnius Dei proprium erat. Cauſa autem erroris in Chriſti perſona fuit, quòd neque reputarũt quibus elogijs Meſſiam prædicet Scriptura, quia inde colligere promptum erat eſſe Filium Dei; nec etiam inquirere dignati ſunt, eſsétne Ieſus ille Meſſias olim à Deo promiſſus. Videmus ergo, vt ex vero principio falſam conſequentiam deducũt, quia malè ſubſumunt. Quo exemplo monemur inter doctrinam generalem & hypotheſes ſedulò diſtinguere. Multi enim imperiti & leues homines, ſi ſemel decepti fuerint veri prætextu, ipſa quoque ſcripturæ principia reijciunt. Quæ licentia hodie plus iuſto in mundo graſſatur. Meminerimus ergo ſic cauendum eſſe à fallacijs, vt principia quæ vera ſunt, integra maneant, nec labefactetur ſcripturæ fides. Rurſus hoc modo facilè refutare impios licebit, qui ſcripturæ teſtimonium, & quæ inde ſumunt principia, malis cauſis falsò & perperam obtendunt.* Tota hæc Caluini narratio vera eſt & ſalutaris, ſed in ipſum vnum potiſſimùm quadrat; qui quàm multa ſcripturæ teſtimonia, & quę inde ſumpſit principia, malis cauſis falsò & perperam obtenderit, quoties ex veris principiis falſas cōſequentias deduxerit peſſimè ſubſumens, quàm frequen

frequenter inter doctrinam generalem & hypotheses non distinxerit, hæc sola quæ hactenus cōtra eius corruptelas posuimus Antidota lectorem docere possunt. Videat, qui volet, singularia & manifesta harum rerum exempla ad Matth. cap. 9. vers. 21. & 36. ad Matth. cap. 11. vers. 12. ad Matth. cap. 15. vers. 1. & 9. ad Matth. cap. 16. vers. 1. & 6. & 23. ad Matth. cap. 21. vers. 21. & 23. & 42. ad Matth. cap. 22. vers. 21 ad Matth. cap. 23. vers. 15. & 29. ad Matth cap. 24. vers. 22. & 24. ad Luc. cap. 4 vers. 16. ad Lucæ cap. 9. vers. 54. ad Lucæ cap. 12. vers. 48. ad Lucæ cap. 23. vers. 43. ad Ioan. cap. 2. vers. 18. ad Ioan. cap 8. vers. 39. & 41. & 53. ad Ioan. cap. 9. vers. 15. ad Ioan. cap. 10. vers. 1. ad Ioan. cap. 12. vers. 13. ad Ioan. cap. 16. vers. 2. Et tot quidem ille in locis inter doctrinā generalem & hypotheses non distinguens, Scripturæ testimonia pessimæ suæ causæ falsò & perperam obtendit, & ex veris principiis falsas consequentias deduxit.

Consequentiarū Caluini ex scriptura deprauatæ exempla.

Nunc à nobis idem crimen patrari docere conatur, quod hoc loco dissimulandum non est. *Sicuti* (inquit) *qūum hodie Papistæ Ecclesiæ authoritatem magnificè extollunt, nihil afferūt in quo non consentiunt filij Dei. Ecclesiam esse fidelium matrem, esse columnam veritatis, esse audiendam, regi à Spiritu sancto contendunt, nihil horum negandum est.* Ergo impius Caluinus est, & à numero filiorum Dei segregandus, qui istud apertissimè alibi negat. Cùm enim vno in loco statuat, *Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis, à Paulo vocari, eò quòd in Ecclesia conseruetur Dei veritas prædicationis ministerio; quemadmodum Paulus docet, Christum dedisse Apostolos, Pastores, atque Doctores, ne circumferamur quolibet vento doctrinæ, vt ab hominibus non deludamur* (in quibus verbis agnoscit Ecclesiam ideò non errare, quia Pastores in illa non errant, quorum ministerio conseruatur veritas) tamen capite sequenti longa disputatione eos refutare conatur, *qui in Ecclesia remanere veritatem non putant, nisi inter Pastores constet.* Móxque probare contendit, ipsa concilia Episcoporum generalia errare posse, *quia veteris populi Sacerdotes errauerunt, quia Petrus in Ecclesia futuros pseudoprophetas prædixit: quia Paulus Antichristum in templo Dei sessurū pronunciauit: quo* (inquit Caluinus) *significat Apostolus, non aliunde venturam horrendam illam calamitatem de qua ibi loquitur, nisi ab ijs qui pro Pastoribus in Ecclesia sedebunt.* Cui nunc obscurum est, Caluinum illum esse, qui hæc omnia, *quorum nihil negandum esse* dixerat, negat impudenter: hæc, inquam, *Ecclesiam esse matrem fidelium, esse columnam veritatis, esse audiendam, regi*

Caluinus suo iudicio à numero filiorū Dei segregatur Instit. lib. 4. cap. 8. num. 12.

Ibidem c. 9. num. 3. & 4.

regi à Spiritu sancto: ideóque errare non posse? Pergamus tamen, & sequentia videamus. *Sed quum trahere ad se volunt quicquid iuris Ecclesiæ debetur, improbè & sacrilega audacia rapiunt, quod nihil ad se pertinet. Nam hypothesin expendere conuenit, an ipsi Ecclesiæ titulum mereantur. Hic autem prorsus deficiunt.* Ita quidem Caluinus; sed nec vno verbo hunc in nobis defectum probans, seipsum prorsus defecisse demonstrat. Nec vno verbo docens cur Ecclesia Catholica, etiam ab ipsis aduersariis ita nuncupata, pro vera Ecclesia habenda non sit, hîc prorsus defecit. Cæterùm hanc hypothesin verissimam esse, nósque Dei beneficio Catholicos antiquæ & Romanæ Ecclesiæ adhærentes, verè Ecclesiæ titulum ac rem habere, luculenter olim pro modulo nostro à nobis demonstratum est. *De Prine. fidei lib. 4. cap. 18. & seqq.*

Aliud contra nos exemplum proponit Caluinus, in quo non minùs turpiter se dedit. *Similiter cùm furiosè in omnes pios sæuiunt, hoc se colore excusant, quòd ordinati sint ad tuendam fidem & pacem Ecclesiæ. Sed vbi propius ad rem ventum est, clarè perspicitur nihil minus eos habere in animo quàm veræ doctrinæ patrocinium, nulla minus quàm pacis & concordiæ cura tangi, sed pro sua tyrannide dumtaxat pugnare. Qui generalibus principiis contenti ad circunstantias non attendunt, nos meritò putant à Papistis oppugnari, sed causæ cognitio fumos illos, quibus illudunt, facilè discutit.* Error in hypothesi quem hîc pònit Caluinus, in hypothesi magis erronea fundatur, ídque duplici nomine. Primùm, quia de intentione Ecclesiæ hæreticos persequentis iniquè & impiè iudicat, eam videlicet non concordiæ & pacis studio, sed pro sua tyrannide pugnare. *Tu verò quis es qui iudicas alienum seruum? & cur ante tempus iudicat* de aliorum factis Caluinus, qui neque de seipso iudicare potuit? Sed magis aliam ob causam erronea est Caluini hypothesis: Se videlicet ac suos immeritò à Papistis oppugnari, quia causæ cognitio fumos omnes discuteret. Atqui de causa Caluini iam in istis Antidotis Euangelicis vtcunque cognouimus, in Apostolicis adhuc vberius cognituri, eum esse impostorem maximum, diuinæ Scripturæ deprauatorem pestilentem, hæreticorum dogmatum assertorem ac defensorem acerrimum, ac denique, vt à quodam Lutherano doctore meritissimè vocatur, *acutum diaboli organum.* Cuius videlicet artibus aleatoriis, strophis, præstigiis, metaphoris ac metonymiis, plurima & apertissima diuinarum Scripturarũ testimonia eluduntur, nobisq; eripiuntur, quæ

Rom. 14. 1. Cor. 4.

Caluini causa excussa qualem eum demonstrat.

Aegidius Hunnius professor Vuittembergensis in libro, Caluinus Iudaizans, pag. 57.

quæ S. Trinitatem, Christi Redemptoris nostri diuinitatem, eiusdem aduentum, & natiuitatem, & passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem in cælos, tam in veteri quàm in nouo testamento contra Iudæos probant, confirmant, elucidat, vt variis exemplis doctor ille Lutheranus ex Caluini scriptis demonstrat. Hæc sanè tota causæ Caluinianæ cognitio non fumos nostros discutiet, quibus nos illudimus; sed fumos Caluinianos excutiet, totique mundo propalabit, quibus ille hactenus innumeris sectariis suis ad certam eorum perniciem, pestilenter illusit. Tam aptè & dexterè sua contra nos exempla protulit Caluinus, vt quo ipse crimine flagrat maximè & crebertimè, idem aliquo modo in nos Catholicos retorqueat.

Simili hypothesi ad sequentia proximè verba vtitur: *Dictu horrendum esse, quàm superbè & ferociter à Papistis damnetur clara & testata Dei veritas, & innoxius sanguis fundatur.* Scilicet Caluini hæreses, & diuinarum Scripturarum deprauationes fœdissimæ, *clara sunt & testata Dei veritas.* Caluino quoque licuit Seruetum Arianum flammis absumere, & Catholicis Principibus nō licebit de seditiosis & impiis Caluinistis supplicium sumere. Tales sunt Caluini hypotheses.

20. *Et scriptum erat Hebraicè, Græcè, & Latinè.*

PVlchram hîc sibi in Catholicos oblatrandi occasionem canis Caluinus inuenisse visus, vt nullam nō arripit, hunc in modum allatrat. *Notandum est quòd execranda sit tyrannis Papistica, quæ plebem ab Euangelij, & totius Scripturæ sacræ lectione arcet. Pilatus homo reprobus, & alioqui Satanæ organum; arcano tamen instinctu destinatus fuit Euangelij præco, vt breuem eius summam tribus linguis vulgaret. Qui ergo eius notitiam, quantum in se est, suppressam curant, quo loco nobis habendi sunt, qui se prodant Pilato nequiores?* Redigamus in breuem argumenti formam, confusam hanc importuni hominis vociferationem. Pilatus in tribus linguis doctis, Græca, Hebraica, & Latina, titulum cruci imposuit, qui nomen, patriā, & causam Christi crucifixi præsentibus Hebræis, Græcis, Romanis, demonstraret: Ergo qui totam Scripturam toti vulgo in lingua vulgari legendam negant, Pilato nequiores sunt, & execrandam tyrannidem exercent. Quis vel mediocriter literis imbutus, hāc stolidam & insulsam consecutionem statim non irridet, explodit, & execratur? Vide enim in

Consequētia Caluini ridicula.

quot

quot & quàm multis toto penè cælo discrepant, quæ tam affinia & coniuncta Caluinus voluit, vt vnum ex altero necessariò consequi debere iudicauerit. Pilatus non nisi in linguis
1. doctis illum titulum posuit. Caluinus concludit de lingua cuiusque vernacula & barbara. Pilatus solum titulum erexit
2. qui nomen, causam, & patriam Crucifixi designaret Caluinus, de tota scriptura concludit. Pilatus præsentibus tantùm,
3. nec ad vllam instructionem, sed vel ad Iudæos irridendos quorum pertinaciæ infensus erat, vel ad ipsius Christi contemptum, quasi regnum affectantem crucifixisset, talem titulum erexit. Caluinus de toto populo Christiano concludit, cui hoc exemplo tota Scriptura ad necessariam instructionem promiscuè legenda permitti debeat. *August. in Psalm. 56. Chrysost.*

Deinde quàm ridiculè narrat *breuem Euangelij summam tribus linguis Pilatum vulgasse!* An ad Euangelium pertinet, Christum esse regem Iudæorum? Immò nihil magis Euangelio contrarium, quod propriè in omnium Gentium vocatione, salute, redemptione per Christum facta consistit, vt tota Scriptura Euangelica & Apostolica demonstrat.

S. Scripturæ lectio an plebi concedẽda. Ad rem ipsam quod attinet de Scripturis populo in lingua vernacula communicandis, nullam tyrannidem exercet Ecclesia Catholica, quæ communicationem illam nec in vniuersum prohibet, nec in vniuersum probat, *sed veluti prudẽs paterfamilias sciens dare in tempore tritici mensuram*, vulgarem aliquam S. Scripturæ editionem illis de populo cõcedit, *Reg. 4.* quibus expedire ordinarij Pastores iudicabunt. Sic enim censuit atque præscripsit Conciliũ hodie Tridentinum in Indice librorum prohibitorũ; idque doctissimorũ Patrum vestigiis inhærendo, Hieronymi, Gregor. Nazianzeni, & aliorum, qui promiscuè à toto populo scripturarum lectionem, rem esse periculi magis plenam quàm vtilem & salutarem iudicarũt. Nam Chrysostomus & alij Patres, qui ad Scripturarum lectionem suos hortantur, non ad quosuis è plebe, sed ad graues & cordatos viros illam exhortationem fecerunt. *Hieron. in Epist. ad Paulin. Gregor. Nazianz. in oratione de moderat. in disputat. seruanda.*

23. *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.*

CVm tunica Christi inconsutilis hoc loco ex communi Doctorum sententia atque imprimis sancti Augustini, *Tract. 118. in Ioan.* vnam Christi Ecclesiam, quæ vna semper & indiuisa est, my-

sticè significet; vestimentorum verò diuisionem hæreticos significare, qui diuinas scripturas discerpunt ac lacerant, alij interpretes in hunc locum scribant: ægerrimè hoc ferens Caluinus, hoc iterum in loco magna vociferatione allatrat. *Minimè* (inquit) *ferenda est Papistarum improbitas, cum horribili Dei blasphemia coniuncta. Scripturam dicunt ab hæreticis lacerari, tunicam verò, hoc est, Ecclesiam, integram manere: vt, reiecta Scripturæ authoritate, fidei vnitatem in solo Ecclesiæ titulo cōsistere euincant.* Aduerte impostoris artem, qui duplici mendacio Catholicorum sententiam obliterauit. Primùm, non *in solo Ecclesiæ titulo*, sed in sola vera Christi Ecclesia, vnitatem fidei consistere affirmamus. Deinde, Ecclesiam manere integram & vnam, Scripturas verò ab hæreticis lacerari, non ob eam causam affirmamus, vt, reiecta Scripturæ authoritate, fidei vnitatē in sola Ecclesia ponamus; sed vt ad Scripturæ authoritatem purè & illibatè seruandam, ab Ecclesia discamus quid Scriptura doceat, quis diuinarū Scripturarum sensus legitimus sit, & quæ demum sint veræ & canonicæ Scripturæ: ne vel apocryphos libros pro veris, vel sensus adulterinos pro legitimis admittere cogamur. In hoc ergo duplici mendacio tota nititur & fundatur Caluini subsequens declamatio. Sic enim posterius mendacium prosequitur. *Quasi verò ipsa Ecclesiæ vnitas alibi fundata sit, quàm in Scripturæ fide. Quum ergo fidem à Scriptura diuellunt, vt vni Ecclesiæ addicta subiaceat, tali diuortio non iam Christum despoliant, sed crudeli sacrilegio discerpunt eius corpus.* Fingit homo nequam despici ac reiici à nobis Scripturas, quia Ecclesiam saluam & integram esse volumus: nos verò ideò Ecclesiam vnam tenemus; nec nouos magistros, alienos ac lupos audire sustinemus; vt de ipsa diuina Scriptura eiúsque legitimo sensu certi ac securi esse possimus. Quæ vna res vt meliùs intelligatur, & qua fraude Caluinus tam suam solius Scripturæ reuerentiam tueri & colorare, quàm Catholicos authoritati Ecclesiasticæ inuitentes traducere nititur, certius omnes perspiciant (est quippe res maximi momenti, & in qua tum nos maximè accusant, tum sese plurimum venditant horum temporū hæretici) totam hîc Caluini disputationem artificiosam alio in loco habitam subiiciam, eiúsque vanitatem mutatis tantùm terminis perspicuè aperiam; sic enim in sua Institut. scribit Caluinus. *Atq; vt meliùs intelligant lectores, in quo potissimùm cardine versetur hæc quæstio, quid postulent nostri aduersarij, & in quo ipsis resistamus, paucis exponam.*

Caluini duplex mendacium.

Ecclesiæ authoritas nihil d.rogat Scripturæ.

Instit. lib. 4 c. 8. nu. 13.

Quod

Caluini disputatio pro Scripturis contra Ecclesiam.

Quòd illi negant errare posse Ecclesiam, huc spectat, atque ita interpretantur: quando Spiritu Dei gubernatur, tutò incedere sine verbo posse quocumque pergat, non posse sentire aut loqui nisi verum: proinde si quid extra aut præter Dei verbum statuerit, id habendum esse non alio loco quàm certum Dei oraculum. Nos si demus illud primum, errare non posse Ecclesiam in rebus ad salutem necessariis, hic sensus noster est, ideò hoc esse quòd abdicata omni sapientia sua, à Spiritu sancto doceri se per verbum Dei patitur. Hoc igitur est discrimen. Illi Ecclesiæ authoritatem extra verbum Dei collocant, nos autem volumus verbo annexam, nec ab eo separari patimur. Et quid mirum, si sponsa ac discipula Christi suo sponso magistroq; subijcitur, vt ab eius ore assiduè ac sedulò pendeat? Hæc enim est domus bene compositæ ratio, vt mariti imperio vxor obtemperet. Hæc scholæ bene moratæ regula, vt magistri solius doctrina illic audiatur. Quamobrem non ex se sapiat Ecclesia, non ex se cogitet quicquam: sed sapientiæ suæ terminum statuat vbi loquendi finem ille fecerit. In hunc modum & omnibus rationis suæ inuentis diffidet; in quibus autem verbo Dei nititur, nulla diffidentia aut hæsitatione vacillabit, sed magna certitudine firmaq; constantia conquiescet. Sic etiam earum quas habet promissionum amplitudine confisa habebit vnde fidē suam præclarè sustineat: vt nihil addubitet, Spiritum sanctum sibi semper adesse, optimum rectæ viæ ducem: sed memoria simul tenebit quem è suo Spiritu vsum percipi Deus velit. Spiritus, inquit, quem à Patre mittam, ducet vos in omnem veritatem. Sed quomodo? Quia suggeret, inquit, omnia quæ dixi vobis. Ioan.16.7. & 13.

Nihil ergo plus ex suo Spiritu denunciat expectandum, quàm vt mentes nostras illuminet, ad percipiendam doctrinæ suæ veritatem. Proinde scitissimè Chrysostomus: Multi (inquit) Spiritum sanctum iactant: sed qui propria loquuntur, falsò illum prætendunt. Vt Christus non à se ipso loqui se testabatur, quia ex lege loquebatur & Prophetis, ita si quid præter Euangelium sub titulo Spiritus obtruditur, ne credamus. Quia sicut Christus Legis & Prophetarum impletio est: ita Spiritus Euangelij. Hæc ille. Serm. de adorando & S. Spiritu. Ioan.12. 50. & 14. 10. Rom. 10.4

Iam colligere in promptu est quàm perperam faciant nostri aduersarij, qui non alio fine iactant Spiritum S. nisi vt peregrinas & extraneas à verbo Dei doctrinas eius titulo cōmendent: cùm ipse indiuiduo connexu cum verbo Dei coniunctus esse velit, idq; de eo profiteatur Christus dum Ecclesiæ suæ eum promittit. Sic est sanè. Quam sobrietatem semel Ecclesiæ suæ præscripsit Dominus, eam perpetuò vult obseruari. Vetuit autē ne quid verbo suo adderet,

ne quid ex eo detraheret. Hoc inuiolabile est Dei ac Spiritus sancti decretum, quod abrogare conātur nostri aduersarij, quum Ecclesiam sine verbo regi à Spiritu fingunt. Hæc hactenus Caluinus; cui vt respondeam, ac disputationis factæ vanitatem ostendā, vestigiis eius insistens, quomodo sub scripturarum prætextu non Ecclesiæ tantùm, sed & ipsis Scripturis certitudinem omnem adimit ac firmitatem, lectori aperiam. Vt melius intelligant lectores in quo potissimùm cardine versetur hæc quæstio, quid postulent hodie hæretici, & in quo nos Catholici ipsis resistamus, paucis expōnā. Quòd illi Scripturarum diuinarum authoritatem sartam ac tectā esse volunt, huc spectat, atque ita interpretantur; Scripturas sacras, quādo ex Spiritu Dei intelliguntur, tutò ac securè intelligi posse absque Ecclesia. Illas nihil aliud loqui ac docere nisi verum: proinde quod in illis legitur ac intelligitur, id habendum esse non alio loco quàm certum Dei oraculum. Nos si demus illud primum, Scripturas ex Spiritu Dei, quo scriptæ sunt, cognosci atque intelligi, hic sensus noster est, ideò & tum demū hoc fieri, quando, abdicata omni nostra sapientia, ab Ecclesia, quæ Spiritum Dei habet, & ideò vberius habet, vt doceat omnem veritatem, vtrumque nos doceri patimur. Hoc igitur discrimen est. Hæretici Scripturarum cognitionem & intelligentiam extra Ecclesiam ponunt: nos autem volumus Ecclesiæ esse annexam, nec ab ea separari patimur. Et quid mirum si sponsam Christi sponso suo, & corpus eius Spiritui suo coniungimus, vt ab ore sponsæ, quid sponsus dicere voluerit, intelligamus: & ab eius ore assiduè ac sedulò pendeamus, à cuius ore omnē veritatem nos accipere voluit? hæc est enim domus bene compositæ ratio, vt quos Dominus patres familias ac præpositos reliquit, illi audiantur: & sicut ipsi Domino præpositi ab eo relicti, ipsiúsque viri imperio vxor obtemperare debent, id est, Christo Ecclesia; sic ipsis quoque præpositis, & vxori, absente marito, filiifamilias, reliquíque vernaculi obtemperēt. Hæc est scholæ bene moratæ regula, vt magistri quidem solius doctrina illic audiatur, sed ex ore eorum quos magister docendi munere perfunctus, doctrinæ suæ vicarios constituit. *Neque enim patitur nostra infirmitas à schola nos dimitti, donec toto vitæ cursu discipuli fuerimus. Et Deus qui posset momento suos perficere, non vult tamen eos adolescere in virilem ætatem nisi educatione Ecclesiæ.* Quamobrem non ex se sapiant hæretici, non ex se cogitent quicquam: sed sapientiæ suæ terminum statuant, vbi loquendi finem Ecclesia fece

Scriptura quomodo eo Spiritu intelliguntur quo scripta sunt.

Discrimen inter Catholicos & hæreticos

Sponsi vox ex ore sponsa audienda.

In schola Christi Ecclesiæ præpositi docent.

Caluinus Instit. lib 4 c. 1. nu. 4. & 5.

fecerit. *Omnes enim ad vnum in hunc ordinem coguntur, vt mansueto & docili spiritu regendos se Ecclesiæ doctoribus in hunc vsum creatis permittant. Etsi enim externis medijs non est alligata Dei virtus, huic tamen ordinario docendi modo nos alligauit: quem dum recusant tenere fanatici homines, multis se exitialibus laqueis inuoluunt. Digni enim sunt qui fame & inedia pereant, quicumque spiritualem animæ cibum diuinitus sibi per manus Ecclesiæ porrectum respuunt.* In hunc igitur modum omnibus rationum suarum inuentis diffident hæretici. In quibus autem Ecclesiæ voci ac magisterio nituntur, nulla diffidentia aut hæsitatione vacillabunt, sed magna certitudine firmáque constantia conquiescent. Sic ergo earum, quas Ecclesia habet, promissionum amplitudine confisi, habemus vnde fidem nostram præclarè sustineamus. Quia nihil dubitamus Spiritum S. illi semper adesse, optimum rectæ viæ ducem.

Ibidem num. 5.

In Ecclesiæ voce fidei certitudo.

Memoria quoque tenemus, quem è suo Spiritu vsum percipi Deus velit. Non solùm vt suggerat omnia quæ dixerat Christus, sed etiam vt doceat omnem veritatem, multáque doceat quæ Christus viua voce non docuerat, sicuti suprà accepimus. Illud ergo ex Spiritu suo denunciat exspectandum, partim vt mentes nostras illuminet ad percipiendā doctrinæ suæ veritatem, partim vt quæ Apostoli præsente Christo portare non poterant, Ecclesiam doceat. Et Chrysostomus in persona Christi scitissimè dicit: *Si quis eorum qui dicuntur habere Spiritum sanctū, dicat aliquid à seipso, & non ex Euangelio, non credite, meam doctrinā sequimini* (quæ verba Chrysostomi sunt, non ea quæ Caluinus citauit) *quia ex seipso qui loquitur, hæreticus est.* Impletio quoque Euangelij Spiritus S. est, sicut Christus legis & Prophetarum, quia vterque, quod in altero defuit, impleuit: & hic Spiritus per os Ecclesiæ loquitur. Iam colligere in promptu est, quàm perperam faciunt hæretici, qui non alio fine iactant Scripturas, nisi vt peregrinas & extraneas ab Ecclesiæ fide doctrinas earum titulo commendent: quum Christus indiuiduo nexu cum scripturis Ecclesiam suam coniunxerit, & ad Scripturarū infallibilem cognitionem Spiritum suum Ecclesiæ perpetuum promiserit. Ita est sanè. Quam sobrietatē semel populo fideli præscripsit Dominus, eam perpetuò vult obseruari. Iussit autem Christus Ecclesiam suam audiri. *Qui vos audit, me audit.* Posuit illam, *columnam & firmamentum veritatis*, affirmat *se cum illa esse vsque ad consummationem seculi.* Hoc inuiolabile est Dei ac

Spiritus S. cur. & quomodo Ecclesiæ promissus.

Chrysostomi verba explanantur.

Scripturas cur hæretici iactēt.

Luc 10.
1 Tim. 3.
Matth. 28.

Spiritus Sancti decretum, quod abrogant & abrumpunt hæretici, quum Scripturas sine Ecclesiæ voce ac magisterio intelligere volunt,& fidem Scripturarum ab Ecclesia diuellunt, quo quidem diuortio,non iam Christum despoliant, sed crudeli sacrilegio discerpunt eius corpus. Hæc hactenus,Caluini disputationem imitati, qua rationem reddere voluit, cur Scripturis ille cum suis adhæreat, Ecclesiæ voce non nisi sub conditione admissa, si consentanea Scripturis loquatur. Eadem quippe disputatio mutatis vocabulis apertam rationem reddit, cur Ecclesiæ vocem,magisterium, authoritatem,Catholici sustinent. Non sanè vt absque Scripturis Ecclesia ambulet,sed vt quæ sint scripturæ,& quis earum sensus, Ecclesia nos doceat.Hæretici,cùm Ecclesiæ à nobis vnitas, obedientia,fides vrgetur, aiunt contemni à nobis Scripturas, & magnum se aliquid aduersum nos euincere videntur, quum Ecclesiam à verbo diuelli non posse confirmant. Sed non aduertunt,sicut Ecclesia à verbo non diuellitur,sic nec verbum ab Ecclesia. Illi Scripturas obtendunt, quia Ecclesia ab illis seiungi non potest:nos Ecclesiam obtendimus, quæ Scripturarum veritate carere non potest. Nec nos, cùm Ecclesiam prædicamus,à Scripturis recedimus:nec illi, quum scripturas prædicant,ab Ecclesia recedere debebant, quia in sola Ecclesia sunt veræ Scripturæ,& verus earum sensus.Hoc ergo breue & apertum discrimen est. Hæretici *Ecclesiam verbo annexam aiunt*, vt propter verbum à seipsis quoquo modo intellectum Ecclesiæ sensum despiciant, ab eius vnitate recedant, & crudeli sacrilegio Christi corpus discerpant : nos verbum Ecclesiæ annexum dicimus, vt verbum verbique sensum ab Ecclesia discamus, Christóque capiti in suo corpore adhæreamus. Hæc de posteriori Caluini mendacio hactenus: ideò vberius,quia fructuosius.

Ecclesiæ magisterium quomodo sustinetur.

Nota.

Alterum mendacium his verbis suffulcit. *Quamquam, vt illis demus Ecclesiæ symbolum esse inconsutilem tunicam, minimè obtinebunt quod captant, quia probandum restabit penes ipsos esse Ecclesiam,cuius nullum prorsus signum obtendunt.* De hac futili exceptione iam semel atque iterum in aliis locis dictum est. Sed nunc breui dilemmate Caluinum iugulabo. Sola vera Ecclesia, adeoque soli legitimi ministri ipsius Ecclesiæ, baptizandi potestatem habent, iuxta Caluini manifestam doctrinam, vnde factum inter Caluinistas legimus, vt à Diaconis illorum baptizati rebaptizari debuerint. Atqui in Ecclesia Romana, & in ciuitate Nouiodunensi in Picardia à

Ecclesiam veram penes Papistas esse probatur.

Sacer

Sacerdote Catholico baptizatus Caluinus fuit. Ergo aut Ecclesia Romana vera tunc fuit Ecclesia, aut Caluinus nunquam baptizatus exstitit. Si prius, satis firmum & luculentum Ecclesiæ signum dedimus, cuius ille nullum signum à nobis obtedi affirmauit. Si posterius, quid Caluino cum Scripturis & dogmatibus Christianorum, qui nunquam Christianus fuit? *Quotquot baptizati estis, Christum induistis*, ait Paulus: Caluinus non baptizatus quomodo Christum induit? Si Christum non induit, quid illi cum rebus Christianis? Aut ergo Ecclesia Romana vera Ecclesia est, aut Caluinus in Ecclesiæ corpus nunquam cooptatus fuit. Gal. 4.

30. *Consummatum est.*

Nihil in Scripturis tam sanctum ac salutare, ex quo aliquid veneni haurire, aliquam aduersus veritatem pugnandi causam arripere, inquieta, maleuola, & astuta hæreticorum pectora non valeat. Christus Redemptor hoc breuissimo verbo, veluti omnium quæ & quatenus pati debuerat conscius, & accepto iam aceto, postremam hanc esse passionis suæ periodum cognoscens, pronunciat finem iam ac terminum adesse eorum quæ pro humano genere pati debuerat, & ait, *Consummatum est.* Peracta & perfecta sunt omnia, τετέλεσται. Terminus & finis iam adest, eorum quæ à me toleranda aut Prophetæ prædixerunt, aut Dei Patris voluntas decreuit. Nihil hoc verbo simplicius, nihil sanctius, nihil salutarius. Ostendit in eo Christus & summam erga Deum Patrem obedientiam, & ardentem pro nostra salute amorem, (de qua iam procurata veluti triumphat) & diuinam suam rerum omnium cognitionem, vnde hoc verbo dicto, *Inclinato capite tradidit spiritum.* Inuenit tamen in his verbis Caluinus, quod, sub specie ac larua pietatis, plenis buccis contra orthodoxam veritatem declamaret. *Sensus (inquit) est, quicquid ad salutem hominum facit, in Christo constare, nec alibi quærendum: vel, quod idem est, salutis perfectionem in eo esse inclusam. Subest autem tacita antithesis, quia mortem suam veteribus sacrificiis & figuris omnibus opponit Christus. Huic doctrinæ annexa est omniū Legis rituum abrogatio. Quod si in hac voce acquiescimus, vna eius morte ad salutem contentos esse nos decet, nec vlla aliunde subsidia accersere fas est. Atqui huc spectat tota Papatus religio, vt homines sibi innumeros quærendæ salutis modos excogitent: vnde colligimus abominandis sacrile-*

giis scatere. Præcipuè hac Christi voce damnatur Missæ abominatio. Quod statim, vt mox videbimus, pluribus verbis prosequitur. Quis verò ex hoc simplici verbo tantam declamationem expectasset? Sed hæc Caluini immensa nocendi cupido est. Corradit vndequaque, siue aptè siue ineptè, per fas nefásque, vnde Ecclesiam Catholicam, eiúsque sacrosanctam fidem arrodat, laceret, & apud lectorem suum traducat, quasi omnibus hodie hæreticis tela subministrans, quibus Christi Ecclesiam hostiliter & certatim impugnent. Ad rem quod attinet; prorsus in solo Christo eiúsque morte ac passione conquiescendum est: nec alia salutis subsidia quærēda. Sed hęc propositio sanè & salubriter intelligenda est. Nempe quia ex morte & merito Christi omnia alia salutis subsidia vim ac virtutem accipiunt, vt talia sint, atque vt ad salutem valeant. Caluinus cum suis *sic vna Christi morte contentos nos esse vult, nec vlla aliunde subsidia accersere*, vt in sola huius mortis per fidem apprehensione omnem & plenam & certissimam salutem ponat, vt nec mandatorum Dei obseruatio, nec vlla prorsus opera bona, nec vlla Sacramenta, nec vllus denium Dei cultus, siue internus, siue externus, vel vnam guttam salutis adferant, sed aut notæ tantùm ac signa aut sigilla quædam & obsignationes sint acceptæ iam dudum salutis per solam fidem quæ Christi mortem apprehendit: hoc ille venenum in his verbis coquit. Sed vna Pauli sententia tum hoc mellitum Caluini venenum, quo vna Christi morte contentos alia salutis subsidia accersere prohibet, veluti Antidotum fortissimum expellit; tum Catholicorum sanam doctrinam de aliis adhuc salutis subsidiis adhibendis validè confirmabit. *Christus* (inquit) *per passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Non igitur vna Christi morte contenti esse debemus in sensu Caluini, illam solam per fidem apprehendendo, sed Christi mortem causam salutis esse intelligere debemus, si Christo obtemperamus, si eius præcepta facimus, si eius Sacramenta percipimus, si alia salutis subsidia ac media suscipimus, & exequimur quæ ille præscripsit. Quæ tamen omnia quia per Christi mortem ad salutem valent, & merito mortis Christi efficacia salutis sunt, hoc certè sensu vna Christi morte contēti sumus, veluti fonte & radice cæterorum omnium quæ ad salutem valent. Catholica igitur Ecclesia, quæ per opera pietatis, per mandatorum obseruationem, per Sacramentorum vsum, per varios Dei cultus externos & internos salutē suam ac suorū quærit,

nulla

Caluini immensa nocendi cupido.

Mors Christi sola quomodo tota salus nostra.

Heb. 5.

nulla exercet sacrilegia abominanda, vt sacrilegus Caluinus voce abominanda loquitur. Sed iuxta Paulum obtemperat Christo, vt Christi passio causa salutis illi fiat.

Nunc de Missa quæ homo impius blasphemat audiamus. *Præcipuè*, inquit, *hac voce damnatur Missæ abominatio*. Cur ita? *Cessare*, inquit, *omnia legis sacrificia oportuit, quia vnico mortis sacrificio perfecta fuit hominum salus. Quo igitur iure vel prætextu sibi licuisse Papistæ dicent sacrificium erigere quod Deum hominibus reconciliet?* Vidit Caluinus totam hanc rixam nihil ad rhombum esse, quia nullum nouum sacrificium in Ecclesia Catholica erigitur, vt antiquissimi Patres Chrysostomus, Primasius, Theodoretus, & alij propter vnam Christi in cruce oblationem, *qua consummauit in æternum sanctificatos*, diligenter annotarunt. Ait igitur. *Excipiunt non esse nouum, sed illud idem quod Christus obtulit.* Hæc planè est exceptio nostra, hæc veterum Patrum fuit, & iusta & sufficiens. Quid ad hanc exceptionem Caluinus? *Atqui* (inquit) *facilis est refutatio; quòd nullum offerendi mandatum ipsi habeant. Deinde quòd Christus semel vna oblatione defunctus pronunciet ex cruce totum esse perfectum. Ergo plus quàm falsarij sunt, qui Testamentum sacro filij Dei sanguine obsignatum perfidè corrumpunt ac violant.* Duo respondet, quorum est facillima refutatio. Primùm ait, *nos nullum habere offerendi mandatum.* Mentitur, habemus clarissimè expressum in illis Christi verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*: vt suprà ex SS. Patribus comprobatum dedimus: quæ propterea verba Caluinus in suis commentariis penitus intacta omisit. Alterum quod dicit, nihil ad rem facit, & contra factam exceptionem nihil concludit, sed eandem repetit atque confirmat. Idcirco enim nullum nouum sacrificium offerimus, quia vna oblatione Christus semel perfunctus, totum in cruce perfecit. Quod autem nos offerimus, idem est, & eiusdem cruentæ oblationis commemoratio incruenta, de qua in Epist. ad Heb. (loco proprio) vita comite plura dicemus. Ex his patet non esse falsarios Catholicos, neque Testamentum Christi sanguine obsignatum violare, qui id faciunt quod Christus faciendum præcepit, quódque *tota Christi Ecclesia per totum mundum ab Apostolis acceptum* (vt Irenæus loquitur) religiosissimè semper obseruauit, sed bis falsarium & ter impium esse Caluinum, qui tum sanguinem noui Testamenti à Sacramento Eucharistico penitus remouit, tum oblationem à Christo institutam ad mortis dominicæ & effusi sanguinis filij Dei

Missa Sacrificium defenditur

In Comment. ad Heb. c. 10.

In Matth. cap. 26.

Lib. 4. cap. 32.

perpetuam commemorationem, omnibus locis expulit, quibus eam expellere potuit.

Caluinus ex seipso refutatur. Tandem vt aliqua in Caluinum reconuentione vtamur: *Si vna Christi morte ad salutem contentos esse nos decet* (vt certè docet maximè) *nec vlla aliunde accersere fas est subsidia*, quàtam impietatem docuit ipse Caluinus, *qui vna Christi morte nihil ad salutem nostram actum fuisse* disertè scripsit, *sed aliud idémque maius & excellentius salutis nostræ pretium* confinxit! Verba eius hæc sunt: *Nihil actum erat si corporea tantùm morte perfunctus fuisset Christus: sed opere simul pretium erat vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret, quo & iræ ipsius intercederet, & iusto iudicio satisfaceret. Vnde etiam oportuit cum inferorum copiis æternaq; mortis horrore quasi consertis manibus luctari.* & paulò pòst: *Non modò corpus Christi in pretiũ redemptionis fuit traditum: sed aliud maius & excellentius pretium fuit, quòd diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.* Hæc quidem eius blasphema & exsecrãda verba, & omni impietate plenissima, alio in loco copiosè refutauimus: hoc nunc in loco id vnum notamus, Caluinum, qui vna Christi morte contentos nos esse oportere, nec vlla aliunde subsidia accersere hîc & nunc affirmat, vt contra Catholicos rixandi ac debacchandi causam arriperet, alio in loco adeò vna Christi morte contentum non esse, vt illa *vna morte nihil actum fuisse* proclamet; adeò quoque aliunde subsidium accersere, vt affirmet, *aliud idémque maius & excellentius quoddam pretium fuisse*, præter corpus Christi in pretium redemptionis traditum. Est ergo iterum *plusquam bis falsarius* & ter impius Caluinus, *qui Testamentum sacro filij Dei sanguine obsignatum ita perfidè corrupit ac violauit*, vt illud si solum esset, nullius valoris fecerit; atque aliud eò maius & excellentius è suo cerebro confinxerit: rem planè dictu horrendam & exectabilem, vt est alio in loco à nobis fusè & copiosè disputatum.

Institut. lib 2. c. 16. num. 10.

In Promptuario Catholico part. Quadrages. ad Feriam 4. heb. vltima.

Vbi suprà, & ad Matth. c. 27. ver. 46

IN IOANNIS CAP. XX.

6. *Vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat*
7. *super caput eius, non cum liteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.*

Vt in omnibus suis diuinarum Scripturarum commentariis, sic in huius maximè Euangelij commentario propositum Caluino fuit, aduersus Ecclesiæ Catho

Catholicæ seu dogmata,seu cultum , seu quaslibet ceremonias ac religionis ritus,velut infesto ac rabido cani,dentem, vbi potuit,caninum infigere ; vbi id non potuit, clamosè allatrare. Hoc in præfatione suis Geneuensibus , quibus hunc commentarium seorsim dicauit,se sedulò facturū promittit. *Papatum* (inquit) *nihil aliud quàm monstrum ex innumeris Satanæ fallacijs conflatum esse, & quam obtendunt Ecclesiam, Babylone magis confusam,vnus hic commentarius erit (vt spero) luculentus testis.* Hæc ille. Et verò vt hactenus diligentem huic rei operam nauarit,frustra tamen contra stimulum calcitrans,tot à nobis in hoc vno Euangelio contra illius rabidos morsus explicata & defensa loca manifestum lectori fecerunt. Nunc in duobus quæ restant capitibus, veluti promissi sui memor,& ne in extremo certamine animum remisisse videatur,omnem prorsus mouet lapidem,omnem versat textum,omnia oculatissimè scrutatur & indagat , vnde carpendi,allatrandi,mordendi materiam capere queat. Ad hæc igitur verba, quæ simplicissimã narrationem continent exuuiarum quas in sepulchro Dominico Ioannes noster oculatus testis inuenerat,sic insurgit coluber iste,aut Cerberus potius infernalis. *Quòd sudario* (inquit) *caput obtectum esse dicit,inde refellitur Papistarum vanitas, qui fingunt totum corpus linteo vno fuisse insutum , quod adorandum misera plebecula ostentant.Omitto Latinæ linguæ inscitiam,qua factum est, vt totius corporis tegmento imponerent linteoli nomen,quo sudor è facie abstergitur. Omitto impudentiam , quòd quinque aut sex in locis diuersis idem se habere sudarium iactant. Sed hoc tam crassum mendacium minimè tolerabile est,quod Euangelicæ historiæ palàm repugnat. Huc accedit fabulosum miraculum quod finxerunt de exarata in linteum corporis Christi effigie.Obsecro,si tale miraculum editum fuisset,an silentio supprimeret Euangelista , qui tam sedulò commemorat quæ minus habebant momenti.* Hic est hoc loco latratus eius,hæc sibila serpentina.Quatuor sunt quę obiectat quibus ordine respondebitur. Ait nos fingere totum Christi corpus vno linteo fuisse insutum. Ergo fabulam finxit Matthæus , quando scripsit de Ioseph,qui Christi corpus sepeliuit : *Inuoluit illud in sindone munda.* Annon linteum hæc sindon erat , totúmque corpus inuolutum contexit? Deinde *linteamina in sepulchro inuenta* , quæ hoc ipso loco Euangelista commemorat , ad quid ibi erant, nisi vt corpus mortuum inuoluerent , quibus resuscitatum & gloriosum corpus iam non indigebat ? Cur

in

Margin notes: Caluinus canis rabidus. — 1. — 2. — 3. — 4. — Latratus Caluini compescuntur. — Ad 1. Matt.27.

in tam proxima luce cæcutit Caluinus? nisi quòd cæco furore percitus non intelligit vel de quibus loquitur, vel quæ affirmat? Siue istorum linteaminum ipsa sindon, cuius mentionem facit Matthæus, vna erat, siue ab illis diuersa; manifestè constat totum Christi corpus aliquo linteo insutum & inuolutum fuisse: vt nō sit mirum, illam, vel illorum aliquod à Christianis reseruatum, non à misera plebecula adorandū, sed à populo deuotò vt insignem reliquiā veneratione prosequendam expositum fuisse. Si enim *Apostoli Iacobi cathedra* (vt memorat Eusebius Pamphili) *cum ingenti studio ad ipsius vsque ætatem seruata, & cum magna veneratione à fidelibus habita fuit*; quid mirum aut à communi fideliū sensu alienum, si linteamen, quo Christi pretiosum corpus (quod etiam in sepulchro diuinitati coniunctum erat) inuoluebatur, in veneratione quoque habitum fuit? Sed sensus veterū Christianorum, & sensus Caluini si latissimè differant, minimè mirari debemus, quum ille à Spiritu vnitatis, qui facit vnanimes in domo; hic à Spiritu priuato, qui generat schismata, proficiscatur.

Hist. Eccles. lib. 7. cap. 15.

Ad 2. Obiectat secundo loco linguæ Latinæ insciitiam, quòd sudarium capitis pro totius corporis integumento Catholici acceperint: homo vanissimus, lectores suos omnes fungos ac stipites futuros ratus, fingit Catholicos sudarium pro linteamine totius corporis tegumento accipere: & ita bardos ac truncos vel ipsos vel suos lectores præsumit, vt non aduerterent præter sudarium fuisse linteamina seorsim posita; adeóque sindonem mundam (apud Matthæum) qua totum corpus fuit inuolutum. Nihil tam miserum & absurdum, quod cæca maledicendi libido proferre formidet.

Ad 3. Aliquid in speciem grauius habet quod sequitur. Impudentes nos vocat, qui quinque aut sex in locis diuersis idem nos habere sudarium iactamus: & hoc crassum mendacium historiæ Euangelicæ repugnare affirmat. Sed maior istius nebulonis impudentia, & crassius mendacium est, qui nec vnū ex istis quinque aut sex locis designans, generaliter mentitur, vt in nulla specie conuinci mendacij queat. Si loca ipsa aut locum vnum designasset, criminatori poterat in facti specie responderi. Nunc delatorem nihil nisi in genere debacchantem, vel ad facti speciem descendere, vel vt infamem fabulam è toto iudicij loco exturbari, & toto cedere, omnis iustus iudex iubebit.

Ad 4. Quod postremò exagitat fabulosum miraculū de exarata

in

in linteum corporis Christi effigie, spiritui quidem Caluiniano, superbo, incredulo, prophano, huiusmodi omnia fabulosa videri minimè mirandum est. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum, & mens & conscientia:* id est, falsis opinionibus præoccupatur tum iudicij & intellectus ratio, tum voluntatis affectus. Sic tam paganis quàm Arianis alijsque hæreticis nō nisi fabulosa & ridicula visa sunt quæ ad martyrum memorias ac reliquias miranda Dei opera, ad suam ac Sanctorum gloriam, fidémque ipsam Christianorum commendandam, subinde præstita ac exhibita sunt. Apposite D. Ambrosius de Arianis. *Sanctorum miracula ideò non credunt, quia Sanctorum fidem non tenent.* Sed alia fuit Christianorum omnium non de vulgo tantùm, sed & præstantissimorū Ecclesiæ luminum fides, qui reliquias Sanctorum, nedum Christi ipsius, in magna semper veneratione habuerunt, operáque Dei circa illas miranda non pro fabulosis contemnere, sed pro illustribus fidei testimoniis gratanter accipere, Christiano homine dignum esse existimarunt. Quorum plurima & grauissima testimonia alio in loco produximus.

Tit. 1. *Epist. lib. 10. Epist. 85.* *Reliquiarum veneratio.* *In Prompt. Catholic. Domi. 23. post Pentecost.*

Ad rem præsentem quod attinet, adhuc integra permanet ac diuina virtute illæsa sindon illa sanctissima, qua Redemptoris nostri corpus in sepulchro conditum inuoluit Ioseph; quæ adhuc Domini in sepulchro iacentis imaginem expressit, asseruatúrque debito honore in Ecclesia Taurinensi. Eius odorem tam vicinum Caluinus in lacu suo Geneuensi ferre non potuit. Nouimus enim eundem Christū, eandem fidem, eadem Dei opera, aliis esse odorem vitæ in vitam, aliis esse odorem mortis in mortem. Atqui varia passionis, sepulturæ, resurrectionis, & ascensionis Dominicæ monimenta, diuina miseratione ac prouidentia ad piorum consolationem (qui quicquid Christi est, magno in honore ac pretio habent, etiā *corrigiam calceamentorum pedum eius*, quā sanctus ille Præcursor Ioannes tanta veneratione dignam existimauit, vt diceret, *se dignum non esse qui illam solueret, aut calceamenta portaret*) posteris fidelibus relicta, & ab illis magno studio asseruata esse, veteres historici, & Ecclesiarum antiquissimarum monimenta prodiderunt. Spinas coronæ Iesu, columnam ad quam alligatus est, arundinem, spongiam, Gregorius Turonensis ac Beda suis temporibus asseruata fuisse scripserunt. Tunicam Christi inconsutilem in Galatia suo tempore repositam idem scribit Gregorius. Sudarium Christi aliud, quod à

Ioan. 1. *Passionis Christi reliquia.* *De gloria martyrum cap. 7.* *De locis sanctis, cap. 2.* *Ibidem cap. 8.*

Veronicæ sudarium cum vultu Christi. Berenice (aliàs Veronica) fœmina Tharsensi, crucem suam baiulans Christus acceptum, faciéque sudore ac sanguine plena eo abstersa eidem reddidit, sanctissima vultus sui effigie in eo relicta, Romæ asseruatum vidimus, & venerati sumus, & libellum ipsum manuscriptum in Vaticana Bibliotheca legimus, qui historiam totam de translatione huius sudarij ex Tharso Ciliciæ Romam facto describit; Tiberio videlicet tunc imperante, & graui morbo laborante, Veronicam illam cum suo sudario, cuius efficaciæ ac virtutis fama (quòd multas sanitates operata esset) ad Imperatoris aures peruenerat, euocatam fuisse; eáque occasione (sanato Imperatore) Veronicam in vrbe vsque ad mortem hæsisse, & præclarum hoc Christi Redemptoris monimentum Christianis in vrbe reliquisse. Sanè de hac Berenice, Christíque imagine velo excepta, consentanea scribit Methodius antiquissimus Chronographus apud Marianũ Scotum in Chron. ad annum Domi. 39. Sed & hodie vsque in monte Oliueti pedum Christi vestigia integra & expressa videri, eo videlicet loco quo in cælum ascendens terras reliquit, qui nostra ætate illuc peregrinati sunt, se vidisse attestantur. *Pedũ Christi vestigia in mõte Oliueti.* De istis Domini vestigiis in monte Oliueti relictis & expressis varia habemus antiquitatis testimonia. De illis enim scribit D. Hieronymus in tract. de locis Hebraicis, Optatus contra Parmenianum lib. 6. Paulinus ad Seuerum Epist. 11. Seuerus Sulpitius histor. sacræ lib. 2. Beda de locis sanctis, cap. 7. Hæc illustria antiquitatis testimonia, profano Caluini cerebro qui non anteponit, emotæ mentis homo meritò videatur. Quòd si vestigia Domini in loco aperto & eminenti, tot hominum pedibus calcato (quo etiam in loco Romanus exercitus in vltima illa Hierosolymæ obsidione consedit) post tot secula integra manere potuerunt, quid præter fidem dicitur, quòd in sindone, qua inuolutum Christi corpus iacuit, eiusdem corporis effigies expressa remansit?

Caluini putidum argumentum. Sed magnum, quæso, & validum Caluini argumentum attendamus. *Obsecro* (inquit) *si tale miraculum editum fuisset, an silentio supprimeret Euangelista, qui tam sedulò commemorat, quæ minus habent momenti?* Nihil ergo de Christi factis, dictis, miraculis, fide dignum erit, quod Euangelistæ silentio presserunt? *Act. 20. Euangelista nõ omnia de Christo scripserunt.* Age, affirmat Paulus verbum Domini fuisse, *Beatius est dare quàm accipere.* At quis Euangelista hoc narrat? Ergo sic Euangelistis credimus, vt præter Euangelistas alium neminem fide dignum existimemus? Apostolis, dices, & Apo-

stoli

stolicis literis non secus credimus. Primum igitur futile erit Caluini argumentum: Euangelista tacuit, ergo fabulosum est. Deinde, an etiam sic Apostolis credimus, vt alium neminem fide dignum arbitremur? An solos Euangelistas & Apostolos reliquit nobis Christus, à quorum ore pendeamus? Annon præter Apostolos & Euangelistas, quorum officium planè extraordinarium fuisse ipse Caluinus agnoscit, *dedit nobis Pastores & Doctores ad consummationem fidelium, & ad ædificationem corporis sui?* Ephes.4. Annon reliquit nobis Ecclesiam *columnam & firmamentum veritatis?* 1.Tim.3. Cur igitur fabulosum existimabimus, quod Pastores ac Doctores in Ecclesia Christi credere & amplecti videmus, quod tota credentium multitudo vno sensu & consensu per tot secula amplexa est? Credidit tam multa hactenus Ecclesia, crediderunt Ecclesiarum Pastores ac magistri, quæ nec Apostolicis nec Euangelicis literis comprehensa sunt. Non credit Caluinus. Cui aut quibus magis credendum erit? Sed grauissimè ac verissimè scripsit doctissimus Augustinus. *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, an ita faciendum sit dubitare, insolentissima insania est.* Epist.118. cap.5. Si dubitare, quanto magis fabulosum asserere? Caluinum igitur vt insolentissimè insanientem dimittamus: Ecclesiæ fidei ac traditioni firmiter adhæreamus. Credimus quippe vnam Ecclesiam Catholicam, non credimus Caluinum, Caluinistas, aut alios quoslibet sectarios.

17. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.*

Diuinæ Scripturæ corruptor Beza ex his Christi verbis argumentum format, non secus stolidum atque insulsum, quàm à Christi verbis alienissimum. *Quid igitur?* inquit. *An postquam ascendisset ad Patrem, licuit tangere? Ita certè, sed spiritualiter, & animis in cælum subuectis, quæ vna est saluifica Christi carnis apprehensio, cui externa & carnalis illa præsentia plurimum officiebat. Poterant igitur vel istis Christi verbis doceri homines, carnalem illum Christi manducandi modum, quem tanta peruicacia defendunt, nō modò imaginariam esse, sed etiam cum Dei verbo & institutione ex diametro pugnare.* Hæc Beza. Vult in his verbis docere, Christum non adesse in Sacramento carnem suam verè & realiter tangendam ac manducandam, sed spiritualiter tantùm, & animis in cælum per fidem subuectis. At quo argumento? Quia docet

Beza insulsum argumentū contra veneri- Euchari- stiæ veritatem.

Magda

Beza suo ipsius argumento refutatur. Magdalenam se tangere non oportere donec ad Patrem ascenderit. Atqui ánnon planè contrarium optima ratione sequeretur, si quidem de illo tactu Christus hic loqueretur, quem in manducatione carnis suæ Ecclesiæ suæ reliquerat? Vetat quippe Christus Magdalenam tangere tactu corporeo & familiari. Si ergo sensus verborum Christi est: Nolo vt iam me tangas, quia nondum ascendi ad Patrem: postquam autem ascendero, licebit tangere (sicuti Beza colligit) planè contra Bezam sequeretur, post Christi ascensionem carnem eius corporaliter & familiariter tangi debere: hoc enim modo (non spiritualiter, aut animo in cælum subuecto) tangere Magdalena voluit. Hunc tactum Christus Magdalenæ prohibuit. Ad sensum Magdalenæ, & de tactu quem illa expetebat, Christus indubiè loquitur. Si ergo illum tactum tunc quidem vetabat, sed post ascensionem futurũ concessit (quod Beza colligit) procul dubio tactu corporali post ascensionẽ suam Christus tangendus erit. Et si in Sacramẽto carnis suæ hunc tactum præbet, profectò in illo non spiritualiter tantùm, sed & corporaliter adeóque familiari & visibili modo in sensu Magdalenæ tangendus erit. An igitur Beza quicquam dementius, qui argumentũ struxit quo ipsemet strangulatur?

Sed & alia dementia est, de tactu aliquo suo post ascensionem suam futuro Christum hoc loco loqui; siue in Sacramento, siue extra illud. Neque enim sedens ad dexteram Patris Christus in præsenti cum hominibus amplius conuersatur, vt ab illis familiariter & visibiliter tangatur, quem tactum Magdalena expetebat. Hoc solùm Christus dicere videtur: *Verborum Christi sensus.* Noli me nunc, Magdalena, familiariter tangere, *nondum ascendi ad Patrem:* nondũ à vobis penitus recedo. Dabitur tibi adhuc tempus & occasio melior, quando me præsentem & tangere & familiarius ac prolixius alloqui possis. Id vnum nunc age, vt ad discipulos meos confestim reuersa, meam illis resurrectionem & futuram ascensionem annuncies. *Vade autem,* id est, quin potius extemplò vade, *ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum,* &c. id est, non ideò resurrexi, vt vobiscum denuo in mundo conuerser; sed vt ad Deum Patrem meum ac vestrum ascendam. Alioqui tam Magdalena cum aliis mulieribus Christum *Matt 28.* postea tetigerunt, *& pedes eius tenuerunt*, quàm omnibus *Luc 24.* Apostolis suis palpandum se Christus obtulit, dicens: *Palpate, & videte,* &c. Dupliciter igitur absurda & dementiæ plena *Beza putidum mendacium.* hæc Bezæ collectio est. Accedit putida cauillatio seu putidũ

potius

potius mendacium, *carnalem manducandi Christi modum magna peruicacia defendi.* Veram si re realem Christi carnis præsentiam,& veram ac realem manducationē iuxta vtrumque à Christo assertum, *Hoc est,* & *Hoc manducate*, Catholica Christi Ecclesia credit,& credidit semper. Modum manducandi carnalem Capharnaitis reliquit, & spirituali atque inuisibili modo tam existere quàm manducari Christi carnem Ecclesia Catholica docet. Quod si Beza nunquam intellexit. minimè mirum videri debet: quum magister potius erroris quàm discipulus veritatis esse elegerit.

19. *Cùm ergo serò esset die illo vna sabbatorū,& fores essent clausæ,venit Iesus,& stetit in medio,&c.*

DOcet apertè hic textus sacer, corpus Christi, tametsi post resurrectionem verum ac naturale, naturæ tamen legibus subiectum non fuisse. Clausis foribus Christus domum ingreditur,ipsas fores clausas penetrans,seséque in conspectu discipulorum qui intus latebant propter metum Iudæorum, derepentè dans. *Admirandum est* (ait in hæc verba Chrysostomus) *quòd phantasma esse non sunt suspicati. Clausis enim foribus & repentè est ingressus. Moli corporis* (ait in eadem verba Augustinus) *vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inuiolata permansit.Clausis foribus* (ait in eundem locum Cyrillus) *repentè Dominus omnipotentia sua natura rerum superata ad discipulos ingressus est. Quid mirum* (ait Gregorius) *si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens non aperto virginis vtero exijt?* Quid nunc ad tam clara Scripturæ verba,& post tot nobilissimorum Patrum consentientem sententiam,Caluinus? Neutrum reueretur. Neutrū reformidat. Ingenio suo confidens, vtrumque eludit, Patres contemnit, Scripturam inuertit. *Sic* (inquit) *habendum est, Christum non sine miraculo ingressum esse, vt documentum ederet suæ diuinitatis,quo suos discipulos magis attentos redderet.* Hoc contra eos dicit qui reseratas fuisse per aliquem Christo fores,& humano more ingressum affirmabant.Caluinus autem ingressum hunc cum miraculo coniunctum esse pro suo libito agnoscit. quia aliud miraculū excogitare & miraculum miraculo substituere potuit. Sic enim prosequitur. *Interea tamen verum esse minimè concedo quod asserunt Papistæ, Christi*

Christus clausas ianuas penetrat.

Hom.89. in Ioan.

Tract.121. in Ioan.

Lib.12. c. 53. in Ioan.

Hom.20. in Euangel.

Caluinus miraculū miraculo substituit.

Patrũ sententiã Papistis affingit Caluinus. *Beza Caluino contrarius.* *corpus penetrasse per ianuas clausas.* Atqui sic asseruerunt vetustissimi & doctissimi Patres superius allegati. Aut igitur & illi Papistæ fuerunt, aut hunc sensum Papistis ridiculè affingit, qui non ab ipsis adinuentus, sed à Patribus doctissimis traditus fuit. Sed nec ipse Beza ab hoc sensu abhorret, qui sic in hunc locum annotat. *Vel sponte patuerunt Christo fores, vel ipsi etiam parietes ei fuerunt perui: quum ista non fuerint ei difficiliora quàm super aquas ambulare.* Sic hoc in loco *doctissimum interpretem* corrigere ausus fuit Beza. Sed cur hunc sensum non concedit bonus Caluinus? *Hoc* (inquit) *ideò contendunt, vt corpus gloriosum non modò reddant simile spiritui, sed immensum esse, nulloq; loco contineri obtineant.* Primùm quicquid Papistis obiectat, idem Patribus ipsique Bezę conueniet. Deinde tam de Papistis quàm de Patribus mentiri illum dicimus. Tam Papistæ quàm Patres hoc ideò contendunt, quia litera Euangelica sic clarè loquitur; quia corpori Christi diuinitati coniuncto talis potestas negãda non est, quod tam Patres quàm Beza disertè profitentur, & altero similis potestatis exemplo cõfirmant; illi quidem cùm clauso matris vtero Christus nasceretur, iste verò quia super aquas Christus ambulauit. Interim Christi gloriosum corpus vel immensum esse, nullóque loco contineri, vel ita simile spiritui esse vt verum & naturale corpus humanum non sit, (nam aliquo modo spiritui simile esse, ex dotibus nouis omni corpori glorificato concessis, de quibus Paulus dixit, *Resurget corpus spirituale*, ipse, opinor, Caluinus non negabit) nec Patres nec Papistæ propterea contendunt. Tribuerunt hoc Patres, tribuunt quoque Papistæ Christi corpori, vt aliud corpus possit penetrare, quia Filij Dei corpus erat; & verus homo modo diuino multa operabatur; non quia aut immensum, aut sine loco, aut aliquid merè spirituale, ipsum corpus iudicarunt. Ita nihil quàm mentitur Caluinus, vt verum Scripturæ sensum lectori exosum reddat.

Caluinus magister mendax.

Quam quomodo nunc inuertat, attendamus, *Nihil* (inquit) *tale sonant verba; quia non dicit Euangelista intrasse per ianuas clausas, sed repentè stetisse inter discipulos. quum tamen clausæ essent ianuæ, nec aditus illi esset patefactus manu hominis.* Atqui dicit Euangelista *intrasse* Christum *clausis ianuis*, quæ verba omnem aditum patefactum excludunt, siue manu hominis, quem reiicit Caluinus; siue potentia aliqua diuina, vt vult Caluinus. Si enim aditus patefactus erat, siue humana siue diuina ope, profectò non clausis ianuis, sed

Verba sacri textus expenduntur.

apertis

apertis ianuis intrauit. Ita tam Caluini commentum quàm aliud quod ipse reiicit, itémque aliud quod alternatiuè Beza posuit, literæ ac textui Euangelico repugnant. Suum commentum his verbis insinuat Caluinus. *Scimus Petrum è carcere obserato egressum esse. An ideò dicendum erit per medium ferrum & asseres penetrasse?* Sic fingit diuino miraculo fores Christo patefactas fuisse, quod alterum erat à Beza positum, ne à suo magistro penitus dissentire videatur, sicuti Petro carceris fores reseratæ per Angelum erant. Sed vide stupidum hominis commentum. An dicit Scriptura Apostolica Petrum exiisse carcerem foribus clausis, sicut dicit Scriptura Euangelica *Christum intrasse foribus clausis?* Immò nónne apertè narrat Scriptura *portam ferream ciuitatis* exeunti Petro *vltro apertam fuisse?* Vnde bene colligitur, carceris quoque ianuas illi vltro apertas fuisse, sicut & colligatæ cathenæ *vltro ceciderunt de manibus eius.* At in hoc Christi ingressu nihil tale insinuat historia Euangelica: sed apertè contrariũ narrat, affirmans Christum repentè ingressum, & *repentè stetisse* inter discipulos, *cùm fores essent clausæ*, non cùm fores essent patefactæ. Literæ Euangelicæ Patres inhæserunt: inhæremus & nos. Arrogans & impius Caluinus non quod Scriptura narrat miraculum, sed quod ipse comminisci potuit, audacter & impiè (Scripturæ contradicens) substituit.

Caluini stupidum commentum.

Act. 12.

Scripturã non reuetur Caluinus.

Mox simili audacia hunc in modum concludit. *Facessant ergo pueriles istæ argutiæ, quæ nihil prorsus habent solidi, & multa secũ trahunt deliria.* Insistere & inhærere literæ Euangelicæ vocat *pueriles argutias.* Sic ille Scripturam reueretur. Agnoscere in Christi corpore vim & facultatem alia corpora penetrandi, ait, *nihil habere solidi, & multa secum trahere deliria.* Atqui breui docebo quantum ea sententia solidum habeat, & quàm multa secum deliria Caluini sententia trahat. Patrum & nostra sententia hoc solidum habet, quòd hoc exemplum alias veritates Euangelicas confirmat: Christum vtero virginis clauso egressum esse: Christũ *clauso sepulchro resurrexisse* à mortuis, vt docet D. Hieronymus ex textu Euãgelico in epist. ad Hedibiam: Christũ *ambulasse super aquas:* Christum à Iudæis circundatum, & eum lapidare volentibus *per medium eorum transiisse*, nemine illi aditum patefaciente: denique & Christi verbo Lazarum *manibus ac pedibus ligatis* (nemine iuuante) è sepulchro prodiisse. Omnes istas veritates Euangelicas hic Christi ingressus clausis ianuis confirmat, & hoc solidum hæc sententia habet. Caluini sentẽtia totidem

Quæst. 6.
Mar. 16.
Matt. 14.
Luc. 4.
Ioan. 11.

Sensus Caluiniani deliria. secum deliria trahit, quot noua commenta adinueniri possent ad omnes illas veritates Euangelicas simili artificio eludendas. Illud quoque delirium trahit, quò S. Petri exitus è carcere similis fuerit ingressui Christi clausis ianuis; cuius lata fuit differentia, vt iam explicatum est. Sed & hoc delirium trahit, quòd Christo sic (vt Caluinus vult) ingresso, aut fores semel patefactæ ita manebant, iamque Apostoli intus clausi non erant, sed ad cuiuslibet ingressum expositi, quod nec Christi cum illis præsentiæ (qui noluit se omnibus manifestare) nec Apostolorum timori necdum confirmato conueniebat: aut iterum statim occlusi erant Christo semel ingresso; quod vel cum strepitu aliquo fieri debuit, vt communiter fieri solet, atque ita non stetisset repentè inter discipulos Christus (quod eum fecisse Caluinus affirmat) vel nouo miraculo alio sine strepitu firmiter claudebantur, vel certè Christũ ipsum magna modestia & cautela fores iterum clausisse fingere oportet: quæ omnia ab historia Euangelica longissimè discrepantia, non nisi cõmenti Caluini deliria sunt.

21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Caluini ludus anceps. CAluinus hoc loco quasi lupum auribus tenens, Ecclesiasticam authoritatem quam luculenter stabiliri vidit, nec tamen stabiliri vellet, modò agnoscit, modò reiicit; modò prædicat, modò deprimit; modò statuit, modò destruit; modò affirmat, modò negat. Vt eam agnosceret, prædicaret, statueret, affirmaret, loci euidentia compulit. Vt eam tamen quibus posset artibus reiiceret, deprimeret, destrueret, ac negaret, animus eius fecit hæreticus, superbus, arrogans, qui obedientiæ Ecclesiasticæ iugum ferre nequit, sed per se sapere, non per alios; nec magistros sequi, sed ducere, seducere, abducere post se discipulos, vult. Hunc eius improbũ ludum, quo lectorem ludificat, aduertere & refutare operæpretium est. Priores veritatis partes his agit: *Perinde* (inquit) *valent hec verba ac si diceret se Doctoris officio hactenus defunctum esse. Completo igitur cursus sui stadio, se nunc easdem illis mandare vices. Nam intelligit se hac lege creatum fuisse à Patre Ecclesiæ Doctorem, vt praeiret reliquis ad tempus, deinde subrogaret in suum locum qui absentis vices supplerent. Qua etiam ratione Paulus dicit cum dedisse alios Apostolos, alios Euangelistas, aliòs Pastores, qui Ecclesiam vsque ad finem mundi gubernent. Primum itaq; testatur Christus, quamuis ipse habuerit*

Ecclesiastica authoritas à Caluino agnita.

Ephes. 4.

tempo

temporale docendi munus, Euangelij tamen prædicationem non exigui esse temporis, sed æternam fore. Deinde ne minor sit doctrinæ authoritas in ore Apostolorum, iubet in eandem, quam à Patre accepit, functionem succedere, eandem illis imponit personam, ac idem iuris assignat. Atque ita sanciri eorum ministerium oportuit (erant enim ignari & gregarij homines.) Deinde vt in illis esset summus splendor ac dignitas, scimus tamen, quicquid est hominum, longè esse fide inferius. Quare non abs re Christus cum Apostolis suis communicat quam à Patre authoritatem accepit: vt hoc modo declaret, non humanitus, sed Dei iussu illis iniungi Euangelij prædicationem. Hæc ille hactenus pro veritate. Agnoscit Apostolos & alios in Ecclesia Pastores & Doctores, iuxta Pauli verba, *absentis Christi vices supplere.* Prædicat hoc eorum munus fore *perpetuum vsq; ad finem mundi.* Statuit doctrinæ authoritatẽ tantam esse in ore Apostolorum, Pastorũ, & Doctorum, *vt suam illis personam Christus imponat, & idem iuris assignet.* Affirmat denique hoc ideò factum esse, vt Euangelij prædicationem quam facit Ecclesia, *non humanam sed diuinam,* & ex Deo esse intelligeremus.

Ecclesiastica doctrina perpetuitas. Eiusdem authoritas.

1.
2.
3.
4.

Hæc igitur veritatis confessio, quam literæ Euangelicæ perspicuitas Caluino extorsit, duo nos in primis contra hæreticos horum temporum docet. Vnum est, Euangelij prædicationem esse æternam, ideóque eam hactenus, ex quo propagari cœpit, nunquam cessasse, quod huius ætatis sectarios manifesti schismatis, erroris, impietatis conuincit, qui ab Ecclesia se segregant, & omnes hactenus in Ecclesiã Pastores ac Doctores seu vetustissimos, seu doctissimos, à vera Scripturarum intelligentia, veráque fidei Euangelicæ doctrina aberrasse statuunt, vt propterea eorum iudicium in alterutra æqui prorsus recusent, & Caluinus omnium maximè. Alterum est, doctrinæ Ecclesiasticæ non secus obediendum esse quàm doctrinæ Christi, quando personam Ecclesiæ Doctores sustinent, & idem à Christo iuris acceperunt, quod ille à Patre.

Caluini confessio Caluinianos omnes cõdemnat.

Hoc posterius quia ferre Caluinus non potuit, alteram nunc personam induit, & in rebellionis hæreticæ fauorem, quæ hactenus agnouit, reiicit; quæ prædicauit, deprimit; quæ statuerat, destruit; quæ affirmauit, negat. *Cæterùm* (inquit) *non ita substituit in locum suum, vt summo magisterio cedat, quod penes eum residere voluit Pater. Manet igitur ipse, æternúmque manebit, vnicus Ecclesiæ Doctor.* Quid ergo? An adhuc magisterium in mundo exercet Christus? Adhuc nos viua voce

Ecclesiastica authoritas ab eodem Caluino penitus euertitur.

alloquitur, docet, regit? Dixisti modò Caluine, *Subrogauit in suum locum qui absentis vices supplerent.* Si hoc verum est, quomodo adhuc penes vnum Christũ, quasi præsentem, summum magisterium residet? Quomodo vnicus Ecclesiæ Doctor Christus est, qui tot alios dedit Doctores, Pastores, &c. Explicabit magis suam mentem Caluinus. *Sed hoc,* inquit, *tãtùm interest, quòd locutus ore suo, quàm diu in terris versatus est, nunc per Apostolos loquitur.* Non est igitur vnicus etsi supremus Ecclesiæ Doctor Christus. Dignatus est alios facere doctores. Loquitur nunc Christus per alios doctores. Nihil istud aut supremo Christi magisterio, aut Apostolis aliísve doctoribus derogat. Audiamus adhuc Caluinum. *Talis ergo est successio, vt nihil Christo decedat, sed illi ius suũ saluum & intactum maneat, honórque integer. Est enim inuiolabile illud decretum, quo iubemur ipsum audire, non alios.* Paulatim se aperit Caluinus, & venenum, quod pectore coxit, calamo exprimere pertentat. *Est,* inquit, *inuiolabile decretum, quo iubemur ipsum audire, non alios.* Si alij audiendi non sunt, ergo falsa sunt omnia quæ hactenus dicta sunt. Falsum est Apostolis *suas Christum mandasse vices.* Quas enim vices mandauit, nisi vt Euangelium prædicantes audirentur à populis? Falsum est *subrogasse* Christum in suũ locum *qui absentis vices supplerent.* Quid est enim absentis Christi vices supplere, quàm docere, & docẽtes audiri? Falsum est Apostolos *in eandem* quam Christus accepit à Patre *functionem succedere.* Si enim in eandem succedunt, debent audiri sicut Christus auditus est. Falsum est *suam personam* Apostolis *Christum imposuisse.* Si enim eandem personam sustinent, similiter audiri debent. Denique falsum Apostolis *idem iuris aßignatum esse.* Si enim idem iuris illis assignatum est, eodem iure tum illos docere, tum ab aliis audiri oportet. Postremò vbi legitur, vbi scribitur, vbi inuenitur, *hoc inuiolabile decretum,* quo iubemur *ipsum audire, non alios?* Legimus in Euangel. *Ipsum audite:* sed non legimus; *Ipsum audite, non alios.* Immò ipse ita audiendus iubet nos audire alios: *Qui vos audit, me audit.* & hoc loco dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Sicut ego hactenus audiri debui, sic volo nunc audiri vos. Est hoc ergo execrabile Caluini mendacium, non inuiolabile Dei decretũ. Immò inuiolabile Dei decretum est, *Ipsum audite; & alios,* quos ille miserit: quod Scripturæ Euangelicæ iam citatæ nos docuerunt.

Vno verbo nõ alios. Scripturã intoxicat Caluinus.

Matth. 17. Luca 10.

Pergamus adhuc cum Caluino, vt improbam eius mẽtem

magis

magis intelligamus. *In summa*, inquit, *Christus non homines ornare voluit, sed Euangelij doctrinam.* Iam totum suum venenum effudit: paucis quidem verbis & concisè more suo, sed sic vt à suis satis intelligatur, ab aduersario difficilius capiatur. Capimus tamen Dei beneficio quid homo improbus dicere velit. Ecclesiæ Pastores, Doctores, ipsósque Apostolos omni authoritate spoliare vult, vt nō in illis, non in illorum voce ac prædicatione, sed in Euangelij doctrina tota authoritas à Christo data collocetur. Iam si per Euangelij doctrinam quid intelligat, roges respondebit Caluinista in Caluini placitis bene institutus, Scripturam eo nomine intelligi. Sic enim alibi Caluinus scribit. *Meminisse oportet quicquid authoritatis ac dignitatis Spiritus in Scriptura siue Sacerdotibus, siue Prophetis, siue Apostolis, siue Apostolorum successoribus defert, id totum non propriè hominibus ipsis, sed ministerio cui præfecti sunt, dari: vel (vt expeditius loquamur) verbo, cuius ministerium est illis commissum.* Et post longam disputationem causam concludens ait. *Non est igitur Ecclesiæ potestas infinita, sed subiecta verbo Domini, & in eo quasi inclusa.* Postea quoque, quid hoc verbo Domini intelligat, pleno ore profitetur. *Apostoli fuerunt certi & authentici Spiritus sancti amanuenses, & ideò eorum scripta pro Dei oraculis habēda sunt. Alij autem non aliud habent officij, nisi vt doceant quod sacris Scripturis proditum est, ac consignatum.* Tenemus nunc quid per Euangelij doctrinam, quam solam à Christo hoc loco ornari Caluinus vult, intelligat Caluinus: & hæc secundum illum tota est huius loci resolutio: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos:* id est: Sicut misit me Pater viua voce docere, sic posthac volo vt vos quidem omnia scripto comprehendatis, & post vos sola scriptura doceat. Sic iterū falsa erunt omnia quæ de Apostolorum & aliorum in Ecclesia Doctorum (iuxta Pauli verba) perpetuò docentium post Christum successione, non minori authoritate, eadem functione, eadem imposita persona, eiusdem iuris assignatione, tam splendidè dixerat. Cæterùm illa omnia vera sunt, quia Christi verba hoc totum euidenter loquuntur; hoc posterius Caluini commentum falsum est, quia nulla id Scriptura loquitur.

Caluini scopus Christi verbis cōtradictorius.

Institut. lib. 4. c. 8. num. 2.

Num. 4.

Num. 8.

Caluini resolutio Christi verbis & suis ipsius ex diametro contraria.

Christus hoc loco ipsos homines ornare voluit, ad doctrinæ Euangelicæ commēdationem; non ipsam doctrinā, vnde homines commendarentur. *Doctores* Christus mittit, qui viua voce doceant, sicut ille docuit; doctrinā ab illis petere iubet, non ipsam doctrinam in culmine authoritatis ponit. A Do-

Christus homines à se missos ornare vult.

ctore doctrinam, à Pastore pabulum, à Magistro scientiam accipere debemus. *Fides est ex auditu* Pastorum, Doctorum,
Rom. 10. Magistrorum, quos Christus dedit, non ex lectione Scripturarum. Scripturas ab istis Magistris accipimus, & per eosdem eas intelligimus: Magistros, Pastores, Doctores à Scripturis non accepimus. Frustra Caluinus, frustra cæteri hæretici rem totam inuertunt. Nos Christi verbis inhæremus: eius inuiolabile decretum tenemus: *Qui vos audit, me audit. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Homines ornat Christus, ad homines nos mittit: homines audire debemus. Sed tales homi-
Ioan. 14. & 16. Vers seq. nes qui Spiritum Dei indubitanter habent, quibus Spiritum veritatis Christus promisit & dedit. Immò quos statim insufflando iubet *accipere Spiritum Sanctum*, & acceperunt. Cum
Matt 28. Act. 20. quibus Christus *perpetuò se affuturum* prædixit, nec fallit. Quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam suam*; nec quos
Scripturas solas cur hæretici in authoritate ponūt. posuit, sua gratia destituit. Hæretici hodie, quia Scripturam in manus accipere, vertere, inuertere, peruertere, ad omnem quem volūt sensum trahere, pertrahere, torquere possunt; illā solam prædicant, in illa sola omnem authoritatem collocāt, illam solam audiri volunt. Ecclesiæ gubernacula quia nō tenent, nec tenere possunt, Ecclesiæ Pastores, Doctores Magistri quia esse non possunt, nec locum illorum tenere, aut illis succedere, à quorum doctrina abhorrent, idcirco Pastores & Doctores omni fide spoliare contendunt. Sed tales Christus
Ephes. 4. dedit, teste Paulo, *ad opus ministerij, ad consummationem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi*. Tales nos audimus. Christus tales hoc loco mittit. Nos talibus aurem præbemus. Ab hac veritatis columna, ab hoc firmamento, nulla nos hæreticorum vafricies aut violentia abducere debet.

22. *Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.*

Latum sibi hîc campum aperiri putauit Caluinus, quo in Ecclesiæ Catholicę Episcopos ac Pastores, eius excurrere possit oratio. Laxatis igitur habenis toto fertur impetu, vt lethali aliquo ac certo ictu hostem conficiat. Pro hoste enim capitalis omnis hæreticus eos habet, qui veræ Ecclesiæ gubernaculis præsunt. Videamus quàm fortiter dimicat, & an non sit vana sine viribus ita. *Quòd Christus* (inquit) *in Apostolos sufflauit, & hoc externo symbolo se Spiritus sui virtutem in eos proferre testatus est, non quadraret, nisi ab eo prodiret Spiri*

Spiritus. Quo magis detestabile est Papistarum sacrilegium, qui honorem Filio Dei proprium ad se rapiunt. Nam cornuti eorum Episcopi, in creandis sacrificis Spiritum ructando se efflare iactant. Sed res ipsa clarè demonstrat, quantum à diuino Christi flatu differat putidus eorum anhelitus: quia nihil aliud quàm ex equis asinos faciunt. Videmus quàm acri impetu fertur, & quam altum ac lethale vulnus toti ordini Episcoporum infligere contendit. Sed totus hic impetus vno verbo sistitur, & totus hic ictus facilè auertitur. *Detestabile* ait *esse sacrilegium, quòd honorem Filio Dei proprium Episcopi ad se rapiunt*, quando in creandis Presbyteris Spiritum se illis dare profitentur. Odiosa Caluini vocabula & caninæ eius facundiæ schemata nihil moror. Non est illa disputatio grauis, sed rixa scurrilis. Atqui eiusdem detestabilis sacrilegij Apostolum Paulum reum esse, insani hominis oratio conuincet. Sic enim ille ad suum Timotheum, quem Presbyterum creauit, scribit. *Admoneo te vt resuscites gratiã Dei qua est in te per impositionem manuum mearum.* Hæc Dei gratia an aliud quàm Spiritus sancti gratia erat? Quum hanc Paulus per *impositionem manuum* Timotheo dedit, an aliàs dedit quàm in eo Presbytero creando? Si ergo dare Spiritum Sanctum, quod non est aliud quàm dare aliquam Spiritus gratiam, donum, potestatem, soli Christo proprium est; & Christi honorem cum detestabili sacrilegio ad se rapiunt, qui illam gratiam se dare profitentur: non Episcopi tantùm Catholici, in quos Caluinus excutit, sed Paulus ipse sacrilegij detestabilis reus peragetur. Sed detestabilis est & sacrilega hæc tota Caluini criminatio, quando quam Christus Apostolis hoc loco potestatem dedit, eandem suis Apostoli successoribus, vt Paulus Timotheo aliique aliis indubitanter dederunt, & necessariò dandam esse, vt perpetua esset Pastorum successio, facilè intellexerunt.

Caluini declamatio contra Episcopos in clerum ordinãtes.

Paulum Caluinus sacrilegij detestabilis accusat

2. Tim. 1.

At magno se argumento niti putat Caluinus, quòd Christus *in Apostolos sufflando Spiritum illis nõ daret nisi ab eo prodiret Spiritus* Hinc enim infert detestabile Episcoporum sacrilegium, qui eodem symbolo externo vsi Spiritum Sanctũ initiatis suis cõferunt, atque honorem filio Dei proprium ad se rapiunt. Sed non aduertit, aut dissimulat potius, vt cæcus ac maleuolus hæreticus, à Christo hoc factum esse, vt persona filij Dei, propria authoritate, ab Episcopis idem fieri authoritate non propria, sed ministeriali, & à Christo accepta, & per homines quidem dari Spiritum Sanctum, sed non ab

Episcopi dantes Spiritum S. honorem Christo proprium non assumunt.

ipsis hominibus. Vnde & Paulus non dixit Timotheo: *Resuscita gratiam quæ data est tibi* à me, sed, quæ data est tibi per me, *per impositionem manuum mearum*. Quare B. Augustinus acerrimè disputans contra Donatistas, *Deum, nō hominem, dare sanctitatem in Sacramentis*, obiicienti tamen aduersario, *Deum per hominem dare*, concedit simpliciter. Et ex hoc ipso, quem tractamus, loco ostendit, non quidem ab homine, sed tamen per hominem dari remissionem peccatorum, qui proprius est diuini Spiritus effectus. *Esset*, inquit, *contra nos, & cogeremur fateri ab homine non per homines remitti peccata, si postquam dixit Christus, Sicut misit me Pater, ego mitto vos, subiecisset continuò. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, cùm verò interpositum est. Hoc cùm dixisset, insufflauit, & ait illis, Accipite Spiritum Sanctum & deinde illatum, per eos remissionem fieri peccatorum, satis ostenditur non ipsos id agere, sed per eos vtique Spiritum Sanctum.* Hæc Augustinus. Sicuti ergo non ab homine, sed per hominem datur remissio peccatorum, siue in pœnitentia, siue in Baptismo; sic non ab homine, sed per hominem datur potestas absoluendi peccata, & baptizandi, & Euangelium prædicandi, idque eisdem ceremoniis, quibus Christus vsus est. Nisi fortè vt impositione manuum à Christo accepta Apostoli vsi fuerunt, sic etiam insufflatione à Christo accepta vti non potuerint. Iam verò quid potentius aut diuinius est, exsufflando Diabolum eiicere, quàm insufflando Spiritus Sancti gratiam dare? Atqui illa altera ceremonia vsa semper est Ecclesia, teste locupletissimo D. August. *In Ecclesia* (inquit) *toto orbe diffusa vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur & exorcizantur, quàm vt ab eis princeps mundi eijciatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur.* Non ergo honorem filio Dei proprium Ecclesia Catholica sibi arripit, sed potestate sibi à Christo data legitimè vtitur, qua non quidem ab illa, sed per illam eiúsque ministerium variæ diuini Spiritus gratiæ conferuntur, & Diabolus ipse foras eiicitur.

Contra Parm. lib. 2. cap. 14.

Ibidem ca. 11.

De nupt. & concup. lib. 1. c 18. & lib 1. cap 23.

Pergamus iam cum Caluino, qui hanc causam adhuc magis premit. *Adde quòd non modò Spiritum Christus, quem accepit, communicat cum suis discipulis, sed tanquam suum largitur, nempe quem habet cum Patre communem. Quare diuinitatis gloriam sibi vsurpant, quicumque Spiritum flatu se dare profitentur.* At quid interest siue per flatum, siue per impositionem manuum, siue aliquo alio externo symbolo à Christo accepto, Spiritus S. conferatur? Si ergo flatu Spiritum S. dare,

est

est diuinitatis gloriam sibi vsurpare; eam sibi Paulus vsurpauit, qui per impositionem manuum suarum Spiritus sancti gratiam Timotheo creato presbytero datam fuisse profitetur. Atqui nec Paulus, nec alij Episcopi, hanc se dare gratiam profitentur, quasi ab illis hæc gratia promanaret, sed quia per illos hæc gratia promanat. *Ministerium suum exhibent* (ait S. Ambrosius) *non ius potestatis exercent. Linguam & manum præbet Sacerdos* (ait D. Chrysostomus) *in his autē quæ à Deo donata sunt, neque Angelus, neque Archangelus efficere quicquam potest. Si minister iustificat impium* (ait Augustinus) *consequens est vt credamus in eum.* At cur hæc omnia rectissimè à Patribus dicuntur? Sanè quia qui dat, Deus est; per quem multa dantur, Ecclesiæ minister Sacerdos est. Cùm igitur Nouatiani veteres hæretici potestatē remittendi peccata penes Ecclesiam esse negarent, dicerentq́; quod nunc Caluinus quasi ex eorum dictatis repetit, *Nulla in his hominis potestas est, vbi diuini muneris gratia viget:* respondet S. Ambrosius, & ex perpetua Ecclesiæ praxi ac fide, quā & ipsi exercebant, eos repellens ait. *Cur ergo manus imponitis, & benedictionis opus creditis, si quis fortè releuauerit ægrotus? Cur præsumitis aliquos à colluuione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? Quid interest vtrùm per pœnitentiam an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent? Vnum in vtroque ministerium est.* Hæc ille. Et paulò antè dixerat: *Vult Dominus ea fieri à seruulis suis in nomine suo, quæ faciebat ipse positus in terris.* Idem & S. Basilius scribit. *Axiomata sua Iesus largitur alijs. Quæ sua sunt, largitur seruis suis.* Nec dissimiliter Chrysostomus: *Omne iudicium Pater dedit Filio; sed hoc totum video à Filio esse Sacerdotibus commissum.* Quare vetustissimus & doctissimus Areopagita, ministros Ecclesiæ ait, *purgare, illuminare, perficere.* In his nihil filio Dei proprium sibi arrogat Ecclesia; sed filij Dei ministram se agnoscit Ecclesia; vt per illam fiat, quod solus Dei Spiritus facit.

De Spiritu sancto lib. 3. c. 19. Homil. 75. in Ioan. Cōtra Cresćon. lib. 3. cap. 11. De pœnitent. lib. 1. cap. 7. In Homil. de pœnit. De Sacerdot. lib. 3. Celest. hierarch. par. 1. cap. 5.

Atqui necdum suum cursum confecit Caluinus. Currentem insequamur. *Iam verò* (inquit) *notandum est, quos ad munus Pastorale vocat Christus, necessarijs etiam donis ornare, vt pares sint exequendo muneri, vel saltem nō inanes vndique accedant. Quod si verum est, nullo negotio refellitur stulta Papistarum iactantia, qui dum suam Hierarchiam magnificis præconijs extollunt, ne minimam quidem scintillam Spiritus sancti possunt in suis Episcopis ostēdere. Volunt vt legitimos credamus*

Rixa Caluini cōtra Episcopos.

Ecclesiæ Pastores, adeoq; Apostolos, & vicarios Christi, quos apparet omni Spiritus gratia prorsus esse vacuos. Atqui hic nobis certa regula præscribitur æstimandæ eorum vocationis, qui Ecclesiæ Dei præsunt; si videamus Spiritu sancto donatos. Hæc ille ita præcipiti cursu contra Ecclesiam raptus, vt tam extrà huius loci metas quàm extrà omnem rationis limitem sese abripuerit. Nec ad hunc locum quicquā pertinet quod garrit, nec nisi rixa quædā scurrilis totus eius garritus est. *Certa* (inquit) *hic regula præscribitur æstimandæ eorum vocationis, qui Ecclesiæ Dei præsunt, si eos videmus Spiritu sancto donatos.* Dona autem exponit, *necessaria illa, vt pares sint exequendo muneri, aut saltem non inanes vndique accedant.* Mentitur ac fallit impostor. Cùm Christus insufflando dixit, *Accipite Spiritum sanctum:* non dedit Apostolis dona illa necessaria quibus pares essent Apostolico muneri exequendo; sed illá tantùm spiritualem potestatem ac facultatem dedit, qua peccata remitterent aut retinerent, vt verba proximè subsequētia manifestum faciunt, nósque in illis explicandis statim ostendemus. Sed & Caluinus ipse hoc ex parte astruit, séque ipse hoc eodem in loco refutat. Ait enim. *Si ritè omnia expendimus, non tam in præsentia necessarijs eos dotibus instruit, quàm in futurum tempus Spiritus sui organa destinat. Quare hic flatus ad magnificam illam Spiritus missionem quam toties pollicitus fuerat, magna ex parte referri & extendi debet.* Agnoscit non hîc dari Apostolis necessaria illis dotes quibus exequendo suo muneri pares sint, sed in die Pentecostes illas datas esse; quod est verissimum: ideóque hoc in loco regulam præscribi æstimandæ vocationis ex donis & dotibus exercendæ vocationi necessarijs, quæ nos videmus, est falsissimum. Cur & quorsum Spiritus S. hoc loco datus fuerit, in proxima sententia explicabitur. Nūc tenemus dona necessaria vocationi Sacerdotali nec data nec promissa isto in loco. Sic extra huius loci metas præcipiti & insano cursu longissimè se abripuit.

Caluini rixa à seipso refutatur.

Nunc vt omnes rationis atque honestatis limites excesserit, quid opus est ostendere? Quid nisi scurrile conuitium & bacchicus furor est, omnes in vnum Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, Sacerdotes, Pastores, Doctores, superba voce damnare, quòd *nec minima scintilla Spiritus sancti in illis ostendi queat?* Quis Caluinum talem Aristarchum constituit? Quis illi hanc censoriam potestatē contulit? Quis eum huiusmodi Dictatorem creauit? Annon verè tabulam & scurram agit, flagro potius & loro coërcendus, quā iusta oratione refellēdus?

Caluini furor bacchicus.

Sed

Sed & cæcus hæreticus (quídni enim superbia cæca sit?) non videt totam hāc orationem in se suósque, siue verè siue falsè, totidem tamen verbis regeri posse. Quod qui faceret, siue vera, siue falsa narraret, hominis tamen insaniam pari insania compesceret. Docet quippe experientia ad insaniam compescendam optimum esse remedium, vt duo inter se insani committantur; vel certè vt insanū se fingens alium insanum pari furore aggrediatur. Sed mihi in hac scriptione tam seria & graui cum Caluino insanire non libet: & habet adhuc alia quæ contra Catholicos disputet. Illa videamus.

Obseruent (inquit) *lectores, externo & visibili flatus symbolo simul verbum coniungi. Nam & hinc Sacramenta vim suam mutuantur. Non quòd in voce, quæ auribus personat, inclusa sit Spiritus efficacia: sed quia à testimonio verbi pendet omnium eorum effectus quæ ex Sacramentis percipiunt fideles.* Hæc hactenus vera sunt, si verbi vocabulo forma Sacramentalis intelligatur elemento visibili coniuncta, non verbi prædicatio, vt latè cōtra Caluinum suprà disputauimus. *In Marc. cap. 1.* Audiamus sequentia. *Flat Christus in Apostolos. Hi non flatum modò, sed Spiritum quoque recipiunt. Cur, nisi quia illis Christus promittit?* *Caluini impostura de promissione.* Hìc fallit impostor. Non enim quia Christus promittit, sed quia Christus dat, Apostoli hoc loco Spiritum sanctum accipiunt. Ait illis Christus, *Accipite Spiritum sanctum:* non ait, Accipietis Spiritum sanctum. Dat illum, nō promittit illum. Fallit igitur & mentitur Caluinus. Pergamus nunc. *Similiter* (ait Caluinus) *in baptismo Christum induimus, abluimur eius sanguine, crucifigitur vetus homo noster, vt regnet in nobis Dei iustitia. In sacra Cœna spiritualiter Christi carne & sanguine pascimur. Vnde tanta vis, nisi ex Christi promissione, qui Spiritu suo efficit ac præstat quod verbo testatur?* Iam apparet cur antea mentiri Caluinus voluit, quum *promittere* Christum dixit, quod non promisit, sed dedit. Nempe vt totam vim Sacramentorum doceat à verbo promissionis pendere. Sed vt antea mentitus fefellit; sic & quod hìc narrat, aliud Caluini mendacium est. Non ex Christi promissione, sed ex Christi institutione, ex materia elementari & certa verborum forma ab ipso institutis, pendet tóta illa ac tanta Sacramentorum vis, vt loco iam citato contra Caluinum latiùs disputauimus. Nunc quid ex his omnibus inferre Caluinus velit, audiamus. *Caluini de seipso iustum iudicium.* *Sciamus ergo quæcunque commenti sunt homines Sacramenta, nihil aliud quàm mera ludibria esse, aut friuolos lusus: quia nulla signis potest constare veritas, nisi vbi adest verbum Domini.*

Quo

Quoniam autem nunquam ita in sacris luditur sine impia Dei contumelia & animorum interitu, summo studio cauendæ sunt tales Satanæ præstigiæ. Sunt hæc omnia verissima; quo magis execrabiles Caluinistæ, qui ex diuinissimo venerabilis Eucharistiæ Sacramento profanam cœnam fecerũt, vbi nihil quàm panis communis manducatur, quem etiam manducant canes, & cuius reliquiæ in eorum cœna canibus dantur; vel si è manu accipientes fortè delapsum canis deuorauerit, pro nihilo ab illis habetur: cuius rei in Anglia nostra exempla habemus. Sed vt in Caluini fabula maneamus, qui sunt homines, & quæ sunt hæc Sacramenta quæ commenti sunt? Apertè non dicit; sed quos intelligi velit, subsequens oratio satis demonstrat. *Si quis* (inquit) *obijciat non esse culpandum quod faciunt Episcopi Papales, dum flatu suos inaugurant sacrificos, quia illic verbum Christi annexum est signo; responsio in promptu est, Christum non loquutum esse Apostolis, vt perpetuum Sacramentũ in Ecclesia institueret, sed semel testari voluisse quod nuper diximus, non aliunde quàm à se solo prodire Spiritum, deinde se nunquam munus iniungere, quin simul virtutem suppeditet ministris suis, eósque facultate instruat.* Hæc ille, satis demonstrans, Sacramentum pœnitentiæ, in quo fit remissio peccatorum, quod iuxta hæc Christi verba Ecclesia Catholica perpetuò celebrauit, ipsius iudicio merum esse ludibrium, lusum friuolum, ac Satanæ præstigias. Sed quam adfert horum omnium rationem? hanc vnam, quòd Christus hîc perpetuum Sacramentum non instituit. Sed hoc ipsum quomodo probat? sola & simplici negatione: & quia aliam ille verborum Christi rationem iam assignauit, quod est dicere: Non est verum quod Papistæ dicunt, sed quod ego dico. Ita quod tota Ecclesia hactenus semper intellexit & credidit; nõ aliunde infirmat Caluinus quàm quia illud negat, & aliud affirmat. Ista sunt mera ludibria, friuoli lusus, & Satanæ præstigiæ, quæ exercet Caluinus à Satana edoctus. Sic ille in sacris ludit cum impia Dei contumelia, & animarum interitu. Quod vniuersa seruat per orbem Ecclesia, & tota contestatur antiquitas, hoc simplici negatione destruere satis putat esse Caluinus. Antiquitatis testimonia in proximi textus explicatione proferentur, vbi & quale hîc Sacramentum Christus instituit, aptius explicabitur.

Ecclesia receptissimam fidē simplici negatione destruit Caluinus.

Nunc quid adhuc in Caluino contra Ecclesiæ fidem sequatur, dispiciamus. *Omitto* (inquit) *quòd in Papatu in finem longè diuersum vel potius contrarium sacrifici creantur; nempe*

ad mactandum quotidie Christum, quum ad homines Euangelij gladio immolandos creati fuerint Apostoli. Alia adhuc hæc accusatio est, à præsentis Euangelici textus sententia longissimè remota. Neque enim hîc de toto & proprio Sacerdotalis ordinis Sacramento, sed de pœnitentiæ Sacramento, & potestate remittendi peccata, quæ ordinis Sacerdotalis & iurisdictionis ordini annexæ propria est, disputat Christus, vt in proximo textu docebitur. Arripit tamen hanc qualemcunque ansam Caluinus, vt stomacho suo indulgeat. Ait in Sacramento ordinis, quod ex hoc loco deduci supponit, creari sacrificos qui mactent quotidie Christum. Impuro hæretico grauissimos & vetustissimos Patres opponimus, qui Sacerdotalis muneris in Ecclesia Christi hanc esse potissimam functionem docent, vt quotidianum sacrificium corporis & sanguinis Christi peragant. Dionysius Areopag. Sacerdotalia munera & totam Hierarchiam Ecclesiasticam ex instituto describens, excellentissimam eorum partem in sacrificio & liturgia ponit, quam prolixè & accuratè pertractat. *Post sacras* (inquit) *diuinorum operū laudes, hostiam salutarem litat, se excusans,* &c. Chrysostomus Sacerdotalem dignitatem & functionem libris sex enarrans, non in alia re magis eam collocat, quàm in quotidiani sacrificij oblatione. *Eum* (inquit) *qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? immò vniuerso mundo legatus intercedit, deprecatorq́; est apud Deum, vt hominum omnium non viuentium modò, sed & mortuorū peccatis propitius fiat, qualem, quæso, esse oportet? Quum autem ille & Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq́; illud horrore ac reuerentia plenissimū perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato, quaro ex te quoto illum ordine collocabimus?* Hæc ille. Diuus Ambrosius in libro de dignitate Sacerdotali, ordinem Sacerdotalem hoc potissimùm nomine extollit, *quòd Regum colla & Principum genibus Sacerdotum submittantur; & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum & sacrificijs credant se communiri.* Neque aliam exponit *gratiam per manuum impositionem presbyterij* (de qua Apostolum ad Timotheum) quàm *verba mystica quibus confirmatur ad opus electus, accipiens authoritatem teste conscientia sua, vt audeat vice Domini sacrificium Deo suo offerre.* De hoc proprio Sacerdotali munere hunc in modum Cyprianus. *Ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur: & sacrificiū verum ac plenum tunc offert Deo Patri, si sic incipiat offerre secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.* Rursum alio

Sacerdotale officium propriè in sacrificio quotidiano.

Ecclesiast. Hierarch. c. 7. par. 3.

De Sacerdotio lib. 6

Cap. 20.

In comment. in 1. Tim. 4.

Lib. 2. Epist. 3.

in loco Sacerdotes quasi etymologicè explicat, *Qui sacrificiũ Dei quotidie celebramus*: ac similiter Gregorius Nazianz. in

Lib. 1. Epist. 10. carmine: *O sacrificia incruenta mittentes Sacerdotes!* Diuus Hieronymus Sacerdotum reuerentiam & honorem allega-

Epist. 1. ad Heliodorũ. turus: *Absit* (inquit) *vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiũt.*

Demonst. Euangel. lib. 1. c. 6. Eusebius Pamphili Sacerdotum officium in eo positum demonstrat, *vt diuinum numen placantes. pro se ipsis & pro confratribus suis sacrificium perficiant*: ἀποτελῶσιν ἱερουργίαν τὰ θεῖα

In Dialog. aduersus Triphonẽ. ἐξιλασκόμενοι. Iustinus martyr ita hoc Sacerdotibus Christianis proprium censet Deo sacrificare, vt scribat: *Non accipit à quoquam Deus sacrificia* (τὰς θυσίας) *nisi à sacerdotibus suis*, εἰ μὴ

Epist. ad Smyrnenses. διὰ τῶν ἱερέων αὐτοῦ. Ignatius Apostolis proximus, adeò hanc functionis Sacerdotalis partem excellentem iudicauit, vt vetuerit sine Episcopo præsente sacrificare, quod tribus quasi synonymis variat: ὅτι προσφέρειν, ὅτι θυσίαν προσκομίζειν, ὅτι δοχὴν ἐπιτελεῖσθαι. Irenæo, Polycarpi discipulo, ita hæc res com-

Lib. 4. cap. 34. perta fuit, vt scribat: *Sacrificia in veteri populo, sacrificia in Ecclesia: oblationes illic, oblationes & hic: species tantùm mutata est.* Quæ autem illa species sit, eodem in libro paulò superius

Cap. 32. explicuerat. *Christus* (inquit) *accipiens panem, &c. noui testamenti nouam docuit oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo.* De hoc quoque sacri-

De ciuita. Dei lib. 17 cap. 20. ficio D. Augustinus. *Sacrificium* (inquit) *& oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Rursum alio in loco. *Hebræi celebrabant in victimis pecorum prophetiam futuræ victimæ in cruce. Vnde iam peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant Christiani sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Domini.* Vide vt vtrumque coniungat Augustinus, *oblationem & participationem.* Solam participationem agnoscũt hæretici: oblationem & sacrificium negant, quod *mactationem* Caluinus vocat, familiari sua auxesi vsus. Quibus hac in parte idem respondebimus quod Augustinus Manichæis, diuinum etiam hoc sacrificium sua profana impietate contaminantibus, sicut cœna Caluinistica idem hodie contaminat, eodem in lo-

Ibidem. co respondit. *Manichæi* (& Caluiniani) *nescientes quid damnandum sit in sacrificijs Gentium, & quid intelligendum in sacrificijs Hebræorum, & quid tenendum vel obseruandum in sacrificio Christianorum, vanitatem suam sacrum offerunt diabolo.* Satis sunt hæc & clara & numerosa totius antiquitatis

testi

testimonia, quum ad sacrificium quotidianum peragendum creantur Sacerdotes, non in finem longè diuersum aut contrarium (vt garrit Caluinus) sed in proprium & excellentissimum illius ordinis finem illos creari. Ex qua etiam tot nobilissimorũ testiũ concordi sententia perspicuè refutatur quod alio in loco Ecclesiæ Catholicæ impius impingit Caluinus. De Episcopis & eorum authoritate disputans ita cauillatur. *Presbyteros creandi ius sibi solis competere dicunt.* Rem in tota antiquitate testatissimã vide & attende quo modo refutet. *Sed* (inquit) *in hoc pessimè corrumpunt vetus institutum, quòd non Presbyteros sua ordinatione creant qui populum regant ac pascant, sed sacerdotes qui sacrificent.* Sic ad rem ipsam nihil respondens, & aliò disputationem conuertens, hac futili cauillatione lectorem ludificat. Nunc enim ex tot illustrium Patrum testimoniis clarissimè constat, *vetus institutum non corrumpi,* sed rectissimè teneri, & obseruari, quòd in Presbyterorum ordinatione Sacerdotes creantur, qui sacrificent Deo victimam salutarem, & sacrificium quotidianum. Ad pascendum quoque & regendum, ad euangelizandum, ad Sacramentorum administrationem ordinantur Presbyteri: sed eorum primariam ac præcipuam functionem esse sacrificia quotidiana pro se ac pro populo Deo offerre, omnes, quos produximus, celeberrimi & vetustissimi Patres vno ore testantur.

Instit. lib. 4. c. 5. numer. 4.

23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Strenuam hîc operam nauat Caluinus, vt luculenta & perspicua Christi verba de potestate remittendi peccata Apostolis suis & eorũ successoribus data deprauet, & in alienum sensum nouitium, profanum, à se suísque adinuentum, violenter contorqueat. Hunc in finẽ præcedentia illa Christi verba, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* ita egregiè contaminauit, vt non ad homines vlla potestate ornandos, sed ad solam Euangelij doctrinam commendandam Christum illa dixisse exposuerit. Hunc in finẽ illa verba, *Accipite Spiritũ S.* promissionem esse de donis ac dotibus verbi Euangelici ministris conferendis, nullam autem præsentem spiritualis gratiæ aut potestatis collationem affirmauit. Vtramque illam corruptelam in locis præcedentibus explosimus. Nunc his suis corruptelis conformiter totam hanc remittendi peccata potestatem Apostolis hoc loco verbis expressis datam, nihil

aliud esse quàm in Euāgelica prædicatione perpetuam quandam peccatorum remissionem gratuitam credentibus denunciatam, (nouum huius temporis portentum, & prophanam vocis nouitatem) modis omnibus probare contendit. Sed antequam eius corruptelas propono, sanam doctrinam veluti amuletum præmittam; sanam & genuinam totius huius loci expositionem, non à meo cerebro excogitatam, non nouellam & profanā, sed à vetustissimis Patribus acceptā, & literæ Euāgelicæ perspicuè inhærentem in mediū proferam.

Varia Apostolis potestas varijs temporibus data. Christus Dominus variam, quam in terris exercuit, potestatem Apostolis suis, & eorum futuris successoribus, non totam simul & semel, sed variis temporibus ac locis, prout suæ sapientiæ conuenire videbat, maximè circa vltimos conuersationis suæ humanę dies, communicauit. In vltima Cœna supremi sui & diuinissimi Sacramenti administros eos constituit dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*, vt supra ex veterum consensu ostendimus. In concione postrema

Luc. 22.

ampliorem illis potestatem iam iam daturus, sic Patrem alloquitur: *Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum*, id est, constitui & decreui eos mittere in mundum.

Ioan. 17.

Quod enim in proximo futurum erat, quasi iam confectum narrat Christus. Sicut & illud aliud eodem in capite: *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam*, cùm necdū in cruce consummatum illud opus esset. Post mortem ac resurrectionem, hanc in particulari missionem facit. Et quidem ad Euangelij toto orbe prædicationem iam iam ad Patrem ascensurus eos mittit, simúlque baptizandi potestatem confert. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Nunc hoc in loco ipso die resurrectionis suæ cōgregatis Apostolis suis (vno absente Thoma) apparens dat illis potestatem remittendi peccata, qualem ipse exercuerat: Antequam hanc potestatem conferat, præmittit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ego sum missus à Patre *euangelizare pauperibus, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annū Domini acceptum, & diem retributionis.* Quod mihi muneris Pater cōmisit, hoc ego nūc vobis resigno: eius ego vos vicarios cōstituo. Qua authoritate Pater misit me, eadē ego mitto vos. Ego non solùm docui, euangelizaui, prædicaui, veritatē manifestaui super terram (quam totam potestatem alio loco ac tempore, maiori numero collectis tribuā) sed & *sanaui contritos corde, dimisi confractos in remissionem*, peccata

Matt. 28.

Luca 4.

Verborum Christi explicatio.

peccata remisi & condonaui, *Magdalenæ, Paralytico*, & aliis. *Lucæ 7.* Docui verbo & miraculo, *filium hominis habere potestatem* *Matth. 9.* *remittendi peccata super terram.* Hanc potestatem vobis iam daturus, tum insufflationis externo symbolo, tum verbo de præsenti Spiritum sanctum vobis confero. *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quia enim solius Dei est remittere peccata, & propriũ Spiritus S. & dilectionis diuinæ opus, propterea vt de hac vobis data vera ac certa potestate nemo ambigat, *Accipite Spiritum S.* Sic in hunc locum Cyrillus Alexandr. *vetus ac nobilis inter-* *Ad Ioan. c.18. v.15.* *pres* (ait Beza) & πολλῶν ἀνδρῶν ἄλλων commentatur. *Solius* (inquit) *veri Dei est, vt possit à peccatis homines soluere. Qua* *In Ioan.* *igitur ratione diuinæ naturæ potestatem ac dignitatem disci-* *lib. 12. c.* *pulis suis Saluator largitus est?* Respõdet *Quia certè absurdum* *56.* *non est peccata remitti posse ab illis qui Spiritum sanctũ habent in se ipsis. Nam cùm ipsi remittunt aut detinent, Spiritus S. qui est in eis, per eos remittit aut detinet.* Hæc ille. Sic & D. Am- *De pœnit.* brosius. *Ipsum* (inquit) *munus Spiritus sancti fit nunc officium* *lib.1.c.2.* *Sacerdotis. Ius autem Spiritus sancti in soluendis ligandisq́; criminibus est.* Nec dissimiliter D. Augustinus. *Remissio peccato-* *Serm. 11.* *rum quoniam non datur nisi in Spiritu S.* (hoc est, illi appro- *de verb.* priatur remissio peccatorum, vt copiosè declarat) *in illa Ec-* *Domini.* *clesia tantummodò dari potest quæ habet Spiritum sanctum*, & paulò pòst: *Deus quum mortem peccatoris nollet, sed vt reuertatur & viuat, dedit Ecclesiæ suæ Spiritum S. vt cuicumq; in eo peccata dimitteret, dimitterentur ei.* Sed & alio in loco idem August. *Nemo sibi dicat, Occultè ago pœnitentiam, apud Deum* *Hom. 49.* *ago: nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine* *ex Homi-* *causa dictum est: Quæ solueritis super terram, erunt soluta & in* *lys 50.* *cœlis?* Docet luculenter potestatem à Christo Ecclesię datam, vt in Spiritu S. peccata remittat. Id ex hoc loco colligit Chrysostomus. *Sacerdotibus* (inquit) *datum est vt hanc po-* *Lib. 3. de* *testatem habeant, quam Deus nec Angelis, nec Archangelis* *Sacerdo-* *dari voluit. Neque enim ad illos dictum est, Quorumcumq; re-* *tio.* *miseritis peccata, remittuntur eis.* Idem ex iisdem verbis colligit Ambrosius. *Aiunt Nouatiani se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent.* *De pœnit. lib.1.c.2.* *Immò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata rescindere, & commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Euangelio suo dixerit Dominus Iesus, Accipite Spiritum sanctum. Quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis, & quorum retinueritis, detenta erunt: quis est qui magis honorat? vtrùm*

qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in vtroq; ſeruat obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet. Hæc ille.

Audiamus nunc ergo Caluinum an non ſit hereticis Nouatianis in hac cauſa ſimilis. *Non dubium eſt* (inquit) *quin hic breuiter complexus ſit Dominus Euangelij ſummam.* Non dubium eſt quin audacter & confidenter mentiatur Caluinus: quod ex ea, quam ſubnectit, probatione ſtatim apparebit. *Neque enim* (inquit) *ſeparanda eſt hæc poteſtas remittendi peccata à docendi officio, cui vno contextu annexa eſt.* Atqui nec hoc verum putamus, &, vt verum ſit, non ſequitur tamen: In eodem contextu ponitur docendi officium, & poteſtas remittendi peccata, ergo poteſtas remittendi peccata non debet ſeparari ab officio docẽdi, aut remittere peccata nihil aliud eſt quàm Euangelij ſumma: tum quia alia quàmplurima complectitur Euangelij prædicatio, tum maximè quia Euangelicæ prædicationis hic finis ac fructus eſt, vt qui verbo fidei audito crediderunt poſtea pœnitentiã agentes à peccatis ſoluantur; non autem hoc ipſius prædicationis officiũ eſt, prædicando remittere & condonare peccata. Petrus poſt prædicationem factam videns auditores ſuos *compunctos*, ac dicentes; *Quid faciemus, viri fratres?* iubet eos *pœnitẽtiam agere, & baptizari in remiſſionem peccatorum.* Non dicit eis: Iam credendo prædicationi factæ remiſſa ſunt vobis peccata.

Remißio peccatorũ Euãgelicæ prædicationis nec officium, nec ſumma eſt, ſed finis & effectus.

Act. 2.

Sed pergamus cum Caluino, &, vt ſuum paradoxum probet, videamus. *Dixerat paulo antè Christus: Sicut miſit me viuens Pater, ita & ego mitto vos. Nunc quorſum ſpectet, ac quid ſibi velit iſta legatio, declarat: tantùm antepoſuit quod neceſſe erat, ſe illis Spiritum S. dare, ne quid ex ſe ipſis agerent: hic ergo præcipuus eſt Euangelij prædicandi finis, vt Deo reconcilientur homines.* Eſt ſanè finis Euangelij prædicandi, & hoc ſenſu illa verba, *Ego mitto vos*, de prædicatione Euangelij poſſunt intelligi, & non de hac peculiari & ſtricta poteſtate, quã ſubiunxit, remittendi peccata, vt nos expoſuimus: ſed non eſt ipſum prædicandi officium, vt Caluinus poſtea docebit. Hoc etiam ſenſu non ſeparatur ab officio docendi, poteſtas remittendi, quia hic finis & fructus illius eſt: ſed certè ſic ſeparatur poteſtas remittendi peccata ab officio docẽdi, vt aliud ſit remittere peccata, aliud prædicare Euangelium; nec in ipſa prædicatione aut per ipſam remittãtur peccata, ſed poſt illam, poſt fidei doctrinam acceptam & creditam. Interpoſuit Chriſtus ſe *Spiritum ſanctum illis dare, vt remitterent peccata*; vt hunc finem & maximum fructum prædicationis ſuæ Euangelicæ auditori

Poteſtas remittendi peccata à prædicatione Euãgelij quomodo ſeparatur & quomodo non.

auditoribus & discipulis suis impartirent. Quod ergo hîc dixit Caluinus, libenter amplectimur. Sed alium ille sensum coquit, alia cogitat consilia.

Primùm, hanc reconciliationem, in quo consistat, multis verbis, sed fallacibus & impiis (quæ propterea præterire nolumus) explicat. *Quod (inquit) sit gratuita peccatorum venia: quod & Paulus docet 2. Cor. 5. 18. vbi Euangelium hac ratione appellat ministerium reconciliationis.* Reconciliantur quidem homines Deo gratuita venia peccatorũ: sed nec in sola hac gratuita venia consistit reconciliatio, ad quam interna etiam renouatio requiritur: nec in hac recõciliatione gratuita Euãgelij finis ac summa cõsistit; nec Paulus loco citato de Euangelio loquitur; nec Euangelium appellat ministeriũ reconciliationis, vt Caluinus mendaciter affirmat; sed hoc tantùm dicit: *Omnia ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christũ, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Hîc de Euangelio aut de Euangelica prædicatione nihil Paulus. Immò multò plus & longè aliud ibi loquitur Apostolus. *Si qua (inquit) in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua.* id est: Cùm simus noua creatura in Christo facti, veteris hominis desideria, seu legalia omnia iam transierũt. Nouus cultus & noua vita in Christo successit. *Omnia autem ex Deo*, id est, tota hæc innouatio ex Dei bonitate est: *qui nos recõciliauit sibi per Christum*, id est, qui omnes credentes per mediatorem Christum nouas creaturas fecit: *& dedit nobis* (noui testamenti ministris) *ministeriũ reconciliationis*, id est, officiũ & potestatẽ ea faciendi per quæ homines recõcilientur Deo; videlicet non solùm verbum prædicandi, sed & baptizandi, & peccata remittendi, & quælibet Sacramenta administrandi. *In ministerio* enim *reconciliationis* omnia ista continentur. Ipsa quoque Euangelica prædicatio latiùs patet, quàm vt gratuitam peccatorum veniam annunciet. Quod videns ipse Caluinus subiungit. *Multa quidem alia continet Euangelium. Sed hoc inprimis agit illic Deus, vt recipiat homines in gratiam, peccata non imputando. Quare si fideles Ecclesiæ ministros præstare volumus, summo studio in hanc partem incumbere decet. Nam in hoc maximè differt à prophana philosophia Euangelium, quia hominis salutem in gratuita peccatorum remissione cõstituit. Nam & hinc fluunt alia Dei beneficia, vt nos illuminet Deus ac regeneret Spiritu suo, vt reformet ad imaginẽ suam, vt inuicta fortitudine contra mundũ & Satanã nos armet. Itaque tota pietatis doctrina & spirituale Ecclesiæ*

Recõciliationis nostræ ministerium quid.

Fabula errorum plena.

ædificium fundamento illo nititur, quòd Deus nos à peccatis omnibus absolutos gratis sibi adoptat. Fabulam narrauit multis erroribus plenam. Ostendere vult Euangelij summam in gratuita peccatorum remissione consistere, vt hac demonstratione per modum prologui facta, sic ad textus enarrationem seu verius corruptionem fœdam descēdat. Agnoscit alia multa continere Euangelium, præter hanc gratuitam peccatorum remissionem. Sed quæ illa alia multa sint, vafer dissimulat; ne si illa in mediū proferret, mendacij, quod stabilire nititur, turpitudo confestim se proderet. Atqui iam in prooemio totius huius operis opportunè ostendimus Euangelium præter remissionem peccatorum gratuitam, maximè & imprimis esse totius vitæ nouitatem *seruire Deo in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ,* & in hoc maximè *apparuisse gratiam Saluatoris nostri Dei* (teste Apostolo) *vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, piè, & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Hoc ergo imprimis agit Deus per Euangelij prædicationem, non *vt recipiat homines in gratiam, peccata non imputando,* vt Caluinus narrat; est quippe exordium hoc tantùm & principium prædicationis Euangelicæ, vt illa prima vox testatur Ioan. Baptistæ, *Pœnitentiam agite,* & illa prima vox Christi, *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum.* Item illa prima Petri concio: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrùm in remissionem peccatorum.* Prima hæc fidei & religionis Christianæ rudimenta sunt, &, vt Paulus loquitur, *elementa sermonum Dei. Est sermo inchoationis Christi, iacere fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum.* Doctrina remissionis peccatorum gratuitæ per fidem in Deum & pœnitentiam, est initialis & elemētalis hominis Christiani doctrina. Perfectio doctrinæ quā Christus in postrema concione docuit, hæc est: *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut ego præcepta Patris mei seruaui, & maneo in dilectione eius. Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & mansionem apud eū faciemus.* Hic est præcipuus Euangelij finis. In hoc maximè differt à prophana philosophia Euangelium, non quòd hominis salutem in gratuita peccatorum remissione constituit, vt Caluinus affirmat, quasi Epicuream vitam in voluptate & flagitiis agentes, non nisi perpetuò peccantes perpetua peccati remissione & aliena iustitia, eáque imputatiua, saluaremur, sed

Impostura Caluini.

Euangeliū vitæ nouitas.

Euangelij perfectionē in primis eius rudimentis ponunt hæretici.

Act. 2.

Heb. 6.

Ioan. 15.

Euangelij finis præcipuus.

Euāgeliū à prophana philosophia quo differt.

ſed quòd facit nos veros Dei cultores, facit diligere Deum, ſeruare ſermones eius, manere in Deo, vniri Deo per charitatem in hac vita, & frui Deo per viſionem in altera vita. *Neque ab hac remiſſione peccatorum gratuita, fluunt alia Dei beneficia,* vt narrat Caluinus; ſed ab hac incipiunt tanquam ab imperfectiori ad perfectius tendendo, & tanquam à neceſſario ad magis excellentia progrediendo. *Vt illuminet nos Deus per fidem,* non facit remiſſio peccatorum gratuita; quia ipſam remiſſionem præcedere debet fides, & illuminatio per fidem. *Qui enim non credit in filium Dei, ira Dei manet ſuper eum.* Vt autem Deus nos ſuo Spiritu regeneret, vt ad imaginem ſuam reformet, vt inuicta fortitudine contra mundum & Satanam nos armet, non hæc ex remiſſione peccatorum gratuita fluunt, nõ ex ea deriuãtur, ſed ex vnius dono charitatis quæ poſt remiſſionem gratuitam diffunditur in cordibus credentium per Spiritum Sanctum qui datus eſt illis. Hunc ordinem ſeruat Paulus. *Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis,* (ibi eſt remiſſio peccatorum iuxta illud Petri, *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum;* & iuxta illud Ananiæ ad Paulum, *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipſius) & renouationis Spiritus Sancti quem effudit in nos abundè.* Hîc eſt charitas diffuſa per Spiritũ Sanctum in cordibus, quæ reformat nos ad imaginem Christi, quatenus per illam *ambulamus in nouitate vitæ, veterem hominem deponentes. Qui enim diligit me, ſermones meos ſeruabit.* Hæc etiam charitas armat nos contra mundum & Satanam: quia *valida eſt ſicut mors dilectio;* & *qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo,* ac per hoc *maior eſt qui in fidelibus quàm qui in mundo.* Ex charitate igitur iſta Dei beneficia fluunt, non ex remiſſione peccatorum gratuita. Tota igitur pietatis doctrina, & ſpirituale ædificium Eccleſiæ, non illo fundamento nititur, quòd Deus nos à peccatis abſolutos gratis ſibi adoptat, vt Caluinus nequiter lectorem fallit, cùm gratuita hæc adoptio, quatenus vnam peccatorum remiſſionem concernit, non niſi *initium ſit ſubſtantiæ Chriſti* (vt Paulus loquitur) *& inchoatio ſermonum eius,* ſed tota pietatis doctrina & ſpirituale Eccleſiæ ædificium eſt, *vt tẽpla ſimus Spiritus ſancti, vt Deus nos inhabitet, vt adhærentes Domino, vnus cum eo Spiritus ſiamus,* denique vt *viam excellentiorẽ* teneamus, quam Paulus nobis demonſtrare profitetur. *Viam* videlicet *charitatis, ſine qua nihil ſumus,* & quæ cæteris omnibus, ipſa *fide ac ſpe maior eſt. In duobus*

A remiſſ. pecca. alia beneficia nõ fluunt, ſed incipiunt.

Ioan. 3.

Charitas eſt renouationis & reformationis nõſtra fons.

Tit. 3.

Act. 2.

Act. 22.

Rom. 6. & 7.

Ioan. 15.

Cant. 4.

1. Ioan. 4.

Priuatio nihil operatur, ſed noua forma.

Heb. 3.

1. Cor. 7. & 12. & 13.

Luc.17. quippe *dilectionis mandatis tota Lex pendet, & Propheta.* Quare si fideles Euangelij ministros præstare volumus, summo studio in hâc parte incûbere decet, vt hæc duo charitatis mâdata potissimùm inculcentur, vt viâ charitatis doceamus, vt fideles in Dei dilectione manere, eiúsq; præcepta seruare adhortemur. In eo est Euangelij summa. *In hoc apparuit Filius*
1.Ioan.3. *Dei, vt dissoluat opera Diaboli. In hoc apparuit gratia Salvato-*
Tit.2. *ris nostri Dei, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo.* Ad hoc euangelizandum & docendum missi sunt Apostoli, dicente illis Christo:
Matt.28. *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Toto igitur Caluini præludio manifesti & grauissimi erroris conuicto, videamus iam quem Christi verbis sensum affingat.

Cæterùm (inquit) *ita mandatum Christus iniungit Apostolis remittendi peccata, vt minimè, quod suum est, in ipsos transferat. Proprium eius est peccata remittere. Hunc honorem, quatenus in ipsis est, Apostolis nô resignat, sed iubet suo nomine remissionem peccatorum testari, vt per eos Deo homines recôciliet, denique solus ipse propriè loquendo per Apostolos suos peccata remittit.* De hac re tota satis multa iam antea diximus, vt nihil hîc repetere sit opus, etsi eandem iterum cantilenam canere Caluino visum fuit, vt sic post multa tandê præambula totû suum toxicum effunderet. Nô enim nisi pedetentim & multa præfatus ad corruptelâ suam patefaciendâ descendere voluit. Nunc igitur ad eam se accingit. *Potest tamê quæri, quum testes solùm vel præcones huius beneficij non authores eos constituat, cur tam magnificè extollat eorum potestatem. Respondeo hoc stabiliendæ nostræ fidei fuisse datum. Nihil nostra magis interest, quàm vt securè statuere nobis liceat, non venire in memoriam peccata nostra coram Deo. Zacharias in suo Cantico hanc vocat scientiam salutis. Ad eam probâdam cùm Deus vtatur testimonio hominum, nunquam acquiescent conscientiæ, nisi in eorû persona Deum ipsum loquentem agnoscant. Idèo dicit Paulus: Hortamur vos vt reconciliemini Deo, tanquam Christo per nos obsecrante. Videmus nûc cur tam splendido elogio cômendet Christus, ac ornet ministeriû quod Apostolis iniungit, nempe vt tutò sibi persuadeant fideles ratû esse quod audiût de remissis peccatis, nec minoris faciant recôciliationem quæ voce hominû offertur, quàm si Deus ipse manû è cœlo porrigeret. Ac vberrimum huius doctrinæ fructum quotidie percipit Ecclesia, dum Pastores suos intelligit diuinitus ordinatos esse æternæ salutis sponsores: nec peccatorum remissionem, quæ apud illos deposita est, procul esse*

Hæc scientia salutis erat per Ioannem Baptistam danda, quatenus Iudæos docturus erat viam salutis ad Christum, non per ipsum Christum, aut quos ille misit. Sic ad certitudinem Caluinianam non magis pertinet quàm ad raphana quæ venduntur in foro.

esse quærendam. Nec verò propterea vilescere nobis debet incomparabilis hic thesaurus, quia in vasis fictilibus exponitur, sed est cur agamus gratias Deo, qui tanto honore dignatus est homines, vt testanda peccatorum remissione suam ac filij personam sustineant. Fanaticos autem homines sciamus, dum hanc legationem spernunt, Christi sanguinem pedibus calcare. Hæc ille. Vix tandē post multas verborum ambages, post longa & garrula præludia, animi sui sententiam impostor aperuit, quæ tamen ex multis fragmentis simul consarciendis colligenda est, clarè & apertè non exponitur. Summa est, hæc verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, hūc sensum habere. Quibus prædicando Euangelium gratuitam à Deo peccatorum remissionem annunciaueritis, & testati fueritis, illi certò & tutò remissa sibi esse peccata credere possunt ac debent. Loquitur enim Christus magnificè, & dicit Apostolos remittere peccata, sed sensus est, quòd hanc remissionem non nisi attestantur. Tamen vt securi ac certi simus, dicit eos remittere. Hæc est sententiæ Caluini hoc loco summa. *Iubet* (inquit) *eos Christus suo nomine remissionem peccatorum testari. Testes solùm vel pracones facit eos huius beneficij. Tutò sibi persuadebunt fideles ratum esse quod audiunt* (ex voce Prædicantis ministri) *de remissis peccatis. Pastores diuinitus ordinantur æternæ salutis sponsores, & hoc honore dignatus est illos Deus in testanda peccatorum remissione.* Ex his verborum Caluini fragmentis totam eius sententiam antè dictam colligimus. Nunc eius absurditatem ac impietatem breuiter aperiemus, simúlque quæ obiter à Caluino ad eius confirmationem inserta sunt, refutabimus. *Caluiniana explicationis summa.*

Absurda Caluini sententia est tribus ex causis. Primùm, quia authoritas prædicandi Euangelium, in qua prædicatione ponit Caluinus remissionis peccatorum attestationem seu annunciationem & præconium, iam dudum antea Apostolis fuit concessa quo ad Iudæos, & postea distinctè quo ad omnes gentes, ipso die ascensionis Dominicæ. Non ergo in his verbis, & hoc tempore ipso resurrectionis die data fuit illa prædicandi potestas. Secundò, quia prædicatio Euangelij, vel annunciatio & attestatio in illa facta, ab ipsa remissione peccatorum res est longissimè distincta: quod ex eo fit euidens, quia, vt remittantur peccata, multa præter fidem requiruntur, odium præteritæ vitæ, propositum melioris vitæ, spes veniæ, Dei dilectio & proximi. Ad prædicationē verbi legitimè audiendam sola requiritur fides, vt credatur verbo prędicato. *Luc. 10. Matt. 28. Euangelica prædicatiō non remittit peccata.*

Aliud ergo & longè aliud est verbi prædicatio, & peccatorum remissio, & consequenter vtriusque potestas. Tertiò, prædicator verbi non potest nisi in genere annunciare aut attestari remissionem peccatorum, idque iis legibus & conditionibus quas Deus in Scripturis præscribit. Remissio peccatorum quam fingit Caluinus, est certa fides in particulari, qua certò quisque credit sibi peccata remitti. Hoc Petro, aut Paulo (verbi gratia) Prædicator aut Pastor non annunciat, non testatur, sed tantùm in genere Euangelicam doctrinam prædicat, si sicut oportet Euãgelium prædicat: neque enim vel Christus, vel Apostoli aliter prædicauerunt. Deinde vt huius iam sententiæ manifesta impietas appareat, quærimus à Caluino & Caluinistis, omnibúsque hodie hæreticis pariter cum
Luc. 7. Caluino insanientibus, an Christus remittendo peccata Mag-
Matth. 9. dalenæ, Paralytico, & aliis, aut in verbi prædicatione eam largitus est remissionem, aut non nisi eam attestatus fuerit, nec verè remiserit peccata. Neutrum sine maxima vel absurditate vel impietate dici potest. Atqui hoc in loco sic mittit Apostolos Christus, sicut ille missus erat. Remittunt ergo & illi peccata verè, sicut Christus remisit; verbo absolutionis, non verbo prædicationis, verbo efficaci, non verbo testimonij.

Quomodo Christus & quomodo Ecclesia peccata remittat. Quo tamen in loco ne omnimodam paritatem in Christo & Apostolis ponere videamur, paucis exponam, qua in re similes, qua in re dissimiles Apostoli Christo hac in parte sint. Similitudo enim in quibusdam locum habet, in quibusdam non habet. Primùm, in fine conueniunt. Sicut enim missus est
1. Christus, vt doceret veritatem, &, quos docuit, ad salutē perduceret; sic Apostoli missi sunt ad docendum omnes gentes,
Ephes. 4. &, quos docuerunt, ad salutem conducere: *ad consummatio-*
2. *nem sanctorum, in ædificationem corporis Christi*, &c. Secundò, in principio conueniunt: quia sicut Christus homo missus est à diuina Patris potestate, sic Christus Dei filius eadem diuina potestate misit Apostolos, vt principium missionis in vtroque sit simile. Tertiò, in modo conueniunt: quia sicut Christus non erat merus annũciator & nudus prædicator verbi, sed potestatem quoque spiritualem habuit, *Vnctus à Deo præ participibus suis*, qua *Pastor bonus* erat, ac regendi & gubernandi facultatem habuit, sic Apostoli non solùm præcones verbi, sed & Pastores animarum erant, *quos posuit Spiritus*
Disparitas inter Christum & *Sãctus regere Ecclesiam suam*, & ad hoc *Spiritum Sãctum acceperunt*, vt peccata remitterẽt ac retinerent. Dissimiles tamen & dispares multùm Christo Apostoli, aliique Pastores sunt,

tum

tum natura,tum potestate. Natura,quia solùm homines sunt, ideóque non,nisi in nomine & potestate Dei & filij eius pec cata remittunt. Potestate, quia non nisi limitatam habent, vt vicarij,non vt Domini. Quorum neutrum obstat quin verè peccata remittant ac retineant: neutrum cogit vt soli sint præcones ac testes factæ remissionis peccatorum. Postremò impia est Caluini expositio, quia nouella, prophana, SS. Patribus (quorum testimonia nuper produximus) aduersa & contraria; denique à Christi verbis prorsus aliena est,vt mox in proximo membro luculenter docebitur. *Ecclesiam quoad remissionem peccatorũ.*

Nunc cum Caluino pergamus. *Rursum* (inquit) *plusquam insulsi sunt Papistæ,qui locum hunc ad magicas suas absolutiones detorquent. Nisi quis peccata confessus fuerit in aurem Sacerdotis,nulla secundùm eos speranda est remissio. Christus enim peccata voluit per Apostolos remitti,absoluere autem nequeunt nisi causa cognita:ergo confiteri necesse est.* Hæc sanè ratiocinatio & collectio ex hoc loco non Papistarũ modo, sed doctissimorum Patrum est, cum quibus insulsi esse malumus, quàm cum Caluino sapere,qui nunquam se sapere putat nisi cùm solus sapit: qui *sapere ad sobrietatem*, spiritu suo indignum semper iudicauit; & Apostolo contrarius,*prudens vult semper esse apud semetipsum, alta sapere, humilibus non consentire.* Audiuimus antea, potestatẽ remittendi peccata Ecclesiæ datam ex hoc loco colligere & docere Cyrillum,Chrysostomum,Ambrosium,Augustinum. Addit Cyrillus eodem loco,hãc potestatem exercere Ecclesiam *partim in baptismo, partim in pœnitentia*, vbi peccatorum confessio facienda est. Addit Chrysostomus: potestatem condonãdi peccata datam Sacerdotibus,nõ solùm in baptismo,sed & postea. *Non solùm* (inquit) *quum nos regenerant Sacerdotes, sed & postea condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Vbi & docet duplex hoc esse discrimen, Sacerdotum veteris legis & nouæ, *quòd illis datum erat corporis lepram non purgare, sed purgatam probare; his verò concessum est animæ lepras non purgatas probare & ostendere* (vt Caluinus vult) *sed prorsus purgare.* Hoc autem in pœnitentiæ Sacramento sacerdotes præstare, apertis verbis alio in loco docet. Addit Augustinus loco illic citato: *Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei, frustramus verba Christi. Iob dicit: Si erubui in conspectu populi mei confiteri peccata mea.* Addit denique Ambrosius: *Impossibile videbatur per pœnitentiam deleri peccata. Concessit hoc Christus Apostolis: quod ab Apostolis ad Sacerdo*

Rom. 12. 3.
Rom. 16.
Lib. 12. cap. 56. in Ioã.
De sacerd. lib. 3.
Homil. 10. in Matth. Homi. 49. ex homil. 50.
De pœnit. lib. 1. c. 2.

cerdo

In Psal.38. *cerdotum officia trāſmiſſum eſt.* Et iterum alio in loco. *Dominus, quod antè erat iudicij ſui, dedit Apoſtolis peccata remittendi æquitatem, ne citò ſoluenda diu ligata manerent. Hoc Nouatianus* (ſed nec Caluinus) *non audiuit; ſed Eccleſia Dei*
In cōment. in Matth. cap.16. *audiuit. Non poteſtatem vſurpamus, ſed ſeruimus imperio.* His alios Patres adiungimus. *Epiſcopus vel presbyter* (ait D. Hieronymus) *pro officio ſuo, quum peccatorum varietates audiuerit, ſcit qui ligandus ſit, quiq; ſoluendus. Reatus cōſcientiarum*
Epiſt.80. (ait Leo Magnus) *ſufficit ſolu Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta.* Plenius D. Baſilius. *Neceſſariò ijs aperiri peccata*
In reg. breuior. q.288 *debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.* Ad hoc
Sermon. in illud, Profect. in pagum, &c. hortatur antiquiſſimus Athanaſius. *Si nondū ſoluta ſunt peccatorum tuorū vincula, tradas te ipſum diſcipulis Ieſu; adſunt enim qui te ſoluant pro poteſtate ea quam à Saluatore acceperunt.*
Homil.26. ſuper Euā. *Superni quippe iudicis principatum ſortiuntur* (ait Gregorius Magnus) *vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent, & animarum iudices fiant. Hoc eſt enim*
In Matth. cap.18. *immobile ſeueritatis Apoſtolicæ iudicium* (ait Hilarius) *vt quos in terris ligauerint, id eſt, peccatorū nodis innexos reliquerint, & quos ſoluerint, confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem in Apoſtolicæ conditione ſententiæ, in cælis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati. Mediator quippe Dei & hominum, homo*
Epiſt.91. *Ieſus Chriſtus* (ait Leo Magnus) *hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus ſatisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.*
Homil.50. cap.11. Cui conformiter Auguſtinus de pœnitente ita ſcribit. *Veniat*
Homi.5. de verbis Eſa. vidi Dominum. *ad Antiſtites, & à præpoſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.* Quia videlicet, vt ſcribit alio in loco Chryſoſtomus, *A terra iudicādi principalem authoritatem ſumit cælum. Nam iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum; & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in ſupernis cōprobat.* Propter hanc iudicialem poteſtatem adeò neceſſaria ſemper habita fuit cauſæ cognitio, & peccatorum confeſſio, ſeu ſecreta, ſeu publica, vt antiquiſſimus Cyprianus ſic de ea ſcri-
Lib. 3. Epiſt.14. bat: *Etiam in minoribus peccatis agunt peccatores pœnitentiā iuſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſin,* id eſt, confeſſionem *peccatorum veniunt, & per manus impoſitionem Epiſcopi & cleri, ius communicationis accipiūt.* Quod etiam in ſolis cogitationū peccatis, quæ lethale crimen con-
Serm.5. de lapſis. tinebant, facere Chriſtianos idem antiquiſſimus martyr his verbis docet: *Quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore con-ſtricti*

ſtricti ſint, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotem Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam exquirunt. Quod totum quanta ſeueritate tum à fidelibus præſtitum, tum ab Eccleſiæ Paſtoribus neceſſariò exactum fuerit, luculentus teſtis eſſe poteſt Theodoretus. *Sunt* (inquit) *medicabilia quæ etiam poſt baptiſmum fiunt vulnera. Medicabilia autem non per ſolam fidem data remiſſione* (vt ſanè volunt hodie hæretici) *ſed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati commoderatum. Qui enim non ſic affecti ſunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec diuina eis impartire has habet Eccleſia leges de pœnitentia.* Cum tot ac tantis antiquitate, eruditione, ſanctitate illuſtribus Patribus, Eccleſiarum Epiſcopis, inſulſi eſſe malumus, quàm cum Caluino ſapere. Agnoſcunt in poteſtate remittendi peccata à Chriſto Apoſtolis aliiſque ſacerdotibus data, iudicium exerceri: In hoc iudicio peccata vel remitti vel ligari: In pœnitentiæ Sacramento hoc iudicium exerceri: Vt hoc iudiciū exerceatur, peccatorum confeſſionem neceſſariò fieri: Iuxta peccati confeſſionem præſcribi ſatisfactionis modum: Atque hac demum via ac ratione in Eccleſia ſolui peccata, abſolutionem dari. *In Epitome diuinorum decre. cap. de pœnitent.* 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Elegans ſibi videtur Caluinus, qui ſententiam Eccleſiæ in ſoluendis peccatis, *magicam abſolutionem* vocare potuit. Sic homini impio magicum eſt, quicquid ex Chriſti inſtituto circa diuina Sacramenta conceptis verbis peragitur. Magicum Caluino eſt vti hac forma verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Magicum eſt, accepto in manus pane dicere, *Hoc eſt corpus meum.* Sed quæ contra has eius blaſphemias aliis in locis iam diſſeruimus, ad hanc quoque Satanicam eius contumeliam refutandam ſufficere poſſunt. Manet firma Eccleſiæ Catholicæ ſententia, tot nobiliſſimorum Patrum teſtimoniis roborata, Chriſtum his ad Apoſtolos verbis, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, veram & diuinam illis poteſtatem dediſſe, non in verbi prædicatione, ſed in pœnitentiæ Sacramento, & iudiciali cognitione, peccata pœnitentibus & confitentibus remittendi. *Caluini blaſphemia.*

Nunc quid contra hanc expoſitionem Catholicam literæ Euangelicæ inhærentem, & vnanimi Patrum conſenſu agnitam atque firmatam, diſputet Caluinus, attendamus. *Sed* (inquit) *ridicula eſt illorum hallucinatio, dum ſummum cauſæ*

cardi

cardinem prætereunt, nempe hoc iuris concessum esse Apostolis ad asserēdam Euangelij authoritatem, cuius illis commissa erat prædicatio. At qui hunc iam cardinem ab ostio remouimus,& Caluini commentum,de asserenda Euangelij authoritate, ab huius loci sensu remotissimum & alienissimum esse ostendimus. Sed & infrà in proxima clausula magis ostendemus.

Caluini artes obseruandæ. Bonus Caluinus noua sua commenta Scripturis affingit, eáque sua affirmatione ponit; aut leuissimis coniecturis & futilibus paralogismis suffulcit. Mórque receptissimum Ecclesiæ sensum literæ Euangelicæ inhærentem,non aliqua ratione propria,sed ex eo solo capite refutat,quòd ille aliter sentit,& ille aliter locum exponi voluit. Sic enim hoc loco sensum Catholicum veluti *ridiculam hallucinationem* reiicit, nullo alio argumento,quàm quia ille aliter textum exposuit, suíque cerebri commentum homo ipsa impudentia impudentior, *summum causæ cardinem* vocat Atque in hac sua insania pergens,ait:*Neque enim confessarios instituit Christus, qui occultis susurris examen de singulis peccatis habeant; sed vocales Euangelij sui præcones,qui gratiā expiationis per Christum partā cordibus piorum obsignent.* Eandem rem alijs verbis repetit. Refellit sensum Catholicum simplici eius negatione, & sui commentitij sensus simplici affirmatione. Quo quidem modo quilibet asinus omnia & vniuersa fidei orthodoxa dogmata refutauerit. Vno hîc nouo verbo vtitur, quo in priori explicatione non est vsus; *Euangelij præcones gratiā per Christum partam in piorum cordibus obsignare.* Hoc adhuc absurdius est, & à Christi verbis remotius, quàm quod prius dixerat,*testari & spondere.* Testari quippe & spondere, vel,vt alij loquuntur,*annunciare remissionem peccatorum*,aliquam habet datæ remissionis speciem:quia tametsi non remittit peccatum qui testatur,spondet,aut annunciat illud remitti, tamen significat nunc remitti,quia declarat remissa.

Obsignatio Caluinana ineptior testimonio Lutherano

Atqui *obsignare hanc gratiam expiationis per Christum partam* non significat vllam præsentis remissionis attestationem aut declarationem, sed significat, in sensu Caluini, iam dudum factæ per fidem remissionis peccatorum quandam confirmationem. Ita hoc nugamentum à Christi verbis adhuc longius recedit,& ad Euangelij authoritatem asserendā, quod fingit Caluinus,minimè facit. Dixit Christus, *Quorum remiseritis.* Dicit Caluinus,Quorum iam remissa peccata obsignaueritis. Hoc à Christi verbis longissimè recedit: immò Christi verba falsa ac inania reddit.Sed nec,vt dixi,ad Euangelicæ

gelicæ prædicationis authoritatem asserendam quicquam facit: quando iuxta hunc sensum Euangelica prædicatio nihil confert, nihil tunc factum, nullum beneficium tunc exhibitum, vel annunciat vel testatur, sed beneficium olim præstitum modo quodam commentitio obsignat. Antequam ad Euangelium audiendum venit Caluinista, iam ei dudum remissa peccata sunt. Sed Euangelium quod audit, hanc illi factam gratiam modo quodam commentitio obsignat. Dico modum commentitium. Nam purum & futile commentum, hæc obsignatio Caluiniana est. Nempe idem tribui volunt Caluinistæ prædicationi Euangelicæ, quod Sacramentis; & idem Sacramentis, quod prædicationi verbi; vt vtraque nihil quàm obsignent, nihil quàm sigilla quædam sint dudum acceptæ per solam fidem gratiæ, cui vni fidei confirmandæ tam Sacramenta, quàm tota prædicatio Euangelica subseruiat. Sic tota Caluini resolutio hoc loco Christi verba in meros fumos conuertit: *Quorum remiseritis peccata, remittũtur eis:* id est, Quorum iam dudum remissa peccata prædicatione vestra Euangelica obsignaueritis, illorum peccata remittuntur: Quod iam dudum factum dixeritis, illud factum est: Quos iam dudum reconciliatos tales esse pronunciaueritis, illi sunt reconciliati. Atqui siue hoc dicatur, siue non dicatur, sunt & manent reconciliati. Quid ergo confert ad reconciliationem ipsam hoc meum dicere, pronunciare, prædicare? Dici solet, & verissimum est: Affirmare vel negare nihil ponit in re. Merus igitur fumus verborum est, inanis & inutilis sonus (ad remissionem peccatorum quod attinet) tota Euangelica prædicatio, & tota hîc Apostolis data potestas. Summa rei absurditas in simili apparebit. Si Regis filius à patre magnis acceptis thesauris post aliquam eorum distributionem in extera quapiam regione per seipsum factam, ad patrem suum reuersurus, primariis quibusdam suis Satrapis in illa adhuc regione relictis (volens videlicet etiã in futurũ liberalitatem suam exercere) diceret, *Sicut misit me Pater meus, sic ego mitto vos.* Accipite hos thesauros auri & argẽti immẽsos. Quorum inopiam vos subleuandã censebitis, subleuabuntur. Quorum non subleuaueritis, illi inopes & egeni manebũt. An hic esset legitimus horũ verborũ sensus? Quos iam diuites esse pronũciaueritis, vel quorũ copias & diuitias iam partas verbo cõmendationis vestræ attestãdo obsignaueritis, illi diuites sint? Annon statim meritò excipitur? Quare igitur à filio Principis ita missi sunt hi Satrapæ? vt quid tales thesauros acceperunt?

Caluinus Christi verba in fumos conuertit.

Caluiniana dementia ex simili demonstratur.

Quemo

Quomodo dicitur illis, Quorum inopiam ſubleuandam cenſebitis, &c. quando neminem ſubleuant? ſed ſibi ſolis hunc theſaurum ſeruant? ſolùm eos qui iam diuites erant, tales eſſe declarant? Quod certè ad diuitias comparandas, vel ad accepti theſauri diſtributionem, prorſus impertinẽs eſt. Eodem omnino modo Chriſtus Dominus accepta à Patre poteſtate tantiſper vſus, & multis data peccatorum remiſſione, nunc ad Patrem reuerſurus, & eandem in terris gratiam perpetuam eſſe volens, dixit Apoſtolis ſuis: *Sicut miſit me Pater, ego mitto vos.* Adiecit, *Accipite Spiritum ſanctum*, oſtendit in quem finem, *Quorum remiſeritis peccata*, quorum ſummam inopiam ſpiritualem refeceritis (vinculis quippe peccatorum detineri, & à gratia Dei extorrem eſſe, maxima eſt ſpiritualis inopia & miſeria) *remittuntur eis.* Eorum inopiam ſpiritualem reficietis, vt diuites ſint in fide, ac bonis operibus; eorum vincula relaxabitis, vt liberè ſeruiant iuſtitiæ qui prius erant ſerui peccati. Quòd ſi verò Apoſtoli & eorum ſucceſſores nihil aliud quàm remiſſionem peccatorum iam factam denunciant & obſignant, vt quid illa tam ſolemnis miſſio? vt quid Spiritum ſanctum acceperunt? Vt quid illis dictum eſt, *Quorum remiſeritis peccata?* quando iam nemini remittunt, neminem ab inopia & miſeria illa ſpirituali eximunt; ſed quos diuites ex fide inuenerunt, eos tales eſſe declarant? Annon tota Chriſti commiſſio & poteſtas Apoſtolis data in meros verborum fumos euanuit? Nam & obſignatio illa quã finxit Caluinus in verbi prædicatione, quàm ſit abſurda, ridicula, & merus fumus, ad religionis noſtræ Sacramenta ludificanda inuentus, circa ipſam Sacramentorum doctrinam, cui verbi prædicationem per omnia eſſe ſimilem Caluinus vult (niſi quòd hæc auritum, illa oculare ſymbolum ac teſtimoniũ ſit) alio in loco demonſtraui. Concludit iam Caluinus. *Quare tenendus eſt modus remittendi peccata, vt ſciamus quænam ſit iſta quæ Apoſtolis data eſt poteſtas.* Cui reſpondeo: Omnino tenendus eſt ille modus remittendi peccata, iuxta quem verè ſciamus quænam ſit iſta quæ data eſt remittendi poteſtas; quæ videlicet verè talis ſit, & verè peccata remittat, iuxta Chriſti verba; non autem talis modus tenendus eſt, quo poſito, nullam ſcimus Apoſtolis eſſe datam poteſtatem, & Apoſtolos verè nullum peccatum remittere ſcimus, Chriſtíque verba penitus ludificamus; quem modum ſibi Caluinus finxit, vt in cauſa omnium grauiſſima, ita ſcelere & impietate maxima.

In Epiſto. ad Rom. cap. 4. ver. 11.

25. Quo

23. *Quorum autem retinueritis, retenta sunt.*

HÆc clausula à Christo adiecta, superiorum verborum sensum orthodoxum, de vera remissione peccatorum per Apostolos iudicialiter in foro conscientiæ facienda, luculenter & ad oculum confirmat: sensum quoque Caluini commentitium de factæ dudum remissionis peccatorum denunciatione, attestatione, obsignatione, non minus luculenter refutat. Sensum orthodoxum confirmat, & Caluini commentitium euertit, quatenus retinere ac ligare peccatū, quod est solutionem ac remissionem peccati negare, & peccati iam reum eóque obstrictum eodem reatu ac vinculo peccati constringere, seu constrictum tenere, veram & realem potestatem significat circa ipsum peccatum, & personam hominis: quam magnus ille Theodosius Christianissimus Imperator optimè intelligens, quum iam ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi propter atrocem cædem temerè patratam excommunicatus, ab aditu Ecclesiæ & vsu Sacramentorum arceretur, suam infelicitatem his verbis professus est. *Memoria tenes* (ait ad Ruffinum, Magistrum militum, qui eum ad Ecclesiæ ingressum inuito Episcopo hortabatur) *Dominicam vocem, qua manifestè dicit: Quemcumq; ligaueritis in terris, is & in cælo erit ligatus.* Agnoscebat potestatem à Christo Sacerdotibus datam retinendi & ligandi peccata, quæ peccatorem vinculo constringeret quod sibi peccando nexuit. Hîc Euangelica prædicatio locum non habet, hîc præconium, testimonium, sigillum Caluinianum euanescit. Sententia retinens peccatum, & ligans peccatorem, ad ipsum in particulari peccatorem, & ad ipsum in specie peccatum destinari debet; idque ex certa & cognita causa. Neque enim ligari debet nisi qui tale vinculum promeruit. At prædicatio Euangelica omnes alloquitur, & tametsi posset piis iam & bonis fidelibus gratiam illis à Christo factam aliquo modo attestari & annunciare (quod quidem adhuc non esset gratiam aliquam facere, aut peccatum remittere) tamen per modum alicuius denunciationis aut attestationis nullum potest ligare, nulli hanc pœnam imponere, nulli remissionem negare, quando nec vllum in particulari conuenit, nec de vllo peccato in particulari iudicat, nec causam habet cur vllum in particulari liget. Ita & sensum orthodoxum hæc clausula luculenter confirmat, & sensum Caluini commentitium non minus luculenter euertit.

Theodor. hist. Eccl. lib. 5. c. 18.

Retinere peccatum ad Euangelij prædicationē pertinere non potest.

Horum igitur verborum sensum aliò inuertere atque pertrahere studiosè contendit. *Hoc* (inquit) *secundum membrum addit Christus ad terrendos Euangelij sui contemptores, vt sciant non impunè cessuram sibi hanc superbiam.* Sed vide absurditatem. De retinendis peccatis Christus loquitur omnibus haud dubiè & indefinitè. Quid ergo? An Euangelij contemptus omne peccatum est? Quàm innumeri sunt peccatores, qui Euangelium aut ignorantes (ideóque non cõtemptores) aut audire negligentes (vbi contemptus abest) aut penitus obliuioni dantes (non ex Euangelij contemptu, sed suis passionibus victi) innumeris flagitiis ac sceleribus contaminantur? Quomodo ergo Christus de omnibus peccatis retinendis, quæ Apostoli retenturi sunt, loquens, ad terrendos Euangelij contemptores id loquitur, quasi alia peccata retinẽda non essent, quam Euangelij contemptus; aut alij peccatores non ligandi, nisi Euangelij contemptores? Quicquid ergo de Euangelij contemptu prosequitur hîc Caluinus, causam præsentem non attingit. *Ergo* (inquit) *sicut Apostolis iniuncta est salutis & vitæ æternæ legatio, ita rursum armati fuerunt vindicta erga omnes impios qui oblatam sibi salutem respuunt, vt docet Paulus 2. Cor. 10. 6. Cæterum ordine posterius est, quia priori loco ostendi oportuit verum & genuinum Euangelij prædicandi finem. Quòd Deo reconciliamur, hoc Euangelij proprium est: accidentale verò, quòd morti æternæ addicuntur increduli. Qua ratione Paulus, dum aliã, cuius nuper memini, vindictam denunciat incredulis, mox subijcit, Postquam impleta fuerit vestra obedientia. Significat enim proprium esse Euangelij, vt inuitet omnes ad salutem, aduentitium autem esse, vt interitum quibusdam adferat. Notandum tamen est, quisquis Euangelij vocem audit, nisi remissionem peccatorum illic sibi promissam amplectitur, reatu & æternæ damnatione obstringi. Nam sicut Dei filijs odor est viuificus, ita ijs qui pereunt, odor est mortis in mortem. Non quòd necessaria sit damnandis reprobis Euangelij prædicatio, cùm natura perditissimus omnes, & præter hæreditariã maledictionem nouas mortis causas sibi quisq; accersat, sed quia multò grauiorem pœnam meretur eorum contumacia, qui scientes & volentes filium Dei spernunt.* Hæc est hactenus tota Caluini disputatio, vt doceat retinere peccata Apostolos, eorúmque successores, nihil aliud esse, quàm per Euangelij prædicationem, ipsius Euangelij contemptores grauiorem pœnam mereri. Sed aduersus istud futile commentum tria (lector) aduerte. Primum, nullam poni actionem in ipsis Euange-

Caluini effugium refellitur.

Caluini comentum tribus ra-

Euangelij prædicatoribus, qua peccata ipsi retineant ac li- *tionibus*
gent; sed ex ipsa hominum incredulitate & contemptu con- *refutatur.*
sequi hanc grauiorem pœnam & damnationem. Dicit autem 1.
Christus, *Quorum retinueritis peccata, retenta erunt*: vt videlicet hæc peccatorum retentio, non ex natura rei, aut ipsorum peccantium sola conditione, sed & ipsorum retinentium iudicio ac sententia ac denique actione quadam promanet. Ponit Christus Apostolos retinentes & ligantes peccata: ponit Caluinus in Apostolis nihil; sed in sola impiorum in-
credulitate totam retentionis causam. Sensum igitur Christi 2.
non tenuit. Rursum aduerte iuxta Christi verba peccata sic retineri, vt retentio illa non sit generalis, sed certarũ personarum. Ait enim, *Quorum retinueritis peccata*; nõ ait, Quæ peccata retinueritis. Actio igitur Apostolica & Sacerdotalis, qua peccata retinent versatur circa certas personas quarũ peccata retinent: Euangelica prædicatio ad nullas certas personas dirigitur, sed omnes in vniuersum indifferenter alloquitur. Sed & certorum peccata retinere, aliorũ non retinere, cùm res iudicij & discretionis sit, cum Euãgelij prædicatione (vbi nulla
talis discretio, nullum iudicium exercetur) nihil cõmune ha- 3.
bet. Aduerte tertiò, Christum de peccatis loqui omnibus & indefinitè quę retineri possunt. Caluinus de sola incredulitate loquitur, qua *quis peccatorũ remissionem in Euangelio oblatam non amplectitur.* Ita, iuxta Caluinum, nisi vnum peccatũ retinetur, & nisi vnius peccati sit vindicta, contemptus videlicet prædicationis Euangelicæ, *& contumacia* (vt loquitur) *eorum qui scientes & volentes Dei filiũ spernunt.* His tribus de causis nihil cõmune, nihil affine cum Christi verbis habet hoc loco tota Caluini illa de prædicatione Euangelica speculatio.

Enimuerò dat illam Christus potestatem Apostolis, qua *Retinendi*
retineantur peccata, non vnum aut alterum, incredulitatis, *peccata po-*
contumaciæ, contemptus Euangelij, sed omnis generis pec- *testas ve-*
cata contra legem Dei perpetrata: nec vt retineantur hoc *ra Aposto-*
solo nomine, & ex hoc solo capite, quia retineri merentur, & *lis data.*
quia ex sua natura reos damnationis pœna obstringunt, sed vt retineantur quæ Apostoli retinuerint, quæ Ecclesiæ Præpositi ligauerint, vt ex illo capite nouum vinculum, nouum ligamen peccata accipiant, quòd ab Ecclesiæ Præpositis retineantur ac ligentur. Sic verbis Christi inhærendò, tota
speculatio de prædicatione Euangelica penitus euanescit. *Pauli ver-*
Locus verò ex Apostolo citatus ad Euangelicam quidem *ba expli-*
prædicationem pertinet, sed non ad illam solam. Integrum *cantur.*

locum cum breui explicatione ponemus. *In carne* (inquit
2. Cor. 10. Apostolus) *ambulantes, non secundùm carnem militamus*, id est, mortalem & cōmunem vitam agentes, &, vt paulò antè dixerat, *in facie quidem humiles inter vos*; *non secundùm carnem militamus*, id est, officium prædicationis nostræ iuxta humanam infirmitatem non exercemus. *Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo*, id est, prædicationem nostram & doctrinam non per diuitias, honores, aut potentiam aliquam mundanam commendamus, aut suademus, sed media ad persuadendum, quibus vtimur, diuina sunt, & ex Dei virtute vim habent; *ad destructionem munitionum*, id est, ad castra hostilia expugnanda. Nam vt pios
1. Cor. 3. alibi *Dei templa*, sic fidei hostes ac rebelles *castra hostilia* hoc loco vocat. Modum autem impios per Euangelicam prædicationem expugnandi subiungit, *Consilia destruentes*, id est, astutiam hæreticorum & pseudoapostolorum (propter illos enim hoc totum loquitur, vt in sequenti cap. apparet) deprehendentes & repellentes, *& omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei*, id est, destruentes quoque & refutantes omnem superbiam falsorum magistrorum, qui volunt altum sapere contra regulam fidei, *& in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, id est, arma quoque habemus quibus possimus hominum intellectum Deo subiicere ad obediendum fidei de Christo, videlicet authoritate & testimonio fidei, quod in genere causæ externæ Ecclesia maximum habet, humanum intellectum ad assentiendum veritati Euangelicæ inducendo; *& in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia*, id est, habemus quoque potestatem rebelles fidei, & pseudoapostolos omnes, qui vobis molesti sunt, gladio spirituali feriendi & excommunicandi, non in ipsa prædicatione Euangelica, aut per illam; sed per sententiam iudicialem quam verbi prædicatores habent: qua sententia
1. Cor. 5. *Paulus fornicarium Corinthium* non prædicando Euangelium præsens, sed iudicando & retinendo peccatum, *absens*
1. Tim. 1. *Satanæ tradidit in interitum carnis*, qua etiam *Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidit, vt discant non blasphemare*. Hæc vindicta Apostolica non fuit prædicatio Euangelica Pauli, vt somniat Caluinus; sed sententia ab eo lata extra omnem prædicationem: quod maximè in Corinthio forni-
1. Cor. 5. cario apparet, de quo dicit: *Ego*, inquit, *absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, &c.* Et de simili

pet:

potestate ac vindicta in pseudoapostolos illos qui schismata inter Corinthios seminabant exercenda, Paulus hic loquitur. Sed quia hæc potestas cum aliorum ædificatione exerceri debet, & non ad destructionem neque ad scandalum, adiunxit, *Cùm impleta fuerit vestra obedientia*: id est, sic impleta & perfecta, vt possimus eradicare zizania, non triticum. Hæc est tota Apostoli sententia de prædicatione quidem Euangelica, sed non de solo eius actu atque exercitio, verùm de varia potestate illi adiuncta. Postrema autem, quam memorat, vindictæ potestas ad externam Ecclesiæ iurisdictionem & forum externum pertinet, non ad forum conscientiæ internum, de quo Christus hoc loco agit: in quo videlicet foro ac tribunali peccata coram Deo vel remittuntur, vel vsque ad debitum satisfactionis modum ritè peractum retinentur; sicuti nuper ex nobilissimorum Patrum plurimis testimoniis ostendimus.

Magno igitur conatu, sed inani, verba Christi impugnauit Caluinus, vt commentum suum non secus impium quàm stolidum, de soluendis ac retinendis per Euangelicam prædicationem peccatis substitueret. Fingit in Euangelij voce peccatorum remissionem promitti. Atqui hoc loco Christus, non in Euãgelij voce, sed in Apostolorum voce ac sententia peccatorum remissionem promittit. Deinde nulla Scriptura docet in Euangelij voce peccatorum remissionem promitti. Scripturæ credentibus, pœnitentiã agentibus, eleemosynas & alia charitatis opera facientibus, Sacramenta accipientibus, remissionem peccatorũ promittit, voci Euangelij nusquam. Denique ad peccatorum remissionem consequendam, non satis est Euangelio credere, sed oportet præterea pœnitẽtiam agere, Deum inuocare, affectũ peccati deponere, charitatis affectum induere, denique media illa & Sacramenta suscipere, quibus mediantibus peccata remittuntur. Neque enim frustra Ecclesiæ claues datæ sunt, vt nuper ex Patribus accepimus.

Caluinianæ sententiæ succincta refutatio.

25. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.*

FVit hæc Apostoli Thomæ infidelitas magna, & pertinacia non minor, quòd Christo vno die quinquies diuersis apparente: primò Magdalenæ ad sepulchrum, secundò

mulieribus in via, tertiò Petro seorsim, quartò duobus discipulis in Emmaus, quintò decem Apostolis cōgregatis, adhuc Christi resurrectionem credere noluerit, & totis octo diebus in ea incredulitate pertinax steterit. Sed vtrumque peccatum magis ex animi quadam tristitia (dolens quippe se vno absente cæteris decem Christum apparuisse, vt hoc dolore animum liberaret, elegit non credere quod displicebat, quam credendo animi dolorē sustinere) quàm ex superbia, aut odio, aut inuidia, originem suam accepit, vt vetus ac nobilis interpres Cyrillus iudicauit. Solet tamen incredulitas, ea maximè quæ cum pertinacia coniuncta est, ex animi fastu & superbia nasci. Animus quippe arrogans & fastu turgidus ne alteri cedat, vel altero minus sapere videatur, immò vt cæteros sapiētia antecellere existimetur, quæ ab aliis quantumcunque legitimè probata asseruntur, credere recusat. Hoc vitium, hæreticis proprium, Caluinus hoc loco præuentione quadā vsus diligenter notauit, & vitium quo ipse laborauit maximè, ne eo tactus videretur, accuratè taxauit. *Hic* (inquit) *notatur fons vitij: quia sapere quisque vult ex proprio sensu, nimiúmque sibi indulget: hæc verò verba (Nisi videro, non credam) nihil habent affine fidei, sed sensuale est (vt ita loquar) iudicium. Idem omnibus accidit qui sibi addicti sunt, vt verbo Dei locum non relinquant.* Et paulò pòst. *Ita scilicet dum minus honoris, quàm par sit, tribuimus verbo Dei, sensim non cogitantibus obrepit deterior peruicacia, quæ illius contemptum secum adfert, omnemque eius reuerentiam nobis excutit. Quo magis laborandum est in cohibenda ingenij nostri lasciuia, ne sibi quisque plus quā fas est in repugnando permittens, quasi extincto pietatis sensu, fidei ianuam sibi præcludat.* Hæc ille. Honesta hæc est oratio, sed ex ore turpi profecta, quando quod honestissima voce damnat, rebus ipsis flagitiosè perpetrat. Vulpes se mortuam simulat, vt gallinas capiat securè accedentes. Ita Caluinus se simplicē

1. & humilem simulat, vt pietatis prætextu prædas capiat. Damnat eos *qui ex proprio sensu sapere volunt, nimiúmque sibi indulgent.* Atqui audi aliam eius vocem. *Nulla Conciliorum, Episcoporum, Pastorum nomina impedire nos debēt, quo minus omnium spiritus ad regulam verbi Dei exigamus.* Qui omnes omnium spiritus, Conciliorum, Episcoporum, Pastorum, ad verbi Dei regulam, id est, ad verbum Dei prout ipse iudicauerit intellectum, exigit, ille propriissimè ex suo sensu

2. sapere vult, sibique nimium indulget. Rursum damnat *sensuale iudicium, & nihil fidei affine illud habere affirmat.* Hic rursum

In Ioan. lib. 12. cap. 57.

Pertinacia hæreticis propria.

Caluini honestissima oratio, sed qua ipse damnatur.

Institut. lib. 4. c. 9. num. 2.

tursum damnat seipsum, qui alio in loco conuersionem panis in Christi corpus idcirco reiicit, *Quia* (inquit) *nullus in terris oculus huius mutationis testis est*. Ita non credit, nisi viderit. Addit hoc sensuale iudicium *omnibus accidere, qui ita sibi addicti sunt, vt verbo Dei locum non relinquant*. Atqui vnum Caluinum in omnibus hodie dogmatibus controuersis sic vni sibi addictum esse, vt verbo Dei locum non reliquerit, innumeræ diuini verbi corruptelæ, quas in hoc solo opere Euangelico repurgauimus, ad oculum lectori demõstrarunt. Sensuale igitur iudicium quod nihil fidei affine habeat, ad omnes Scripturas intelligendas adfert Caluinus. Omnium Patrum & veterũ interpretum iudicia ex alto despicit; suum vnius omnibus anteponit. *Sic ingenij sui lasciuiam minimè cohibendo, sed sibi plusquam fas erat in repugnando permittens, prorsus extincto pietatis sensu, fidei ianuam sibi præclusit*, innumeris hæresibus cordis sui ianuam patefecit; & quà alij irruerent viam commonstrauit. Ex ore suo seipsum iudicauit seruus nequam.

Institut. lib. 4. c. 8. num. 13.

3.

4.

27. *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

OBseruãt hoc loco Catholici interpretes libertatis ad credendum vel non credendum perspicuum argumentum. Cæteris Apostolis viso Christo credentibus, *noluit* Thomas *credere quia non viderat*. Christus ex magna misericordia eius incredulitatem sanare volens, se illi videndum exhibet, & argumentum seu medium externum ad credendum, quod inordinatè desiderabat, misericorditer præbet. Nec tamen tunc dicit, *Infer digitum tuum huc*, &c. quia volo vt credas, quasi voluntate absoluta Christus Thomam credere voluerit; sed ait ei, *Noli esse incredulus, sed fidelis*: id est, me tibi argumentum, quod postulasti, iam præbente, depone hanc malam voluntatem & duritiem cordis, conuerte cor tuum ab incredulitate ad fidem. Quod cùm Thomas per Christi internam gratiam cum illo congruenti medio coniunctam fecisset (congruenti dico quoad infirmitatem Thomæ, & duritiam cordis eius) dicens clara voce, *Dominus meus, & Deus meus*, Christus vt eum credidisse affirmat, fidemque acceptat; sic eius cordis duritiem reprehendit, dicens, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, id est, noluisti absque hac visione & oculari argumento meam resurrectionem credere, ex sufficienti gratia mea, & sufficienti testimonio condiscipulorum tuorum,

Libertas arbitrij humani ad credendum vel nõ credendum.

ſed tu niſi per tale medium credere noluiſti. *Beati*, id eſt, te multò magis beati ſunt, *qui non viderunt & crediderunt*, id eſt, ex ſolo auditu & gratia mea interna fidem conceperunt, ſuámque ad credendum voluntatis aſſenſum dederunt.

28. *Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.*

EX hac nobili Apoſtoli Thomæ confeſſione, & celeri ſui ipſius correctione, qua Deum & Dominũ ſuum Chriſtum confeſſus, eum diuina ſua virtute reſurrexiſſe profitetur (quod anteà credere noluit) putidi cuiuſdam ſui erroris firmamentum colligit Caluinus, fidem videl. quam non niſi electorum eſſe vult, in ipſis electis nunquam extingui, ideóque Thomæ fidem nunquam excidiſſe, ſed ſopitam tantùm ad tempus ac ſuffocatam fuiſſe. *Hæc* (inquit) *tam ſubita acclamatio fidem non prorſus fuiſſe in eo extinctam demõſtrat, quamuis ſuffocata eſſet: non enim Chriſti diuinitatem in eius latere vel manibus attrectat, ſed ex ſignis illis multò plus colligit quã oſtendant. Vnde hoc, niſi quia repentè ex obliuione & veterno ad ſeipſum redit? Ergo verum eſſe apparet quod iam dixi, fidem, quæ abolita videbatur, latuiſſe velut obrutam in eius corde.* Ecce iterum hoc ipſo in loco nimiùm ſibi indulgens Caluinus, & ex proprio ſenſu ſapere volens, verbo Dei locum nõ relinquit. Apertè enim docet Scriptura hæc Euangelica, apertè Patres confirmãt, Thomam incredulum fuiſſe & infidelem. Ait illi Chriſtus: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Iam ergo fidem reſurrectionis Dominicæ, & diuinitatis Chriſti, qua poſſet reſurgere, Thomas non habuit. Erat incredulus, non fidelis, ait Chriſtus: Erat fidelis, & fides in eo extincta & abolita non fuit, ait Caluinus. Et vide adhuc quomodo Chriſto contradicat in argumento erroris ſui quod adfert. *Non enim* (ait Caluinus) *diuinitatẽ in eius manibus ac latere attrectat.* At Chriſtus contrarium diſertè docuit: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti*: id eſt, ex viſu & contactu corporis mei, me Dominum ac Deum tuum credis. Non quidem in illo Chriſti corpore attrectauit Deum, ſed ex illo Chriſti corpore rediuiuo argumentum cepit credendi Deum. *Qui per viſibilia huius mundi, inuiſibilia Dei cognoſcunt, ſempiternam quoque eius virtutem ac diuinitatem*, in huius mundi creaturis Deum non attrectant, ſed per illa media & argumenta ad fidem in Deum attolluntur. Thomas hoc loco quòd *Deum ac Dominum ſuum* Chriſtum

Electorum perpetua fides à Caluino impiè ſtabilita.

Caluinus Chriſto cõtradicit.

Rom. 1.

Christum confessus fuerit, à Christo non reprehenditur, immò ex vera fide hoc eum dixisse Christus docet, dicens, *Credidisti.* Sed quòd non sine visibili rediuiui corporis argumento id credere voluit, hoc Christus veluti imperfectū quid minori laude dignū ostendit. Fuit igitur Thomas ante visum Christum *incredulus, non fidelis:* fuit circa Christi resurrectionem & diuinitatem *infidelis:* & hoc infidelitatis graue crimen Christus illi exprobrat, dicens, *Noli esse incredulus,* sicut hactenus fuisti: *sed fidelis,* quod hactenus non fuisti. Sic veteres & nobilissimi interpretes Cyril. Græcus, & August. Latinus hác rem exponunt, Illa repentina conuersio & confessio non est sopitæ in eo fidei argumentum, quam nullam in eo fuisse Scriptura affirmat, sed est diuinæ gratiæ cor Thomæ mediante illo visibili argumento subitò & efficaciter conuertentis illustre argumentum. Ita hoc exemplum Caluini hæresim nihil iuuat, sed prorsus euertit. Thomas enim Apostolus, qui ante Christi passionem Christum esse filiū Dei cum cæteris Apostolis crediderat (ait quippe illis Christus, *Pater vos amat, quia credidistis quòd à Deo exiui,* & ipsi ad Christum discipuli dicunt, *In hoc credimus, quia à Deo existi*) post Christi passionem ac mortem, illo scandalo perculsus & perturbatus, de quo Christus eum ac cæteros tam multis verbis præmonuerat, Christum esse filium Dei, Dominum ac Deum suum, ideóque à mortuis resurrexisse, quod se facturum prædixerat, donec eum vidisset ac tetigisset non credidit: & quidem adeò non credidit, vt ipsemet obstinatè dixerit, *Nisi videro, non credam.* In quo iterum verbo Caluini peruicacia luculento argumēto retunditur. Ait ipse Thomas, *Non credam.* dicit Caluinus, *Credidit fide latente in eius corde.* Ita ingenij sui lasciuiam non cohibens Caluinus, iterum verbo Dei & Scripturæ Euangelicæ nullum locum relinquit. An melius nouit Caluinus quod in Thomę corde latuit, quàm ipse Thomas? Aut etiam illud Apostoli negabit, *Nemo nouit quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Credimus igitur Thomæ dicenti, *Nisi videro, non credam. In quo verbo* (ait ipse Caluinus, ad ea quæ posteà dicturus erat parum attendens) *Thomæ incredulitas refertur, vt inde melius confirmetur piorum fides. Non modò tardus ille & difficilis ad credendum fuit, sed etiam contumax.* Attende, lector, quomodo cæcus hæreticus quasi suo proprio pede contra alterum posito impingit. Hìc fatetur Thomæ incredulitatem referri, & addit non solùm tardum & difficilem ad credendum fuisse, sed etiam contu-

In Ioan. lib. 11. cap. 57. Ser. 159. de tēpore.

Fides vnica electorū subuertitur.

Ioan. 16.

Caluinus Scripturæ contradicit.

1. Cor. 2.

Caluinus ex seipso refutatur.

macem. Quomodo igitur ſuſtinet fidem in Thoma *abolitam non fuiſſe, ſed latuiſſe veluti obrutam in corde?* An contumax ad credendum fidem habet in corde latentem? An contumax ad debitum proximo exſoluendum, propoſitum in corde latens habet ſoluendi debitum? An quod homo contumaciter ſe facturum negat, facit tamen latenter in corde? Poteſt quidem homo contra animum & conſcientiam ſuam mentiri, & contumaciter peierare, affirmans ſe id neſcire quod ſcit, vel etiam ſe id non credere quod credit. Sed talis mendax aut periurus dicetur, non ignarus aut incredulus. Nunc autem Thomæ dicenti, *Niſi videro, non credam.* Chriſtus eum corrigere volens ait, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Non ait, noli eſſe mendax, ſed verax. Contumaciter igitur dicens, *Non credam*, non eſt contumaciter contra animum & mentem mentitus, quaſi habens adhuc fidem in corde latentem, ſed ſine fide erat, incredulus erat, fidelis non erat; denique contumaciter affirmauit ſe non credere, nec niſi ſub tali conditione crediturum. Deinde, qui eſt contumax ad credendum, adeò credendi vel actum vel habitum non habet, vt eum actum aut habitum in illa contumacia manens habere nequeat. Maximum enim fidei impedimentum eſt, non velle credere. Tandem quale hoc paradoxum eſt: Iſte contumaciter non vult credere, & tamen credit? An aliquis Caluiniſta me dicet Caluino credere tanquam legitimo Scripturarum interpreti, qui conſtanter profiteor peſtilentiſſimum Scripturarum corruptorem Caluinum eſſe, ideóque me illi non credere? Poſtremò qui dicit, *Niſi videro, non credam*, conditionem apponit qua credat. Ergo ante conditionem datam non credit. Thomas qui abſque illa conditione non credidit, quod & Chriſtus ei obiecit, vtique & ante illam non credidit. Sed Caluinianæ dementiæ refutandæ nullus finis, nullus exitus, ſi ſingula momenta premi debeant.

Videamus quæ ad hoc ſuum hæreticum dogma de vnica electorum fide, quæ nunquam amitti poteſt, magis adhuc confirmandum hoc loco ſubiungit. *Idem* (inquit) *& multis interdum contingit: nam ad tempus quaſi abiecto timore Dei laſciuiunt, vt nulla iam appareat in eis fides. Simul ac verò aliqui Dei ferula caſtigati ſunt, ſubacta carnis ferocia redeunt ad mentem ſanam. Certè morbus per ſe ad docendam pietatem non ſuffic[illegible]t. Vnde colligimus purgatis impedimentis emergere bonum ſemen quod latebat oppreſſum.* Intelligit Caluinus (nam obſcurius loquitur, vt non niſi à ſuis intelligatur)

homi

homines impios ac ſceleratos magnis ſceleribus ac flagitiis contaminatos (ſi de numero electorum ſunt) habere adhuc fidem, id eſt, firmam fiduciam beneuolentiæ diuinæ erga eos (hæc eſt enim Caluini fides) ideóque in gratia Dei ac ſtatu ſalutis eſſe. De qua bis impia eius ſententia in Promptuarij Catholici parte Quadrageſimali latiùs egimus. Quod autem dicit, ita ſe habere ex eo probat, quòd homines ſcelerati morbis caſtigati confeſtim aliquando reſipiſcant, & in alios viros mutentur. Ideò enim eos celeriter reſipiſcere iudicat, quia bonum ſemen iacebat oppreſſum. Nec iterum aduertit huiuſmodi reſipiſcentiam, qua ad bonam mentem reditur, non alicuius boni ſeminis quod oppreſſum iacuit, quod Pelagianæ dementiæ affine eſt, ſed diuinæ gratiæ opus eſſe, quæ huiuſmodi medio externo interdum vtitur, quo laſciuientem in ſcele e ad ſanam mentem reuocet. Vnde illud: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Sanè quærent, quia antea perdiderant. Non quidem quolibet peccato mortali excutitur fides, vt ex aduerſo Lutherani ſentiunt; ſed quolibet peccato mortali virtus ei contraria excutitur, & omnium virtutum radix charitas. Sola infidelitas excutit fidem, luxuria caſtitatem, auaritia benignitatem, gula temperantiam, & ſic in cæteris. Nec fides Catholica manens in peccatore eſt ſemen bonum quod oppreſſum iacet, & purgatis impedimentis emergit; tum quia fides quoad ſuæ naturæ perfectionem integra manet, tum quia illa ſine charitate nullius reſipiſcentiæ bonum ſemẽ eſt: ſed ex lethali peccato qui ad reſipiſcentiam reſurgit, ex nouo gratiæ ſemine gratuito, ex nouis viribus & auxiliis diuinitus datis reſurgit.

Fer. 4. poſt Dom. Paſſ. text. 1.

Conuerſio peccatorũ celeris ex efficaci Dei gratia, non ex bono ſemine relicto.

Pſal. 82.

Addit adhuc alia Caluinus ad hanc ſuam ſuſceptam confirmandam. *Cuius rei* (inquit) *inſigne exſtitit exemplum in Dauide. Nam libidinis ſuæ compos, videmus quàm ſecurè exultet. Nemo non putaſſet deletam eo tempore fidem ex eius animo fuiſſe. Atqui breui Prophetæ admonitione tam ſubitò in viam reuocatur, vt colligere promptum ſit igniculum aliquem, licet demerſus eſſet, ſtetiſſe tamẽ in eius animo, qui mox in flammam erumperet.* Vulgare hoc eſt Caluiniſtarum exemplum, vt probent fidem quandam electorum & certitudinem gratiæ quæ amitti non poteſt. Theodorus Beza idem exemplum, atque illam Petri negationem proferens, de illorum permanente fide ita diſputat, vt dicat *illos, quum ita lapſi eſſent, incubuiſſe tamen veluti anchoræ illi teſtimonio quod Spiritus ſancti teſtabatur ipſorum ſpiritui, eos nimirum quamuis fœdiſſimè lapſos,* tamen

Sceleratiſſimũ Caluini ac Bezæ dogma.

In confeſſ. fidei, cap. 4. ſect. 20.

tamen in numero filiorum Dei censeri, ac proinde remissa illis esse peccata. Hæc videlicet est illa fides quam in Dauidis animo immobilem stetisse, etiã quum Bethsabæam suam complecteretur, & Vriam occidi iuberet, affirmat; & propter hanc fidem, id est, hanc immobilem fiduciam, se esse de numero filiorum Dei, subitò & breui Prophetæ admonitione in viam reuocatum esse. Ita iterum Dauidis resipiscentiam non diuinæ gratiæ, quæ cor Dauidis ad pœnitentiam inflexit, *dans illi pœnitentiam* (vt Apostolus loquitur) sed fiduciæ, quam tenebat, igniculis animo adhuc manentibus, homo impius tribuit. Impiè sanè suo commento causam resipiscentiæ assignat, & causam à Scriptura designatam dissimulat. Ad illam breuem Prophetæ admonitionem, sed satis efficacem, quando apposito dato exemplo ad sui facinoris magnitudinem considerandam, & ad sententiam contra seipsum proferendam Dauidem induxerat, in viam reuocatur Dauid; sed mediante pœnitentia, qua clamauit, *Peccaui Domino.* Clamauit sanè non voce ac labiis tenus, sed ab intimo cordis profundo, magnáque doloris vehementia. *Quid enim aliud* (ait S. Augustinus) *quàm cordis eius profunda cernebat Spiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit; Peccaui Domino, continuóque ad hoc verbum audire meruit, quòd acceperit veniam? Cur autem Saul per Samuelem correptus, quum etiam ipse diceret: Peccaui, nõ meruit audire quod Dauid, quòd ei Dominus ignouisset? Num personarum acceptio est apud Deum? Absit. Sed in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod diuinus oculus discernebat.* Hæc ille. Hoc pectus dissimile non erat fiducia dissimilis, sed cordis intimi pœnitentia multùm dissimilis. Nulla enim erat in Saule pœnitentia propter Deum offensum; nulla Deum placandi cura, sed sola conseruandi honoris sui solicitudo. Sic enim Samuelem alloquitur. *Porta, quæso, peccatum meum & reuertere mecum, vt adorem Dominum:* & iterum, *Peccaui: sed nunc honora me corã senioribus populi mei & coram Israël, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.* Fuit igitur in Dauide vera peccati confessio cum vera pœnitentia coniuncta. Hanc respexit Deus. Fuit etiam in eo fides, non Caluiniana, qua in mediis flagitiis de remissione peccatorum certò confideret, sed illa qua vnum verum Deum adhuc credebat. Neque hæc fides eius peccatis adhuc extincta erat. Hæc eius animo adhuc firma constitit: & ex hac fide Deum inuocabat, ipsúmq; peccatum agnoscebat dicens: *Peccaui Domino.* Hoc

Dauidis conuersio vnde nata.

2. Tim. 2.

Cõtra Faustum lib. 22. c. 67.

Hoc igitur exemplum fidem Caluinianam & perpetuam in mediis flagitiis fiduciam nihil adiuuat: neque cum Thomæ Apostoli lapsu & incredulitate quicquam commune habet. Non enim incredulus erat Dauid, sed adulter & homicida, quum ad eum corripiendum Propheta veniret.

Sed pro sua adhuc fiducia ac sola iustificante fide etiam cum horrendis flagitiis adiuncta quid adhuc disputet hoc loco Caluinus attende. *Quantum* (inquit) *ad homines spectat, perinde rei ac si & fide, & omni Spiritus sancti gratia se abdicassent. Sed fit immensa Dei bonitate, ne electi in tantum alienationis præcipitium ruant. Quare solicitè cauendum est, ne à fide excidamus. Statuendum tamen est, Deum occulto freno electos suos retinere, ne exitialiter cadant, & miraculo fouere semper in eorum cordibus qualescunque fidei scintillas, quas nouo Spiritus sui afflatu, suo postea tempore accendat.* Est hominis quasi vertiginem passi incondita oratio, in hanc & in illam partem vacillans, nusquam pedem certum figens, ac demum pugnantia loquens. Ait homines sceleratos adultero & homicidæ Dauidi similes, *quod ad ipsos spectat, perinde reos esse ac si omni Spiritus sancti gratia se abdicarent.* Teneamus ergo istud. Quod ad ipsos attinet, rei sunt; ergo & ante Deum rei sunt, *cuius iudicium est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Si secundùm veritatem; ergo sicut rei veritas se habet, ita Deus iudicat. At secundùm rei veritatem, & quoad ipsos homines, adulter & homicida electus verè talis est; reus est, ac perinde reus ac si omni Spiritus sancti gratia se abdicaret: est igitur & coram Deo talis. Pergamus nũc. *Sed* (inquit) *fit immensa Dei bonitate, ne electi in tantum alienationis præcipitium ruant.* Hæc iam cum priori sententia apertè pugnant. Si enim adulter & homicida verè reus & abominabilis est quoad ipsum, quoad rei veritatem, & consequenter in Dei iudicio, Dauid autem haud dubiè electus, adulter & homicida erat; atque *in tantum alienationis præcipitium ruit*, vt tam quoad seipsum quàm coram Deo reus atque abominabilis esset, falsum iam est quod affirmat Caluinus, *Dei bonitate fieri vt electi in tantum præcipitium non ruant.* Sic ab vna parte in aliam vacillans, pugnantia dixit. Addit proximè. *Quare solicitè cauendum, ne à fide excidamus.* Quæ hæc illatio? quæ connexio est? Illud potius inferendum fuit: Quare solicitè cauendum, ne adulteri, homicidæ, aut aliorum flagitiorum rei simus, perinde ac si omni Spiritus sancti gratia nos ipsos abdicassemus. Alioqui ne à fide excida

Fiducia in medijs flagitijs Caluini dogma.

Rom. 2.

Caluinus pugnantia docet.

Alia repugnantia.

excidamus,iuxta Caluinum,quia sumus electi,cauere non est opus. Electorum enim fides (iuxta Caluinum) amitti non potest: *& immensa Dei bonitate fit* (sicuti modò dixit) *ne in tantum alienationis præcipitium* (quo videlicet fide & omni Spiritus gratia electi se abdicent) *electi aliquando ruant*. Ita quod per modum illationis subiunxit, nec cum re præsenti cohæret; & cohærentia quã habere videtur, pugnantia concludit. Iam iterum adiungit. *Statuendum est tamen, Deum occulto freno electos suos retinere ne exitialiter cadant.* Hoc nunc rursum cum præcedenti membro, imò & cum tota oratione pugnat. Si enim statuendum ac firmiter tenendum, Deum suos occulto freno retinere ne exitialiter cadant; profectò nec cauere opus est ne à fide excidamus (quod in proximo membro dixit) quia freno occulto Deus nos retinet: neque verum erit, ipsos interdum electos quoad seipsos perinde reos esse ac si omni Spiritus sancti gratia ipsaque fide sese abdicassent, quod tota præcedens oratio posuit. Quomodo enim ita rei esse possunt, quos occulto freno Deus retinet ne in talem reatum cadant? Nam *omni Spiritus sancti gratia sese abdicare*, & *exitialiter cadere*, idem prorsus valere nemo opinor negabit. At illud electis tribuit Caluinus, & Dauid in se expertus est; hoc rursum fieri in electis non posse propter occultum Dei frenum negat Caluinus. Ita, vt dixi, tota eius oratio incondita, vacillans, & dementiæ plena est.

Adhuc alia.

Caluinus absurdissimum suũ paradoxũ miraculo tribuit.

Addit tandem, Deum *in electorum cordibus, qualescunque fidei scintillas miraculo fouere quas postea Spiritus sui afflatu suo tempore accendat*. Attende vt suum paradoxum, quod absurdissimum esse cernebat, nunc miraculo tribuat. Deus in corde Dauidis adulterantis, & innocentem hominem gladio impiorum occidentis, adhuc aliquas fidei scintillas fouit, id est, aliquam semper fiduciam certam de sua salute, aliquam semper certitudinem electionis suæ particularis (hæc est enim fides de qua Caluinus semper loquitur, & quam Beza verbis citatis posuit in Dauide & Petro eo ipso tempore quo fœdissimè lapsi erant, & sine qua fide nulla est apud eos peccatorum remissio) quam fiduciam & certitudinem in mediis sceleribus ac flagitiis veluti oppressam, postea suo tempore Spiritus sui nouo afflatu accendit. Sed quia hoc totum cum summa absurditate coniunctum est, vt electus adulter vel homicida, cùm iam in actu flagitioso ac scelerato versatur, persuadeat sibi se esse filium Dei, certum de salute & peccatorum remissione (quando talis persuasio, præterquã quòd in quen-

quam

quam eam cadere ipsa synderesis & peccati cõscientia vetat, præclarum esset continuandi flagitij ac sceleris incentiuum) addit Caluinus, *illam in electorum cordibus miraculo foueri.* Miraculum sanè ac portentum illud est, non quod Deus facit tota reclamante Scriptura, ipsoque naturæ lumine, sed quod Caluinus finxit: audacia & impudentia vsus, vbi nullum rationis fucum calliditas inuenit. Si turbulenti, sanguinarij, flagitiosi ac scelerati, passim Caluiniani conspiciuntur, mirari id nemo debet. Habent in mediis sanguinibus atque sceleribus hanc fidem ac fiduciam in cordibus, quam Deus in illis miraculo fouet, qua facientes opera diaboli, maneant tamen semper filij Dei. Egregia scilicet & digna hæc viris Christianis doctrina, à qua Epicurus ipse voluptatis assertor ita abhorruit, vt tametsi diceret *nihil esse iustum natura*, adieceri tamen *vitia vitanda esse, quia metus vitari non potest*; vt refert de eo Seneca. Vnus Caluinus cum suis Caluinistis in mediis criminibus metum non habent, quia fiduciam certam salutis Deus in illis perpetuò fouet, *sed miraculo*; id est, ita incognito ac miro modo, vt nec in notitiam vnquam venerit, quia nunquam accidit; & ratione explicari nequeat, quia omni rationi aduersatur. Verum interim est, Deum occulto gratiæ suæ freno corda electorum ita dirigere, flectere, ac gubernare, non quidem, vt nunquam exitialiter ruant siue lethaliter peccent, sed sanè vt finaliter non excidant; quod iuxta sanam doctrinam docet Augustinus, sed eosdem exitialiter peccare; & cùm peccant, non Dei sed diaboli filios esse; nec nisi mediante pœnitentia remissionem peccatorum consequi, vel ad sanam mentem reuocari, idem Augustinus cum aliis Patribus constanter docet. Tandem, nihil hæc tota Caluini oratio ad Thomæ Apostoli incredulitatem pertinet, vel aliquam in eius animo fidem de resurrectione ac diuinitate Christi stetisse (quæ fides cum fide ac fiducia Caluiniana nihil etiam commune habet) vlla ratione probauit.

Caluinus audacia perrumpit vbi calliditate non obtinet.

Caluiniana doctrina Epicurea deterior.

Epist. 98.

In libro de corrept. & gratia.

29. *Beati qui non viderunt & crediderunt.*

QVum ad fidem de vera & reali corporis & sanguinis Christi præsentia & existentia in venerabili Eucharistiæ Sacramento firmiter tenendam, aliqui Catholici hunc locum accommodarent, hoc sibi studiosè taxandum sumpsit Caluinus. *Quòd* (inquit) *Papistæ hæc verba torquent ad suam transsubstantiationem probandam, plusquam friuolum est. Vt beati simus, credere nos iubent Christum esse in specie panis. Sed nihil*

Transsubstantiationis fides frustra impugnatur.

minus Christo propositū fuisse scimus,quàm vt fidem subijceret hominum commentis, quæ si minimum transiliat vltra verbi metas,desinit iam esse fides. Hæc ille. Atqui qui iubent credere Christi corpus esse in specie panis, vt sic credendo quod non vident, beati sint,non hominū commentis, sed ipsi verbo Dei fidem subiiciunt; huic videlicet verbo,*Hoc est corpus meum.* Cui verbo ne se Caluinus & horum temporum hæretici subiiciant,ab ipso Christi verbo,ad sua quisque commenta, hominum fidem traxerunt. Qui autem hoc suadent, vt huic Christi verbo fidem suam fideles subiiciant; nec quod oculis vident,sed quod Christi verbum renunciat, simpliciter credant; non horum temporum Papistæ sunt, sed antiquissimi & doctissimi Patres. Imprimis Chrysostomus his verbis: *In omnibus Deo pareamus,neque contradicamus, licet cogitationibus nostris videatur aduersari,& oculis,quod dicitur: sed sit & cogitationibus & visu dignior ipsius sermo. Sic & in mysterijs agamus:nec solùm præ oculis posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus. Ipsius enim sermo infallibilis:sensus autem noster seduci facilis. Quoniam igitur verbum dicit,Hoc est corpus meum,& pareamus,& credamus, & oculis intellectualibus ipsum conspiciamus.* Sic & alio in loco, *Credamus Deo, nec repugnemus ei,etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit.* Eandem fidem contra sensum postulat Ambrosius. *Fortè dicas: Aliud video. Quomodo tu mihi asseris quòd corpus Christi accipiam? Et hoc nobis superest vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis,vt probemus non hoc esse quod natura formauit ,sed quod benedictio consecrauit; maiorémque esse benedictionis vim quàm naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur?* Hæc ille. Cyrillus quoque Hierosolymitanus id credere quod nō videmus in hoc tanto mysterio monet. *Quamuis* (inquit) *sensus tibi suggerit panem & vinum esse, tamen fides te confirmet, ne gustu rem iudices.* Et paulò pōst:*Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc,qui videtur à nobis non esse panem,etiamsi gustus panem esse sentiat,sed esse corpus Christi; & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.* Hæc ille. Isti veteres Patres (non Papistæ modò) iubent nos credere in specie panis esse corpus Christi,vt sic credendo quod non videmus,beati simus.

Papistarū nomine Patres taxat Caluinus.

Homi. 60. ad populū Antioch.

Homil. 83. in Matth.

De ijs qui initiantur mysterijs, cap. 9.

Catech. Mystagog. 4.

Pergit Caluinus: *Si credere promiscuè oportet quæ non videntur,quicquid prodigiorū fingere hominibus placuerit ,fidem nostram habebit obstrictam.* Atqui non est ab vno extremo ad

alte

alterum extremum abeundum; nec quia prodigum esse non conuenit, ideò auarum esse oportet. Non quia quæ fingunt pro libito homines temere credere in vitio habetur, idcirco quæ docet Ecclesia Dei credenda non sunt. Sed modum fortè præscribet Caluinus, audiamus. *Ergo vt locum habeat hæc Christi sententia imprimis probandum est ex verbo Dei id de quo ambigitur.* Atqui ista transsubstantiatio, quam impugnat Caluinus, ex verbo Dei maximè luculéto probatur, isto videlicet, *Hoc est corpus meum.* An propterea quod non videt Caluinus credet? Minimè gentium. *Verbum quidem* (inquit) *pro sua transsubstantiatione afferunt, sed quod probè expositum, nihil eorum delirio suffragatur.* Attende hominis hæretici resolutionem. Subiicienda est fides verbo Dei, non vt apertè loquitur ac sonat, non vt antiquissimi & doctissimi Patres illud intellexerunt, non vt tota per orbem Ecclesia hactenus credidit, sed vt vnus Caluinus probè exposuit. Illud enim, *probè expositum,* nec veterum Patrum, nec Lutheranorum hodie, nec ipsius Zvvinglij, sed vnius Caluini singularem expositionem significat. Huic Caluini expositioni probæ fidem nostram subiicere oportet, vt sic beati simus. Obseruet lector Scripturam & verbum Dei ab hæreticis ore & labiis venditari; sed ad rem quum ventum est, nō Scripturam, non verbum Dei, sed verbum hominis, verbum Caluini, verbum Lutheri, aut cuiuslibet alterius Magistri credendum obtrudi. Sic alibi contra Lutheranos disputans. *Excipiunt* (inquit) *se verbum habere quo palàm facta est Dei voluntas.* Móxque respondet. *Nempe si illis conceditur, donum interpretationis ex Ecclesia profligare, quod lucem verbo adferat.* Ecce non iam verbo Christi, sed suæ interpretationi, quæ etiam *lucem adferat Dei verbo*, fidem subiici vult. Vnde paulò pòst: *Hinc* (inquit) *fastuosa illa morositas, nolumus scire quomodo sub pane lateat Christus, hac ipsius voce contenti, Hoc est corpus meum.* Morositatem vocat, eámque fastuosam, quòd Christi voce contenti sumus. Suadet ergo Christi voce non esse contentos. Suadet verbo Dei fidem non subiicere, sed interpretationi suæ: *quam* (vt postea dicit) *Spiritus Dei illi suggessit, quo fretus despicit ex alto quicquid terrenæ sapientiæ contrà opponitur.* Ita iuxta Caluinum in cuiuslibet noui Magistri spiritu, quem Dei Spiritum nuncupabit, ideóque eo fretus omnes aliorum spiritus ex alto despiciet, fides nostra resoluetur. Verbo enim Dei subiicienda fides est, sed sic exposito & intellecto, vt talis ac talis nouus Magister interpretari vo-

Hæretica resolutio Caluini.

Scripturā quomodo venditant hæretici.

Institut. lib. 4. c. 17. num 25.

Christi verbo contentū esse, Morositas fastuosa Caluino est.

Spiritui proprio quisque hæreticus omnes subiicere vult.

luerit. Huius resolutionis impietas quanta sit, pluribus explicare, nec opus admodum est, nec hic locus permittit.

IN IOANNIS CAP. XXI.

15. *Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis*
me plus his? Dicit ei, Etiam Domine: tu scis quia
16. *amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi, Etiam*
Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos
17. *meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me?*
Contristatus, &c. dixit ei Petrus: Domine, tu scis omnia: tu scis quia amo te. Dicit ei Iesus, Pasce oues meas.

Primatus Petri variè demonstratur. DISPLICET multùm Caluino, Petri Primatum & supremam Ecclesiæ gubernationem ex hoc loco stabiliri. Christi enim verbis inhærendo obseruamus, præsentibus aliis Apostolis ac discipulis,
1. ad vnum Petrũ illa Christi verba destinari, in quibus Ecclesiæ suæ vniuersæ Pastorem constituit. Vniuersam Ecclesiam Petro committit, quum ait indefinitè, *Pasce oues meas.* Oues
Hom. 1. de pænit. quippe Christi sunt totum ouile. Vnde *Ecclesiæ primatum gubernationemq́; per vniuersum mundum Petro à Christo hoc loco*
2. *concreditum fuisse*, scribit Chrysostomus. Obseruamus hanc illi pascendi curam cum distinctione & variatione non otiosa, sed certum aliquid & proprium significante, coniunctam committi. Estq́ue hæc verborum variatio duplex, tum in officio pascendi, tum respectu eorum quos pascere Petrus iubetur. Nam in primo & tertio mãdato vtitur Christus proprio & simplici verbo pascendi, βόσκε, quod est pabulum necessarium præbere seu verbo prædicationis, seu Sacramentorum alimento, seu vitæ & morum exemplo. In secundo mandato vtitur verbo, ποίμαινε, quod ita pascere significat, vt etiam regere ac gubernare denotet, quod Græcus Interpres Euthymius annotauit in commentariis in hunc locum. Augustinus
Tract. 123. in Ioan. quoque oues pascendas exponit, *docendas regendasq́; cõmittit.* Respectu eorum quos pascere iubetur Petrus, primò vocantur *agni*, postea *oues*, quibus significãtur tum populus fidelis, qui ita pascitur vt alios nõ pascat; tùm ipsi Pastores qui alios pascunt, sicut agnorum matres oues sunt. Quod obseruans

Ambrosius

Ambrosius ita scribit. *Tertiò Dominus interrogauit, non iam agnos, vt primò, lacte quodam pascēdos, nec ouiculas, vt secundò (sic enim ille legit) sed oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.* Obseruamus rursum, vt hoc amplissimum munus Petro Christus demandaret, non simplicem ab eo dilectionem, quæ in quolibet Pastore requiritur, sed excellentem & cæteris maiorem Christum flagitasse. Ait enim: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Ita videlicet diligenti plus cæteris, pascendi potestatem ampliorem quàm cæteris dedit. Alioqui æqualem & cōmunem cæteris daturus potestatem, non nisi dilectionē ab eo cæteris æqualem flagitasset. Quod obseruans D. Ambrosius ait. *Christus eleuandus in cœlū, amoris sui vicarium Petrum reliquit: & ideò quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Hæc obseruatio tanti valet, vt bonus Caluinus hæc Christi ad Petrum verba (*Diligis me plus his?*) penitus intacta reliquerit. Audacior Beza tacere noluit, sed rem eludere contendit. *Hoc* (inquit) *addit Christus, non vt alijs Petrum anteponat, sed vt in memoriā reuocet Petro inanem illam iactationē qua fretus dixerat, tacentibus cæteris, se vitam depositurum ipsius causa.* Sed hæc Bezæ euasio luculento nititur mendacio. Non enim tacentibus cæteris sôlus Petrus se vitam depositurum Christi causa dixerat: sed cùm dixisset, *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; addit Matthæus, addit etiam Marcus, *Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Non ergo ad illam iactantiam, quæ omnibus communis erat, in memoriā reuocandam, solus Petrus interrogatur, *An diligat plus cæteris.* Sanior est S. Ambrosij obseruatio: & frustra Beza turpi mēdacio innixus exclamat, *Quorsum istud ad Antichristianam tyrannidem?* Sic enim rebellis spurius sedis Apostolicæ iustam & supremam authoritatem conuitio lacerat. Culpat statim Augustinum quòd de ciuitate Dei libro 14. cap. 7. discrimen constituat inter ἀγαπᾷν & φιλεῖν, quasi istud amplius quàm illud declaret, & *rem esse* ait *nullius momenti.* Atqui D. Augustinus eodē in loco prorsus contrarium docet, & probat ex scripturis vtrumque verbū *amoris & dilectionis* indifferenter accipi: immò & ex ipso textu doctè obseruat illa duo verba hoc loco prorsus idem significare, quod aliter olim Ambrosiū secutus exponens retracto. *Tertia* (inquit) *interrogatione ipse Iesus non ait, Diligis me, ἀγαπᾷς με, sed, Amas me, φιλεῖς με: vbi secutus Euangelista ait: Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò, Amas me, cùm Dominus non tertiò, sed semel dixerat, Amas me, bis autē dixerat,*

Lib. 10. cap. 24. in Lucam. 3.

In Luc. lib. 10. cap. 24.

Beza euasio mero mendacio nixa.

Matt. 26. 35. Marc. 14. 31.

Augustinus a Beza mendaciter taxatus.

De Ciuit. Dei lib. 14. c. 7.

Diligis me. Vnde intelligimus, quòd etiã cùm dicebat Dominus, Diligis me, nihil aliud dicebat, quàm, Amas me. Petrus autem non mutauit huius vnius rei verbum, sed etiam tertiò dixit, Domine, tu scis quia amo te. Hæc propterea commemoranda putaui, quia nonnulli arbitrantur aliud esse dilectionem seu charitatem, aliud amorem. Quam sententiam improbabilem esse statim ostendit. Quid ergo Bezæ in mentem venit id in Augustino culpare, cuius contrarium ille apertè docet, nisi quòd petulantes hæretici ad Patres doctissimos reprehendendos præcipites feruntur, eos autẽ inspicere ac legere non dignantur? Addit aliam annotationem Beza, pro eo quod Ioannes habet agnos & oues, ἀρνία καὶ πρόβατα, Syrum interpretem tribus vti vocibus, sed idem significantibus. *Quod* (inquit) *non annotassem, nisi adoratores bestiæ viderem etiam ad stabiliendam illius tyrannidẽ non minus impudenter quàm impiè occasionem ex his voculis arripere, quasi per agnos ipsi Apostoli reliqui intelligantur, quos tamen Christus non pascere, sed, postquam resipuisset, confirmare, suo videlicet exemplo, cæterisq; virtutibus, Petro præcepit. Luc. 22. 32.* Plena est ineptiæ & impietatis annotatio. Si adoratores bestiæ sunt qui inter has voces distinguũt, Ambrosius & Euthymius à nobis citati tales fuerunt. Sed facilius est Bezam esse bestiam, quàm sanctissimos illos & doctissimos Patres adoratores bestiæ fuisse. Deinde inhærere verbis Christi, & distinctionem ab Euangelista positam religiosè retinere, est iudicio Bezæ *impudẽter & impiè ex voculis occasionem arripere.* Hæc est quam deferunt hæretici Scripturæ reuerentia, quoties contra illos premitur. Impietatis Bezanæ hæ notæ sunt. Agnorũ vocabulo Apostolos à quoquam designari, perquam ineptè affirmat, quum agnorum vocabulo populũ fidelem, ouium verò Pastores & perfectiores significari, Ambrosius & Euthymius aliíque Catholici affirment. Quòd autem Petri officium de confirmandis fratribus suis exponit Beza, *ad exemplum ac cæteras virtutes pertinere, quibus eos Petrus præire debuit*, glossam esse à Christi mente alienissimam, ex doctissimorũ Patrum concordi sentẽtia ad illum Lucæ locum ostendimus. Quod tandem ait Syrũ interpretem tribus vti vocibus idem significantibus, falsum penitus esse textus Syriaci interpretatio monstrat: quæ pro tribus illis vocibus primò *agnos*, secundò & tertiò *oues* reddit. Et vt ita se res haberet, an ipsis Euangelistæ verbis Græcis Græcè scribentis, istud præiudicare vllo modo potest aut debet? Sanè neutra illarum trium vocũ Hebraicis

Beza annotatio inepta & impia.

Scripturã vilipendit Beza.

verbis respondet, quod magis spectandum erat. Sed quare Beza in Græcorum verborum proprietate excutienda accuratus, de verbis Euangelistæ differentibus βόσκε & ποίμαινε nihil hoc loco annotauit? Cur ex Homero, vt multa solet, illud non protulit, τὸν ποιμένα λαῶν, vt, quantum valeat, τὸ ποιμαίνειν, suum lectorem moneret? Nempe ad veritatem orthodoxam istud faciebat; cuius ille hostis esse maluit quàm interpres.

Sed nunc, omisso Beza, ad Caluinum veniamus. *Legitimi* (inquit) *Pastores coram Deo censentur, qui sub Christo capite Ecclesiæ præsunt per verbi ministerium. Quo satis dilucidè refellitur Romanensium improbitas, qui locum hunc detorquent ad stabiliendam Papatus sui tyrannidem. Petro, inquiunt, præ alijs dictum est, Pasce oues meas. Cur illi potius dictum sit quàm reliquis, iam antè exposuimus. Nempe vt purus omni sinistra nota liber esset ad prædicandum Euangelium: & ideò ter eum Pastorem constituit Christus, vt tres abnegationes, quibus sibi Petrus æternum probrum contraxerat, abolitæ, eius Apostolatum non impediant, quemadmodùm prudenter obseruant Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, & plerique alij. Cæterùm nihil Petro datum est his verbis quod nõ omnibus Euangelij ministris sit commune. Frustra ergo Papistæ ideò contendunt esse primarium, quia specialiter vnus vocetur.* Hæc ille, contra veritatem Euangelicam frustra recalcitrans. Petrum quidem de amore suo erga Christum ter fuisse rogatum, vt trinam negationem triplici amoris confessione ablueret & compensaret, notarunt Patres à Caluino citati: sed Apostolatum illi per hanc triplicem confessionem quasi renouatum fuisse, vnus Cyrillus affirmat; nec id quasi literæ sensum enucleans, sed, quemadmodum præfatur, sensum quendam sublimiorem & mysticum consectans. *Altius* (inquit) *quiddam hæc oratio certè parturit.* Sed neque verè dici potest Apostolatum Petro restitutum fuisse, vt Caluinus hîc dicit. *Narrat* (inquit) *hic Euangelista quomodo Petrus in eum honoris gradum, vnde exciderat, restitutus fuit.* Nam etsi per illam negationẽ Apostolatu excidisset, nec ad gradum illum recuperandum vel pœnitentia confestim subsequens, vel beneuolentissima illa Christi apparitio soli Petro primo resurrectionis die seorsim facta (de qua Lucas, *Et apparuit Simoni*) suffecisset; tamen noua potestas remittendi & retinẽdi peccata iam priùs Petro cum aliis Apostolis concessa, certum argumentũ est, Petrum in Apostolatus sui dignitatem iam antea restitutum fuisse:

Caluini recalcitratio.

Petro Apostolatus non est hic restitutus.

Luc. 24.

maximè in sensu Caluini, qui illam remittendi peccata potestatem in sola prædicatione verbi consistere pertinaciter loco eodem docet, & hic rursum totam pascendi potestatem Petro datam exponit, *præesse Ecclesiæ per verbi ministerium.* Deinde etsi Patres à Caluino citati ex trina dilectionis professione Petri primatum non colligunt, colligitur ille tamen partim ab iisdē, partim ab aliis Patribus citatis, ex aliis huius loci circunstantiis quas annotauimus, & imprimis ex eo quòd an plus cæteris Christū diligeret (quod sibi penitus dissimulandum putauit Caluinus) à Christo interrogatur. Frustra igitur Caluinus veritati Euangelicæ reluctatus est.

Quæ nunc in Caluino sequuntur, vel friuolæ exceptiones sunt, quibus olim satisfactum est, vel putidæ cauillationes, vix vllo responso dignæ. Singula tamen breuiter discutiemus. *Atque vt demus* (inquit) *fuisse priuatim illi aliquid honoris delatum, vnde, quæso, euincent locatum fuisse in primatu?* Iam ex ipsis Christi verbis diligenter excussis illud euicimus. Neque de priuato aliquo Petri honore aliquid hic Christum egisse, vel per somnium cogitare potest, qui Christi omnes actiones & doctrinam, quem scopum semper habuerint, vel mediocriter perpendit. Addit: *Fuerit sanè inter Apostolos præcipuus, an inde protinus sequetur, fuisse vniuersalem totius orbis Episcopum?* Stolida est exceptio à Caluino sæpe repetita, à nobis super Matthæū reiecta. *Adde* (inquit) *quòd quicquid accepit Petrus, nihilo magis ad Papā pertinet quàm ad Mahometē.* Côuitiū est homine hæretico & nulla refutatione dignum. Atqui probabit, si diis placet. *Quo enim* (inquit) *iure pro hærede Petri se venditat?* Nō pro hærede, sed pro successore se venditat, eādem Cathedrā, fidē, ac doctrinā tenens. Pergit adhuc. *Deinde quis illi sanus concedat, hic ius aliquod hæreditarium à Christo positum esse?* Et quis sanus illud negabit? Pascendi verbum, officium designat non extraordinarium sed perpetuum. Ouile Christi perpetuum est: perpetuus igitur & Pastor est quem Christus illi præfecit. Quis sanæ mentis illud negabit? Addit Caluinus. *Successor tamen vult haberi, vtinam quidem esset. Nemo nostrûm illi repugnat, quin & diligat Christum, & curam suscipiat pascendi eius gregis. Sed neglecto Christi amore, & reiecto pascendi officio, successionem iactare, nimis absurdum est, nec minus stultum.* Petri successores Romani Pontifices nec Christi amorem, cuius fidem semper fortissimè defenderunt, nec pascendi officium, quod latissimè patet, penitus neglexerunt, etsi alij magis, alij minus illi muneri incubuerint. Nec

Variis Caluini cauillationibus respondetur.

1. 2. *Ad Matt. c.16.v.18.* 3. 4. 5. 6.

qui

qui Cathedram & doctrinam tenet, successionem inaniter iactat, tametsi officium aliquatenus negligat, quàm diu reiecta fide in lupum non vertitur; sicuti Reges ius regni non amittunt, tametsi rem negligenter administrant, quàm diu in tyrannos nō vertuntur. Pergit Caluinus. *Quemadmodum autem* 7.
Christus docendi prouinciam Petro mandans, solium idolo vel animarum carnifici erigere noluit, ex quo Ecclesiam miserè opprimeret, ita breuiter admonuit quale probet Ecclesia sua regimen. Respondeo: Quemadmodum Christus oues suas pascendi prouinciam generalem atque supremam mādans, nec idolo alicui, nec animarum carnifici, sed Cathedræ Apostolicæ & animarum curatori maximo solium erexit, ex quo hæreticos omnes per omnes ætates, & inter cæteros Caluini sectam penitus opprimeret: sic officium istud & maximæ solicitudinis & in primis necessarium totis his 1500. annis Petri successores strenuè sunt exequuti. Concludit tandem & triumphū
canit Caluinus. *Sic larua detrahitur cornutis Episcopis, qui sola theatrica pompa & inani titulo contenti, ius Episcopale sibi arrogant.* Hoc est fulmē Caluinistarum, quo vix pulli & auiculæ terrentur. Caluinus omnibus laruam detraxit, quia strenuè bacchari & mentiri potuit. Non contentus Papam è solio deiicere, omnes quoque Episcopos è ponte deturbat. Sed stat firma sedes Apostolica, Petrique Cathedra. Pascūt Ecclesiam Catholicam docti & sancti Episcopi, quorum studio ac diligentia lupi Caluiniani à Christi gregibus arcentur. Nec sola Episcoporum incuria, sed populi leuitate & principum conniuentia hæc Caluiniana secta præualuit. 8.

18. *Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.*

Caluinus ac Beza historiam Euangel. studio corrumpunt.

QVi ex hoc loco colligunt Petrum fuisse crucifixum (ait hoc loco Beza) *ineptè argumentantur, cùm Christus in genere prædicat Petri mortem violentam fore.* Similiter Caluinus. *Multi genus mortis notari putant, quòd extensis brachiis suspensus fuerit, verùm ego simpliciter cingendi verbo comprehendi interpretor externas omnes actiones quibus se homo & vitam suam componit. Cingebas te, hoc est, induebas prout libitum erat. Posthac autem tolletur hæc formandi habitus libertas. Porro quo supplicij genere affectus fuerit Petrus, præstat nescire, quàm dubiis fabulis habere fidem.* Hæc ille. Vterque historiā Euan-

gelicam affectarè corrumpit, vt traditionem Ecclesiasticam de Beato Petro crucifixo inanem ac ridiculam reddat. Sed verba Christi & Euangelistæ tam clara sunt, vt huiusmodi cauillationibus eludi nequeant. Christus non solùm Petro dixit, *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis*, quod de morte pro Christo toleranda, cui naturalis hominis iusti voluntas repugnat, ipse Caluinus agnoscit, sed genus mortis exprimere volens, duabus circunstantiis vsus est, *Extendes manus tuas*, &, *Alius te cinget.* De vtraque circunstantia sic Augustinus in hunc locum. *Extendes manus tuas, id est, crucifigeris. Ad hoc autem vt venias, alius te cinget, & ducet non quò vis, sed quò non vis. Priùs dixit quòd fieret: deinde quomodo fieret.* Hæc ille. De posteriori circunstantia Tertullianus. *Tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci astringitur.* Euangelista quoque apertè affirmat de genere mortis ista Christum dixisse, subiungens. *Hæc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Qua morte, *id est, quo genere mortis*, ait Chrysostomus Patriarcha Græcus, illud verbum, ποίῳ θανάτῳ, exponens, quod ita exponendum negat Beza, quasi verbi Græci proprietatē melius teneret quàm aureum illud Græcorum os.

B. Petri crucifixio à Christo prænunciata.

Tract. 123. in Ioan.

Lib. 4. aduersus Marcionē.

Hom. vlt. in Ioan.

Ioan. 12. 23

Sic suprà Ioan. 12. dicente Christo, *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, addit Euangelista, *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus*, ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν: vbi iterum de genere mortis suæ loquutum esse Christum negari non potest. Caluini autem glossa, *Alius te cinget*, id est, posthac tolletur hæc te formandi habitus libertas, planè ridicula & puerilis est, quasi Christus Petro prædixerit fore vt deinceps non se indueret pro libito, & quasi coniuncta illa duo non essent, *Alius te cinget*, &, *Ducet quò non vis*: quorum posterius ad Petri martyrium pertinere quum Caluinus ipse fateatur, prius quoque membrum ei coniunctum eodem spectare, negare non debuit. Sed libuit præfractis hominibus, historiæ Euangelicæ clarissimæ luci tenebras offundere. Porro *non dubiis fabulis*, sed indubitatæ fidei, & grauissimis rerum Ecclesiasticarum scriptoribus fides habetur de genere supplicij quo Petrus affectus fuit. Eusebius Pamphili ex Origene in Genesim ita scribit. *Petrus ad extremum, quum Romæ versaretur, capite deorsum statuto (sic enim perpeti cupiebat) crucifixus est.* Vnde eleganter Tertullianus. *Petrus passioni Dominicæ Romæ adæquatur.* & D. August. *Petrus pro Christo capite deorsum verso in ligno suspenditur.* Idem testatur Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorū, Orosius

Caluini glossa puerilis.

Petrus Romæ crucifixus. Historiæ Ecclesiast. lib. 3. c. 1.

In præscript. c. 26

Orosius lib.7.cap.6.Dorotheus Tyrius in Synopsi, Egesippus de excidio Hierosolymitano lib.7.Chrysostomus his verbis. *Gaudeas Petre, qui ligno crucis fruitus es, & ad Magistri similitudinem recta quidem figura, sicut Dominus noster, crucifigi noluisti, sed magis inuerso capite, veluti è terra ad cœlum iter parans.* Idem scribit Theodoretus in oratione de charitate, B. Maximus in Natali Apostolorum Serm.1. Prudentius, & alij grauissimi atque antiquissimi authores. Sed Caluino ac Bezæ si antiquitatis testimonia fidem facere nequeunt, minus mirari debemus: quando & ipse textus Euangelicus per se perspicuus & luculentus non satisfacit. Hæc illorum pietas, hæc modestia est. *Homil. in Princip. Apost.*

* * *

CALVINI EPILOGVS.

Tenendum memoria est, quod prius habuimus, quam Euangelistæ summam literis complexi sunt, tum ad instituendam fidem, tum ad salutem conferendam sufficere. Satis ergo supérque sapiet, quisquis ritè sub ijs Magistris profecerit. Et certè cùm diuinitus nobis ordinati fuerint testes, sicuti fideliter defuncti sunt suis partibus, ita nostrum est vicissim ab eorum testimonio totos pēdere, nec plus appetere quàm ab illis proditum est: præsertim cùm eorum calami certa Dei prouidentia gubernati fuerint, ne immodica rerum congerie nos onerarent, & tamen delectu habito traderēt quantum expedire nouerat, qui solus sapiens est, & fons vnicus sapientiæ, Deus: cui laus & gloria in perpetuum.

ANTIDOTVM.

Tenendum memoria est, & contra imposturas hæreticas diligenter obseruandum, quod prius contra Caluini technas explicatum dedimus: quam Euangelistæ summam literis complexi sunt, eorum quidem quæ de Christi dictis ac factis cognoscere opus erat, sufficiens esse compendium; ad instituendam autem fidem vel ad salutem conferendam minimè sufficere: quando Apostolos postea & Ecclesiam Spiritus Sanctus multa docuerit quę Christus viua voce non docuit, eò quòd *omnia portare Apostoli necdum poterant*: ac per hoc Euangelistas, qui *ea quæ cœpit Iesus facere & docere* (vt Lucas Euangelista affirmat) suis literis comprehenderunt, omnia quæ ad instituendam fidem & conferendam salutem sufficerent, scripto tradere non potuisse. Nisi fortè quicquid extra 4. Euangelia non solùm Ecclesia tradit, sed & alij Apostoli non Euangelistæ in Epistolis & aliis suis scriptis complexi sunt, id totum ad instituendam fidem & ad saluté conferendam superuacaneum videri debeat. *Multum ergo ille plurimumq; sapiet, quisquis sub iis 4. Magistris profecerit*, sed si *satis supérque*, vt Caluinus vult, non vniuersæ tantùm Ecclesiasticæ traditioni (ad quam ille hoc loco collimat) sed & omnibus Scripturis Apostolicis renunciandum est. Et certè sicut 4. isti Euangelistæ *nobis diuinitus ordinati fuerunt testes eorum quæ Christus fecit ac docuit*, sic non secus alij Apostoli

Euangelica historia qua ex parte sufficiens & non sufficiens.

Ioan. 14.

Act. 1.

& Apostolici viri ordinati nobis diuinitus fuerunt testes, tam eorum quæ Christus docuit, quàm omnis veritatis à Spiritu sancto edoctæ; idque *prædicando Euangelium vniuersæ creaturæ*, non omnia & singula scriptis mandando, cuius rei nullum à Christo mandatum eos accepisse legimus. Matth. & Marc. vlt. Et isti quidem Euangelistæ *fideliter indubiè suis partibus defuncti sunt*, nec quicquam eorum prætermiserunt quæ de Christi dictis ac factis per eorum calamum cognoscere nos Deus voluit. Nostrum quoque est, *ab eorum testimonio totos pendere*, quatenus quicquid illi scripserint, vt indubitatè verùm piè atque humiliter credamus, nec à litera Euangelica vel latum vnguem recedamus. Quo magis impius ac detestabilis est vnus Caluinus, qui tam multis in locis Scripturam Euangelicam fœdissimis corruptelis ita deprauauit, vt non modò à literæ sensu longissimè recedat, verùm & eam sæpenumerò penitus opprimat atque excludat: sicuti hæc nostra Antidota manifestum fecerunt. Attamen *non plus appetere quàm ab illis proditum est*, vt Caluinus suadet, nefas existimamus; quando & Apostolicis literis inhærere, & traditiones Ecclesiasticas tenere nos oportet: nisi Paulo reluctari velimus, iubenti *tenere traditiones quas accepimus, siue per sermonem, siue per epistolam.* 2. Thess. 2. Denique *Euangelistarum calami absque omni dubio certa Dei prouidentia gubernati fuerunt, ne immodica rerum congerie nos onerarent* (quando tam multa Christus fecit, *vt si scriberentur per singula, totus fortè mundus eos, qui scriberentur, libros non caperet*) *& tamen delectu habito traderent quantum expedire Deus nouerat.* Ioan. 21. Sed delectus iste sola Christi dicta ac facta concernit quæ Euangelistæ scribenda susceperunt; non ea concernit quæ Apostolos postea Spiritus sanctus docuit, ipsiq; Apostoli *partim scripto, partim intercurrente verbo* (vt Areopagitæ verbis vtar) Ecclesiis tradiderunt, quorum etiam calami ac voce certa Dei prouidentia gubernatæ fuerunt, vt nec inani aliquam aut immodica rerum congerie fideles onerarent, & tamen delectu habito ea scriberent ac traderent quæ ad instituendam fidem ac salutem conferendam expedire nouerat ille Spiritus veritatis illis à Christo promissus, qui cum Patre & Filio solus sapiens & fons vnicus sapientiæ Deus est, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Laus Deo, qui dedit velle, & dedit perficere.

TEXTVS EVANGELICI QVATVOR EVANGELISTARVM, QVI IN HIS Antidotis contra venena Caluiniana & Bezana explicantur.

Ex Euangelio secundùm Matthæum.

Cap.2.2. MAGI venerunt ab Oriente Hierosolymam.
Cap.3. 1. Prædicans in deserto Iudææ.
2. Pœnitentiam agite.
4. Esca autem eius erat locustæ & mel syluestre.
6. Baptizabantur à Ioanne confitentes peccata sua.
7. Progenies viperarum.
9. Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham.
Cap.4.2. Et quum ieiunasset 40. diebus, & 40. noctibus, postea esuriit.
Cap.5. 6. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.
8. Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.
12. Quoniam merces vestra copiosa est in cælis.
13. Vos estis sal terræ.
14. Vos estis lux mundi.
15. Non potest ciuitas abscondi super montem posita.
17. Non veni legem soluere, sed adimplere.
18. Iota vnum aut apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.
21. Audistis quia dictum est antiquis, &c.
23. Si offers munus tuum ad altare.
26. Non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem.
28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum in ea, iam mœchatus est in corde suo.
44. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.
Cap.6.6. Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
7. Orantes nolite multum loqui.
10. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.
12. Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
17. Tu quum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem laua.
18. Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.
24. Nemo potest duobus dominis seruire.
Cap.7.1. Nolite iudicare, & non iudicabimini.

15. Atten

15. Attendite vobis à pseudoprophetis,qui veniunt ad vos in vestimentis ouium,intus autem sunt lupi rapaces.

21. Non omnis qui dicit mihi,Domine, Domine,intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.

24. Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra firmã petram.

Cap.8.2. Domine, si vis, potes me mundare.

4. Vade,ostende te sacerdoti.

26. Vt quid timidi estis modicæ fidei?

Cap.9.6. Quòd filius hominis potestatem habeat dimittendi peccata in terra.

21. Dicebat intra se, Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero.

22. Confide filia.

28. Creditis quia hoc possum facere vobis?

36. Misertus est eis,quia erant vexati,& iacentes sicut oues non habentes pastorem.

Ca.10.2. Primus Simon qui dicitur Petrus.

22. Qui perseuerauerit vsque in finem,hic saluus erit.

38. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

C.11.21. Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis,olim in cilicio,&c.

Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

25. Abscondisti hæc à sapientibus,& reuelasti ea paruulis.

C.12.26. Si Satanas Satanam eiicit,aduersum se diuisus est.

31. Spiritus blasphemia non remittetur.

32. Non remittetur ei neque in hoc seculo,neque in futuro.

37. Ex verbis tuis iustificaberis,& ex verbis tuis condemnaberis.

50. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, hic frater meus,& soror,& mater est.

Ca.13.11. Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum : illis datum non est.

Ca.14.9. Propter iusiurandum autem iussit dari.

19 Aspiciens in cælum benedixit.

28. Domine,si tu es, iube me ad te venire.

36. Et rogabant eum vt fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salui facti sunt.

Cap.15.1. Tunc accesserunt ad eum ex Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes.

2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?

3. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditio

ditionem vestram?

9. Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem.

23. Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

Ca.16.1. Rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis.

6. Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.

18. Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

23. Vade post me Satana: scandalum es mihi.

27. Et tunc reddet vnicuique iuxta opera sua.

C.17.12. Dico vobis, quia Helias iam venit, & non cognouerunt eum.

20. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit.

21. Hoc genus non eiicitur nisi in oratione & ieiunio.

27. Sumens staterem da eis pro me & te.

Ca.18.7. Necesse est vt veniant scandala.

10. Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.

15. Lucratus eris fratrem tuum.

17. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.

18. Si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

20. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.

21. Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?

34. Quoadusque redderet vniuersum debitum.

Ca.19.6. Quod Deus coniunxit, homo non separet.

9. Et qui dimissam duxerit, mœchatur.

11. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.

12. Qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

13. Discipuli autem increpabant eos.

17. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

21. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.

31. Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.

C.20.16. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.

25. Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos.

26. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.
28. Et dare animam suam redemptionem pro multis.
Cap. 21. 5. Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis.
9. Clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid.
13. Domus mea domus orationis vocabitur.
21. Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle & mitte te in mare, fiet.
23. In qua potestate hæc facis, & quis tibi dedit hãc potestatem?
32. Venit ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei.
42. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.
43. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.
C. 22. 12. Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestẽ nuptialem?
16. Mittunt & discipulos suos cum Herodianis.
21. Reddite quæ sunt Dei, Deo.
23. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi.
24. Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, &c.
29. Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.
32. Non est Deus mortuorum, sed viuentium.
37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.
38. Diliges proximum tuum sicut teipsum.
Ca. 23. 2. Sederunt super cathedram Moysi Scribæ & Pharisæi. Quæcunque ergo dicunt, facite & seruate.
11. Qui maior est vestrûm, minister vester erit.
15. Circuitis mare & aridum vt faciatis vnum proselytum; & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.
19. Stulti & cæci, quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum?
23. Decimatis mentham, & anythum, & cuminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudiciũ, misericordiam, & fidem.
29. Ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monimenta
30. iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum.
31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt.
32. Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.
47. Quoties volui congregare filios vestros, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti?

Cùm

C.24.15. Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta.

22. Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

24. Dabunt signa magna & prodigia.

28. Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.

30. Tunc parebit signum filij hominis in cælo.

36. De die autem illa & hora nemo scit nisi solus Pater.

Ca.25.1. Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso.

15. Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundùm propriam virtutem.

21. Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

34. Venite benedicti Patris mei: possidete regnũ paratum vobis à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.

C.26.11. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

26. Cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem.
Accepit panem, & benedixit, dicens.
Hoc est corpus meum.

28. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.
Accipite, & comedite; Hoc est corpus meum: *iterum contra expositionem Caluinianam pressius defenduntur.*

27. Bibite ex hoc omnes.

39. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.

75. Et egressus foras, fleuit amarè.

Ca.27.3. Videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit 30. argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum.

46. Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

C.28.19. Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.

20. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

21. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.

Ex Euangelio secundum Marcum.

Cap.1.4. FVit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

15. Pœnitemini, & credite Euangelio.
Ca.3.16. Et impoſuit Simoni nomen Petrus.
Cap.6.5. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.
Ca.7.33. Apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius,& expuens tetigit linguam eius,& ſuſpiciens in cælum ingemuit,& ait illi, Epheta, quod eſt, adaperire.
C.10.21. Et intuitus eum Ieſus, dilexit eum.
Ca.15 39. Videns centurio quia ſic clamans expiraſſet, ait: Verè hic homo filius Dei erat.
C.16.16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.
19. Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.

Ex Euangelio ſecundum Lucam.

Cap.1.6. ERant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.
28. Aue gratia plena: Dominus tecum.
34. Quomodo fiet mihi iſtud? quoniam virum non cognoſco.
48. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.
74. Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.
77. Ad dandã ſcientiã ſalutis plebi eius in remiſſionẽ peccatorũ.
Ca.2.14. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.
37. Non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte.
52. Proficiebat ſapientia & ætate.
Cap.3.11. Qui habet duas tunicas, det nõn habenti,&c.
Ca.4.16. Intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit legere.
Ca.6.35. Mutuum date, nihil inde ſperantes.
Ca.7 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.
Ca.8. 50. Noli timere: tantùm crede, & ſalua erit.
Cap.9.7. Eo quòd diceretur à quibuſdã, quia Ioãnes ſurrexit à mortuis.
54. Domine, vis vt dicamus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?
C.10. 16. Qui vos audit, me audit. Qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.
27. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis,&c.

29. Hoc fac, & viues.
C.11.41. Quod superest, date eleemosynã: & ecce omnia munda sunt vobis.
C.12.14. Quis me constituit Iudicem aut diuisorẽ inter vos?
48. Qui non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.
Cap.13. Doctrinæ compendium.
C.14.14. Retribuetur enim tibi in retributione iustorum.
23 Compelle eos intrare.
33. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.
Ca.15.10. Gaudium erit in cælo, & coram Angelis Dei.
24. In se reuersus dixit: Surgam, & ibo ad patrem meum.
Ca.16.9. Vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.
C.17.10. Quum feceritis omnia quæcunque præcepi vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.
13. Iesu Præceptor, miserere nostri.
14. Ite, ostendite vos sacerdotibus.
Ca 18.11. Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines.
Ca.19.8. Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.
C.20.46. Qui volunt ambulare in stolis.
C.22.20. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.
32. Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Et tu conuersus confirma fratres tuos.
38. Ecce duo gladij hic.
42. Pater, si vis, transfer calicem istum à me.
C.23.34. Pater, ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt.
43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.
C.24.39. Videte manus meas & pedes meos, quia ego sum.
Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.

Ex Euangelio secundum Ioannem.

Cap.1.1. IN principio erat Verbum.
Et Verbum erat apud Deum.
Et Deus erat Verbum.
9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
12. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt, &c.
14. Verbum caro factum est.
16. De plenitudine eius accepimus omnes, gratiam pro gratia.
17. Gratia & veritas per Christum facta est.
29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.
32. Vidi Spiritum S. descendentem quasi columbam de cælo.

41. Tu vocaberis Cephas,&c.
46. Et dicit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?
Cap.2.4. Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.
18. Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?
Cap.3.5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.
8. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, & quò vadat.
9. Sic eſt omnis qui natus eſt de Spiritu.
6. Quod natum eſt de carne, caro eſt.
14. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentē in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, nō pereat.
18. Qui credit in eum, non iudicatur.
36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam.
Ca.4.14. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.
20. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet.
22. Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus.
23. Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.
48. Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.
Cap.5.4. Angelus Domini deſcendebat ſecūdùm tempus in piſcinā, & mouebat aqua. Et qui prior deſcēdiſſet in piſcinā poſt motionē aquę ſanus fiebat, à quacūq; detinebatur infirmitate.
14. Iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.
19. Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem.
26. Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.
29. Procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ.
44. Quomodo poteſtis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à Deo ſolo eſt non quæritis?
Ca.6.27. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam (æternam.
30. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum.
37. Omne quod dat mihi Pater, venit ad me.
51. Panis quē ego dabo, caro mea eſt (quā ego dabo) ꝓ mūdi vita.
53. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.
54. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.
57. Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, &c.

63. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Nunquid & vos vultis abire?

Cap.7. 5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

17. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

19. Nónne Moyses dedit vobis legẽ, & nemo ex vobis facit legẽ?

38. Qui credit in me, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ.

48. Nũquid ex Principibus aliquis aut Pharisæis credidit in eum?

Cap.8.7. Qui sine peccato est vestrũ, primus in eam lapidem mittat.

36. Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis.

39. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

41. Pater noster Abraham est, nos ex fornicatione non sumus nati. Vnum Patrem habemus Deum.

51. Amen amen dico vobis: Si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum.

53. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt?

Cap 9.6. Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë, quod interpretatur missus.

31. Scimus quia peccatores Deus non exaudit: sed si quis cultor Dei est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

35. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit ei Tu credis in filium Dei?

Ca.10. 1. Amen amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, fur est & latro.

16. Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

26. Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

28. Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.

30. Ego & Pater vnum sumus.

Cap.11. Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.

44. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire.

51. Hoc autem à semetipso non dixit; sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.

Ca.12. 3. Maria accepit libram vnguenti nardi pistici, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis.

8. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

13. Benedictus qui venit in nomine Domini.

27. Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater, salui-

fica me ex hac hora.

31. Nunc princeps mundi huius eiicietur foras.

39. Propterea non poterant credere,quia iterum dixit Isaias,Excæcauit oculos eorum,& indurauit cor eorum.

Cap.13.1. Ante diem festum Paschæ.

8. Si non lauero te,non habebis partem mecum.

14. Si ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.

18. Ego scio quos elegerim.

34. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut ego dilexi vos,vt & vos diligatis inuicem.

Cap.14.1 In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

3. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum.

12. Maiora horum faciet.

15. Si diligitis me,mandata mea seruate.

21. Qui habet mandata mea, & seruat ea,ille est qui diligit me. Qui autem diligit me,diligetur à Patre meo: & ego diligam eum,& manifestabo ei me ipsum.

23 Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum,& ad eum veniemus,& mansionem apud eum faciemus.

24. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.

26. Ille docebit vos omnia,& suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

Cap.15.2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet Pater meus.

5. Quia sine me nihil potestis facere.

9. Manete in dilectione mea.

10. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in dilectione eius.

14. Vos amici mei estis,si feceritis quæ ego præcipio vobis.

16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.

Cap.16.2 Absque synagogis facient vos.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare

13. modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

14. Ille me clarificabit.

27. Ipse Pater amat vos,quia vos me amastis &c.

Cap.17.3 Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

6. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuũ seruauerũt.
20. Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui per verbum eorum credituri sunt in me, vt omnes vnum sint,&c.vt & ipsi in nobis vnum sint.
21. Vt omnes vnum sint,sicut tu Pater in me,& ego in te,vt & ipsi in nobis vnum sint.
22. Et ego claritatẽ quàm tu dedisti mihi,dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.
Ca.19 7. Nos legem habemus,& secundùm legem nostram debet mori,quia filium Dei se fecit.
20. Et scriptum erat Hebraicè,Græcè,& Latinè.
23. Erat autem tunica inconsutilis,desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem:Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.
30. Consummatum est.
Ca.20.6. Vidit linteamina posita,& sudarium quod fuerat super caput
7. eius,non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.
17. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.
19. Cùm ergo serò esset die illo vna Sabbathorum,& fores essent clausæ,venit Iesus,& stetit in medio,&c.
21. Sicut misit me Pater,& ego mitto vos.
22. Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis:Accipite Spiritus S.
23. Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis.
Quorum autem retinueritis,retenta sunt.
25. Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius,non credam.
27. Noli esse incredulus, sed fidelis.
28. Respõdit Thomas,& dixit ei:Dominus meus,& Deus meus.
29. Beati qui non viderunt & crediderunt.
Ca.21.15. Dicit Simoni Petro Iesus. Simon Ioannis,diligis me plus his? Dixit ei,Etiam Domine:tu scis quia amo te.
16. Dicit ei,Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me?Ait illi,Etiam Domine:tu scis quia amo te.
17. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me?Contristatus,&c. dixit ei Petrus:Domine,tu scis omnia,tu scis quia amo te.Dixit ei Iesus,Pasce oues meas.
18. Cùm senueris,extendes manus tuas. & alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit,significans qua morte clarificaturus esset Deum.

Ad Epilogum Caluini,Antidotum.

INDEX RERVM ET MATERIARVM IN QVATVOR EVANGELIORVM ANTIDOTIS.

Numerus paginam significat, litera a, priorem partem; b, posteriorem.

Baptis

Calui

Calui

Caluini

Concor

D.

Episcopa

Luthe

Pela

FINIS.

LVGDVNI,
EX TYPOGRAPHIA
Hæredum Petri Rouſſin.

CIↃ. IↃ. XCV.